3.458



1663

Manuel de Souza de

O Maestre de Campo Manuel de Souza de Castro Dis
que por ordem de Vossa Mg.de o prenderan no noviciado
desta Corte donde estteve preso dois meses poco mais
ou menos, sen en todo este tempo darselhe vista
de culpa alguã con grandes incomudidades faltan
a asistencia de sua Caza; y porque agora ultima
mam.te por nova ordem de Vossa Mg.de lhe aggra
uaram a prizam levando a carcel Real desta
Corte donde actualm.te está preso padessen
do mayores incomudidades y despendios de di
nheiro y sua Caza con as mesmas por falta
de su asistencia.

Pa V. Mg.e lhe faça m. atento a o refe
rido mandar aviriguar sua culpa con
atreuidade q.e pede sua necessidade y si o
uer de aver alguã dilaçam lhe faça V. Mg.de
m.e delhe mandar dar Villa por carcel
que elle está prompto y sugeto a toda
a pena q.e V. Mg.e for servido darle
por sua culpa no q.e R. T. y Mer.d

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - VIGO

ENCYCLOPÆDIÆ
SEU
SCIENTIÆ UNIVERSALIS CONCIONATORUM
PARS TERTIA;
HOC EST,

SERMONES DOCTISSIMI, ET OMNIGENA ERUDITIONE referti, in omnia Festa Sanctorum per totius anni curriculum in Ecclesia Dei occurrentium.

OPUS NOVA METHODO, MULTIPLICI STUDIO AC LABORE, EX humanis novem Disciplinis, altiorumque Facultatum, Theologiæ, Jurisprudentiæ, & Medicinæ Arcanis uno textu concinnatum, in gratiam præcipuè Eruditorum, piorumque Verbi Dei Prædicatorum, & Fidei Christiano-Catholicæ paratum & concinnatum

PER ADMODUM R. P.

MARIUM BIGNONI, VENETUM,
Ordinis Sancti Francisci Capucinorum,
IN SACRA THEOLOGIA EMERITUM LECTOREM, ET FAMOSISSIMUM DIVINI VERBI PRÆDICATOREM.

QUATUOR INDICIBUS COPIOSISSIMIS LOCUPLETATUM, QUORUM PRIMUS est Assumptorum. Secundus Locorum Sacræ Scripturæ. Tertius Eruditionum, & quartus Rerum Memorabilium.



libreria de el Carmen Calzado de Madrid es de fr. Isidro Arauso ad usu

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud HERMANNUM DEMEN, sub signo Monocerotis, Anno M.DC.LXXVI.
Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

ENCYCLOPEDIE

SCIENTIE UNIVERSALIS

CONCIONATORUM

APPROBATIO R. P. HIERONYMI DE BELLVNO, Prædicatoris & Definitoris Capuccini Provinciæ Venetiarum.

POstquàm R.P. MARIUS de Venetia, *Quadrageſimale & Sanctuarium ſuum* typis edidiſſet, animi cauſa in gravibus infirmitatibus ſuis, calamum ſuum ad Conciones quaſdam ſuper viginti quatuor Conciones poſt Pentecoſten conſcribendas applicuit: Verum morte præventus, compoſitioni ſuæ ultimam addere perfectionem nequivit, ut prout deſiderabat, typis feliciter ederentur in lucem: Ne tamen tam felicis ingenii partus ſub oblivionis perpetuæ lapide relinqueretur ſepultus, Admodum R.P. Generalis mihi, ut eas aſſiduè pervolverem & revidetem, commiſit, quod & ea, quâ potui, cum diligentia & ſedulitate præſtiti; cumque nihil in illis reperierim, quod vel fidei Catholicæ, aut bonis moribus eſſet contrarium, imò eaſdem deprehenderim ſummâ eruditione & ſingulari moralitate refertas, dignas quæ in lucem ederentur eſſe judicavi. In cujus fidem, &c. In Monaſterio noſtro Venetiarum, 8. Novemb. Anno 1660.

F. HIERONYMVS de BELLVNO, Prædicator Capuccinus.

APPROBATIO R. P. BERNARDINI DE MONTAGNANA, Prædicatoris & Lectoris Capuccini.

EGo Fr. BERNARDINUS de MONTAGNANA Prædicator Capuccinus, ex commiſſione Admodum R.P. SIMPLICIANI de MEDIOLANO, Generalis ejuſdem Religionis, matura cum attentione & diligenti diſcuſſione legi *Dominicale* R. P. MARII de VENETIA, Prædicatoris noſtri Capuccini, nec quicquam in eo offendi, quod ſanctæ Fidei noſtræ veritati, aut bonis moribus repugnet, imò illum reperi refertum conceptibus pulcherrimis, doctiſſimisque eruditionibus: Unde illum Prædicatoribus valde utilem futurum eſſe cenſeo, prouti alia quoque ejus Opera ſuperioribus annis edita fuêre; ac proindè opus iſtud digniſſimum judico, ut pro communi bono quantocins typis edatur. In hujuſce veritatis teſtimonium confirmo, ut ſuprà: Venetiis è noſtro Monaſterio Redemptoris, 18. Novemb. Anno 1660.

Fr. BERNARDINVS de MONTAGNANA, Prædicator & Lector Capuccinus.

Facultas Admodum R. P. Generalis.

NOs F. SIMPLICIANUS à MEDIOLANO, Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum Generalis Miniſter, licet indignus. Cùm Opus cui Titulus: *Prediche Sopra le 24. Dominiche doppo la Pentecoſte*, à R.P. MARIO VENETO, noſtri Ordinis Concionatore Theologo compoſitum, & Patribus doctis noſtræ Religionis, juxtà commiſſionem noſtram recognitum & approbatum fuerit, ut typis mandari poſſit, ſervatis ſervandis tenore præſentium facultatem concedimus. Datum in loco noſtro Civitatis Theatinæ, Die 10. Decembris, Anno 1660.

Fr. SIMPLICIANVS à MEDIOLANO. M. Generalis.

Noi Reformatori dello ſtudio di Padoa.

HAvendo veduto per Fede del Padre Inquiſitore Generale di Venetia che nel libro intitolato: *Prediche Sopra le 24. Domeniche doppo la Pentecoſte*, Autore il R.P. MARIO da Venetia, non eſſerui coſa contra la ſanta Fede Cattolica; e ſimilmente per atteſtato del Secretario noſtro niente contro Prencipi, è boni coſtumi; concedemo licenza a Francesco Storti, che ſia ſtampato; dovendo ſi oſſervare le leggi in queſto propoſito, è preſentarne due copie nelle libratie publiche di Venetia, è Padoa. Dato 4. Aprile 1661.

Goi. Donà Reform. *Andrea Piſani Proc. Reform.*

ALEMANTE ANGELO Domini Secr.

APPROBATIO REVERENDISSIMI P.F. INNOCENTII à Calatayerone Generalis &c

NOs Fr. Innocentius à Calatayerone Generalis Minister, licet immeritus, Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum, Facultatem elargimur, ut opus à P. MARIO de Venetiis nostri Ordinis Concionatore compositum, & auctoritate nostra revisum & approbatum, cujus Titulus est *Seraphici Splendores, &c.* typis mandari, & excudi possit, servatis tamen servandis &c. In cujus fidem has nostro Sigillo munitas, ac manu propriâ subscriptas dedimus Granatæ in Conventu nostro Sancti Joannis Baptistæ die 5. Decembris, 1648.

F. INNOCENTIUS M. GENERALIS.

Approbatio Adm. R.P. Aloysii à Verona Provincialis Ministri Provinciæ Venetæ.

NOs Frater Aloysius à Verona Fratrum Minorum Capucinorum in Provincia Veneta Minister Provincialis, Conciones R. P. Fratris Marii Veneti Provinciæ ejusdem Concionatoris, ac Theologiæ olim Prælectoris eximii, Italico idiomate exaratas, & titulo *Seraphici Splendores* insignitas, gravibus, doctisque Provinciæ hujusce nostræ Theologis, Reverendissimi P. Fr. Innocentii à Calatayerone universi Ordinis nostri Generalis Ministri jussa executuri, sedulo perlegendas, & examinandas curavimus. Quæ sanè eisdem Patribus, ac nobis cumprimis, qui illas, & ex suggestu sæpenumero percepimus, & nunc denuò penè omnes, nostrâ maximâ oblectatione, emolumento perlustravimus, eousque numeris omnibus absolutæ visæ sunt, ut non modò nihil in eis sanæ doctrinæ, probisque moribus obnoxium, quinimo penitus consentaneum offendisse pleno ore profiteamur, utpote quas & eruditione mirificâ, & varietate multigenâ, ceu quadam scientiarum omnium penu refertissimas inspexerimus, quocircà eorundem Patrum libentissimè amplexi, ac secuti sententiam, ad communem eas tum Concionatorum, tum Populorum utilitatem, totiusque non modo Ordinis nostri, sed & Ecclesiæ ornamentum, prælo quam maximè dignas arbitramur. Venetiis in nostro Redemptoris Sanctissimi Conventu undecimo Kalendas Novembris, Anno à partâ salute supra Millesimum Sexcentesimum Quadragesimo Octavo.

APPROBATIO R.P. AMANTII A BELLUNO Prædicatoris Capucini.

JUssu R. Adm. P. ALOYSI VERONENSIS &c. diligenter legi *Quadragesimale* R.P. MARII VENETI, Concionatoris, & Lectoris Theologiæ, nec inveni aliquid difforme fidei Catholicæ, & bonis moribus, imò admiratus sum spiritum hujus Patris, dum ex abditissimis eruditionibus elicuit moralitates tam excellentes, & efficaces ad emendandos mores; hinc illud pro bono communi luce dignissimum censeo, utinam Deus ipsum salvum conserver, ut mundum aliis operibus illuminare & inflammare possit. Venetiis in nostro Conventu Redemptoris Sexta Septembris, 1648.

F. AMANTIUS *ut supra.*

AD LIBRUM HEXASTICHON.

EXspectate liber, tantóque dicate Patrono:
Quis rabido morsu te lacerare queat?
Unum te excipient Vatem suggesta Magistrum:
Ediscent mores, dogmata dicta τρόκαν.
Viscera si virus te contra fors mala spargent,
Te Seraphin patrio conde repente sinu.

APPRO-

APPROBATIO ADM. R.P. JOSEPHI DE ASOLO
Prædicatoris Capucini, & jam Definitoris Venetæ Provinciæ.

JUSSU Adm. R. P. Aloysii à Verona, Provincialis hujus noſtræ Provinciæ Venetæ, vidi opus intitulatum *Seraphici Splendores*, compoſitum à R. P. MARIO VENETO Capucino, Theologiæ Profeſſore, nec in eo quidquam inveni, vel contra fidem, vel contra bonos mores, imo opus admiratus ſum, præterquam enim, quòd ſit conforme chriſtianæ pietati, novam adducit methodum, dum Scripturis ancillari facit Philoſophiam, Metaphyſicam, Matheſin, & alias ſcientias; hinc opus digniſſimum judico, & deſiderium acuet plura exſpectandi ab hoc Patre.

Venetiis in noſtro Conventu Redemptoris ſextâ Septembris, 1648.

F. JOSEPHUS, *qui ſupra.*

APPROBATIO R. P. BERNARDINI à NOVARIA
Prædicatoris Capucini.

EGO F. BERNARDINUS NOVARIENSIS, Prædicator Capucinus, juſſu R. Adm. P. F. Fortunati à Cadorio, noſtri Miniſtri Provincialis, ſedulò perlegi opus compoſitum à R. P. MARIO VENETO, Prædicatore & Lectore SS. Theologiæ, intitulatum Elogia Sacra, &c. Nec ſolùm non inveni aliquid devium à noſtra S. Fide, & moribus Chriſtianis, ſed omnia reperi pleniſſima conceptibus Scripturæ confirmatis, ac roboratis authoritatibus SS. Patrum, & aliorum Doctorum claſſicorum, ornatiſque pulchertimis, mitis ac raris eruditionibus, hinc illud luce digniſſimum cenſeo, credens illud omnibus gratum & utile fore. Sic atteſtor propria manu ſubſcribens. Venetiis in noſtro Conventu Redemptoris 7. Decembris, 1641.

F. BERNARDINUS, *qui ſuprà.*

APPROBATIO R. P. SIMPLICII VENETI
Prædicatoris Capucini.

EX Commiſſione Adm. R. P. Fortunati à Cadorio, noſtri Miniſtri Generalis, vidi Conciones de Sanctis, R. P. MARII VENETI, Prædicatoris & Theologiæ Profeſſoris, nec aliquid offendi, quod ſit contra fidem & bonos mores; quinimo cum ſingulari meo guſtu admiratus ſum ingenium hujus Patris, qui non ſine divino auxilio ita bonum è malo eduxit, & tam bene ad honorem & gloriam Dei, ejuſque Sanctorum collimavit, tam dexterè applicando illas eruditiones ſcientificas, quibus aliàs viri curioſi ac repidi in Fide ſæpè aburuntur; hinc illud prælo digniſſimum cenſeo, nec dubito ab iis avidè exſpectari, qui guſtarunt Quadrageſimale hujus ingenii univerſale. Venetiis in noſtro Conventu Redemptoris, 1651.

F. SIMPLICIUS, *qui ſuprà.*

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD

FACUL-

Facultas Reverendiſsimi Patris Generalis.

NOS FRATER FORTUNATUS à CADORO, Generalis Miniſter Ordinis Minorum ſancti Franciſci Capuccinorum, Facultatem concedimus, ut typis mandetur, (de cætero ſervatis de jure ſervandis) opus, quod inſcribitur Elogia ſacra &c. à Patre MARIO Veneto, noſtri Ordinis Concionatore, nec non ſacræ Theologiæ Prælectore compoſitum, cùm duo ejuſdem noſtri Ordinis Theologi, quibus id commiſimus, examinaverint, & in lucem edi poſſe approbaverint. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Pariſiis in Conventu noſtro ſancti Honorati, Die 4. Septembris, 1651.

Fr. FORTVNATVS, Miniſter Generalis.

EPIGRAMMA.

Applaudit Amicus Amico.

QUiſquis prima ſubis ſacrati munera Vatis,
Et cupis excultis ore tonare notis.
Perlege fatidico Marius quæ prodidit ore:
Præſtat & exiguus ſint licèt alta liber,
Turba rudis Vatum Numen venerata tonantis,
Fertur mendacem conſuluiſſe Deum.
Tu meliora petas, & docta volumina ſpectes,
Veriùs hæc fuerint Delphica ſpectra tibi.

CENSVRA ORDINARII.

SErmones, quos ad ſingulas Ferias Quadrageſimæ, ad Dominicas, etiam à Feſto Paſchatis uſque ad Adventum, nec non Feſta Sanctorum *Italicè edidit* R. P. MARIUS BIGNONI, VENETUS, *Prædicator Capucinus, à variis commendati, cùm nihil Fidei, aut bonis moribus contrarium contineant, Latinitate donati, poſſunt imprimi.* Coloniæ 6. Auguſti, 1663.

FERDINANDUS STROBELIUS, Sacroſanctæ Theologiæ Doctor, Metropolitanæ Eccleſiæ Canon. Cenſor Librorum Ordinarius.

INDEX

ELOGIUM PRIMUM
Pro Feſto circumciſionis.
ASSVMPTVM.

CHriſtus tanto deſiderio flagravit patiendi pro noſtra ſalute, ut non ſolum natus, ſed & in utero materno, imò & in ſinu paterno habuerit hoc deſiderium.

ELOGIUM II.
Pro Feſto Epiphaniæ.
ASSVMPTVM.

Chriſtus vix natus ſuâ infantiâ, præſentiâ, nomine, umbrâ terrefacit Principes inferni.

ELOGIUM III.
Pro Feſto Beati Laurentii Juſtiniani.
ASSVMPTVM.

Hic Beatus fuit totus ſollicitudo, & vigilantia pro bono ſubditorum.

ELOGIUM IV.
Pro Feſto Purificationis.
ASSVMPTVM.

Quo humiliorem ſe oſtendit MARIA in Purificatione, eò glorioſior & dignior comparet.

ELOGIUM V.
Pro Feſto Sancti Matthiæ Apoſtoli.
ASSVMPTVM.

Quia hic Sanctus amavit ex corde contra vitium non amantium, rectè judicavit de ſuavitate legis Chriſti.

ELOGIUM VI.
Pro Feſto ſancti Joſephi.
ASSVMPTVM.

Hic Patriarcha fuit tam magnus, ut excedens conditionem humanam, & angelicam, fuerit ſimilis Divinæ.

ELOGIUM VII.
Pro Feſto Annuntiationis.
ASSVMPTVM.

Filius DEI aſſumens carnem noſtram in utero MARIÆ, factus eſt totus ſuavis & miſericors.

ELOGIUM VIII.
Pro Feſto ſancti Marci.
ASSVMPTVM.

Hic Sanctus habens pro inſigni leonem alatum, velociſſimum ſe demonſtravit in ſuo munere, idque quia totus fuit ſequeſtratus à mundo.

ELOGIUM IX.
Pro Feſto ſanctorum Philippi & Jacobi.
ASSVMPTVM.

Hi Sancti fuerunt dotati ſapientiâ cæleſti, quia fuerunt privati ſapientia mundi.

ELOGIUM X.
Pro Feſto Beati Felici Capucini.
ASSVMPTVM.

Fuit ſanctiſſimus & perfectiſſimus, ob vicinitatem cum IESV & MARIA.

ELOGIUM XI.
Pro Feſto Aſcenſionis.
ASSVMPTVM.

Ob triplicit atem crucis, Chriſtus aſcendens glorioſior comparuit, quàm è cælo deſcendens.

ELOGIUM XII.
Pro Feſto Pentecoſtes.
ASSVMPTVM.

Spiritus Sanctus inveniens vacua corda Apoſtolorum ab affectibus mundanis, ea replevit gratiis cæleſtibus.

ELOGIUM XIII.
Pro Die ſecundo Pentecoſtes.
ASSVMPTVM.

Spiritus Sanctus vivificans animas noſtras eas facit Deiformes & ſimillimas Deo.

ELOGIUM XIV.
Pro Die tertio Pentecoſtes.
ASSVMPTVM.

Spiritus Sanctus in animabus noſtris tanta portenta operatur, ut verè ſe Thaumaturgũ oſtendat.

ELOGIUM XV.
Pro Feſto ſanctiſſimæ Trinitatis.
ASSVMPTVM.

Virtute ſanctiſſimæ Trinitatis ſuperabimus noſtros hoſtes, imò ipſam mortem.

ELOGIUM XVI.
Pro Feſto Corporis Chriſti.
ASSVMPTVM.

SS. Euchariſtia eſt vigor Chriſtianorum, & Pancarpius cali.

ELOGIUM XVII.
Pro Feſto Sancti Antonii Paduani.
ASSVMPTVM.

Fuit adeò dotatus favoribus cæleſtibus, ut comparuerit Angelus, & Deus ſapientia, ob totalem ſequeſtrationem à mundo.

ELOGIUM XVIII.
Pro Feſto S. Joannis Baptiſtæ.
ASSVMPTVM.

Tam magnus apparuit in Mundo, ut potuerit æſtimari Idea verbi divini, & ſimillimus Chriſto.

ELOGIUM XIX.
Pro Feſto S. Petri Apoſtoli.
ASSVMPTVM.

Fuit tam glorioſus in terra, ut videretur eſſe Idea Chriſti.

ELO-

ELOGIUM XX.

Pro Festo S. Pauli Apostoli.

ASSVMPTVM.

Fuit tantâ sapientiâ & vigore dotatus, ut suũ nomen reddiderit illustre per totum mundum.

ELOGIUM XXI.

Pro Festo Visitationis.

ASSVMPTVM.

Maria in sua visitatione ostendit indicibilem liberalitatem erga genus humanum.

ELOGIUM XXII.

Pro Festo S. Jacobi Apostoli.

ASSVMPTVM.

Bona voluntas hujus Sancti adeo fuit resoluta, ut omnis difficultas illi fuerit facillima.

ELOGIUM XXIII.

Pro Festo S. Annæ.

ASSVMPTVM.

Incomparabiliter crevit nobilitas & decor parentum Mariæ, ex hujus dignitate & nobilitate.

ELOGIUM XXIV.

Pro Festo S. Laurentii Martyris.

ASSVMPTVM.

Laurentius non sentiebat tormenta ignis, imò in illis summè recreabatur & quiescebat.

ELOGIUM XXV.

Pro Festo Assumptionis.

ASSVMPTVM.

Maria adeo similis fuit Christo in natura, gratia & gloria, ut videretur esse alter Deus.

ELOGIUM XXVI.

Pro Festo S. Bartholomæi Apostoli.

ASSVMPTVM.

Quo Sanctior & innocentior, eò crudelius fuit tractatus.

ELOGIUM XXVII.

Pro Festo Nativitatis Deiparæ.

ASSVMPTVM.

Maria quamvis puella, fuit Imago perfectissimè repræsentans Deum.

ELOGIUM XXVIII.

Pro Festo S. Matthæi Apostoli.

ASSVMPTVM.

Ejus conversio fuit effectus aspectus efficacissimi Christi.

ELOGIUM XXIX.

Pro Festo SS. Rosarii.

ASSVMPTVM.

Quam sit efficax devotio Rosarii, Corona & nominis Mariæ.

ELOGIUM XXX.

Pro Festo SS. Patris Francisci.

ASSVMPTVM.

Qui maximus & simul minimus.

ELOGIUM XXXI.

Pro Festo SS. Apostolorũ Simonis & Judæ.

ASSVMPTVM.

Horum duorum Fratrum concordia fuit utilissima Ecclesiæ.

ELOGIUM XXXII.

Pro Festo omnium Sanctorum.

ASSVMPTVM.

Sancti eò clariores comparent in cœlo, quò magis hic fuerunt obfuscati tribulationibus.

ELOGIUM XXXIII.

Pro Festo Præsentationis.

ASSVMPTVM.

Maria usque ad mortem protegit magis obstinatos & desperatos peccatores

ELOGIUM XXXIV.

Pro Festo S. Andreæ Apostoli.

ASSVMPTVM.

Sicut à Cruce recepit vigorem, sic ab illa accepit honoratiores titulos, & ipsum Paradysum.

ELOGIUM XXXV.

Pro Festo Immaculatæ Conceptionis.

ASSVMPTVM.

Maria ab instanti Conceptionis fuit Immaculata.

ELOGIUM XXXVI

Pro Festo S. Luciæ.

ASSVMPTVM.

Fuit laude dignissima, quia semper columnam stabilem se exhibuit.

ELOGIUM XXXVII.

Pro Festo S. Thomæ Apostoli.

ASSVMPTVM.

Singulariter enituit inter Apostolos, quia modo speciali fidem operibus junxit.

ELOGIUM XXXVIII.

Pro Festo Nativitatis.

ASSVMPTVM.

Verbum hodie comparens in Mundo vestitum nostra carne, valde propitium se ostendit generi humano.

ELOGIUM XXXIX.

Pro Festo S. Stephani.

ASSVMPTVM.

Persecutiones quas toleravit, adeo auxerunt ejus facultates, ut gratiosiorem, pulchriorem, digniorem, imò quasi Deum illum effecerint.

ELOGIUM XL.

Pro Festo S. Joannis Apostoli, &c.

ASSVMPTVM.

Fuit adeo elevatus à Deo, ut supergrediens homines & Angelos, comparuerit quasi alter Filius Dei.

ELO-

libreria del Carmen calzado de Madrid

De Fr. Ni Ixo Arauso

ELOGIUM PRIMUM.

In Festo Circumcisionis.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer. Lucæ cap. 2.

Philosophia.

I. PHilosophi & Astrologi inquirunt, quale inter omnes cælos, qui à cælo primo mobili usque ad cælum Lunæ inclusivè moventur, moveatur velocius motu diurno ab Oriente in Occidentem, & deinde ab Occidente versus Orientem?

Nonnemò, cùm tam primum mobile, nona sphæra, Cælum stellarum, Cælum Saturni, Jovis, Martis, quàm Cælum Solis, Mercurii, Veneris, Lunæ, moveantur spatio 24. horarum ab Oriente in Occidentem, & ab Occasu in Orientem, assereret, æquè velociter, & eodem motu omnes moveri, nam cùm in tempore æquali moveantur, diceret, quòd omnes hi cæli sint æquè veloces.

Verùm hoc non obstante, doctiores affirmant, eodem motu velociùs moveri primum mobile, quàm omnes alii cæli eo inferiores, & ab illo in hac parte dependentes. Et ratio est valde evidens; nam velocitas motus non debet tantùm mensurari ex tempore, quo absolvitur, sed & ex spatio & loco in quo fit, hoc modo: ut si spatium & tempus sit æquale, non possit dici, quisnam motus sit velocior, aut tardior altero, sed si tempus sit æquale, & inæquale spatium hoc dici posse. Hoc exemplo declaro. Duo sunt, qui spatio ejusdem temporis, per quadrantem horæ v. g. conficiunt unum milliare, hi duo dicuntur æquè veloces in cursu, quia eodem tempore iter idem conficiunt; sed si unus spatio quadrantis horæ percurreret duo milliaria, & alter eodem tempore unum milliare, sanè prior ambularet velociùs, quia eodem tempore unum milliare plus percurrit.

Porrò primum mobile, cùm sit primum, & majus omnium reliquorum, & omnes alios in se recludat, & velut primum rapiat alios octo spatio 24. horarum, ideo majorem circulum, ambitum, spatium percurrit, quàm reliqui cæli inferiores, ac idcirco dicunt, à primo mobili omnes reliquos cælos superari in velocitate.

Applicatio. *Greg. hom 38. in Evang.*

II. In magno sistemate Ecclesiastico Ecclesiæ Dei diversi mensurantur cæli, qui sunt veluti diversi chori, & ordines Justorum, atque Amicorum Dei, quos omnes sacræ litteræ, & sacri Doctores honorant titulo cælorum: *Anima justi cælum est* Primum cælum, & primum mobile in hoc systemate est benedictus Christus, *Christus caput est Ecclesiæ.* Quòd omnes hi cæli semper moveantur in bonum & favorem peccatoris & terræ, non est dubium. Terra siquidem est peccator ob gravitatem suorum peccatorum. *Et gravabit eum iniquitas sua.* Terra per stabilitatem & soliditatem in peccando. *Peccator cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit;* vel ut legit D. Hieronymus, *quiescit.* Velocissimos se hi cæli demonstrant in suo motu pro bono hominis, velut illi, qui à Deo ordinati sunt ad hoc opus. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ* adeò etiam, ut sint paratissimi ad fundendum sanguinem, & vitam pro salute proximi: *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Isaiæ 24.

Prov. 18.

Marci 16.

Veruntamen cedant omnes hi cæli primo mobili Ecclesiæ Christo Jesu; Hic est primum mobile in hoc magno systemate. *Christus est caput Ecclesiæ.* Primum mobile, quia est vicinior supremæ intelligentiæ æterni Patris. *Unigenitus filius, qui est in sinu Patris.* Primum mobile, quia est regula, & mensura aliorum, qui ad ejus imitationem debent moveri: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.*

Ioannis 1.

Ioan. 13.

Primum mobile, quod majorem circulum percurrit, quàm reliqui cum jam suum sanguinem pro toto humano genere fuderit. Primum mobile, quia velociùs in bonum generis humani gyravit, quàm reliqui, dum statim à Nativitate voluit circumcidi, & vocari Jesus, hoc est Salvator. *Postquam consummati sunt dies octo &c.* Hinc S.P. Bernardus, velocitatem hujus primi mobilis demirans exclamavit: *Vide quantum ad suscipiendos dolores festinavit, quàm promptus sanguinem fundere circumcisus pro nobis die Nativitatis suo octavo.*

Luca 2.

D. Bern.

O Salvator generis humani; ô Cælum supra cæleste, ô primum mobile Ecclesiæ, quia jam voluisti demonstrare mundo hanc tuam incomparabilem velocitatem, ac promptitudinem motus tui ab Oriente, hoc est sinu Patris ad occidentem tuæ circumcisionis pro bono terræ, & mundi, & factus es primum mobile Ecclesiæ, ut significares amorem ardentissimum tui cordis erga nos. Move velut primum mobile sphæram meæ linguæ, & mei intellectus, ut dignè manifestes hoc tuum summum desiderium, quod tibi addidit alas, & te adegit, ut profunderes sanguinem pro nostrâ salute, non solùm à nativitate tua, sed & ut ita dicam, à conceptione tuâ in utero Materno, imò & ab annis æternis, quod erit materia mei discursus.

ASSUMPTUM.

Christus ita desideravit nostram salutem, ut non solùm natus, sed ab utero materno, imò & in sinu Patris habuerit hoc desiderium.

Scriptura. Cap. 2.

III. APostolus Paulus instruens, & admonens Hebræos quomodo Christus volens venire in mundum noluerit assumere naturam Angelicam sed humanam, & in natura humana neglectis gentibus nasci voluerit ex Hebræis scribit. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* O Salvator mundi eccur amabo non potiùs elegisti Angelicam naturam, quàm humanam, dum voluisti naturæ Divinæ unire naturam extraneam? Natura humana adeò diversa fuit à Divina, utpote infecta peccato, inimica vestræ Divinæ Majestati à creatione mundi usque ad incarnationem vestram, & post illam adhuc fuit in malo obstinatior & protervior: Natura verò Angelica fuit pura, & munda à peccato, cur ergo hac neglectâ illam elegisti? Scio quod elegeris humanam, ut haberes occasionem tolerandi & spargendi sanguinem pro illa, sed cur potiùs voluisti descendere ex Hebræis, quàm gentilibus? Imperator Apostata valdè demiratus est hanc electionem, & ideò dixit. *Quare non magis gentibus misit eum Salvatorem, & Redemptorem: concessit autem Israeli secundùm Carnem?* si natio Hebræa debuit à te repudiari, & eligi in tuam sponsam gentilitas, an non decuit potiùs, ut carnem sumeres ex gentilibus, quàm ex Hebræis? Posset nonnemo mihi replicare Paulum Juliano, & cuilibet dubitanti respondere dum inquit: *Dico enim Christum ministrum fuisse Circumcisionis*, hoc est ideò à Christo fuisse electum populum Hebræum, quia hic utebatur Circumcisione, & non ille. Et idcirco dicit S. Irenæus: *Quia gentilitas Circumcisione carebat.* Sed huic responso planè non acquiesco, quia esto Circumcisio fuerit propria Hebræorum, tamen in aliqua occasione etiam Gentiles circumcidebantur, scimus enim quod Timotheus discipulus Pauli esto gentilis, circumcisus fuerit, sicut & Ismael cum suis posteris, & hodie Turcæ. Idem poterat facere Christus, assumere carnem scilicet ex gentilibus, & postea se subjicere huic duro jugo Circumcisionis. Cur ergo potiùs ex Hebræis quàm ex gentilibus descendere voluit.

Juliano.

Rom. 15.

Lib. 3. c. 7.

Valdè bene respondet quidam gravis expositor: *Idcò relictis gentibus elegit Israelem quo nasceretur, ut circumcideretur puer, ut quàm citissimè in meum remedium prosiliret sanguis.* Itaque si sumpsisset carnem ex gentilitate, & quamvis voluisset circumcidi, id fuisset tamen diu dilatum, debuisset expectare usque ad ætatem virilem, quia ad nullum certum tempus constri-

conſtrictus, ſed aſſumens carnem ex Hebræis, ſcivit quod deberet circumcidi die octavo, vix natus & in primæva infantia, nam ſic lex ſanciebat Hebræis quæ non debebat violari. Et quia tantò deſiderio flagrabat Chriſtus profundendi ſanguinem etiam vix natus pro genere humano, ideò non voluit aſſumere carnem ex gentibus, quæ non obligabantur ad Circumciſionem, ſed ex Hebræis, quibus illa erat præcepta octavo die. *Ideo relictus &c.* Non poterat dici melius.

Hiſtoria. *Solinus Lib. 6.* IV. Quod nonnulli tam ex Europa, quàm Africa, & India orti fuerint adeò veloces in curſu ut ſuperârint equos, & cervos quantumvis velociſſimos, teſtantur pleniſſimè tam Hiſtoriæ antiquæ, quàm modernæ: Porrò inter hos maximè celebratur Pollineſtor qui curſu ſuo ſuperavit lepores. Hiraldus, qui equos; Indi maritimi qui cervos; quidam nomine Ladas, (ut omittam celeritatem Philippidis, Philonidis Reginæ Camillæ, & aliorum) currens per montem arenoſum nec veſtigia poſt ſe arenæ impreſſit. Ex hoc moti curioſiores hujus velocitatis cauſam indagant.

Aſtrologia. *Centiloq. propoſit 3.* Et omiſſis variis dictis Philoſophorum, adhæreo Ptolomæo Aſtrologorum Magiſtro, qui agens de cauſa, unde proveniat quod aliqui homines ſint pingues & obeſi, & quod nonnulli eſto ſint craſſi & obeſi nihiloſecius ſint veloces & agiles, ait: *Domini Genitura macilentorum hominum latitudinem non habent; pinguium autem habent. Quod ſi latitudo Auſtralis eſt, agiles erunt, ſi borealis inagiles*: perinde ac ſi dicere voluiſſet; Vultiſne ſcire cauſam cur hic à nativitate ſua ſit pinguis & obeſus, ille verò macilentus? Cauſa eſt, quia dum macer naſcitur, planeta, qui dominatur illius Nativitati, non habet latitudinem, hoc eſt non multum diſtat ab Ecliptica, ſed vel eſt ſub illa, vel ſaltem non procul ab eâ. Quod ſi contigerit eum multum diſtare, illa perſona erit pinguis, & obeſa magis, vel minus, juxta majorem, vel minorem diſtantiam ab Ecliptica.

Sed ſi præterea ſcire velitis, unde proveniat quod aliquis ſit agilis & celer in motu? obſervate à qua parte planeta, qui dominatur, ſit viciniot Eclipticæ, ſi à parte ſeptentrionali, ille qui naſcitur erit dutus, piger, tardus, inagilis magis vel minus, juxta quod magis vel minus dictus planeta declinabit ad partem ſeptentrionalem; Sed ſi planeta fuerit ad partem Eclipticæ auſtralem erit valdè agilis promptus, & expeditus ad motum.

Quod ſi latitudo Auſtralis eſt, agiles erunt ſi Borealis, inagiles. Et ratio hæc eſt, quia non eſt dubium quin calor aperiat & dilatet, adeoque reddat habilem ad motum; ſicut è contra frigus conſtringit & conſtipat, & quaſi catenis quibuſdam membra ligat. Cùm ergo pars Auſtrialis ſit calidior ſeptentrionali hinc fit ut ille, qui naſcitur quando planeta dominator Nativitatis reperitur circa partem Auſtralem Eclipticæ, ſit agilior & velocior, quàm ille qui naſcitur dum eſt circa partem ſeptentrionalem Eclipticæ.

V. Nunc ad nos. *Nunquam enim Angelos &c.* Agiliſſimus & velociſſimus ſemper fuit noſter ſalvator ad ſemper currendū in bonū hominis. Applicatio.

Tam expeditus, tam agilis, tam velox, & celer ut in inſtanti longiſſimum illud iter à cælo in terram perfecerit, quando incarnari debebat. *Exultavit ut Gigas ad currendam viam* *Pſal. 18.* *à ſummo cælo egreſſio ejus.* Quia vix præſtitit ſacratiſſima Virgo ſuum conſenſum ut eſſet Mater Dei: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* *Luca 1.* Et eodem momento Verbum æternum è cælo ad ejus uterum tam velociter deſcendit, ut ſubitò natus voluerit tolerare miſerias naturæ humanæ, & poſt octo dies ſpargere ſanguinem in Circumciſione, ac ut ita dicam ut velocius pateretur & noſtri amore, diminuit omnipotentiam ſuam, & debilem ac infirmum ſe fecit; *Infirmitates noſtras ipſe tulit.* Diminuit ſuam ſapientiam, quia ſe fecit verbum Infans, qui formare verba non potuit. Diminuit ſuam immenſitatem, quia in præſepio ſe conſtrinxit, pannis & faſciis ſe involvit. *Invenietis infantem pannis involutum* *Luca 2.* *poſitum in præſepio.* Imminuit ſuam impaſſibilitatem, dum circumcidi voluit, & naſci, ſub Ecliptica legis Moſaicæ *factus ſub lege.* *Gal. 4.* O quàm macilentum, quàm tenuem ſe fecit filius Dei amore noſtri? Et cur amabo, niſi ut eſſet velocior, & expeditior ad ſpargendum ſanguinem, & patiendum pro genere humano? ſi manſiſſet in cælo & naturam humanam non aſſumpſiſſet, quomodo Omnipotentia potuiſſet debilitari? Quomodo ſapientia potuiſſet obmuteſcere? quomodo immenſitas potuiſſet conſtringi in præſepio, & à faſciis circumſcribi? quomodo impaſſibilitas potuiſ-

ſet ſpargere ſanguinem? Macilentum ſe itaque reddidit filius Dei, & magis agilem quàm Ladas, velociorem quam Regina Camilla, quàm Polineſtor, quàm Philippides, quàm Philonides.

Sed unde ô Salvator animæ meæ orta eſt in te velocitas adeò prompta, promptitudo adeò velox, agilitas adeò expedita, expeditio adeò agilis in bonum generis humani? A nullo alio profectò, quàm à Planeta dominatore tuæ Nativitatis, qui commorabatur in parte Auſtrali tui igniti amoris verſus genus humanum. *Propter nimiam charitatem ſuam quâ dilexit nos miſit Deus filium ſuum &c.* quia cum factus ſis homo, & ex amore aſſumpſeris noſtram carnem, hic idem amor fuit, qui tua divina attributa imminuit, & te collocavit ſub Ecliptica legis Moſaicæ, ut eò eſſes velocior ad motum pro bono generis humani, & ideò fecit ut aſſumeres naturam humanam, non Angelicam, utpote incapacem hujus motus, nec naſci voluiſti ex gentilitate, tanquam nimis pigrâ & tardâ ad circumciſionem, ſed ex Hebraiſmo qui ex lege inevitabili tenebatur ad circumciſionem, octavo die? *Idcò relictis gentibus &c.* Velociſſime Salvator, amoroſiſſime Chriſte.

Epheſ. 2.

Sed cur dico, quod octavo die à Nativitate tua inceperis demonſtrare mundo hoc ardentiſſimum tuum deſiderium patiendi pro genere humano, ſi ſubitò natus dediſti talia argumenta ut nil efficacius concludi potuerit? quinimo ſi ex utero adhuc materno tecluſus voluiſti aperire hunc ignitum amorem, & deſiderium impatiens?

Scriptura. Iſaiæ 9.

VI. Nec permittit me mentiri Spiritus S. apud D. Iſaiam; Hic vates aſſerit hunc divinum Infantem ſubitò natum voluiſſe ſe publicè exhibere humeris ſigno Imperii ac principatus inſignitis. *Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cujus Imperium ſuper humerum ejus.* Sed quale hoc eſt Imperium, cujus inſignia impreſſa ſunt filio Dei? Senſu Drogonis eſt Crux *Crux gloria tua eſt. Crux Imperium tuum eſt.* Sed quomodo amabo Chriſtus ſubitò natus comparuit Imperium Crucis humeris impreſſum geſtans?

Drogo de Paſſione Domini

Crucem humeris geſtare viſus eſt paſſionis die, dum ad rupem Calvariæ aſcenderet, & lictores humeris ejus illam impoſuiſſent. Hinc Joannes. *Et bajulans ſibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locus.* Illa ergo dies, qua Crucem portavit, non fuit dies ejus natalis, ſed ab illa jam triginta tres anni effluxerant, quomodo ergo dicit Iſaias, quod Chriſtus ſtatim à Nativitate ſua viſus ſit cum Imperio ſuo, ſcilicet Crucem humeris geſtans? *Puer natus eſt nobis &c.* S. P. Bernardus: *Crucem quam Imperii nomine ſignificavit, Nativitati ſtatim adjunxit, quia profecto à Nativitatis exordiis dum circumciditur, paſſio Crucis exorta eſt.* Volebat dicere Bernardus. Tantò flagrabat deſiderio Chriſtus patiendi pro genere humano, ut ſubitò natus voluerit circumcidi, & hoc fuit initium ejus paſſionis, & voluit hac teſſerâ crucis inſigniri, quia demonſtravit quod eſſet Imperator, & Monarcha univerſi; ac ſi voluiſſet ſtatim poſt nativitatem ſuam in Circumciſione capere poſſeſſionem Imperii, quod in adulta ætate poſt triginta tres annos adminiſtrare, ac tori orbi manifeſtare debebat. *Quia profectò à Nativitatis exordio &c.* Et hoc proceſſit ex ardentiſſimo deſiderio Chriſti patiendi pro nobis. Hinc non voluit expectare trigeſimum tertium annum, ut ſanguinem funderet, ſed prævenit tempus, & poſſeſſionem hujus Crucis cepit ſubitò natus in ſua circumciſione. Hinc ſubdit Bernardus: *O quanta charitas! Vix natus eſt Jeſus, & ecce recenti Nativitati Crucis ignominia, Crucis dolor copulatur.* Iter quod debebat agere ſpatio triginta trium annorum, complevit decurſu octo dierum. Ita fuit velox in curſu, adeò fuit ardens deſiderium patiendi pro genere humano, ac ſi hoc deſiderium ei addidiſſet alas, ut velocius curreret ad amplectendam Crucem, & ſpargendum ſanguinem pro genere humano: præclariſſima expoſitio Bernardi.

Serm. de Vite. c. 36.

Cap. 19.

Verùm meo judicio Vates hoc modo loquendi aliquid aliud ſignificare voluit, quia dicit quod illico natus, & non poſt octo dies, ſed quaſi eodem tempore quo in ſtabulo natus eſt, viſus fuerit principatum & imperium humeris geſtare: *Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*, & eodem tempore quo natus eſt, comparuit cum hoc Imperio. *Cujus Imperium ſuper humerum ejus.* Hinc ſi per hoc Imperium intelligatur Crux, quomodo dici poteſt, quod ſtatim à Nativitate illam humeris geſtarit?

VII. Ad vos ſpectat ô Philoſophi hoc dubium ſolvere. Quantum poſſit imaginatio in utero materno plurima exempla recenſita

Philoſophia.

tam ab antiquis, quàm modernis Hiſtoricis demonſtrat; porro inter alia illud celebre valde mihi videtur, quod narrant Marcus Damaſcenus, & Petrus Hiſpalenſis, perhibent hi, quòd in regione quadam, vocata Petra ſancta, fuerit mulier quædam, cujus ante oculos ſemper verſabatur imago D. Joannis Baptiſtæ, Cameli pelle induti, prout ordinatiè pingi ſolet, & dum in conceptu oculos in illam imaginem defigeret, factum eſt, ut ediderit filiam in lucem pellibus totaliter inſtar Cameli amictam. Præterea ſcimus, quòd ſi gravida mulier appetat aliquid, quod ei denegatur, ſi aliquam partem corporis tangat, cum imaginatio ſimiliter defixa ſit in objecto concupito, partus figùra illius rei deſideratæ in corpore imprimatur: hìc ſcire cupio, quomodo imaginativa matris tantum valeat in corpore prolis, ut ei figuram objecti deſiderati imprimere queat?

Philoſophia. Avicenna, prout refert Doctor Angelicus, voluit, ſolas ſubſtantias ſeparatas ex ſe poſſe in hoc mundo ſublunari, effectus corporales immediatè producere.

Præterea cenſuit animam vi imaginativæ, abſque concurſu alicujus agentis corporei, quamdiu eſt integra & robuſta, poſſe non ſolùm alterare propriũ corpus, ſed & corpus alterius perſonæ. Et hoc modo vult mediante imaginativa, dummodo ſit integra, & quando particulariter materia, quæ accipit talem impreſſionẽ, eſt diſpoſita & capax, poſſe corpori ſano inferri morbum, & infirmo reſtitui ſanitatem.

S. Thom. 3. digente c. 103. Nihiloſecius Angelicus refragatur Avicennæ, & dicit, hoc ſine concurſu alterius agentis corporei fieri non poſſe. Sed quomodo amabò hoc fit in partu, de quo agimus, ut mater, ſi v.g. imaginetur ſibi pomum, & illud appetat, partui imprimatur illud pomũ à matre deſideratum?

Dicunt Philoſophi, quòd ſi hoc contingat, eſſe neceſſe, ut matet in actu generationis & corruptionis imaginatione ſua valde defixa ſit in illo pomo deſiderato, & ſic illam commovere ſpiritus cerebri, & imprimere imaginem objecti illius. Hi ſpiritus deinde portantur ad locum conceptionis, & illam etiam imprimunt in materia formatrice partus, quæ eſt valde tenera & capax talis impreſſionis, colorum, formæ & figuræ, quam habet objectum à matre concupitum & imaginatum. Et hinc fit, quòd in Æthiopiſſa & Æthiopis concubitu poſſit filius naſci albus, dummodo parens ſibi fortiter hominem album imaginetur; ſimiliter illa mulier edidit filiam totam hirſutam, ſimilem imagini Divi Joannis Baptiſtæ, quam ſemper ante oculos habebat, quia in actu conceptionis imaginativa firmiter in ſimili hirſuto fixerat, qui impreſſit imaginem in ſpiritibus cerebri, & hi ad locum conceptionis vecti, eandem imaginem in ſanguine & materia formatrice corporis ſculpſerunt, & ideo factum eſt, ut filia pellibus induta, inſtar Cameli conformiter ad imaginem illam naſceretur. Idcirco dixit S. P. Auguſtinus: *Voluntas circa imaginem ſenſus impreſſam, tantam vim habet, ut ſi admodum violenta ſit, ubi non reſiſtit durior pigriorque materia, viſibilem ſpecium, colorem q; commutet.* *L. 2. de Trin. cap. 2.*

VIII. Nunc veniamus ad parvulum Jeſum. *Puer natus eſt nobis, &c.* Verus filius Mariæ fuit Chriſtus benedictus; nam idcirco hæc vocatur *Chriſtolocos*, ejus corpus fuit operâ Spiritus S. fabricatum ex Virginis putiſſimis ſanguinibus, & mox ut fuit conceptum, ſtatim fuit perfectus homo, non quoad ætatem, ſed quoad diſpoſitionem & organizationem omnium membrorum, quia non habuit formam embrionis, uti nos habemus, ſed ſubitò fuit cõceptum, & ſtatim anima infuſa, quæ illud corpuſculum teneriimum cum omnibus membris & partibus neceſſariis ad formationem corporis humani invenit. Et obſervant nonnulli contemplativi, quòd in utero materno humeris ejus fuit impreſſa crux, ut videre fuit, poſtquam editus eſſet in lucem, & ſe fundant in ſenſu literali Vatis: *Puer natus eſt nobis, &c.* Nam noſtra Vulgata legit: *Et factus eſt principatus ſuper humerum ejus*, quod idem eſt, ac ſi diceretur, quòd Chriſtus natus ſtatim apparuerit principatum humeris geſtans, ſed iſte principatus eſt Crux, ergo natus eſt cum Cruce in humeris. Itaque ſi natus eſt cum iſta, illa in utero matris illi impreſſa fuit. Sed quomodo amabò, & à quo hæc Crux humeris pueruli Jeſu in utero matris impreſſa & fabricata fuit? Applicatio.

Dicunt hi contemplativi, quòd quando Gabriel ad Virginem amandatus fuit, illam tum in ſecreto cordis ſui ruminaſſe ſacroſanctum Myſterium Incarnationis Filii Dei in utero alicujus Virginis fieri debuiſſe, & ſimul mente revolviſſe verba Iſaiæ, quòd iſte Filius Dei incarnatus mediante Cruce debebat redi-

mere genus humanum, & quòd illam Crucem adultus humeris gestare debebat, ut ergo illa intellexit ab Angelo, se à Patre æterno electam in matrem Filii Dei: *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, &c.* consensit dicendo: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum, &c.* Et eodem instanti Spiritus Sanctus selegit purissimum sanguinem Mariæ, & eum ad locum conceptionis portavit, & immediatè ex illo Corpus Christi formavit, ac simul animam infudit Hoc corpusculum erat delicatissimũ & tenerrimum, & quia Virgo contemplabatur Messiam Crucem humeris portantem ad redemptionem generis humani (volente nimirum sic Deo,) atque summè appeteret suam voluntatem conformare voluntati divinæ, & summopere cuperet quantociùs redimi mundum per mediũ Crucis, tantum potuit hæc contemplatio Mariæ, ut in humeris tenerrimi corpusculi Christi Crucem impresserit. Et hoc modo Christus ex ipso utero materno principatum & imperium Crucis in humeris gestavit. *Et factus est principatus, &c.* Dicamus ergo, hoc primum mobile Ecclesiæ adeò fuisse velox in suo cursu patiendi pro genere humano, ut volens mundo hoc desiderium manifestare, non solùm illud demonstraverit post octo dies in Circumcisione, sed & in eodem instanti suæ nativitatis, imò & in puncto suæ conceptionis habuerit Crucem impressam in suis tenerrimis humeris.

Luca I.

Scriptura.

IX. Alia ponderatio Scripturæ hoc desiderium Christi pro nobis patiendi confirmat. D. Joannes consignans litteris vulnus, quod Christus post mortem à milite accipit, ait: *Vnus militum lanceâ latus ejus aperuit.* Subintrat hîc S. Pater Augustinus, & observans modum loquendi hujus Aquilæ cælestis obstupescit, quòd dicat, *aperuit.* Cùm Longinus aperuerit lanceâ pectus Christi, cur non dicit potiùs *percussit*, aut *vulneravit*, qui modus loquendi congruentior videbatur, quàm *aperuit*? Hinc Augustinus: *Vigilanti verbo usus est, ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, sed aperuit:* perinde ac si dicere voluisset Augustinus: Hoc non contigit sine particulari causa, sed cum acumine maximo, ut Joãnes potiùs diceret latus Christi à milite fuisse lanceâ apertum, quàm vulneratum aut percussum. *Vigilanti verbo, &c.*

Ioan. 19.

Sed in quo amabò hæc subtilitas ab Augustino observata in illo verbo *aperuit* consistit? æquè bene dixisset *Vulneravit*, ac *aperuit*, imò majorem emphasim habet *vulneravit*, quàm *aperuit*, quia *aperuit* vult dicere, quòd Longinus simpliciter aperuerit cor, porro *vulneravit* addit vulnerationem, quia vulnerare est ferire, & feriendo aperire. Quare ergo Augustinum adeò torquet, quòd Joannes potiùs dixerit *aperuit*, quàm *vulneravit*? Observo cum S. P. Joanne Chrysostomo, Longinum usum fuisse lanceã, non tanquam lancea, sed tanquam clave ad aperiendum pectus Christi, ut ex eo pretium inæstimabile, & thesaurum pretiosissimum nostræ redemptionis extraheret, *Lanceâ tanquam clave in arcam injectâ, dedisti pretium ex paterno thesauro.* Et quia clavis non est ferire, sed simpliciter aperire, ideo potiùs dixit *aperuit*, quàm *vulneravit*.

Psal. 14.

Attamen huic responso Chrysostomi non planè acquiesco; nam quomodo lancea potuit vices agere clavis? Clavis, esto verissimum sit, quòd aperiat, nihilominus supponit jam semel ostium apertum, & clave clausum, & denuò apertum. Hinc videmus januam, ærarium, si aperiatur clave, fuisse priùs clave clausum, & si aperire illud quis velit, clavem debere adaptari; sed cor Christi nunquam fuit apertum, nisi lanceâ post mortem, quomodo ergo lancea Longini potuit esse clavis, quæ aperiret cor Christi?

O quàm bene S. P. Bern. melleus hic Doctor dicit, Christi latus binis vicibus fuisse apertum, binis vicibus eum fuisse circumcisum, binis vicibus manus & pedes fuisse perforatos?

De vite cap. 3.

Secunda vice fuit sauciatum cor, & apertum lanceâ à Longino, sed prima vice ab amore, cùm adhuc claudebatur in utero materno, imò in ipso instanti conceptionis. Amor fuit, qui primus transfodit ei & manus & pedes. Amor primò eum crucifixit, spinis coronavit, flagellis oneravit, amor fuit primus, qui cultellum adaptavit, ut circumcideretur. Itaque clavi, flagra, corona, cultellus, lancea, & omnia alia instrumenta, quæ eũ vulnerârunt, & sauciârunt corpus Christi, jam repererant viam paratam & apertam ab amore, & ideo omnia hæc instrumenta fuerunt claves, ut aperirent aperturas jam factas ab amore, & extraherent pretium & thesaurum pretiosissimum nostræ redemptionis. Ideo subtilissimè dixit Joannes, quòd lancea potiùs aperuerit cor Christi, quàm illud sauciâ-

fauciârit & vulnerârit, ut intelligeremus, amorem Chriſti fuiſſe adeo ardentem, ut velociſſimè omnes dolores præverterit, quos poſtea in corpore ſuo per manum alterius eſt paſſus. Jure Bernardus: *Foderunt & perfoderunt Iudæi non ſolùm manus, ſed & pedes & latus quoque, & ſanctiſſimi cordis intima furoris lanceâ perforârunt, quod jam dudum amoris lanceâ fuerat vulneratum.* Dicit ergo Joannes potiùs *aperuit* quàm *vulneravit*. Dicat Chryſoſtomus itaque: *Lancea tanquam clave, &c.* acutiſſimus eſt conceptus Evangeliſtæ.

Medicina. X. Expertiſſimi Medici, ſummopere ſcire cupio, quid ſit Pleuris, & quomodo curari debeat, Pleuris juxta eoſdem non eſt niſi *inflammatio in Pleura*, & dicitur à nobis morbus acutus, qui procedit à nimia inflammatione in Pleura, quæ inflammatio impedit reſpirationē, & dum vult infirmus reſpirare, experitur graviſſimam difficultatem & dolorem, & morbus eſt adeò malus, ut vocetur morbus acutus.

Hic ſcire velim, quomodo hic morbus curetur. Non eſt dubium, quin requiratur diæta valde bona, cum omnimoda abſtinentia à vino, quia in hoc morbo vinum ſingulariter eſt venenum, ſed ſuper omnia requiritur inciſio venæ in illa parte, quam dolor afficit. Hinc Hippocrates: *Si dolor ſurſum penetraverit, vel claviculam, vel mammam, vel brachium, venam brachii internam ſecare oportet, qua dolor afficit parte.* Sed quantum quæſo ſanguinis debet emitti?

Lib. 4. de victus ratione in morb. acu. aphoriſ. 73

Medici antiqui ſequentes Hippocratem, in illo morbo emittunt ſanguinem, *uſque ad animi defectionem.* Et ſic præſcribit Hippocrates in eodem libro: *Sanguinem que auferes pro corporis habitu, anni tempore, ætate & colore, ampliuſque non veritus, ſi dolor acutus fuerit uſque ad animi defectionem:* detrahes, ſi dolor Pleuriticus eſt valde acutus, & infirmus robuſtus in ætate florida, tempus opportunum, copia ſanguinis, in his omnibus occaſionibus debet ſanguis emitti, uſque ad deliquium. Hoc modo inciſione venæ priſci hunc morbum curabant.

Aphor. 74.

Sed quia experientia docuit, quòd infirmus ſanatus ob nimium ſanguinem unâ vice emiſſum, valde lentè priſtinas recuperaret vires, Medici moderni modum valde aptum repererunt, & hinc in tali morbo cultello venam incidunt, certam quantitatem ſanguinis emittunt, ut arborem Pleuritidis ſuffocent, & poſtea cultellum oleo parumper inungunt, ne claudatur, deinde faſcia vulnus ligant, & illud apertum tenent, ut ſine nova inciſione, ſi id opus ſit, ſanguinem extrahant, & id quoties hoc neceſſe fuerit; hinc unica ſit tantùm inciſio, & apertio venæ primâ vice, nec ſequentes emiſſiones requirunt, ut denuò incidatur vena, ſed inveniunt viam apertam, ita ut remotâ faſciâ, vulnus ſanguinem denuò manet, quoties opus fuerit.

Applicatio. XI. Nunc ad puerum Jeſum: *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit, &c.* Noſter Salvator ex ipſo utero Virginis, imò à primo inſtanti conceptionis ſuæ fuit pleuriticus, moleſtatus puncturis & doloribus cordis adeò auctis, ut ſe deficere ſentiret; Pleuriticus itaque venit in mundum, cor habens totum amore inflammatum à primo ingreſſu in uterum Virginis, prout atteſtantur Patres Theologi, deſiderans ſpargere ſanguinem pro ſalute generis humani. *Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, natum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret. Et hoc propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos.* Pleuriticus, qui in ipſo etiam utero virginali affligebatur & torquebatur, ut ſanguinem emittere poſſet ad ardorem extinguendum, qui cor premebat. Pleuriticus fuit Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis, quia dum Pater æternus in illo inſtanti ipſi proponeret ſalvationem generis humani mediante cruce, & ipſi revelaſſet omnia, quæ paſſurus erat, & Filius promptiſſimè omnia accepiſſet & conſenſiſſet, tantam reſtrictionem in corde expertus eſt ex deſiderio ſpargendi ſanguinem pro ſalute generis humani, & Pleuritis amoroſa cor puncturis adeò acutis & validis petiit, ut huic ardori extinguendo neceſſe fuerit, ut amor venas manuum, pedum, lateris, ac totius corporis aperiret. Hinc in perſona illius infantis jam concepti dicebat Apoſtolus: *Ideo ingrediens mundum* (inſtans putavit conceptionis) *dicit, Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi*: vel ut legunt Cyrillus Alexandrinus, Arnobius: *Corpus autem conſoliſti, perforaſti mihi*: Et hæ aperturæ, perforationes, ut notant graviſſimi doctores, fuerunt factæ lanceâ amoris *in primo inſtanti* aſſumptæ carnis.

Gal. 4.

Epheſ. 2.

Et quia inflammatio amoris adhuc non ceſſabat, non fuerunt adhuc clauſæ aperturæ factæ ab amore, ut caſu quo id neceſſitas exigeret, & ſanguis extrahi deberet, non eſſet

opus

opus de novo incidere, sed sufficeret solùm dissolvere fasciam, ut aperturæ antea factæ ab amore sanguinem spargerent.

Etenim dum Christus vix octo jam diebus lucem aspexisset, nec cessaret inflammatio amorosa, fuit dissoluta fascia, & ipsi sanguis in circumcisione fuit emissus. Et dum necdum remitteret Pleuris, denuò in horto fuit dissoluta fascia, & ex capite uberrimè cruorem fudit. Verùm cùm necdum inflammatio cessaret, fuit necessarium, ut fascia amoveretur, & in flagellatione sanguis è toto corpore extraheretur. Et cùm adhuc hæc amorosa Pleuris nec quidquam remitteret, fasciæ in crucifixione amotæ sunt, ac è manibus & pedibus sanguis tantâ copiâ fuit emissus, ut deliquium animi pateretur. Et quin Pleuritis necdum abscesserat, vulnus lateris ab amore incisum religatum fuit, & sanguis tam ubertim manavit, ut albescere inciperet. *Vnus militum, &c.*

O amorose Pleuritice, charitativè inflammate, bene videmus, quàm velox fueris ad spargendum sanguinem pro salute nostra, quia in primo instanti tuæ conceptionis voluisti lanceâ amoris tibi incidi venas, nec illas claudi ampliùs, ut cultellus tristitiæ, flagrorum, spinarum, clavorum præveniretur ab amore, & reperirentur aperturæ jam factæ, nec difficultatem sentirent illa instrumenta in iis aperiendis, sed solùm essent clavis vel fascia vulnerum ab amore jam factorum.

Dicat ergo facer Evangelista: *Vnus militum, &c.* Et non *percussit*, non *vulneravit*. Dicat Os aureum, quòd *Lancea tanquam clave, &c.* Dicat Bernardus: *Foderunt & perfoderunt, &c.*

Sed quid dico ego, amorose Pleuritice, quòd à primo instanti tuæ conceptionis flagraveris hoc desiderio fundendi sanguinem pro salute hominis, cùm & in mente Patri ab æterno sese prodideris?

Scriptura. XII. Nec permittit Spiritus Sanctus apud Davidem quòd mentiar, hic loquens de generatione æterna Verbi in persona Patris, qui Verbum genuit, generat, & æternaliter generabit in utero mentis suæ cum fœcundissimo intellectu, sic loquitur: *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te.* Fili mi, dicit Pater æternus, ante omnes creaturas ab æterno in utero *mentis* meæ te genui, & scias, quòd exinde sis principium omnium rerum. Alii legunt, *Tecum principatus*; ac si voluisset dicere Pater æternus: quando ab æterno te genui, etiam dedi tibi tuum principatum & imperium, in quo tua gloria & majestas resplendere debet; sicuti eo ipso, quo ab æterno genitus es in mea mente, natus simul sis Princeps & principium tui esse, fuit tuus principatus, tanquam id, quod est æternum. Hic subintrat S. P. Joannes Chrysostomus, & inquirit, quisnam sit ille principatus, quem dicit Pater æternus se dedisse Filio? *De quo principatu loquitur?* An forsan de principatu, de imperio, de monarchia, quam habuit Verbum super omnes creaturas? Certissimum videtur, quòd de eo fuerit sermo, cùm Verbum æternum idem sit cum Patre, adeoque unicus & absolutus Dominus & Monarcha universi, nihilosecius, ait Rhetor aureus, ego arbitror sermonem esse de principatu crucis, quem Isaias dixit portandum à Verbo in propriis humeris. Hinc Chrysostomus: *De quo principatu loquitur, nisi de quo dicitur factus est principatus super humerum ejus.* Sed ego non acquiesco huic opinioni, quia hic Pater loquitur cum Verbo æterno, & consequenter de principatu æterno; ille autem principatus, de quo agit Isaias, & quem gestavit in humeris Christus, non esset æternus, sed temporalis, & habuit sua principia in incarnatione & generatione temporali. Et tamen Os aureum vult hunc principarum crucis esse principatum, de quo loquitur Pater æternus, & quem dicit ab æterno Filio datum: *Tecum principium, &c. Tecum principatus in die virtutis tuæ, &c.* Sed quomodo possumus dicere, quòd Filius principatum crucis ab æterno humeris gestarit?

Psal. 109.

Philosophia. XIII. Philosophi, vos mihi in hac occasione porrigere manus, & me ducere debetis. Duas species generationis vos asseritis reperiri in animalibus. Una monstruosa & imperfecta, quæ à cursu communi deviat, & in qua partus à generante valde difformis est. Alia est perfecta, in qua Pater Filio propriam communicat naturam secundùm speciem; nam & observat D. Thomas, Pater nil aliud intendit, quàm propriam formam in filio producere, & quia eandem numero nequit filio communicare, hinc producit similem in natura specifica, & quia perfectiones sequuntur formam, hinc fit, ut si dictæ formæ differant, etiam differre debeant perfectiones, Patris & Filii

filii eſſentiales numero, accidentales præterea etiam ſæpè ſpecie. Hinc videmus, quod Pater magnus ſæpè generet filium parvum, Pater albus filium nigrum, & hoc de aliis. Sed quantò magis filius aſſimilatur Patri, eò perfectior eſt generatio. Hinc ſi ſimilitudo tanta eſſet, ut forma quæ eſt in Patre ſit eadem numero in filio, & omnes perfectiones Patris eſſent eædem numero in filio, tunc generatio foret perfectiſſima. Et quia filius eſt imago Patris, tunc vera & expreſſa ejus imago diceretur. Nam ut imagt ſit perfectiſſima, requiritur ut exactè omnia illa repræſentet, quæ ſunt in exemplari.

Ita ut nil ſit in exemplari, quod non repræſenretur ab imagine, & nil ſit plùs vel minùs in imagine, quàm ſit in exemplari, aliàs filius non poſſet ſimpliciter dici perfectiſſima imago Patris in rectò, ſed ſolùm factus vel generatus ad imaginem Patris, & quoniam in generationibus creatis non eſt hæc perfectiſſima generatio, ideò ſimpliciter nullus filius poteſt dici imago perfecta Patris.

Applicatio. XIV. Nunc capiamus myſterium verborum Davidis. *Tecum principium, vel tecum principatus. &c.* O Theologe, datur in Deo generatio, & quidem non defectuoſa, ſed perfectiſſima, non monſtruoſa, quia filius, hoc eſt, verbum æternum generatum à Patre, in nullo differt à Patre æterno, imò eſt generatio perfectiſſima, & hoc eouſque, ut Pater filio ſuo non ſolùm communicet eandem numero naturam, ſed & omnes perfectiones abſolutas & eſſentiales, quæ in Patre reperiuntur, ita ut verbum non ſolùm ſit Deus, ſed & idem Deus cum Patre, ſimul Deus omnipotens, æternus, immenſus, incomprehenſibilis, ita ut nulla ſit abſoluta perfectio, quam Pater non communicârit filio. Et hæc ratio cur Verbum Divinum non dicatur in obliquo productum ad imaginem Dei, ſicut homo, ſed in rectò ſit imago Dei ob identitatem numericam in natura cum Patre. O quam inſignis, quam perfecta imago eſt illa, quam Pater ab æterno in generatione filio ſuo impreſſit?

Sed dic quæſo Theologe, Verbum Divinum eſtnè imago ſolùm repræſentativa Patris, vel etiam ſimul omnium creaturarum? ſcio quod reſpondebis cum D. Thoma. *Verbum eſt expreſſivum non ſolùm Patris, ſed etiam omnium creaturarum*: eſto cum aliquali differentia, quia eſt imago Patris expreſſiva & non operativa ſimul. Præterea repræſentat Patrem primarò, Creaturas ſecundariò, ſed quomodo amabo intrant creaturæ in generatione Verbi?

Reſpondebit Theologus, quod Pater contemplans divinam eſſentiam cum omnibus ſuis attributis, & conſequenter etiam omnipotentiam, & cognoſcens ſeipſum cognitione comprehenſiva (quia omnia quæ ſunt in ſeipſo cognoſcit, cùm in Deo ſint omnes creaturæ, non ſolùm productæ, ſed & etiam illæ, quas poteſt producere ad extra) producit Verbum; Et quia Verbum procedit à tam perfecta cognitione Patris, hinc fit ut non ſolùm procedat ex cognitione divinæ eſſentiæ, ſed etiam cognitione creaturarum. Hinc D. Thomas. *Verbum producitur ex cognitione divinæ eſſentiæ, & omnium Creaturarum.* D.Tho. p. 1. q. 34. Et hinc ſequitur juxta eundem Sanctum. Quod *Verbum eſt expreſſivum, non ſolùm Patris ſed etiam omnium creaturarum.*

Addite hanc cognitionem creaturarum quam Deus habuit ab æterno, non ſolùm fuiſſe cognitionem creaturarum in genere, vel ſpecie, ſed & in individuo, & ideò illas cognoſcebat, & conſiderabat cum omnibus conditionibus individuantibus, quæ in tempore illis creaturis competere debebant, & conſequenter cognitionem Patris terminabat anima, & humanitas ipſa Chriſti velut creaturæ cognoſcibiles & perfectiores, ac nobiliores aliis, ac ideò Pater ab æterno cognoſcebat, & contemplabatur hanc ſacratiſſimam humanitatem cum Cruce, quam filius in tempore ſuper humeros geſtaturuserat; Præterea contemplabatur in anima Chriſti deſiderium & ardorem, quo flagrabat ſpargere ſanguinem pro genere humano.

Ergò Verbum eſt productum ex cognitione, qua Pater cognovit Crucem, & deſiderium in filio patiendi.

Adjungite Verbum, hoc modo eſſe imaginem expreſſam Patris, & omnium creaturarum, & illæ omnes repræſentantur in Verbo, ita ut omne illud quod fuit in cognitione paterna quando genuit Verbum, comparuerit quaſi eſſet ſignatum & Verbo impreſſum, ergò ab æterno in Verbo Crux, quam in tempore humeris ſuis geſtare debebat, & deſiderium, quo ejus anima ſanctiſſima flagravit ſpargendi ſanguinem pro genere humano impreſſa fuêre. Imò illa Crux & deſide-

deſiderium ſingulariter fuerunt in cogitatione paterna, quia opus redemptionis, in quo includebatur Crux, & illud deſiderium fuit opus ſingularis conſiderationis reſpectu Patris, opus à Patre decretum, tanquam primum omnium Creaturarum; Vide ergò ô Chriſtiane, an non primum mobile filii Dei fuerit velox in curſu fundendi ſanguinem pro genere humano, cùm ab æterno comparuerit filius Dei Crucem humeris geſtans. *Tecum principium, Tecum principatus, &c.* Dicas ergò os aureum. *De quo principatus, &c.*

Epilogus. O Salvator mundi? ô Redemptor generis humani, ô amoroſiſſime Jeſu! quis poterit mundo declarare tuum ferventiſſimum deſiderium redimendi hominem, ardorem ignitiſſimum, deſiderium incomparabile ſalvandi genus humanum, & fundendi ſanguinem pro ſalute noſtra? quis poterit verbis explicare id quod nec poteſt capere intellectus? Et ſi hoc tuum ardentiſſimum deſiderium, quod Cor tuum torquebat & te exanimabat, in illâ anticipatâ velocitate & anticipatione velociſſimâ oſtenderis, ut antecedendo ætatem, annos & tempus ab ipſa æternitate jam fuerit, quis quamvis annis decrepitus, attamen annis ſubjectus, & anguſtiis temporis conſtrictus poterit illos greſſus giganteos menſurare, quos feciſti à tua Nativitate, imò ab utero materno, vel ut melius loquar ab inſtanti conceptionis, imò ab æterno in mente Patris?

Dicat itaque aliquis te, ut poſſes agere hos greſſus ita veloces, agiles, & anticipatos, noluiſſe aſſumere naturam Angelicam impotentem ad hos greſſus, ſed humanam, & non quidem quamcunque puta gentilem, pigram & tardam, ſed Hebræam adeò velocem, ut juberet infantem octo diebus natum circumcidi, dicat aliquis te in his greſſibus pro ſalute mundi fuiſſe velociorem Pollinectore, Philonide cum tota ſerie velociſſimorum curſorum, eò quod tibi prædominatus fuerit Planeta amoris qui ad partem Auſtralem tuæ charitatis, ſub Ecliptica legis Moſaicæ & divinæ voluntatis te collocavit.

Addamus huic tuæ proficuæ & anticipatæ velocitati, quod ab utero materno, imò ab inſtanti tuæ conceptionis volueris dare initium huic curſui, dùm in tuis humeris oſtentaſti Crucem, quam ſanctiſſima virgo tua mater contemplabatur, dum dando ſuum conſenſum ut eſſet mater Dei efficaciâ ſuæ contemplationis tibi illam impreſſit.

Confirmet hoc qui dixerit, lanceam Longini aperuiſſe tibi latus, ac ſi fuiſſet clavis quæ reſeravit theſaurum noſtræ redemptionis, & quod hæc fuerit præventa à lanceola amoris qui pectus tibi tranfixit mox ut conceptus fuiſti in utero materno, ut inſtar amoroſi pleuritici ab illo inſtanti incidi curans tibi venam, & fundens ſanguinem pro noſtro amore, tolleres inflammationem amoroſam, quæ tam intenſum atque acutum tibi intulit dolorem, quia eſto te adeò velocem exhibuiſti, ut incomparabiliter velut primum mobile Eccleſiæ præcelleres omnes alios cœlos inferiores, qui in orbem moti ſunt pro bono terræ & peccatorum, nihilo ſeciùs, cùm tua incomparabilis velocitas fuerit ſubjecta tempori, potuiſſet judicari pigra & tarda.

Et en David Prophetа id advertens dixit, quod confeceris iſtos greſſus ab annis æternis, in quibus comparuiſti cum principatu Crucis ſuper humeros, quam prævidit æternus Pater, dum te generando fixit mentem in tuam ſacratiſſimam humanitatem Cruce notatam; Hinc cùm ſis imago, quæ non ſolùm ad vivum repræſentat Patrem, ſed & omnes ſimul creaturas, aliter fieri non potuit quin in te, quantumvis verbo æterno appareret eadem humanitas, quam poſtea aſſumpſiſti, & videretur notata hac Cruce, & quod ille effectus, deſiderium & amor ibi cerneretur, quem ab æterno in mente Patris, & in te etiam imagine illius concepit anima tua, ad fundendum ſanguinem pro ſalute noſtra.

Et hic ſiſto fatigatus, eſto curſus (quantumvis velociſſimi intellectus) ambiat ſequitque Giganteos greſſus inceptos à te ſine principio, imò ab annis antiquiſſimis æternitatis, & qui etiam non habebunt cum illis annis finem. His firmet columnas. *Non plus ultrà*, qui hucuſque voluit pergere, & genuflexus admiretur tuam velocitatem in patiendo pro ſalute generis humani, & hoc tuum ardentiſſimum deſiderium pro homine ſanguinem ſpargendi, confundatur tu puſio vincendo annos, ætatem, & tempus quod ita anticipate dederis initium huic curſui, & homo nihiloſeciùs ita ſegnem & tardum ſe demonſtret ad faciendum unum greſſum ex tui amore toto curſu vitæ ſuæ. Et Deus tibi benedicat, Amen.

ELOGIUM

ELOGIUM SECUNDUM.

Pro Feſto Epiphaniæ.

Audiens autem Rex Herodes turbatus eſt. &c. Matt. 2.

Hiſtoriæ.

NAſcitur Theodoſius junior filius Arcadii, & Eudoxiæ, & vix fuit editus in lucem, & illico toto obſtupeſcente orbe proclamatur Imperator Orientis cum tantò reſpectu & reverentia Nobiliorum, ut & ipſi Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Prælati ad cunas accurrerent, libellos ſupplices porrigerent ad decreta Imperatoria obtinenda.

Gazenſis Diacon.

Editur in lucem Uladislaus filius Regis Hungarorum, & vix quartum attigit menſem, & Diademate ac Imperio donatur.

Jovius lib. 38.

Quin imò teſte Jovio Stephani filii Joannis Sepucii, adhuc vagientis caput cingitur coronâ ejuſdem regni.

Necdum etiam ex utero Materno prodierant Pericles, Olimpius, & Alexander Magnus, & en ille neſcio quomodo perterreat Græcos, & hic teſte Galeno acclamatur Princeps, & filius Jovis.

In lib. an animal ſit in utero.

Philoſophia.

Hic ſubintrant curioſi, qui innixi ſubtilitati ſui ingenii, volunt penetrare abditiſſima ſecreta, & indagant cauſas horum effectuum, eſto accidentaliũ a quibus tantò ſtupore defiguntur.

Philoſophus ad hæc breviter reſpondet, ſimilibus effectibus non eſſe cauſam naturalẽ, quia non conveniunt omnibus filiis Regum, adeòq; caſui debent tribui aut liberæ voluntati hominum, qui hoc faciunt, ut anticipatè demonſtrent obſequia, & reverentiam dominis. Et ſi nonnulli horum infantum ab ipſo utero ſint terrori hoſtibus vel aliis, id nulli cauſæ efficaciori poteſt aſſcribi, quàm imaginationi, & conceptibus fabricatis in illorum, qui timent nativitatem horum puerorum. Hi conceptus porrò meticuloſi augentur per quædam, quæ in ſimilibus occaſionibus contingunt.

Aſtrologia.

Aſtrologus ſubdit à Cœlo debere efficienter produci hos effectus: Nam ſi contingat dum talis filius naſcitur, eum à prima domo ſui aſcendentis benigno affectu reſpici à Jove, & hunc benignum planetam Jovem eſſe Dominum illius, & eſſe Orientalem, ac in propria habitatione, vel altitudine, tunc hic planeta influit honores & venuſtates, & reddit illum filium dignum omni honore, ac reverentia ab ipſo etiam principio nativitatis juxtà illud. *Species Priami eſt digna imperio.* Et quia venuſtas trahit ſecum, neſcio quid amabilitatis, & habet etiam ſecum majeſtatem & venerabilitatem, quæ omnia homini dantur à planeta Jovis. *Jupiter in prima domo facit hominem pulchrum & honeſtum, inducit etiam majeſtatem.* Hinc fit ut filius ille afficiatur honoribus. Et ſi Jupiter ſit Orientalis, hos honores & reverentias acquirit etiam ab ipſis incunabulis, & *in initio vitæ* prout dicit Aſtrologus.

Sed ſi contingeret ut in eadem domo ſimul fœliciter eſſet collocatus Mars, hic infans majeſtatem habiturus eſſet adeò grandem, ut inimicis, & omnibus illis, qui habent aliquam cum eo antipathiam terrori futurus ſit. Verùm hic terror gravis, & venerabilis trahit ſecum benignitatem, & affabiliitatem quandam auctoritativam, ut timendus, & tamen ſimul amandus, honorandus & venerandus ſit. Benignitatem ſiquidem Jovis rigido terrore, & terribilitate rigidâ Martis mitigabit & temperabit.

Applicatio.

11. Naſcitur in ſtabulo Bethlemitico puerulus Jeſus, & en tredecim ab ejus ortu diebus veniunt Magi ex plaga Orientali, intrant tugurium, eum reverentur, dona offerunt, & adorant infantem recens natum.

Eum reverentur velut Regem; munera offerunt veluti ſacerdoti, adorant tanquam Deum, offerunt aurum, quia agnoſcunt ſe ejus vaſallos. Incenſum quia eum judicant eſſe ſacerdotem. Myrrham, quia conſiderant eum mortalem. Veluti Regi ſuas ejus capiti imponunt coronas. Tanquam ſacerdoti ejus deoſculantur manus. Tanquam Deo purpuras ad pedes pueri ſubjiciunt. præſentant libellos ſupplices tanquam Monarchæ univerſi, ſuas ei preces commendant, quia ſummus eſt ſacerdos. Proſtrati eum adorant, quia Deus eſt omnipotens. Hinc Juvencius. *Thus, aurum, myrrham, Regique, hominique, Deoq; dona ferunt.* O honores, ô obſequia, ô reverentias, ſapientes Orientis adorant eum tanquam Deum, quem vident eſſe infantem carne veſtitum: ei ſe commendant velut ſacerdoti, qui vagiens non poteſt formare voces: purpuras ſubjiciunt, & deponunt coronas ad pedes ejus, qui ex nimia egeſtate nil habet niſi præſepium viliſſimum. O ſtupores inauditos! O antitheſes nunquam perceptas! O contrapoſitiones apparenter incompatibiles! Rex Herodes degebat Hieroſolymis veſtitus purpura, ſerto reddimitus, armatis militibus cinctus, & audiens puſionem hunc vagientem natum, cum primariis totius regni terretur & conſternatur. *Audiens autem Herodes Rex &c.*

Ille, qui ætate adultâ ſua ſapientiâ moderatur integrum regnum, timet puerum, qui neſcit loqui; ille, qui in arcibus munitiſſimis propugnatur ab armatis militibus, timet infantem faſciis involutum. Hoc demirans Hilarius exclamat: *Ecce jacentem in præſepio pertimeſcit armatus, contremiſcit humilem Rex ſuperbus, & abjectum infantiam, ac vagientem expaveſcit ætatem.* O venuſtatem reverendam! ô majeſtatem ſupra omnem captum metuendam!

Hom. 1. de Epipha.

Sed unde proveniunt puerule Jeſu hæc obſequia, & reverentiæ in Magis, & timores & terrores in Herode, & Hieroſolyma? Certus ſum, quod hi non ſint effectus fortuiti & caſuales, ſed benè procedentes à Divina providentia ſic diſponente, & ordinante.

Sed non malè dixero imò veriſſimè, ſi aſſeruero hæc omnia procedere à Cœlo Cœlitij ſanctiſſimæ Trinitatis; quia tu in tua Nativitate ſupra modum propitium, & favens tibi habuiſti Jovem benignum tuæ Divinitatis, & Martem robuſtum tuæ fortitudinis. *Et vocabitur Deus fortis.* Ille tuum vultum præ omnibus reddidit venuſtum, & ſplendidum. *Speciosus forma præ filiis hominum.* Gravem, pompoſum, imperantem, & naturaliter Monarcham. *Corona aurea ſuper caput ejus, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloriæ, & honoris.* Hinc non potuerunt minùs facere illi Reges, & Magi Orientis, quàm ut illa obſequia & reverentias tibi exhiberent, quas regalis, benigna, & imperialis tua illa præſentia inquirebat. Hæc influebat in tuum vultum, & neſcio quid non de fortitudine, robore, & generoſitate in illo expreſſerit, quod te auctoritativum, & terribilem tuis inimicis reddebat. Hinc non eſt mirum, quod Herodes cum tota urbe Solymæa timuerit, & tuum ortum expaverit. *Audiens autem &c.* Puerule Jeſu ſupplex rogo tuam divinam majeſtatem ut valdè mihi favere velis, quatenus profundo ſilentio reverenter adorem tuam imperialem majeſtatem, facundâ eloquentiâ exaltem tuum generoſiſſimum robur, quod ab incunabulis robuſtiſſimis tuis hoſtibus terrorem incuſſit, & hoc hodie enarrabo.

Iſa. 9.

Pſal. 44. Eccleſ.

ASSUMPTUM.

Chriſtus vix natus per ſuam Infantiam, nomen, umbram, terrorem incutit principibus Inferni.

III. TRaſtans vates Iſaias de itinere Chriſti pueri in Ægyptum à ſe in ſpiritu præviſo, dicit eum illuc nube levi vehendum, & ad ejus conſpectum omnia idola conturbanda & dejicienda, imò & ipſa corda Ægyptiorum ex timore à præſentia hujus magni equitis cauſato, defectionem paſſura. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem*, vel ut legit Origenes. *Ecce Dominus ſedet in nube puſilla, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulachra Ægypti a facie ejus, & cor Ægypti tabeſcet in medio ejus.* Revera hæc magna eſt confuſio, & turbatio totius Ægypti. Et unde hoc? An per ſimplicem

Scriptura. Cap. 19.

plicem ingreſſum unius hominis, qui vehitur nubecula? Magnus revera hic debet eſſe heros, qui inſidens equo nubeculæ integrum conturbat regnum. Quis amabo ſacri interpretes eſt hic Heros adeò generoſus? Ego mihi firmiter perſuadeo (nec erro) eum eſſe puerum Jeſum, qui declinans furorem Herodis, Dei juſſu à Joſepho & Maria fuit portatus in Ægyptum. Sed quis eſt iſte equus, quæ nubes, & quæ nubecula tenella & levis? ſanctus Ambroſius, & Procopius vult fuiſſe brachia delicatiſſimæ Mariæ, quibus geſtatus eſt. Et ſanctus Athanaſius vult hanc nubeculam fuiſſe tenerrimam, & ſanctiſſimam carnem Jesu. *Dominus in corpore quaſi in nube vectus.* Sed ſint ſive brachia, vel ſinus Mariæ, vel ſanctiſſima humanitas, & caro Jesu hæc nubecula; quomodo Deus immortalis turbari, & concuti omnia Idola Ægyti, imò & toti regno Niliaco incuti terror ad ingreſſum hujus Equitis potuit qui tantum erat puer paucorum dierum? ſi urbs quædam arctiſſimè cincta eſſet à numeroſiſſimo exercitu Veteranorum militum, & jam jam ad deditionem cogenda, ſi inquam obſeſſi obſeſſoribus abigendis eligerent puerulum vagientem, & puerorum more arundini inequitantem, an non eos irrideretis; ſed ſi obſeſſores ad hujus conſpectum conſternati fugerent, & obſidionem ſolverent toti confuſi, an non extra vos acti in ſtuporem ageremini? Et profectò unum è duobus diceretis, vel quod ille infans ſit valdè generoſus, vel quod exercitus ſit valdè meticuloſus. En caſum practicatum in puero Jesu; inequitat ille in equo ſuæ carnis, & dum intrat Ægyptum (quâ intelligitur regnum Diaboli) hoc regnum terrore conſternitur, exarmatur, & ſuperatur. Quid Dæmon potentiſſimus qui tot regna ſibi jam ſubjugaverat nunc pertimeſcit infantem amictum carne, ita ut nec linguam, nec manum movere poſſit? ſi eum conſpexiſſet ætate adultâ calcantem celerrimè undas, pacantem tempeſtates, ventos quietantem, cælos illuminantem, claudos curantem, mutis linguas ſolventem, mortuos reſuſcitantem, panes, & piſces multiplicantem, Solem obnubilantem, terram commoventem, toto curſu vitæ Dæmones ex obſeſſis pellentem, tot prodigia patrantem, jure meritò diceret, quod infernus eum debeat pertimeſcere veluti ſanctipotentem; ſed quod Dæmon cum aſſeclis ſuis enim metuat adhuc infantem & vagientem, nec voces formare, vel prodigia patrare valentem, neſcio qui fieri poſſit, & in quo ſacer vates illum timorem Dæmonis, & generoſitatem pueruli fundare queat, dicens. *Ecce Dominus aſcendet, &c.* vel potiùs. *Veniet in nube puſilla &c.* Quod ſi volebat evertere illud regnum & imperium dæmonis delere, cur non adducit ſecum numeroſiſſimam phalangem Angelorum, prout decebat ejus majeſtatem, omnipotentiam, ſic enim faciliùs ſuo adventu regnum Dæmonis confudiſſet, & turbaſſet? Cur ergò vehitur nubecula leviſſima, & minima ſuæ tenerrimæ carnis? Valdè benè reſpondet S. P. Gregorius *Venit humilis quem ſuperbus hoſtis admiretur, quatenus qui fortia ejus divinitatis deſpexerat, etiam ejus humanitatis infirma pertimeſcat.* O quam divinè, *quatenus qui fortia, &c.* perinde ac ſi ſanctus dicere voluiſſet Et quis ſit adeò ignorans, ut neſciat eum ſtipatum innumera multitudine Angelorum, & exercitu copioſiſſimo militum veteranorum & expertorum prodire potuiſſe, & ſic totum potuiſſe terrere infernum; eum ex Ægypto, quem tam diu Tyrannicè poſſedeerat fugare? ſed quid? an forſan hoc modo ſuam oſtendiſſet potentiam, robur & valorem? non ſanè; imò magis impotentiam, debilitatem, defectum virium, generoſitatis, & ideò relictis Angelis in cœlo, ſolus prodiit in arenam, ſolus pugnavit cum inferno, non armatus Divinitate & omnipotentia, ſed nubecula tenerrima, & minima ſuæ infantiæ. Huic inequitans inſtar generoſi Ducis in copias Orcinas ivit, prælium indixit, certat, confundit, vincit, ſuperat, ac fugat. Et ille quem tuo modo in cælo comparentem divinitate, & omnipotentia non timuerunt Angeli Apoſtatæ, etiam puſio vagiens amictus carne tenera iis fuit terrori, ut mundus totus ejus robur agnoſceret, quo infans etiam totum contudit infernum, & debilitavit. *Venit humilis &c.*

Ambroſ. Procopi. Athanaſ. de incarna.

Lib. 4. Moral. cap. 17.

IV. De Ariſtomene Meſſenio refert Sabellicus, quod quadam vice contra Lacedæmonios pugnans trecentos eorum unico ictu proſtraverit, res quæ fabuloſa videtur.

Hiſtoriæ Sabellii. lib. 4.

De Tentiritis ſtaturæ pygmææ populis, qui habitant in quadam Inſula fluvii Nili re-

Seneca lib. 4. natur. c. 4. Strabo l. 17. Plin. lib. 28. c. 25.

ferant Seneca, Strabo, & Plinius, quod fluvios quamvis adhuc pueri intrantes, aggrediantur Crocodilum, illi insideant, ad placitum utantur, clavam ferream ori ejus injiciant, dorsum pro libito, eum in terram dejiciant, & sola voce cogant eum reddere prædam, quam crudeliter absorpserat. *Tentiritæ mensura eorum parva, sed præsentia animi in hoc usu mira est. Hi soli adversus belluam audent, quia etiam flumini innatant, dorsoque modo equitantium impositi hiantibus resupino corpore ad morsum addita in os clava dextera ac læva tenentes extrema ejus utrinque, & frenis in terram agunt captivos, ac voce etiam sola territos, cogunt evomere recentia corpora ad sepulturam.* Magna reverà hæc est generositas animi, & robur corporis in his pygmæis.

Philosophia.

Philosophi bellissimum quæsitum proponunt, quisnam ex duobus sit fortior & generosior, an ille, qui habet cor parvum, vel magnum? Et simpliciter respondent eum, qui habet cor parvum & corpus magnum esse robustiorem. Et volentes assignare causam hujus dicti, dicunt robur animi & corporis dependere à vigore & abundantia spirituum vitalium, qui residentin corde; porrò hi spiritus quo sunt magis uniti, eò sunt calidiores, & consequenter robustiores, quia quo sunt magis diffusi & dilatati, eò sunt remissiores & languidiores; Cùm autem in corde parvo spiritus vitales sint magis uniti, & in magno magis dilatati, sicut calor in conclavi minori est major, quàm sit in majori; sequitur quòd in parvo sint robustiores, quàm in magno. Et hinc illi qui habent cor parvum juxtà proportionem corporis sunt robustiores, generosiores, animosiores, quàm illi qui habent cor magnum. Et quia forsan Aristomenes Tentiritæ erant dotati corde parvo, hinc non est mirum quòd tanta patrârint, & quòd hi quantumvis infantes ita robustos se contra crocodillos exhibuerint. Magnum hoc est prodigium, & portentum naturæ, quod bellua adeò fortis, adeò inimica homini, ut eum integrum devoret, & ut ejus vescatur cerebro vi lacrymarum cranium dilaceret, ita crudelis ut provincias hominibus omnibus expoliet in quibus habitat. Sicut refert Leonius accidisse in Africa civitati Mauflor, & nihilo seciùs à pygmæis Tentiritis subjugentur.

Applicatio.

V. Nunc ad applicationem. *Ecce Dominus ascendet*, &c. crocodilus valdè fortis & robustis est Dæmon, qui suis viribus confidens, credit se esse in pacifica possessione universi; *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet*, crocodilus adeò robustus, ut antonomastice vocetur invictus, fortis & potens. *Cum fortis armatus &c.* crocodilus adeò potens, ut civitates, provincias, & integra regna devastârit, & ut ita dicam, quasi ex toto orbe cultum & reverentiam Deo debitam proscripserit & suo tyrannico Imperio, quasi totam naturam humanam subjugarit, quæ frustra tentat eum expugnare, sed solùm ei simpliciter resistere. *Non est vobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes tenebrarum harum.* O quam ferus, quam crudelis, quam fortis, & invincibilis crocodilus est Dæmon? O miser munde qui ab ejus insatiabili voracitate devoraris, ab ejus virtute invincibili subjugaris, & vinceris ab ejus impietate & crudelissimâ invidia privaris cultu Divino, fugaris à Dei templo, abigeris à Paradiso, quomodo poteris immitti in bona amissa, & totum illud recuperare, quod per vim tibi abstulit. O Deus animarum nostrarum, & quid nos infelices tuo suavissimo imperio subtracti sub durissimo jugo hujus tyranni faciemus?

Ephes. 6.

Sed ne timeas ô Christiane, quia benedictus Deus pietate motus ad hunc finem misit in mundum Tentiritam, unigenitum scilicet suum filium, ut debellet hunc ferocissimum crocodilum, ac testatui tuo p stino restituat. Tentirita est parvulus Jesus, Tentirita, quia sicut Tentirita est *parva mensura*, filius paucorum dierum. *Parvulus datus est nobis*, &c. hoc tamen non obstante est robustissimus & fortior illis. *Præsentia animi mira, Et factus est principatus, &c.* Tentirita, qui *solus audet adversus belluam.* Solus esto sit vagiens accingit se operi, ac aggreditur totam phalangem crocodilorum infernalium, illos mittit in confusionem, fugam, prædam iis aufert, freno eos constringit, & spolia injustè ablata restituere cogit. *Fugum enim oneris ejus, & Sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian. Delectabitur Infans ab ubere super foramine Aspidis, & in caverna Reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet.* O robustissime Tentirita, O generosissime Infans, & unde tibi tantus animus

Isai. 9.

Iscia. 8.

animus tanta generoſitas ? tantus valor & robur ?

Ah ſi ego te contempler video, quod cùm ſis parvus, habens quidem cor parvum; Sed nihilo ſeciùs ſpiritibus vitalibus refertum, ſpiritibus, qui tibi dabant robur prudentia, & judicio dotatum, animum cum diſcretione, audaciam cum timore & pietate. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Quid ergò miri ſi præditus corde adeò parvo, & tot ſpiritibus animatus, quamvis infans, quamvis puer, quamvis vagiens, ſola tamen infantia ſuperâris, deviceris illos crocodilos infernales, qui per tot ſæcula deprædati erant Ægyptum, orbem depopulabantur, cultum divinum ex orbe proſcripſerant, & ritum vanum ac idololatriam introduxerant ? Dicamus itaque quod fueris Tentirita adeò robuſtus, ut nubecula tuæ tenellæ humanitatis proſtraveris, confuderis & exarmaveris omnes crocodilos & idola Ægypti, imò quod totum Infernum debilitâris & debellâris. *Ecce Dominus, &c.* Dicat Gregorius. *Venit humilis, &c.* Robuſtiſſime Tentirita, velociſſimè infans.

Iſai 11.

Sed quid dico de tua infantia patraſſe tot prodigia, ſi tua ſola præſentia infantilis ſimilia, imò plura majora efficere potuerit ?

Scriptura. Cap. 2.

VI. Nec permittit, ut à vero aberrem D. Matthæus. Hinc refert, quod Angelus à Deo obligatus è cælo ſancto ſeni Joſepho nomine Dei mandârit, ut lubitò fuga in Ægyptum ſibi, Mariæ & puero Jeſu conſuleret, ſiquidem Rex Herodes puero ſuccenſus ejus jugulo inhiaret. *Tolle puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum; futurum eſt enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* O Angele benedicte, & quid dicis Joſepho ? quid ei mandas ? Ut fugiat in Ægyptum ? Et cur ? ut puerum liberet è manu Herodis, & ut vitam ſalvet hujus pueruli ? Sanè nil indicant aliud hæc verba. *Tolle &c.* Verùm nunquamne audiſti minas, quas Deus iis intentavit, qui ſubfidium quærerent ab Ægypto ? *Væ*, minatur Deus, *qui aſcendunt in Ægyptum ad auxilium.* Puerulus Jeſus ut ſalvet ſuam vitam, & declinet furorem Herodis fugiat in Ægyptum, locum extraneum, hoſtilem, idololatricum, plenum ſuperſtitionibus, ac falſis cultibus ?

Iſai. 13.

Deus immortalis, ſi vitam ejus velis ſervare, potiùs eum ſalva in templo loco ſecuriſſimo & tutiſſimo. Me legiſſe recordor in faſtis Regiis, Athaliam filiis Ochoziæ ſuccenſam, Joſabam ſororem Ochoziæ ut vitam nepotis Joas ſalvaret, eum in templo abdidiſſe, & vitam pueri hoc modo ſalvaſſe. *Tollens autem Joſaba filia Regis Joram Soror Ochoziæ Joas filiorum Ochoziæ furata eſt eum de medio filiorum Regis qui interficiebantur, & Nutricem ejus de triclinio, & abſcondit eum à facie Athaliæ, ut non interficeretur, eratq; cum ea ſex annis clam in domo Domini.* Si Joas itaque puerulus ut declinaret crudelitatem impiæ Athaliæ quæ ejus vitæ inſidiabatur, recurrit ad templum, multò ſecuriùs latuiſſet puerulus JESUS in Templo, & liber fuiſſet ab inſidiis Herodis. Cur ergò non præcipis Joſepho ut ſalvaret hunc puerulum in templo, ſed ut fugiat in Ægyptum ? *Tolle puerum, &c.* Scio à S. Patre Petro Chryſologo hæc divina verba prolata. *Deus quando fugit hominem, Sacramenti eſt, non pavoris*, ac ſi dicere voluiſſes. Eſto puer Jeſus fugerit in Ægyptum, & declinaverit furorem Herodis, vitæ ejus inſidiantis, tamen non fuit quaſi timeret crudelitatem ejus, quia Deo non deerant alii modi puerum ſalvandi, ſed ut oſtenderet ſub illa fuga latere myſterium & Sacramentum.

4. Reg. 11.

Serm. 120.

Sed quale, benè reſolvit Origenes dubium. Jeſum non fugere in Ægyptum, ut capiat auxilium, nec ut illa deliteat ſecurus, ſed ut debellet, conſternat, & deſtruat idola, ſimulachra Ægypti, ut ex iis regionibus expelleret Dæmonia infernalia, quæ iis idololâtriam induxerant. *Fugit in Ægyptum*, dicit Origenes, *propterea ut deſtruantur manufacta eorum, & pereant idola ipſorum, ut Dæmones deturbentur.* Sed ſile parumper Origenes, ſi careat armis hic puſio, quomodo pellet & fugabit illa Dæmonia ? ſi ſit adhuc elinguis, quibus verbis ea conſterneret ? quibus manibus, ſi illæ ſint faſciis involutæ ? O fortiſſime puſio ! ſine armis, ſine manibus, ſine verbis, ſola præſentia expellet, *ut fias*, ſubjungit Origenes, in *adventum Domini fugitivorum ſervorum*

Hom. 3. de diverſis.

rum & malorum interitus. Eſt adeò generoſus, adeò robuſtus, animoſus, potens hic puſio, ut debellando toto exercitui avernali, non egeat manibus, pedibus, armis, verbis, ſed ſolus ejus adventus, præſentia in Ægypto eſt ſufficientiſſima, & abundans ad omnia illa facinora præſtanda, & victorias obtinendas. *Ut fiat*: Eſt robuſtiſſimus puſio.

Philoſophia. VII. De Gallo ſpecialiter albo, perhibent ſcriptores, tam ſacri; quàm prophani quod ſit adeò formidini Baſiliſco, & Leoni beſtiis aliàs ferociſſimis & robuſtiſſimis, ut ſola ſua præſentia eos fuget. *Gallinaceus* inquit Simon Majolus, & Ælianus, *Baſiliſco omnium animalium ſaviſſimo horror eſt.* Quin, & ut affirmat Plinius, Albertus magnus, Ambroſius, *Leoni omnium animalium ſaviſſimo terrori eſt Gallinaceus.* Hinc cecinit Laërtius.

Lib. 3 c. 30 hiſt. natu. c. 2. Alb. lib. 23. Amb. li. 6.

Quem nequeunt rabidi contra conſtare Leones.
Inq; tueri, ita continuò meminêre fugari.

Hic (N.N.) latiſſimus patet campus ſubtilium ingeniorum curioſitati indagandi, unde proveniat, quod beſtiola adeò vilis, & exilis, & naturæ adeò timidæ nihilo ſecius Baſiliſcis Leonibus, animalibus adeò feris, robuſtis, audacibus ſit terrori & formidini, ut ad ſolam præſentiam illa in fugam conjiciat.

Symbolum Symbolici nullam aliam aſſignant cauſam niſi quod Gallus, in ſe habeat aliquid divini, & ideò eſt ſymbolum divinitatis, quæ ab omnibus debet adorari. Cùm ergò omnis potentia & virtus humana ſublunaris debeat timere & revereri illud, quod habet aliquid divini, hinc fit ut Leo timeat, ac fugiat præſentiam Galli.

Proclus credens hujus effectus non poſſe aſſignari cauſam naturalem more Aſtronomorum recurrit ad cælum, & aſſerit unum animal tantum præcelli ab alio, quantò Planeta, qui eis prædominatur, eſt nobilior & efficacior. Et ſi utrique dominetur idem Planeta, illud, cujus Planeta majus habet prædominium, alteri ſuperius eſt; itaque dicit Proclus; cur Gallus & Leo ſint animalia ſolaria, quibus prædominatur Sol, cùm utrumque ſit naturæ valdè calidæ, ita tamen ut virtus Solis ejuſque prædominium ſit majus in Gallo, quàm in Leone, hinc Leo timet & fugit ad præſentiàm Galli. *Quia præſentia vivè ſolaris virtutis magis Gallo infuſa eſt, quàm Leoni conceſſa.* Proclus.

Philoſophia. Nihilo ſecius Philoſophi conati ſunt eruere cauſam naturalem, & dicunt quod Gallus cùm ſit animal complexionis valdè calidæ, habeat conſequenter ſpiritus ex natura valdè calidos & igneos. Porrò oculi Leonis etiam ſunt ejuſdem qualitatis. Dum igitur ſpiritus vitales Galli pertingunt ad oculos Leonis, offendunt graviter ſua igneitate illos, ita ut ignis veluti calidus & ſiccus lædat ſpiritus, & pupillas Leonis. Hinc nil miri eſt, quod Leo ad ſolam præſentiam Galli fugiat. Idcircò valdè eruditè cecinit Laërtius.

Quem nequeunt rabidi contra conſtare Leones.
Inq; tueri, ita continuò meminêre fugari.
Numerum, quia ſunt Gallorum in corpore quadam
Semina quæ cùm ſint oculis immiſſa Leonum,
Pupillas interfodiunt, acremq; dolorem
Præbent, ut nequeant contra durare feroces.

Eadem præſtat Gallus circa Baſiliſcum.

Appli-catio. VIII. Nunc redeamus ad puerulum Jeſum. *Tolle puerum &c.* Leo valdè ferus & crudelis contra hominem eſt Dæmon, qui nullo alio delectatur, quàm ut venetur homines, ut eos dilaniet & devoret. Hinc S. Apoſtolus Petrus benè perſpectam habens guloſitatem crudelem hujus Leonis infernalis monet nos, ut ſimus valdè ſoliciti ac cauti. *Epiſt. 1. c. 5.* *Fratres ſobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter Diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Dæmon eſt Baſiliſcus, qui ſolo intuitu, afflatu virulento, atrociſſimo veneno peccati inficit genus humanum. Idcircò nos hortatur ſapiens, ut fugiamus peccatum veluti illud quod emittitur ab oculis & faucibus hujus peſtiferi & virulenti Baſiliſci. *Quaſi à facie colubri fuge peccatum.* *Eccl. 21.*

Gallus valdè parvus, ſed candidiſſimus erat puerulus Jeſus, parvus, quia vix erat natus, candidiſſimus ob incomparabilem innocentiam & ſanctitatem. Gallus ob ſummam vigilantiam. Gallus, qui quantumvis ſit minimus, tamen domi coram his Leonibus, & Baſiliſcis infernalibus comparet, eos citiùs fugat ſua comparatione, quàm Gallus materialis Leones & Baſiliſcos corporeos.

Sed

Sed quid miti ô candidiſſime Galle! ô tenerrime puſio! quod ita tremefacias hos avernales ſpiritus, ſi in ſummo participes de divino, veluti ille qui ſimul eſt homo, & Deus adeoq; omnia creata poteſtas debeat ad tuam præſentiam ſe tibi ſubjicere? quid miri ſi ad ſolam tuam præſentiam fugentur, ſi ſol divinitatis ita tibi prædominatus fuerit, ut læderet oculos tuorum hoſtium, qui tantum prædominium lucis caloris, charitatis non poterant tolerare? Nonne dixit de te Paſchaſius, quod *ſidereum* *Pſal. 104.* *quid habuiſti in vultu, & in oculis quo divinitus terreres improbos.* Quid miri quod paucis diebus natus ita te terribilem, & formidandum exhibueris hiſce leonibus ac Baſiliſcis avernalibus? An non verum eſt, quod aſſumpſeris tenerrimam illam, & delicatiſſimam carnem pro amore generis humani, infecti, venenati à Baſiliſcis & Dæmoniis, diſcerpti, & lacerati à Leonibus Tartareis, ut illud à Baſiliſcorum veneno & à dentibus leonum liberares? Quinimò: imò eam aſſumpſiſti ut utriuſque robur enervares: *Ioan. 3.* *Non enim*, inquit Joannes. *Miſit Deus filium ſuum ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.* Quales ergo altos ſpitus potuiſti ejaculari & emittere ex illo tenerrimo corpuſculo, & candidiſſimis membris, niſi ſpiritus igneos, & ardentes amore, atque charitate pro bono hominis? quid fuerunt aliud lachrymæ fuſæ in cunis niſi ſpiritus candidiſſimi amoris, manantes ex oculis tuis in favorem hominum, & ad terrorem inferni? quid aliud fuerunt illi vagitus niſi ſpiritus amoroſi, emiſſi à tuis faucibus ad ſalvandas animas noſtras, & debellandum infernum? Quid fuit amabo, mi puerule JESU, quod membra illius corporis tenerrimi permiſeris involvi faſciis lineis, niſi emiſſio ſpirituum charitate inflammatorum, ut illis vincires hominem, ut te amaret, & iis conſtringeres hoſtes tuos Dæmones? Hi ergo amoroſi ſpiritus erant tanto robore, ac virtute ditati, ut ſufficientiſſimi eſſent omnes Baſiliſcos, & leones dæmoniorum, quantumvis alias crudeliſſimos, ferociſſimos, ac robuſtiſſimos mittere in confuſionem, conſternere & fugare. Tibi ergo majori applauſu accinatur id, quod de gallo cecinit Laertius. *Quem nequeunt rabidi, &c.* Dicatur quod fugeris in Ægyptum, non velut ad aſylum, ſed ut ſolâ tuâ præſentiâ devincires Baſiliſcos, & leones infernales, dicat itaque Origenes. *Fuge in Ægyptum propterea, &c.*

Sed meo judicio puerule JESU nimis debile hactenus depredicavi tuum robur, & nimiam extuli potentiam tuorum hoſtium, quia mihi occurrit, quod non ſolùm illos terrefacias, & fuges tuâ præſentiâ, ſed & etiam ſolâ famâ tui nominis, nec permittit me in hoc errare Spiritus ſanctus. Scripturæ.

IX. In Ecſtaſin raptus Evangeliſta Joannes vidit ex mari prodire horrendiſſimam, & terribiliſſimam beſtiam non abſimilem pardo, pedes habentem urſi, faciem leonis, monſtruoſè præditam ſeptem capitibus, & decem cornibus, quorum quodlibet diademate regio cinctum erat. *Et vidi de mari beſtiam aſcendentem habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua ejus decem diademata.* *Apoc. 13.* O ferum monſtrum! ô horrendam beſtiam! prætereo hic quod hæc beſtia ſit ſymbolum Diaboli Antichriſti, & ſimul mundi corrupti, & perditi: ſolùm hic pondero illa ſeptem capita & decem cornua, cupiens ſcire quid illa ſignificent.

Scio quod idem facer Evangeliſta illa capita, & cornua explicet dicens *Septem capita, ſeptem montes ſunt, & Reges ſeptem ſunt, & decem cornua decem Reges ſunt* Continentur ergo in hoc oſtento ſeptendecim Reges. *Cap. 17.*

Pergamus proſequitur Joannes, Hi ſcilicet Reges *pugnabunt cum agno & agnus vincet eos:* Deus immortalis, & quale eſt hoc prodigium ſeptendecim Reges potentes pugnabunt cum agnello inermi, imbelli, & manſuetiſſimo, & nihiloſecius ab hoc vincentur, & profligabuntur? quis hoc crederet? qualis eſt quæſo hic agnellus adeò robuſtus, & potens qui excedat conditionem naturalem hujus animalis? Video Rupertum Abbatem in hunc locum cum omnibus expoſitoribus velle, quod per hunc agnum intelligatur Chriſtus, & Chriſtus puſio in ætate tenera dum adhuc vagit, & involutus jacet faſciis, nec ſcit formare voces adhuc primas puerorum. *Papa, mamma. Antequam ſciat vocare puer patrem, aut matrem.* Sed quis ſibi imaginetur puerulum vagientem ire in ſeptendecim Reges, eoſque nihiloſecius ſuperare, & profligare? quibus armis, cum nulla habeat, & eſto haberet, cum non ſciat iis uti? quibus copiis, ſi neſciat, nec poſſit ullis præeſſe?

Reſpondet mirè Rupertus, ac dicit in hoc conſiſtere prodigium, quod tenellus puer, qui neſcit formare voces, ſed ſolùm vagire, ſit nihilo ſecius adeò fortis, & animoſus, ut quantumvis nulla habeat arma niſi vagitus, attamen numeroſiſſimos, & potentiſſimos reges debellet ac proſternat. Et hoc eſt evidentiſſimum ſignũ ſummæ & incomparabilis ejus fortitudinis. Quinimò tanta eſt fortitudo, & valor hujus pueruli JESu, ut ſolo nomine fuget & proſternat hos numeroſiſſimos, & potentiſſimos exercitus. Sed nemo debet mirari, quod ſolo nomine hæc operetur, quia ejus nomen eſt, *velociter ſpolia, citò prædare.* Sic enim hunc puerum vocat Iaias. Hinc non per vagitus, non per lachrymas, ſed per ſolum nomen terret, fugat, profligat vincit, & ſuperat potentiſſimos hoſtes, ita ut hoc nomine ſolùm audito profligentur, & proſternantur: mirabiliter Rupertus Abbas. *Pulchre cum dicere poſſet, hi cum Chriſto pugnabunt, maluit dicere hi cum agno pugnabunt.* Hoc mirabile, & laudabile eſt, unde ſatis eleganter *in prophetia jubetur vocari nomen ejus, velociter ſpolia, citò prædare, quia antequam ſciat puer vocare patrem, aut matrem, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ.* O generoſiſſimum puerulum! qui conſternandis potentiſſimis hoſtibus non vult expectare ætatem maturam, ac adultam, ſed vix natus illos ſubjugat: multò minùs in hac tenera ætate vult uti militibus, & armis, ſed ſolis vagitibus, imò iis ſepoſitis ſolum nomen adhibet, quod eum toti orco ita reddit formidandum, ut ad ſolam ejus famam confundatur, ſuperetur, & cum omnibus ſuis ſequacibus debelletur. *Hoc mirabile, &c.* valoroſiſſimum puſionem.

Cap. 8.

Hiſtoriæ.

X. Refert Joannes Baptiſta Fulgoſus de Ziſca Bohemo belli duce ſuo ævo generoſiſſimo, quod poſt victorias maximas ab hoſtibus reportatas, tanto terrori fact⁹ fuerit ſuis hoſtibus, ut tandem fato admotus militibus præceperit, ut pelle mortuo detractâ tympanum fabricarent, & dum præliandum foret, tympani pulſu nomen ejus invocarent, ſic futurum, ut ad ſolam ejus nominis invocationem hoſtes ſubjugandi ſint. *Populis igitur reſpondit, ut ſuum mortuum corpus excoriarent, atque tympanum ex pelle facerent, pollicitus ſi ad illius tympani pulſum ejus nomen invocarent, hoſtes ei nunquam repugnaturos,* ſubdit Albert. Kranzius *fecerunt amici quod ille juſſerat, & reppererunt quod promiſerat.*

Fulgoſus lib. 3.

Idem legitur de Joanne Hunniade terrore Turcarum, quod poſt mortem adeò fuit illis terrori, ut ad ſolum ejus nomen diu Turcæ expaveſcerent. Præterea de Alexandro ſic refert Q. Curtius: *Nomen Alexandri, & fama maximũ in bello utiq; momentũ hoſtes in fugam convertit.*

Curtius lib. 5.

Hic (N.N.) ſcire percuperem, quomodo ſolum nomen horum Heroum illuſtrium potuerit tantum terrorem, & horrorem incutere? an hoc poteſt fieri naturaliter?

In bona Philoſophia habemus id fieri naturaliter; quia ut obſervant philoſophi, timor eſt paſſio quædam fortiſſima, quam habeat homo, quia non ſolùm per ſe affligit, ſed & ratione amoris quem ſecum ſemper habet, qui quò eſt major erga rem aliquam, eò magis torquemur dum timemus ne illam perdamus, hinc etiam ratione amoris valde torquet. Inter autem omnia bona temporalia cum primò amemus vitam, deinde honorem, & ultimò opes, ideo privatio horum eatenus & tantùm eſt moleſta, quantùm & quatenus eorum poſſeſſio eſt grata. Dum ergo timemus jacturam iſtorum, nullum eſt dubium quin graviſſimè affligamur, & torqueamur. Et quia privatio horum eſt mala, ideo objectum timoris eſt malum. Quod ſi malum ſit præſens, non inſurgit paſſio timoris ſed triſtitiæ, ſi autem malum ſit futurum & imminens, ſed qui non poſsit ita facilitèr occurri, tunc adeſt timor. Ideo dicunt. *Timor eſt appetitus de malo futuro propinquo, cui commodè reſiſti non poſſit.* Et cum ſit veriſimum, quod cauſa objecti ſit etiam cauſa paſſionis, ideo & ſolemus non ſolùm timere malum quod imminet, ſed & illud quod nobis inferre malum poteſt. *Timemus etiam qui nobis poſſunt infligere malũ.*

Philoſophia.

D. Thom. 1. q. 29. 91. art. 1. q. 2. art. 1.

Quia igitur Alexander Magnus ſuâ potentiâ & vi tot victorias reportârat, tot occiderat milites, tot ſpolia hoſti eripuerat, tot ducibus honorem ademerat, nil eſt mirum, quod tantum incuſſerit timorem; quin imò ejus nomen in exercitibus adeò fuit formidandum, ita ut illud meruerent probare, quod antea toties experti erant. Idem debet dici de nomine Ziſcæ Bohemi, & Joannis Hunniadis, ac aliorum, quorum nomina ita fuerunt formidanda ac ſi ipſi duces adeſſent. Hinc nil eſt miri, quod ſolo nomine tanta patrârunt, & tot hoſtibus terrorem incuſſerint.

XI. Nunc ad puerulum Jeſum. *Hi pugnabũt &c.* Dux valoroſiſſimus ſemper fuit filius Dei, qui

qui ab ipso ortu mundi tot præclaris victoriis potitus est, qui debellavit, ac è cœlo proscripsit numerosissimas phalanges Angelorum apostatarum, qui illi rebellarant, ac contra eum insurrexerant nolendo eum tanquam Deum adorare, illos tanto valore, ac generositate animi devicit, ac subjugavit, ut titulum promeritus sit. *Dominus exercituum Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.* Capitaneus præ aliis celeberrimus, & qui famam, ac memoriam generosissimorum Heroum priscorum sæculorum longè post se reliquit, fuit pusio Jesus ab ipsis fasciis; nam suo adventu in orbem confudit, ac consternavit omnes principes tenebrarum, nec factus est tantùm terribilis, & formidabilis inferno per suam præsentiam, sed & per suum nomen. Hinc dicebat David. *sanctum, & terribile nomen ejus.* Nomen adeò terribile, & formidandum, ut ad solam ejus invocationem se reverenter projecerint in terram, ac se fassi fuerint servos, & mancipia integri exercitus Angelorum, hominum, ac Dæmonum; *In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.*

Psal. 110.

Psal. 143.

Philip. c. 21.

Nomen adeò formidolosum, ut illius sola invocatio det tantum robur, ut faciat à nobis velipendi, & contemni potentissimos nostros hostes. *In nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.*

Psal. 43.

Sed quam habetis ansam, O principes tenebrarum ut ita timeatis ad solum nomen hujus pusionis Jesu? objectum timoris est malum non futurum, sed proximum, & imminens, cui non potest faciliter occurri, sed hic puerulus, & ejus nomen non est quid malum, imò est res summè bona, quæ quemlibet rapit in sui amorem. *Oleum effusum nomen tuum ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Cur ergo ejus nomen timetis?

Cogimini ut exclametis, O nos infœlices, ô nos infortunatos, qui nil aliud habemus, quàm quod solùm nomen habeamus, quod simus principes hujus mundi & tenebrarum & quod plurium annorum spatio ambitiosè habuerimus hunc titulum, nunc videmus, per solum nomen hujus pueruli nos privati hac nostrâ vanâ ambitione, & quod solum nomen hujus infantis nos reddat impotentes, ac inhabiles ad exercendas vires nostras contra homines. Nomen ejus tantùm invocatum conculcabit nostram superbam præsumptionem, & robur, & cum in nullo magis dilectemur quam quod opprimamus orbem, quod hominibus eripiamus bona animæ, & corporis, & quod omne nocumentum possibile iis inferamus, jam clarè conspicimus brevi nobis adimendum robur, vim debilitandam, & vi nobis extorquenda spolia tot laboribus obtenta, hinc cum conspiciamus tot mala nostris imminere dorsis, nil possumus minùs, quàm ut timeamus tantam jacturam, & quia non solùm malum est objectum timoris, sed etiam illud, quod potest malum inferre, imò & solum nomen illius, hinc cum nomen hujus infantis sit tantæ virtutis, ut tantùm invocatum à fidelibus possit nos privare tot bonis, & involvere tot malis, idcirco virtutem, & robur hujus nominis timere debemus. *Omnipotens nomen ejus, currus Pharaonis, & exercitum ejus projecit in mare.* Exod. 15.

O nomen cuncti potens, ô nomen terribile ô nomen formidabile, ô valorosissime Dux, ô generosissime Heros, tu non adeò terres tuis viribus, & robore, quam simplicissimo tuo nomine consternas, fuges, confundas, enerves, subjuges, vincas, & superes omnes tuos potentissimos hostes, & hoc, esto sis agnellus tener, & inermis, ac vagiens infans. Hinc dicat Joannes. *Pugnabit, &c.* Idcirco dicat Isaias quod nomen hujus agnelli sit. *Velociter spolia, cito prædare.* Dicat Rupertus cum admiratione totius orbis, & terrore totius inferni: *Pulchrè cum dicere posset, &c.* adjungat: *Hoc mirabile, & laudabile, &c.*

Sed quid dico ô dulcissime Jesu, quod nomẽ tuum sit adeò potens, si sola umbra, & imago tui sanctissimi corpusculi sufficiat ad destruendum totum infernũ? Nonne lego hanc veritatẽ apertè, & claris verbis à spiritu S. demonstrati in Exodo, & confirmari à S. Ambrosio?

XII. Jussu divino Moyses & Aaron erant in audientia apud Pharaonem, & Aaron Virgam suam prodigiosam projecit in terram & versa est in serpentem. *Tulit Aaron virgam suam coram Pharaone, quæ conversa est in Colubrum.* Pharao viso hoc prodigio advocavit suos veneficos, & magos, qui etiam dum projicerent suas virgas in terram, virtute maleficii illas in serpentes transformârunt. *Projecerunt singuli virgas suas, quæ conversæ sunt in Dracones.* Et quia æqualitas prodigii non persuadebat Pharaoni magnam virtutem Dei, Deus ut illum deduceret in claram cognitionem illius

Cap. 7. Scripturæ

veritatis, voluit ut virga Aaronis converſa in ſerpentes aggrederetur virgas magorum, etiam in ſerpentes mutatas, & omnes coram ipſo Pharaone diglutiet. *Sed devoravit virga Aaron virgas eorum.* Hic ſiſto ſcripturiſtæ, percupiens ſcire, ac penetrare virtutem hujus virgæ. Scio quod tam virga Aaronis, quam virgæ magorum naturaliter fuerint ejuſdem conditionis, quia omnes erant ex ſimplici ligno, & ſicut virgæ magorum ope Dæmonis migrarunt in ſerpentes, ſic & migravit ope Dei virga Aaronis in eoſdem, ſi ergo ex natura ſua fuerint ejuſdem conditionis, unde provenit quod virga Aaronis in ſerpentes converſa ſit adeò potens ut devoret omnes virgas veneficorum? Dicetis hanc virtutem ei fuiſſe communicatam à Deo, ſicut etiam ope ejuſdem fuit verſa in ſerpentem; Et volens Deus oſtendere quod virtus Dei longè ſuperet, & excellat vim & robur hominum & totius inferni, idcirco diſpoſuit ut virga Aaronis in ſerpentem verſa, devoret virgas Ægyptiorum in ſerpentes converſas. Reſponſio hæc mihi placet. ſed nihilominus dubium necdum plenè ſolutum eſt. Scire quippè velim, cur Deus illam virtutem Aaronis virgæ in ſerpentem converſæ dederit, & communicare voluerit? Dicere quod ſic placuerit Deo, eſt reſponſio nimis generica, quia replicabo, quod Deus nil ſpeciale reperit in virga Aaronis, quo moveretur ad ei dandam illam vim; verùm hoc contradicit opinioni S. Ambroſii, qui affirmat in hac virga, neſcio quale fuiſſe ſignum, vel notam parvi quantumvis momenti, à quo motus fuit Deus, ut daret illam virtutem virgæ Aaronis. *Quæ* inquit S. Ambroſius *tantæ virtutis in ſe typum gerebat.* Sed quale fuit hoc ſignum, qualis nota, qualis particularitas.

Lib. de Salomon. Cap. 2.

Valde bene reſpondet S. P. Ambroſius. Deus ad hoc motus eſt, quia illa virga erat umbra, figura, imago, typus pueri JESU. *Quia & ipſa imago erat corporis Chriſti.* Ut Deus ſignificaret, umbram Chriſti eſſe adeò potentem, ut omnem vim Dæmonum, & inferni enervet, deſtruat, & annihilet, voluit à virga Aaronis in ſerpentes converſa, devorari virgas magorum, etiam in ſerpentes transformatas. Mirè Ambroſius. *Ipſe Moyſes virgam projecit in terram, in ſimilitudinem eſt corporæta ſerpentis, quæ, quia & ipſa imago erat Corporis Chriſti, & tantæ virtutis in ſe typum* gerebat, omnium Ægyptiorum poteſtatem *abſorbuit.* Valde bene *omnium Ægptiorum, &c. quia imago. &c.* Ut ſcias quod non nomen, ſed ſola umbra hujus puſionis Jeſu eſt adeò fortis, ut poſſit debellare totum infernum.

XIII. Plinius affirmat fraxinum eſſe adeò nocivam ſerpentibus, & tantum contra eos valere, ut ſola umbra ſui corporis ſpecialiter mane, & veſperi quando umbra ob percuſſionem lateralem ſolis eſt longior, eos procul fuget. *Tanta vis eſt fraxini* inquit Plinius *ut ejus matutinas, veſpertinaſque umbras quando longiſſimæ ſunt, ſerpens nullus audeat attingere, quin etiam procul inde aufugiat*: Et obſervat Simon Majolus in ſuis diebus Caniculatibus, umbram fraxini ſolis ſerpentibus, & non homini, aut aliis animalibus ita eſſe noxiam.

Philoſophia. *lib. 16. c. 13.*

Colloq. 21.

Hic ego ſcire optarem quomodo umbra fraxini ita poſſit fugare ſerpentes, cum non ſit ens poſitivum, ſed 12. dicit opticus ſit *privatio diffuſionis luminis* cauſata à corpore aliquo opaco interjecto inter corpus illuminans, & illuminatum?

Ut ad minus problematicè hoc dubium ſolvamus, neceſſe eſt ut recurramus ad naturam fraxini, & ſerpentis. Et quamvis non omnes conveniant circa naturam ſerpentis, cum aliqui dicant eum eſſe naturæ frigidæ, alii ſiccæ, alii quod ſint calidæ & ſiccæ, alii quod ſint frigidæ & ſiccæ, omnes tamen in hoc conveniunt quod ſint ſiccæ, & quod aliquid participent de humido. Quoad fraxinum, dicunt eam ex natura frigidam, & ſiccam, ſed præditam ſiccitate forti, & eò fortiori præ reliquis plantis, quò eſt illis robuſtior, & fortior, & hinc fit quod valde participet de extenuante.

Hoc ſuppoſito aſſerunt fraxinum ratione proprietatis occultæ eſſe inimiciſſimam ſerpenti, quinimò ob ſiccitatem nimiam abſorbet humiditatem ſerpentis, quæ humiditas eſt valde neceſſaria ad dilatationem, & motum ejuſdem, hinc videmus quod congelatâ humiditate per frigus, ſerpens illa eſt conglobatus, ut adveniente calore extendatur, & dilatetur; Addite eandem ſiccitatem fraxini, cum ſit in ſubjecto majori, & robuſtiori quàm ſit ſerpens, vitiliter debellare ſuum hoſtem, quia velut robuſtior attrahit ſiccitatem

tem illius Et idcircò ſuccus foliorum fraxini bibitur ab illo, quem ſerpens venenoſus momordit, & emplaſtrum factum ex iiſdem foliis, & vulneri ſuperpoſitum eſt remdium valde potens, quia inſtar Theriacæ attrahit ad ſe virus.

Sed unde provenit, quod ſerpens ab ipſa umbra fraxini etiam conjiciatur in fugam, cum umbra ſit privatio, quia in ſe nullam habet vim? Reſpondent Philoſophi; locum inumbratum à fraxino eſſe refertum pluribus evaporationibus & ſpiritibus ab illis arboribus emiſſis; Porrò hi ſpiritus & vapores ſunt præditi iiſdē qualitatibus extenuantibus; quibus prædita eſt ipſa arbor à qua emittuntur, & hinc cum arbor ſit hoſtis adeò ferox ſerpentum, non eſt mirum, quod umbra referta illis ſpiritibus & vaporibus extenuantibus à fraxino emiſſis ſerpentes fuget.

Cardanus de ſubtil. *Lib. 8. de Plantis.*

Sed cur amabo ſerpentes potius fugiunt umbram matutinam, & veſpertinam fraxini, quàm meridianam? An forſan ideo, quod additâ illâ extenuatione umbra matutina, & veſpertina ratione obliquitatis & debilitatis ſolis ſit magis frigida, quam meridiana? An forſan ideò, quia ſol temperatè calidus & ſiccus dum oritur vel occidit, non habet tantam vim, ut reducat ad temperiem virtutem extenuativam fraxini? quinimò. Meritò ergò dicere potuit Plinius: *Tanta eſt virtus fraxini, &c.* Quia quò umbræ ſunt longiores, eò plures ſunt evaporationes & ſpiritus plantæ.

XIV. Nunc ad puerulum Jeſum. *Sed devoravit virga, &c.* Serpens valde exitioſus, nocivus, & virulentus homini ſemper fuit Dæmon; A ſua quippe origine tanquam arcus vibravit ſuum virus in noſtram protomatrem, eamque fataliter infecit, non ſolùm cum damno ipſius, ſed & ejus progeniei. *Serpens decepit me.* Hoc enim virus contagioſum cum propagatione omnes venas cunctorum filiorum Adæ penetravit, ita ut omnes naſcamur infecti hac qualitate virulenta, quæ ſerpendo à carne ad cor & animam, ſtatim infert mortem ſpiritualem. *Omnes naſcimur filii iræ.* Deus idcircò indignatus, volens reperire antidotum validum contra morſus venenatos hujus ſerpentis, decrevit producere fertiliſſimam terram Mariæ, quæ virtutem haberet planè contrariam hoſti ſerpenti; *Inimicitiam ponam inter te & mulierem, ipſa conteret caput tuum.* In hoc agro ſeu terra voluit plantari fraxinum pueruli Jeſu, fraxinum cum ſacco ſanguineo, qui ex illo expreſſus per torcular paſſionis debebat eſſe medela venenoſis morſibus Dæmonis *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine, qui pro nobis effundetur.* Fraxinus, quæ ſolo odore ſui ſanctiſſimi nominis fugat procul ſerpentes Dæmoniorum. *In nomine meo Dæmonia ejicient, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Fraxinus, quæ ſolâ ſui umbrâ ita recreat & reſtaurat humanum genus, ut ſub illa vivat & reſtauretur, & illi vicinum ſit ſecurum ab incurſu, & perſecutione hoſtium infernalium. *Sub umbra illius quem deſideraveram ſedi,* vel ut dicit Jeremias. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris, cui diximus in umbra tua vivemus in gentibus.* Fraxinus, quæ ſola umbra ſui ſanctiſſimi corporis ejecit ex corporibus humanis ſerpentes avernaliū ſpirituum. Quod ſi umbra Petri fuit tantæ efficaciæ (ut advertit Spiritus ſanctus.) *Ita ut in plateis ejicerent infirmos, & ponerent in lectis & grabatis, ut veniente Petro ſaltem umbra illius obumbraret quenquam & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.* Cur non dicemus umbram pueri Jeſu habuiſſe majorem virtutem? fraxinus, quæ umbra veſpertina ſuæ carnis in monte Calvariæ fugavit omnes ſerpentes ſtygios. *Triumphale lignum in quo redemptor noſter mortis vincula rumpens callidum aſpidem ſuperavit.* Fraxinus, quæ umbra ſua matutina in ſuo ortu ac adventu in orbem, in fugam conjecit hunc venoſiſſimum aſpidem. Hinc S. P. Gregorius ſupra numero 3. *Venit humilis, quem & ſuperbus, &c.*

Luc. 22.

Marci 16.

Cant. 2. Thren 4.

Actor. 5.

Eccleſia.

Applicatio

O ſacroſancta fraxinus! O vigoroſiſſime infans! Et unde fit, quod adeò ſis formidoloſus ſerpentibus orcinis, ita ut ſolâ tuâ umbrâ eos fuges & vincas? Quod ſi velim ponderare magneticam vim tuorum ſpirituum, quos emiſiſti à tua etiam infantia, video quod ſit adeò ficca, ut abſorbeat, digerat, extenuet, conſumatque venenum mortiferum horum ſpirituum avernalium. Hinc dicebat S. P. Ambroſius, *Chriſtus Dominus noſter percuſſo dracone, id eſt, Diabolo lacerato, dum humanum ſibi corpus aſſumit, peccatum illud, quod hominem tenebat obnoxium, tanquam pernicioſum virus extinxit.* Sed quando amabo oſtendit tantam vim? *Dum humanum, &c.* In ipſa ſua infantia, imò in ſuo ortu, quando factus eſt, quando natus eſt, quando hæc fraxinus cœpit pullulare ex

Videm.

terra virginali Mariæ, quid ergò miri, quod etiam hæc umbra matutina hujus divinæ fraxini, ſuo ſpiritu vigoroſo cuncti potentiæ fugaverit ſerpentes ſtygios, & genus humanum reddiderit ſecurum ab eorum veneno & morſibus? *Spiritus oris noſtri, &c.*

Et en; ut Spiritus ſanctus oſtenderet robur hujus umbræ pueruli Jeſu, voluit, ut virga Aaronis ejus typus & figura, corverſa in ſerpentem devoraret omnes virgas magorum Ægyptiorum in ſerpentes mutatas. *Ita Moyſes virgam, &c.*

Epilogus. XV. O umbra vigoroſa! O nomen terribile, ô præſentia robuſtiſſima, ô infantia cunctipotens! cedant tibi puerule Jeſu infantes Tentiritæ, quia majori ſtrage & victoriâ domuiſti & coërcuiſti Crocodilos ſtygios, infenſiſſimos ſeſe oſtendentes naturæ humanæ, non ſuperaſti illos ſicut illi clava armata, ſed nubecula tuæ infantilis humanitatis, dum habuiſti cor quidem exile, ſed plenum ſpiritibus vigoroſis ſapientiæ, conſilii, judicii, fortitudinis, quæ fortiſſimam reddidit tuam infantiam.

Cedat itaque valori tuæ præſentiæ, valor præſentiæ galli albi, qui adeo eſt efficax, ut veluti ſymbolum rei divinæ, & cui prædominatur virtus ſolis, & qui præditus eſt ſpiritibus ignitis, quos ex oculis & corpore emittit, conſternat & fuget baſiliſcos & leones, quantumvis fortiſſimos & ferociſſimos, quia tu galle cæleſtis non ſymbolum divinitatis, ſed Deus verus, non prædominatus à ſole materiali, ſed hinc prædominans virtute ſpirituum tuorum vigoroſiſſimorum & amoroſorum, totam Ægytum, imò totum regnum Principum tenebratum, baſiliſcorum & leonum avernalium ferociorum & crudeliorum, illis materialibus & corporeis tuâ præſentiâ fugaſti.

Prætereà cedat efficaciæ tui nominis nomen Ziſcæ, Hunniadis & Alexandri Magni, nec non illuſtriſſimorum Heroum orbis, qui nominati tantùm exercitus maximos veterano-rum militum confuderunt & profligârunt; nam fuga & timor horum potiùs proceſſit ab eorum meticuloſitate, quàm energia vani horum nominis. Sed nomen tuum *velociter ſpolia, citò prædare*, ſe ipſo ſolo eſt formidabiliſſimum toti inferno ab ipſis cunis & adventu tuo in orbem: confudit namque fugavit, vicit, ſuperavit exercitus formidabiles, non hominum ſed dœmonũ orcinorum, contra quos agnellus tenerrimus, & necdum menſe natus, victorias celeberrimas reportavit,

Cedat valori umbræ tuæ valor umbræ fraxini adeò potens & efficax per virtutem extenuantem & exſiccativam, ut quantumvis arbuſculus & matutina fuget ſerpentes venenoſos: Nam umbra matutina tui corpuſculi vix nati, non ſolùm fugavit, ſed & devoravit ſerpentes & dracones veneficorum & incantatorum Ægyptiorum, imò dœmones inferni enervavit & proſtravit.

Quid ergò miri, quod à primis diebus tuæ nativitatis fueris adoratus & veneratione affectus, tanquàm Rex, ſacerdos & Deus à proceribus Orientis? quid miri, quod ortus incuſſeris terrorem Herodi ac toti Hieroſolymæ, cum in tua nativitate habueris in aſcendente ita tibi propitiam & favorabilem ſtellam Jovis tuæ benignitatis, & Martis tui roboris?

O valoroſiſſime, ô fortiſſime infans, cum tam ſis benignus quam fortis, ſupplex rogo tuam benignitatem & clementiam, fac mihi gratiam, ut probem pro mei tutela ac defenſione robur tuæ infantiæ, valorem tuæ præſentiæ, efficaciam tui nominis, protectionem tuæ umbræ, contra Crocodilos, Baſiliſcos & Leones, contra inimicos & ſerpentes ſtygios, ut tuo robore iis debellatis, ego liberatus ab eorum tyrannica crudelitate lætus & ſecurus poſſim venire ad paradiſum, ut ibi ſemper laudem, benedicam, gratias agam tuæ benignitati & clementiæ,

AMEN.

ELO-

ELOGIVM III.

Pro Feſto B. Laurentii Juſtiniani.

Eſto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant.
Apoc. cap. 3.

Philoſophia.

I. QUod cor unum ſit è nobiliſſimis & principalioribus partibus corporis noſtri, & quod forſan inter ea habeat primatum, Philoſophi doctiores cenſent. Hæc nobilitas præcipua confirmatur ab attributis nobiliſſimis, quæ cordi conveniunt, & à celeberrimis operationibus hujus excellentiſſimi membri. Cor ſiquidem in corpore animalis eſt Rex & Monarcha reſidens in corpore velut in ſolio regali, & quidem in medio ejus, ut vicinius cunctis membris è centro ſui ſolii poſſit ritè hanc tempublicam gubernare. Præterea eſt fons vitæ, & ideo ante omnia incipit vivere, & ultimò moritur. Subminiſtrat inſuper vitâ omnibus membris corporis, ſuum calorem diffundit in omnia, ſine quo vivere non poſſent. Præterea eſt officina in qua fabricantur ſpiritus vitales, ærarium & theſaurus è quo extrahitur aurum puriſſimum ſpirituum neceſſariorum ad operationes membrorum. Hæc omnia videntur augere ac celebrare nobilitatem hujus membri ſive ſeparati animalis, ei dant primatum omnia membra: ô quàm nobiles prærogativæ!

Sed inter omnes enumeratas, & brevitatis ergò omiſſas, præcipua mihi eſſe illa videtur, quâ cor & ejus motus comparatur ſphæris cæleſtibus ab Angelico magiſtro. Hujuſce rei cauſam ſummoperè ſcire percuperem. Et tandem plures cauſas invenio. Prima. Nam ſicut cœlum eſt nobiliſſima pars univerſi, & primum, quod à Creatore in hoc microcoſmo productum eſt, ſic & cor nobiliſſima pars eſt, primò in microcoſmo hominis producta. Altera ſicut cœlum ſuo motu dirigit omnia inferiora, ſic cor ſuo motu regit omnia membra. Præterea ſicut cœlum ſuo motu ſuiſque influxibus omnibus viventibus dat vitam, ſic cor ſuo motu ac diffuſione ſpirituum vitalium, dat calorem & vitam omnibus membris. Tandem ſicut motus cœli eſt circularis & perpetuus, nec unquàm ceſſabit à ſuo gyro quamdiu durabit orbis, imò ſi ceſſaret, ceſſarent etiam inferiora, ſimili modo motus cordis eſt circularis & inceſſanter ſuâ dilatatione ad terminum à quo exiit, regreditur, ita ut homo quamdiu vivit, nunquam quieſcat, nec poſſit quieſcere niſi moriatur.

Opuſc. 35. de motu cordis.

II. In corpore myſtico & ſpirituali Eccleſiæ patriarchalis Venetæ non eſt dubium (N. N.) quin B. Laurentius Juſtinianus velut Protopatriarcha ſuperior & Prælatus habeat locum cordis. *Sacerdos cordi comparatur*, dicebat quidam valdè accommodè ad noſtrum propoſitũ. Cor fuit B. Laurentius Juſtinianus reſpectu ſubditorum, quia ad perpendiculum ſtabat in medio hujus corporis, omnibus indifferenter ſuũ ſubminiſtrans auxilium. Cor, quia vitam ſpiritualem dabat cunctis membris ſuæ Eccleſiæ, quia iis communicabat calorem charitatis & amoris Dei. Cor, quia ſubminiſtrabat ſpiritus vitales Sacramentorum & optimarum inſtructionum, ad hoc, ut plebs poſſet ambulare in via Dei, cor ſingulariter ſuæ Eccleſiæ, quia ſuâ ſollicitudine vigilanti, & ſuâ vigilantiâ ſollicita inſtar cœli & cordis, continuò infatigabiliter movebatur pro bono ſubditorum; nunc in eorum favorem ſe dilatabat, porrigendo neceſſarium ſubſidium, jam ſeſe retrahebat ad contemplationem cœleſtium. Jam ſeſe recolligebat, ut à Deo edoceretur, nunc ſeſe dilatabat, ut in populum inſtructiones divinas diffunderet! Cor ſemper vigilans, & continuò ſeſe movens inſtar boni paſtoris, de quo

Applicatio *in cap. 3. Iſaiæ.*

Laur. Juſt. de inſtit. & reg. præla. c. 4.

idem dicebat. *Oportet illum ſupra gregem commiſſum excubare:* Quia alias ſubditi per ejus quietem minuerentur, quia nil nocivius eſt membris Eccleſiæ, quàm ſi Prælatus deſiſtat invigilare debitè ſubditis, & attendat proprio intereſſe & commodo, & totus aliis occupetur. Hinc dicebat idem Beatus. *Nihil periculoſius quàm regiminis animarum onus ſuſcipere, & terrena lucra ex eodem ſolummodo quæritare.* Requieſcant ſubditi veluti membra corporis, ſed Prælatus inſtar cordis, quod diu noctuque vigilat, debet eſſe in continuo motu ſe dilatando ac conſtringendo. O vigilantiſſimum cor hujus nobiliſſimi corporis Veneti, cujus ego quamvis putridum ac viliſſimum ſuum membrum. O glorioſiſſime Laurenti Juſtiniane, cum cœli gratia inter tua membra recenſeat, quæ ex tua ſollicitiſſima vigilantia receperunt calorem, ſpiritum & vitam, concede mihi viliſſimo & claudicanti pedi, ut fiam totus lingua, & à te recipiendo velut cor, calorem, ſpiritum, ac facundiam, nunquam ceſſem propalare orbi tuam ſollicitudinem, ac vigilantiam, quam ſemper in regimine tuæ Eccleſiæ exhibuiſti. De hoc ego hodie diſcurram.

ASSUMPTUM.

Sanctus Laurentius Iuſtinianus fuit totus ſollicitudo & vigilantia pro bono ſubditorum.

Locus ſcripturæ, *Gen.* 31.

III. MEnte revolvens Patriarcha Jacob moleſtias, vigilias, induſtriam, ac ſollicitudinem grandem, quam tot annis pertulerat pro lucro & bono ſui domini Laban, poſtea ſoceri; & quomodo pecudes, capræ & oves, quæ ſibi demandatæ erant, non fuerant infœcundatæ, & hoc ut bona fortunæ ſui Domini augeret, quod ut exactiùs faceret, nullam unquam ei ſubtractam fuiſſe ovem, agnellum, capram, imò ſi aliquod vel minimum animalculum ex grege periiſſet, aut à lupo vel furibus fuiſſet ademptum, propriis ſumptibus ſe illud Labano ſubſtituiſſet, & hoc ne vel minimam jactutam res domeſtica ejus paterétur. *Viginti annis fui tecum, oves tuæ, & caprea ſteriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captũ à beſtia oſtenditibi, ego damnum omne reddebam, quidquid furto peribat, à me exigebas.* Addit ſe diu noctuque commoratum fuiſſe in campis, injuriis cœli expoſitum, & quidem tantâ curâ, ut nec breviſſimo tempore dormierit. *Diu noctuque æſtu urebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis.* Et hoc continuavit per viginti annos continuos. Sanctus P. Chryſoſtomus poſtquàm attentè conſideraſſet hanc magnam vigilantiã, indagat, quam ob cauſam tam ſollicitè Jacob invigilârit ſuo gregi, ut quaſi ſui oblitus poſtponeret ſuum commodum, & etiam illa, quæ neceſſaria erant ad ſuſtentationẽ propriæ vitæ, puta cibum & potum. Hinc quærit Sanctus. *Quæ ipſius vigilantiæ ratio?* Et reſpondet *Ne ulla ovis fera captiva fieret.* Dies noctesque inſomnes tranſigebat, nullam ob aliam cauſam, ne forſan ipſo dormiente, vel unica ovis ei concredita, furibus vel lupis præda fieret: *Ne ulla ovis, &c.* Sed Deus immortalis, an ſi Jacobo dormiente unica ovis fuiſſet ſurrepta, tunc Troja fuiſſet ruinam paſſa, vel adfuiſſet finis mundi, vel domus Laban deſtructa? Ergone Jacob cum tanto diſpendio ſanitatis debebat ſibi cavere à ſomno adeò vitæ ſuſtentandæ neceſſario? Cum bene ſciret illud vulgare, *Quod caret alternâ requie durabile non eſt:* Cum ergò tam ſollicitam curam gerit unius tantùm pecoris irrationalis, & exigui valoris, quodque facillimè recompenſari poteſt?

O quàm bene, Sanctus Pater Chryſoſtomus, Deus hâc ſcripturâ voluit oſtendere, qualis eſſe debeat vigilantia & ſollicitudo, quâ paſtor ſpiritualis & Prælatus ovibus animarum noſtrarum concreditis invigilare debet. Volebat inſuper nos exinde deſumere argumentum à ſortiori; quod ſi enim Deus voluerit Jacobum tam vigilanter & ſollicitè invigilare armentis à Laban ei commiſſis, ita ut miſereculus omnia ſua commoda poſtponeret, diu noctuque vigilaret, non obſtante, quod eſſent pecora materialia & animalia irrationalia, quantò à fortiori exigit ratio, ut Prælatus, cui Deus concredidit curam & cuſtodiam pecorum ſpiritualium, puta animarum noſtrarum quæ infinities plus valent, & pro quibus Deus eſt incarnatus, paſſus & mortuus, ſollicitus & vigilans ſit? Si Jacob fuit adeò vigilans, ut dies noctesque inſomnes tranſmiſerit, ne pecudes ſibi commiſſæ perirent, an forſan Præla-

Prælatus, cui creditæ ſunt oves tam charæ & prætioſæ, Chriſto dormiat, non ſolùm de nocte, ſed etiam de die? An forſan paſtor ſpiritualis ſit negligens, iners, propriis commodis & lucris temporalibus totus immerſus? An forſan debeat parcere laboribus ac difficultatibus? Si Jacob injuriæ cœli, ac inclementiæ frigoris & caloris ſe expoſuerit? Hinc concludit Chryſoſtomus: *Si verò tanta de irrationali pecude cura, qualas eſſe decet de rationali* anima ſollicitudinem gerentes? Res deploranda, nunquàm non lachrymis proſequenda negligentia & incuria, quam ne incurreret Idea boni paſtoris Laurentius Juſtinianus, veſtigiis Jacobi inhæſit, diu noctuque pro bono ovium vigilabat, nihili ducebat difficultates & incommoditates, dummodò prodeſſet ovibus & animabus ſibi commiſſis.

Philoſophia.

IV. Verùm ad illuſtrationem hujus ſcripturæ mihi occurrit belliſſimum quæſitum philoſophorum. Quærunt hi, an animal poſſit vivere abſque ullo ſumno. Nonnulli cenſuerunt ſomnum non eſſe ſimpliciter neceſſarium ad conſervandam vitam animalis. Fundantur in exemplo Leonis animalium nobiliſſimi, quem dicunt communiter (etiam ita perhibente Manetone Ægyptiaco in rebus memorandis de eo ſcriptis ab Herodoto) continuò vigilare. Ratio verò, quâ moti ſunt ad aſtruendam illam continuam & perpetuam vigiliam Leonis eſt, quod obſervârint, leonem diu noctuque habere oculos apertos, ex iiſque continuò lumen & ſplendorem copioſum emittere, imò & caudam movere continuò, etiam tum quando putatur dormire. Ex quo concludunt leonem vivere inſomnem.

Litera humaniores.

Ex hoc moti Sacerdotes Ægyptii volentes in ſuis ſymbolis ſignificare vigilantem & ſollicitam cuſtodiam, depingebant caput Leonis. Inſuper ante fores templorum ſculpebant duos leones, quibus volebant demonſtrare, deputatos cuſtodiæ templorum & cultui divino inſtar leonem debere ſemper vigilare & inſomnes eſſe diu noctuque. Et hæc fuit cauſa, cur antiqui conſecrârint leonem ſoli; ſicut enim leo ſemper habet oculos apertos, cum eum putent eſſe ſomni expertem, ſic & ſol ſemper vigilat, & abſque occluſione oculorum totus luminoſus volvitur per circumferentiam cœli continuò illuſtrans terram. Hinc dixit Pierius Valerianus: *Qui leonibus inſomnium attribuunt, inde eos ſoli dicatos autumant, eandem cum leone conditionem habenti; quippe qui patenti igneoque oculo terram conſpectu perpetuo atque infatigabili tueatur.* Ita antiqui, volentes animal poſſe vivere ſine ſomno.

Hoc non obſtante meliores Philoſophi cum tota ſchola medicorum cenſuerunt, animal non poſſe vivere ſine ſomno. Hinc Philoſophus. *Quod caret alternâ, &c.* Porro ratio clara eſt: Cum enim animal dormiendo reſtauret ſuos ſenſus exteriores, qui ſuis operationibus debilitant ſpiritus vitales, ideò natura inſtituit ſomnum pro conſervatione animalis. Præterea in ſomno facultas naturalis melius concoquit cibum, à qua oritur nutritio totius corporis, & cujuſvis partis & vires corporales reſtaurantur. Hinc Tertullianus. *Somnus eſt recreator corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, medicus malorum, cui legitimè fruendo dies cedit, nox legem facit, auferens verum etiam colorem.* *Lib. de anima c. 43*

Et quod ſomnus habet hos effectus, clarè videmus in exceſſivis vigiliis, quas ob nimia damna tam arctè damnant medici: nam per nimias vigilias conſumantur ſpiritus, generantur cruditates in corpore, vires enervantur, operationes tam vitales, quàm animales reduntur languidæ & infirmæ, imò ſæpè contrahuntur deliria, ſtultitiæ & mors ipſa. Hinc concludunt Philoſophi & medici, animal ſine ſomno non poſſe vivere, ſimul tamen volunt ſomno debere interponi vigilias, cum ſomnus nimius, animali nimis noxius ſit. *Hippocrat. li. 3. aphor. 3. Salon.*

His non obſtantibus Averoes inter Arabes celeberrimus vult, in animali repetiri quandam virtutem ac facultatem rectricem, cui anima commiſit regimen & gubernationem totius corporis, & hæc facultas rectrix velut bona & vigilans materfamilias juxtà Averroem ſemper vigilat, nec unquàm quieſcit, & hæc habet duas ancillas, quarum una vocatur facultas expultrix, altera facultas attrahens.

Hæc ex ordinatione Dominæ, evocat ſpiritus vitales ex officinis ſenſuum externorum ad cerebrum, ut hoc reſtaurent, & recreent, & tunc inducitur ſomnus. Et hinc infert Averroes,

animal non poſſe conſervari in vita inſomne, ſed facultatem rectricem corporis ſemper vigilare, veluti illam, ad quam ſpectat ſollicitudo & cura totius animalis.

Applicatio.

V. Nunc ad Laurentium. *Diu noctuque æſtu, &c.* Deo vigilantiſſimus fuit Beatus Laurentius Juſtinianus Patriarcha Eccleſiæ Venetæ. Leo, quia filius hujus ſereniſſimæ Reipublicæ, quæ honorat leonem veluti patrem, agnoſcit eum veluti protectorem, eumque geſtat pro inſigni & pro trophæo, cum ſemper fuit vigilantiſſima in gubernatione ſui ſtatus & ſubditorum. Hinc poſſumus dicere, Laurentium veluti filium hujus reipublicæ vigilantiſſimæ, inſtar catuli leonis fuiſſe etiam vigilantiſſimum. Leo, quia ſicut hic fuit ſymbolum vigilantiæ, ſic Laurentius fuit typus & idea vigilantum Paſtorum. Leo cui propter ſummam & indicibilem vigiliam dedit Pontifex Eugenius cuſtodiendam Eccleſiam patriarchalem Venetam. Leo, cujus vigilantia certavit cum ſole; quia ſicut hic diu noctuque inceſſanter gyratur per cœlum illuminando terram, ſic Laurentius diu noctuque infatigabilem ſe demonſtravit noctu per orationes, ſingultus, lachrymas, diu per exhortationes, admonitiones, prædicationes, adminiſtrationes ſacramentorum, & alia paſtoralia exercitia, ad hoc ſolùm, ut illuſtraret, calefaceret, fœcundaret, foveret, inſtar ſolis terram ſuæ Eccleſiæ, & populorum ſibi commiſſorum. Leo, qui habuit ſemper oculos apertos, & aliis dormientibus ſemper vigilavit, prout de ſe refert Alexander Magnus teſte Ammiano *Vigilare pluſquam vos certò ſcio, ut ipſi quietos ſomnos capere poſſitis.* Leo, qui ſomnum fugârat à ſuis oculis, quia poſitus cuſtos Eccleſiæ, quæ potuit de eo dicere illud. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael.*

lib. 8. de ejus geſtis.

Pſal. 120.

Nec mihi objiciatis, Laurentium non victurum fuiſſe ſine ſomno, hoc inquam non dicatis; nam vigilantia hujus magni Patriarchæ fuit compatibilis cum ſomno corporis, neceſſariò ad ſuſtentationem naturæ: ejus ſiquidem vigilantia, demonſtravit ſollicitam curam & cuſtodiam de ſua Eccleſia, eaque fuit tam exacta, ut ſæpius ſibi ſubtraxerit ſomnum corporalem, & vigilârit diebus ac noctibus integris, maximè quando ſic neceſſitas exigebat, prout ſemel contigit pro bono illius religioſi, quem Dæmon lupus rapax voluit gregi ſuorum religioſorum ſubtrahere: nam Laurentius. *Nocte una in orationibus & lachrymis abſumptâ, ſic diabolum fugavit, ut nunquam deinceps eum ſit auſus impugnare.* Tanta fuit ejus vigilântia, quod eſto oculi corporis ad ſuſtentationem naturæ exigerent claudi; ſpirituales tamen ſemper fuerunt vigilantes & apetti. Hinc dicere poterat. *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Cant. 5.

Sed quid miri vigilantiſſime Laurenti, quod oſtenderis te adeò vigilantem, ſi ab anima mundi CHRISTO benedicto, & ſummo Pontifice Eugenio ejus Vicario, fueris deputatus, tanquàm facultas rectrix ad cuſtodiam, gubernationem corporis Eccleſiæ Venetæ? Quod ſi facultas rectrix noſtrorum Corporum nunquam dormit, ſed continuò vigilat, cur non dicemus idem de te Vigilantiſſime Laurenti, facultate rectrice hujus corporis ſpiritualis? Quod ſi Patriarcha Jacob, ut cuſtodiret pecora Laban, fugavit ſomnum à ſuis oculis, cur non dicemus, quod tu fueris vigilantior Jacob, utpote cui tanquam facultati rectrici fuit commiſſa cuſtodia gregis rationalis & ſpiritualis populi Veneti tam grati Deo, & à toto orbe æſtimati? Dic ergò cum Jacob: *Diu noctuque æſtu, &c.* quia velut leo vigilantiſſimus, & facultas rectrix hoc meritiſſime dicere potes Glorioſiſſime Laurenti, Vigilantiſſime Prælate, qui diu noctuque vigilaſti non converſando & tractando cum amicis, non vacando luſibus, non agendo cum mercatoribus, non calculando & numerando reditus Eccleſiæ, pendendo otioſè tempus cum familiaribus, Deumque offendendo, ſed erudiendo populum, ejus neceſſitates Deo commendando, rogando cum lachrymis perdonationem offenſarum & peccatorum tui gregis, flagitando & ſupplicando Deum quatenus ſe illuminare vellet, ut perfectè cognoſceret ſuum debitum, ut ſe corroboraret, ut munus paſtorale infatigabiliter portaret, ſe nutriret gratiâ ſuâ, ſe inflammaret amore divino & charitate verſus ſubditos. Hæc erant exercitia

non ſolùm diurna, ſed & ſingulariter nocturna in quibus continuò vigilaſti, & hinc non eſt mirum, *ſi fugiebat ſomnus ab oculis tuis*: ſciebas quippe certò, à tua vigilantia dependere bonum tuorum ſubditorum, ſicut è contra à ſomno malum.

Locus ſcripturæ.

V. Poſtquàm intraſſet arcam Patriarcha Noe tempore diluvii cum ſua uxore, filiiſque Sem, Cham, & Japhet, eorumque uxoribus, non legimus, quod toto tempore quo in ea morati ſunt, centum ſcilicet & quinquaginta diebus, aliqua ſuſcitata fuerit rixa, ſed potiùs omnia pacificè fuiſſe geſta abſque ulla offenſa: Verùm finito diluvio, iiſque ex arca egreſſis, non multò poſt, Cham unus ex filiis Noe graviſſimum ſcelus irreverentiæ ergà ſuum ſenem patrem patravit; nam videndo illum nudum, eum irriſit, & nuditatem fratribus propalavit. *Cum vidiſſet Cham verenda patris ſui eſſe nudata, nunciavit duobus fratribus ſuis*: peccatum graviſſimum, ut videmus ex ſupplicio ei inflicto. *Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.*

Gen. 9.

Subintrat hic S.P. Ambroſius & ponderans hoc factum, quærit, cur Cham, quamdiu fuit in arca, non legitur peccaſſe, egreſſus verò ſtatim tam graviter deliquerit? Ad minus fuit per quinque menſes in arca Noe cum ſuis, nec tamen ullus eorum peccavit: Attamen mox ut egreſſi ſunt ex arca, non obſtante, quod ſenex pater Deo ſacrificârit, ob quod veriſimile eſſe deberet omnes ſanctificatos, maximè cum teſte textu, Deus Noe ejuſque filiis benedixerit, Cham tam graviter peccat? Unde hoc inquit Ambroſius?

Lib. de arca.

Reſpondet mirè ſanctus. *Nec repugnat quia poſtea filius offendit. Dormiebat juſtus cum erraret filius.* Quàm bene *dormiebat*, &c. Filius tam graviter deliquit patre dormiente: quamdiu ſanctus Senex vigilabat & ſollicitè intendebat filiis, omnia bene ibant. Sed quando bonus ſenex ſopori ſe dedit, en omnia turbantur, filius irridet patrem, & reverentiâ ac reſpectu erga patrem depoſito, eum denudat, & nuditatem fratribus propalat, ex quo omnis ejus poſteritas maledictionem incurrit. *Dormiebat juſtus.* Si itaque ex levi ſomno Noemi ortum duxit ſcelus filii, quamvis paulò ante à Deo benedicti: quæ mala, quæ ruinæ, quæ præcipitia, quæ diſordinationes non debeant expectari à negligentia, ſocordia prælatorum circa filios, ſubditos & oves ſibi commiſſas? ſi exiguus ſomnus ex neceſſitate captus adeò fuit nocivus, ut ob ipſum filius cum omnibus poſteris maledictione involutus fuerit, quæ damna & maledictiones non incurrent ſubditi, ſi eorum Prælati ſomnolenti, negligentes & ſomno dediti ſint, non dico neceſſario, ſed ſuperfluo perveniente ex nimio eſu & potu, ſomno culpabiliſſimæ negligentiæ & deplorandæ ſocordiæ? Somnus per quem non ſolus ſubditus, ſed præcipuè ipſe Prælatus, non unâ, ſed centum & mille maledictionibus involvitur? ut has non ſolùm in ſubditis, ſed & in ſe evitaret Beatus Laurentius, non ſolùm fugit ſomnum cauſatum ex lautis conviviis & intemperantia, quia *vulgari cibo ſemper uſus eſt*, ſed & diligentiſſimè vitavit ſomnum naturæ neceſſarium, ad hoc enim ſe obligatum putabat, cum deberet reliquis eſſe ſanctior & juſtior.

VII. Patres Theologi revera crederem deficere Theologiam, ſi cuidam curioſitati meæ valde aptæ ad hoc propoſitum non ſatisfaceret. Scire vellem, An Adamo, ſi cum ſuis poſteris manſiſſet in ſtatu innocentiæ, fuiſſet neceſſarius ſomnus. Theolog.

Nonnulli Theologi quorum meminit D. Thomas, cenſuerunt Adamum, ſi manſiſſet in illo ſtatu non fuiſſe dormiturum, probant: Cur creditis à natura inductum ſomnum? revera ob nihil aliud, quàm ob quietem animalis & reſtaurationem virium, ut dicit Philoſophus. Nunc ſic: In ſtatu innocentiæ homo ex nullis quantumvis magnis laboribus & itineribus fuiſſet fatigatus, nec ejus vires & ſpiritus, vel in minimo debilitati fuiſſent, ſic ut nullâ egerit reſtauratione, cur ergò indiguiſſet ſomno? *2. Sentent. diſt. 19. Q. 1. art. 2.* *De ſomno & vigilia cap. 2.*

Nec valet dicere, inquiunt hi Theologi, Deum ut reſtatur Geneſis, dum vellet ex ejus coſta creare Evam, immiſiſſe ſoporem Adamo: Nam juxtà D. Auguſtinum non fuit ſomnus, ſed raptus & ecſtaſis, in qua Deus Adamo revelavit incarnationem verbi. *Gen. 2. ſup. Gen. cap. 13.*

Hoc non obſtante Angelicus Doctor loco citato & alibi, & Tertullianus abſolutè docet, Adamum in ſtatu innocentiæ dormiturum, *1. part. Q. 49. a. 4. & Q. 93. a. 8.*

& Q. 97. a. 2. lib. de anima c. 43.

non quod eſſet laſſus & indiſpoſitus, hoc enim non poteſt dici: cùm enim eſſet impaſſibilis, erat incapax laſſitudinis & indiſpoſitionis, ſed ut ex hoc ſomno cauſaretur puriſſima & ſuaviſſima evaporatio alimenti, cum ſomnus ſit quædam paſſio connaturalis, ſummè conducens ad perfectionem animalis. Veriſſimum quidem eſt pro ſtatu naturæ lapſæ, ſomnum eſſe neceſſarium ad reſtaurandas vires debilitatas per laborem & vigilias, ſed in ſtatu innocentiæ fuiſſet confortativum ſuave, & delectatio jucunda naturæ. Non fuiſſet tunc congeries vaporum aſcendentium ex ſtomacho, qui aggravando caput, cauſant ſoporem gravem & moleſtum, ſed fuiſſet moderata copia halituum evaporatorum à cibo, qui induxiſſent quietem ſuaviſſimam, quæ ſuaviter allexiſſet naturam ad ceſſandum à functionibus ſenſuum, externorum. Ex his concludit Angelicus Adamum, ejuſque filios in ſtatu innocentiæ dormituros.

Applicatio.

VIII. Nunc ad Beatum Laurentium. *Cum vidiſſet Cham, &c.* Tantâ perfectione fuit dotatus Patriarcha Laurentius Juſtinianus, ut meritò poſſimus dicere, quod ſuâ virtute, ſanctitate, innocentiâ, perfectione fuerit æqualis Adamo in ſtatu innocentiæ. Omitto hic catalogum & ſeriem perfectionum ei à Deo communicatarum in tanta copia, ut earum videretur idea & quinta eſſentia. Omitto eum adeò fuiſſe inflammatum amore Dei, ut aſperrimâ hyeme hâc in parte quaſi reſtitutus ſtatui innocentiæ, in quo Adamus nullum paſſus eſſet frigus, nullum frigus ſenſerit. Hinc ipſi quandoque fuit dictum. *O fili magnus calor eſt, quo intus ardes, ſi frigora iſta non ſentis?* Tranſeo inſenſibilitatem proventem ab ejus indicibilibus afflictionibus corporalibus, quando medici collum ejus crinibus equinis pertranſierunt, & ferrum candens aptarunt illud incidendo *Ad ictum ferri ſtetit penitùs immotus.* Imò medico trepidante & timente eum lædere, dixit: *Incide audaciter, neque enim novacula tua laminas martyrum ſuperabit.* Videbatur quaſi alter Adam accepiſſe dominium ſuper creaturas, ne ab iis læderetur, & dotatus impaſſibilitate Adami. Hinc non recenſebo ejus fortitudinem, & immobilitatem animi, in ſuſtinendis impoſturis, incendiis, quæ omnia ejus conſumpſerunt, & quod vir proſapiæ illuſtriſſimæ mendicaret panem per urbem, adeſſetque morti matris ſibi amantiſſimæ, cum tanta conſtantia, quod *morientem videre potuit ſine lachrymis & plorantibus aliis, ipſe ſuis oculis perſolvit officium.* Fuit præditus tantâ conſtantiâ, ut quaſi in altero Adamo. *Nullum veſtigium metus, cupiditatis, doloris, voluptatis in ipſo eſſet, ſed eundem ſemper ſe demonſtravit.* Hæc omnia, & alias innumeras prærogativas, quibus videbatur æqualis Adamo in ſtatu innocentiæ omitto, & pergo ad ejus vigilantiam perfectiſſimam, in qua mihi ſuprà fidem videtur exceſſiſſe.

Vigilantiſſimus fuit B. Laurentius, ita ut in veritate poſſimus dicere, eum nunquam dormiviſſe, vel quieviſſe, ſed continuò vigilaſſe; Si etenim Adamus in ſtatu innocentiæ non dormiſſet, ſed continuò vigilaſſet, cum fuiſſet infatigabilis, & laboraſſet, ambulaſſet, & omnia alia peregiſſet ſine diſpendio aliquo ſpirituum & virium; ſic etiam B. Laurentius toto tempore ſuæ vitæ, & ſpecialiter in curâ paſtorali ſine aliquo detrimento virium ſe infatigabilem demonſtravit. Nonne verum eſt, quod in ſua religione, quæ inviolabiliter ſub mediam noctem ad laudes divinas in matutino decantandas ſurgebat primus, ſemper & ultimus in choro fuerit? Dicat id author ejus vitæ, quamvis parcè loquatur. *Vigilias à Patribus inſtitutas ita ſervavit, ut ad matutinum primus veniret, & ultimus diſcederet.* Addit, *Cum omnium monachorum mos ſit poſt matutinum ad ſomnum redire, donec ſol illuceſcat, Laurentius per omnem vitam nunquam de Eccleſia diſceſſit, donec ad primam fratres convenirent.* Bernard. Iuſtinian.

Sed quomodò mi dulciſſime Domine, potero exprimere vigilias hujus innocentiſſimi Adami? Forſan neſcitis, quod integras noctes tranſmiſerit in continuis colloquiis, orationibus, conſolationibus indicibilibus, ſuavitatibus, guſtibus, raptibus, abſtractionibus, quæ totaliter eum à ſe abſtrahebant, ita ut ipſe poſſis teſtari; quod quaſi redditus ſtatui innocentiæ vixerit in continua vigilia ſine ullo ſomno, & quie-

& quiete? Quod ſi nos tanquam parum capaces ſui ſtatus dixerimus, eum aliquid ſomni, & quietis cepiſſe pro conſervatione naturæ, nonne verum eſt non fuiſſe ſomnum illum cauſatum a ſtomacho repleto, & aggravante caput (fuit ſiquidem abſtinentiſſimus) ſed potius fuiſſe quietem dulciſſimam, & ſuaviſſimam, quæ vivans corpus ſuis operationibus, mentem totam rapiebat, & in te abſorbebat? Et hoc eo confidentius debemus aſſerere, quo melius ſciebat, quam eſſet neceſſaria continua vigilantia pro bono ſubditorum, & filiorum, qui ipſo dormiente potuiſſent incurrere aliquod periculum animarum ſicut contigit filiis Noe. Hanc vigilantiam paſtoralem apertè demonſtrat ejus anguſtus lectus ultra quinque pedes non longus, ejus aſperitas, ſolitudo in cella, ad quam ſe conferebat; ut *Liberius vacaret lachrimis, & orationi.*

Sed an forſan ſit mirum, quod redditus ſtatui innocentiæ inſtar alterius Adami non egerit ſomno, ſed continuo vigilarit, ſi ſuis inſatigabilibus vigiliis æmulator fuerit angelorum, ipſius Dei.

Scriptura Luc. 6.

IX. Salvator noſter ſanarat manum aridam ipſius infirmi, & hoc miraculo patrato montem ſubiit, in quo ſequeſtratus orationi ſe dedit, in qua tota nocte perſeveravit. *Factum eſt autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Die illuceſcente cum ſuis diſcipulis deſcendit de monte, & ad homines ſe contulit, eiſque prædicavit octo beatitudines, docendo viam ad conſecutionem regni cœleſtis. O Salvator mundi, & quomodo tam parvi facis tuam ſanitatem, & commodorum neceſſariorum ad ſuſtentationem tuæ vitæ? Nonne ſomnus eſt neceſſarius corpori? Cur ergo noctu vacas orationi? Unicam horam ſaltem quietis indulge corpori, & permittam ut reliquam noctem impendas orationi; Verum nulla fit mentio ſomni, imò eum excludit Evangeliſta his verbis *pernoctans in oratione Dei.* Forſan dices negotium ſalutis mundi urſiſſe, ut tanto fervore rogares patrem æternum? Si hoc dixeris, dicam cum Ambroſio te aliter potuiſſe nos patri reconciliare, imò utrumque potuit facere, ſimul orare ſcilicet, & ſimul neceſſarium capere ſomnum, ſi non tota nocte, ſaltem aliquot horis, vel mane ſequenti. Attamen tu tota nocte vis orare, & ſole oriente ſtatim deſcendis de monte, & pro beneficio populi iterum te impendis labori. Sed cur ad minus unam horam non capis pro tua quiete?

Divinè S. P. Ambroſius *Non ideo pernoctavit, quaſi qui patrem aliter nobis reconciliare non poſſet; ſed ut qualis advocatus eſſe debeat demonſtraret, qualis ſacerdos, ut non ſolum diebus, ſed etiam noctibus pro grege Chriſti debeat precator aſſiſtere.* O quam bene! Chriſtus erat typus, & idea omnium paſtorum, & prælatorum eccleſiæ, & ideo voluit iis ſignificare quantâ ſollicitudine, & vigilantiâ debeant intendere gregi, & pecoribus tibi commiſſis, qua ſcilicet diu noctuque debeant vigilare, & totis viribus curare, ut proprium intereſſe, imo omnia commoda, & ipſum me ſomnum adeo neceſſarium poſt ponant, ne ipſis dormientibus pecora aliquod damnum patiantur. Hinc de die debent incumbere vitæ activæ, ſubditos docendo, corrigendo &c. pro ut neceſſarium fuerit, de nocte vero debent ſe dare orationibus, precibus, lachrimis. Deum placando ob peccata ſubditorum. Et ut prælati à Chriſto diſcerent hanc ſollicitudinem & vigilantiam, ideo totâ nocte voluit orare, eſto alio tempore id etiam poſſet. *Non ideo pernoctavit &c.* Hanc doctrinam exactè ſervavit noſter B. Patriarcha, de quo ſic Bernardus Juſtinianus. *Orationis, & contemplationis gratiâ eum nemo ſuperavit, quia in alio non delectabatur, quam in continuis vigiliis, orationibus, contemplationibus, colloquiis divinis, his vacabat ut Deum pro populo placaret.* Serm. 26. in Pſ. 118.

In ejus vita.

X. Inquirant Philoſophi an intelligentiæ motrices cœlorum quibus præſunt, egeant ſomno, & reſtauratione virium, cum debeant machinas tam grandes, & vaſtas inceſſanter movere, ex qua actione videtur eas debere fatigari, adeoque indigere quiete, ut virtus motiva reſtauretur. Scio plures Philoſophos negare quod fatigentur, aut egeant quiete, cum ſint ſpirituales, nam *laſſitudo quæ nihil aliud eſt, quam deficientia virtutis moventis, provenit ex reſolutione membrorum,* & ſpirituum, quorum miniſterio exercetur motus.

Philoſophia.

Sed hæc reſponſio non mihi plene ſatisfacit, quia ratio Philoſophi, quâ probat Deum primum motorem non quieſcere, nec fatigari, non convincit præcisè ex eo quod ſit incorporeus, ſed etiam quod habeat virtutem infinitam,

tam, cum autem intelligentiæ sint finitæ, quo modo poterunt perpetuo movere cælum absque eo quod quiescant, & fatigentur?

De spiritual. creaturis. a. 6.

Angelicus Thomas divinè respondet; quod esto intelligentiæ inferiores secundum se & respectu primi motoris sint finitæ, & habeant virtutem infinitam, tamen respectu rerum inferiorum sunt infinitæ, & dotatæ virtute infinitâ, eo modo quo virtus solis in se finita, respectu inferiorum, quæ producit, est infinita, ita ut si in infinitum possent produci, Sol infinite illas produceret. Similiter intelligentiæ cœlestes respectu motus Cœlorum sunt infinitæ, quamvis in se sint finitæ, nam si per totam æternitatem deberent movere suos cœlos, uti volunt Philosophi, tunc absque fatigatione, & quiete æternaliter illos moverent. Et hoc modo intelligentiæ æmulantur virtutem infinitam primi motoris, qui tam diu movent *ut amatum*, & *ut finis*, quam diu illæ movet cœlos incessanter absque quiete, & fatigatione.

Applicatio.

XI. Nunc ad B. Laurentium. *Et erat pernoctans;* & Primus motor hujus magni Systematis spiritualis est benedictus Christus, *Christus est caput corporis ecclesiæ.* Primus motor, & prima intelligentia, à qua dependent aliæ inferiores prælatorum, & superiorum singulariter ecclesiasticorum. Primus motor, qui omnibus illis communicat, & instillat suam virtutem & vigorem, & sine eo nil possent facere pro bono populorum, & fidelium. *Sine me nihil potestis facere.* Primus motor tam indefessus, ut nunquam fatigetur, tam vigilans, ut nunquam dormiat, vel quiescat; quia, quâ Deus, est virtutis in finitæ. Intelligentia inferior hoc primo motore fuit B. Laurentius Justinianus à Deo præfectus huic cœlo ecclesiæ patriarchalis Venetæ. Intelligentia, quæ à primo motore recipiebat auxilium virtutem, & vigorem. Hinc dicebat, *Auxilium meum à Domino.* Intelligentia assistens, quæ intellectu, voluntate, virtute motivâ regebat suos subditos; Intellectu, dum ductus suâ summâ sapientiâ, attente cogitabat, & profundissimè penetrabat facienda, & quomodo providere posset subditis; nam sciebat prælatum per ignorantiam peccantem negligentiæ argui. Hinc Laurentius fuit valde doctus intelligens, & sapiens, & optimè magis à Deo, quam hominibus eruditus in sacris literis, quarum cognitio valde necessaria est prælato spirituali. Hinc dicitur habuisse scientiam potius divinitus infusam, quam humanitus acquisitam. Regebat suos subditos voluntate, eos amando, ac si quilibet esset ejus filius, ex ejus lumbis decisus; hinc summe dolebat, si videret aliquem mori spiritualiter, summè vero gaudebat de eorum profectu spirituali. Regebat suam ecclesiam virtute motivâ semper vigilante, succurrendo egenis, roborando debiles, sanando infirmos, sublevando lapsos, humiliando superbos. Verbo, diu noctuque erat in continuo exercitio virtuosarum operationum pro bono cœli sibi commissi. Summa infatigabilitate, & vigilantia exequebatur doctrinam Apostoli. *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple.* Intelligentia cœlestis, quia affectibus sequestrat à mundo, erat totus spiritualis, hinc corpore degente in terra, spiritus versabatur in cœlo.

Ephes. 5.

Ioannis 15.

2. Ad Timoth. 4.

Hinc Bernardus Justinianus considerans miram regulam, mensuram, & prudentiam, qua regebat hoc mirabile systema suæ ecclesiæ dixit: *Tanta erat verborum, actionumque mensura, ut vix ego motus cœlorum, & revolutiones, & gyros agi majori ordine, atque mensurâ crediderim.*

O Glorioſissime Patriarcha, ô cœlestis intelligentia, O Sanctissime Laurenti, & unde fit, quod tu præfectus ecclesiæ eam numerosæ & semper die, noctuque pro illius bono occupatus, attamen per integros viginti tres annos, quibus illius fuisti assistens, nunquam ostenderis te fatigatum, nunquam nec per unam horam ceperis somnum, aut pauxillum quietis, quinimò semper dormiendo vigilaveris pro bono tuorum subditorum? Valde bene video, quod fueris ornatus virtute angelicâ vigilantissimâ, & indefessâ, quæ quamvis respectu Christi fuerit finita, nihilominus in ordine ad tuos subditos habuit aliquid infiniti; nam si infinitos habuisses subditos, tua virtus, tuæ influentiæ, tuum regimen infinities se extendisset, & diffudisset pro bono illorum; Fuisti siquidem intelligentia assistens à motore primi ecclesiæ, destinatus ad regimen hujus mystici cœli, & ideo omni modo studuisti talem te exhibere tuis subditis, qualem se ille exhibuit ecclesiæ, cujus erat; Et sicut Christus primus motor cum esset virtutis infinitæ, nunquam fatigabatur, nunquam quiescebat, sed potius conti-

continuò vigilabat pro bono subditorum. *Et erat pernoctans &c.* Sic tu velut intelligentia assistens tuæ Ecclesiæ patriarchali, nunquàm fuisti fatigatus, nunquam cepisti quietem, ac si factus esses æmulator Christi primi mobilis, & dotatus infimitâ virtute, supernâ intelligentiâ, gloriosissime Laurenti.

Sed quid dico, quod te re ipsâ demonstraveris intelligentiam cœlestem in sollicitudine tuæ Ecclesiæ, si inveniam te ita fuisse vigilantem & solicitum, ut in hoc puncto certaveris cum ipso Deo, à quo verum modum regendi tua pecora didicisti, optimè sciens à tua vigilanti solicitudine omne eorum bonum dependere, sicut è contra omne eorum damnum tuæ negligentiæ attribuendum fore.

Locus scripturæ. *Matth.* 8.

XII. Postquàm noster Salvator naviculam intrasset Petri, transfretaturus ad partes Gerasenorum, referunt S. Matthæus, Marcus, Lucas statim adeò sævam in mari exortam esse tempestatem, ut navicula cum toto collegio apostolico in periculo submersionis fuerit, quod Matthæus his insolitis verbis describit: *Et ecce ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus, & ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* Ita ut omnes Apostoli & ipsemet Petrus, quamvis expertus nauta, desperârit de salute, & fluctibus mergi timuerit. Hunc casum (NN.) supra modum admiror; Quomodò quæso navis, in qua erat Christus & Apostoli, poterat tam manifesto objici periculo? Petrus erat peritissimus & expertissimus nauta, sicut & reliqui Apostoli, quomodò ergò verentur submergi? Habebant secum suum magistrum, cujus gratia navem solverant, & mari se commiserunt transjecturi, quomodò ergò tam anxii sunt, ut Christus eos corripere debeat. *Quid timidi estis modicæ fidei?* Unde in his Apostolis tantus timor? Forsan dicetis à periculo in quo versabantur? Insto ego, quomodò poterant timere in tali periculo, cum haberent apud se Christum, cujus gratia mari se commiserant, quique eos poterat statim juvare?

An forte Petrus desperavit de potentia sui magistri, à quo tamen paulò ante viderat sanari servum Centurionis, suam socrum, & tot infirmos ac obsessos curari? An forsan credebat Christum non posse eos eripere ex tali periculo? Nequaquam; cur ergò ita timet, quasi crederet Christum esse inconsideratum, & minus solicitum de salute collegii apostolici sibi amantissimi, ejusque ocelli.

Valde bene S. Hilarius: *Ecclesiæ, intra quas verbum Dei non evigilaverit, naufragæ sunt.* Neputetis Petrum parvam habuisse fiduciam in suo magistro, nec dubitasse de ejus potentia, virtute, vel amore erga discipulos, imò sciebat bene, quod facili negotio tranquillare poterat mare, uti ostenderat sæpè in curatione infirmorum & liberatione obsessorum, sed fluctuabat, quia Christus dormiebat. *Ipse vero dormiebat.* Apprimè sciebat Petrus, capite superiore prælato quantumvis sancto, docto, virtuoso, & potente dormiente, nec gregi invigilante, subditos grave incursuros periculum submersionis ob tempestates inductas à dœmonibus, ut mergant ecclesiam Dei. Imo Christus Pastor primus, & universalis, volens docere quam necessaria sit vigilantia ad bonum regimen, & salutem subditorum, permittere voluit naviculam Petri se dormiente tam sævis fluctibus agitari. *Et ecce motus &c. Nam Ecclesiæ intra quas &c.* Si itaque collegium apostolicum Christo fatigato pauxillum quiescente in prora naviculæ tantum subeat periculum, quale non subibunt illi subditi, quorum prælatus est negligens, deses, proprio inhians lucro, & qui nil curat bonum sui gregis? Hoc sciens noster Laurentius, omnibus viribus sese impendit bono subditorum, pro illis (cura pastorali sic exigente) seponebat proprium interesse, imo & illa negligebat, quæ necessaria erant sustentandæ naturæ, ita ut sibi somnum subtraheret, ne ipso dormiente gregi aliquod damnum obveniret, optimè sciebat illud Homeri

Non licet integram noctem dormire regentem,
Imperio populos, & agentem pectore curas. *Lib. 2. Illiadum.*

Litteræ Humaniores.

XIII. Antiqui Ægyptii eò sapientiores, quò magis mysterioſi, eo eloquentiores, & facundiores, quo verborū parciores, & abundātiores picturis, & statuis, quæ muto silentio, profūdius manifestabant eorū recōdita arcana, quā Tullii, & Demosthenes eloquentiæ suæ fluviis, volentes significare curā, & regimē solis in hæc inferiora, & providentiam universalem, quam habet Jupiter omnium Deorum supremus, de mundo, sicut & sollicitam vigilantiam qua princeps, vel Rex debet invigilare subditis, depingebant

pingebant ſceptrum, & in cujus ſummitate cernebatur oculus valde grandis, & apertus; Perinde ac dicere voluiſſent, tam diu omnia ſublunaribus proſpera, & felicia futura, quamdiu oculus ille vigilans fuerit ſuper mundum, quod ſi oculus ille forſan clauderetur, certo credebant omnia turbanda.

Simili formâ depingebant Jovem cum tribus oculis in capite, veſte ornatâ ſtellis, duos glebas, unum aureum, alterum argenteum geſtantem in dextra, lyram in ſiniſtra, & tridentem ſub ejus pedibus: ſignificare volebant ut vult Puſanias, per veſtem ſtellis cinctam, cœlos, per Lyram Harmoniam, & motum eorum regulatum, per duos globos terram, & interiora ejus viſcera, per tridentem mare, per oculos ſcintillantes ejus vigilantiſſimum regimen, quo mare, cœlum, terram gubernabat, & ab hac vigilantia dependebat conſervatio univerſi. Et tanti æſtimarunt Jovem cum iſtis tribus oculis apertis, ut ex hoc inferrent omne eorum bonum, ſicut econtra ex eorum occluſione omne malum.

Lib. 14. Hieroglyp. Hinc Pierius Valerianus affirmat, antiquos Ægyptios formaſſe Baſiliſcum habentem caput Niſi, ſeu falconis oculis taliter diſpoſitis, ut poſſent claudi, & aperiri cum lemmate *Oculi Divum*. Verum dum ſacerdotes proferrent hoc ſimulachrum, totus populus accurrebat, illud adoraturus, ſed ante omnia diligenter attendebant oculos, qui ſi eſſent aperti, tunc totus populus lætitiâ, & hilaritate perfundebatur & univerſale bonum, ac beneficiũ cœli ſibi ſpondebant; quod ſi eum extuliſſent clauſis oculis, tunc omnia mœrore, luctuque confundebantur, & exiſtimabant Deos averſos, & iratos porro id ſibi ex eo perſuadebant; Cum enim ab oculis apertis dependeat directio, & motus totius corporis, & ex oculis clauſis ſequantur pericula, & præcipitia, ſic ex oculis clauſis Jovis prædicebant omnia ſiniſtra, ex apertis vera omnia proſpera.

Applicatio XIV. Nunc ad Laurentium: *Eſt ecce motus, &c.* Princeps valde pompoſus, ſol valde reſplẽdens Jupiter valde beneficus fuit B. Laurent. Princeps per poteſtatem eccleſiaſticam, ſol per claritatem ſuæ ſapientiæ, Jupiter communicatione gratiarum. Verum princeps, ſol, & Jupiter per vigilantiam, ſolicitudinem erga ſubditos. Princeps, quia Patricius Venetus ex nobiliſſima familia Juſtinianorum. Sol, quia protopatriarcha inclytæ, & Sereniſſimæ ſemper urbis Venetæ. Jupiter, quia omnibus beneficus. Sed princeps, Sol, & Jupiter, quia ſemper vigilantiſſimus in cura paſtorali. Princeps, quia regebat ſuos ſubditos velut pater amore. Sol, quia illos illuſtrabat radiis virtutum. Jupiter, quia nutriebat eos ſuis facultatibus. Princeps, quia ducebat eos prælucendo bono exemplo, Sol quia ſuâ luce monſtrabat eis veram ſemitam virtutum; Jupiter, quia promittebat præmium vitæ æternæ. Sed princeps, Sol, & Jupiter, quia manibus geſtabat ſceptrum occultum ſignificans perfectiſſimam vigilantiam, qua pro bono omnium vigilabat. Sceptrum oculatum viſum à Jeremia *Virgam vigilantem ego video*, ſymbolum vigilantiæ illius ſuperni paſtoris, principis, ſolis, & Jovis Chriſti. *Quia ego vigilabo ſuper verbo meo ut faciam illud.* Habebat ergo velut princeps, Sol, Jupiter tres oculos velut ille, qui invigilabat tribus ſtatibus fidelium. Vigilabat ſuper cœlos puriſſimos ſanctimonialium, quæ in tanta copia ſtellis virtutum ornant hanc eccleſiam Patriarchalem, & nobiliſſimam urbem, & influxibus interceſſionum valde proſunt huic piiſſimo, & ſapientiſſimo ſenatui, populoque ſubjecto. Sic edoctæ ſunt ab oculo vigilantiſſimo Jovis Laurentii. *Pari cura proſequebatur monaſteria præcipuè ſacrarum virginum, quibus nihil deeſſe pateretur, vel ad corporis neceſſitates, vel ad regulares etiam diſciplinas.* Vigilabat ſuper terram firmam, & ſtabilem cleri, qui illuminatus à dicto oculo, fœcunditate doctrinam parit tot animas Deo, ſolicitudine confeſſionum extirpat vitia, & virtutes in animabus fidelium plantat. *Mores cleri caſtigare eodctus, deque iis edidit pulcherrimas conſtitutiones.* Vigilavit tandem ſuper mare ſubditorum, ejus fluctus ſedando, illud ditando fluviis ſanctiſſimorum Sacramentorum tam frequenter ab ipſo adminiſtratorum, illud meritis ſanctarum, & virtuoſarum operationum, & divinis gratiis decorando, illudque oculo vigilantiſſimi Jovis reſpiciendo. *Non fuit credibile quantus quotidie fieret concurſus mœſtorum, & laborantium, qui conſolari cuperent, qui juvari ope, oratione, conſilio, ad eum omnes confluerent.*

Cap. 2. Ber. Juſt. cap.

O princeps, ô Sol, ô Jupiter vigilantiſſime, ô Laurenti Sanctiſſime ſpeculum, typus, exẽplar, idea vigilantium prælatorum; & unde

factum

factum eſt, quod oculis apertis ſemper invigilaveris tuo gregi? ô paſtor ſolicitiſſimè, quis non videt te adeò fuiſſe vigilantem, ut imitareris vigilantiam illam, quam verbo & exemplo docuit ſupernus ille paſtor Chriſtus Jeſus, qui tibi populum Venetum commiſit? Quis ignorat te adeo fuiſſe ſolicitum, quia optimè ſciebas ab oculis apertis dependere omnia bona corporis & animæ, ſicut econtra ex oculis clauſis futurum, ut grex in mille præcipitia cadat, cum nil ſit nocivius ſubditis, quam ſi ſuperior negligens ſit, & habeat oculos clauſos?

Dicamus ergo, quod practicaveris doctrinam Chriſti qui dormiens permiſit navem Petri tantum ſubire periculum, & doceret prælatos continuam vigilantiam, quia *Eccleſiæ inter quas verbum Dei non invigilaverit, naufragæ ſunt.* Si tanta fuit tua vigilantia paſtoralis, ut quantum poſſes imitareris vigilantiam Chriſti, cur non dicam, quod fueris æmulator illius ſupernipaſtoris quaſi transformatus in Chriſtum, quaſi factus alter Deus vigilans per participationem.

Epilogus. XV. O cor Eccleſiæ, ô Venete Leo, ô potentia rectrix, ô innocens Adame, ô intelligentia cœleſtis, ô vigilantiſſime Laurenti, imitetur qui poteſt, admiretur qui debet perfectiſſimum exemplar tuæ vigilantiæ. Ego nullatenus dubito, quin ad eam manifeſtandam toti orbi ſis factus cor tuæ Eccleſiæ, cor quod infatigabiliter gyrabat pro bono ſubditorum, & meliori modo imitabatur indefectibilem motum ſphærarum cœleſtium. Vigilantia talis ut in nullo cederet vigilantiæ Patriarchæ Jacob dies & noctes inſomnes ducentis, ut invigilaret gregi Laban: vigilantia tanta, ut te effecerit quaſi Leonem, qui nunquam dormit, imo potentiam rectricem ſemper vigilantem pro corpore ſpirituali ſuæ Eccleſiæ.

Vigilantia tanta, ut videreris redditus ſtatui innocentiæ Adami, qui ſi quandoque dormiebat vel quieſcebat, id non fuit ſomnus, ſed raptus, vel ſimplex ceſſatio à ſenſibus exterioribus Nec miror tantam vigilantiam, quia doctus exemplo Cham ſemper voluiſti vigilare, ne ex ſomno tuo gregi damnum obveniret.

Sed quid dico, quod imitatus ſis vigilantiam Adami in ſtatu innocentiæ, ſi factus ſis æmulator vigilantiæ infatigabilis cœleſtium intelligentiarum, imo & ipſius Dei, qui volens reconciliare homines Patri, pernoctabat in oratione? æmulator fuiſti divinæ vigilantiæ, hinc inſtar cœleſtis Jovis manibus geſtaſti ſceptrum oculatum, imo tres oculos in capite ſemper apertos ad regendum cœlum ſacrarum virginũ, terram tui cleri, mare populi tibi commiſſi. Oculi ſemper aperti, quia benè ſciviſti, quod *Eccleſia intra quas &c.*

O vigilantiſſime prælate, ô glorioſiſſime Laurenti, cũ exutus hac ſarcina mortali ſpiritus tuus ſit totus immerſus Deo, & oculus perfectè purgatus intentus ſit ſpeculo divinæ eſſentiæ, & jam videas oculo vigilantiſſimo neceſſitates tui populi, cum in vita non habueris tibi parem in vigilantia; imo, cum aliud non habueris exemplar, quam Chriſtum ſummum paſtorem animarum; cum jam inquam tua vigilantia conſecuta ſit culmen ſuæ perfectionis in cœlo, è cœlo reſpice tuas oves, & Eccleſiam tibi quondam commiſſam, & videndo in ſpeculo divinæ eſſentiæ ejus egeſtates nunc, cum hoc facillime poſſis, illi ſuccurre. Quod ſi vivens pro ea ſemper Deum rogaſti, jam glorioſus illam efficacius Deo commenda ad majorem Dei gloriam, & profectum chariſſimi tui populi.

Amen.

ELOGIUM IV.

Pro Feſto Purificationis Deiparæ.

Philoſophia.

I. REipſa Philoſophia eſt quoddam theatrum, in quo nobiliſſimæ curioſitates pompoſæ comparent, quas acutiora, & ſubtiliora ingenia ſpeculati, & penetrare poſſint. Hoc mane celebertimum illud quæſitum ſe prodit an, dato caſu, quod terra diametraliter perforata eſſet ab una circumferentiæ parte ad aliam, & ex parte ſuperiori, ſeu ſummitate cæli caderet lapis verſus ſuum centrum, an iſte lapis in centro ſuo quieſceret, an verò è centro retro pelleretur verſus alteram partem circumferentiæ, & ſuperficiei terræ, aut vero verſus cœlum.

Nonnulli Philoſophi cenſuerunt petram poſtquam pertigit ad centrum, ulterius non pertecturam, addunt omnia elementa eſſe dotata tali naturalitate, ut dum ſunt extra locum ſuum naturalem, niſi violenter detineantur, & ſe ipſis ad locum naturalem pergant, & in illo quieſcant. Ideo cum centrum terræ ſit locus naturalis lapidis, ab illo non diſcederet, imo nec diſcedere poſſet, quia ille diſceſſus deberet fieri ſurſum, non deorſum, cum lapis ad centrum deſcendebat, & è centro aſcendebat, adeoq; cum lapis naturaliter è centro ſuo poſſit exire, in alio manebit. Præterea ſi ex illo abiret, neceſſario aſcenderet, atqui hoc ſuppoſito oporteret dicere duos motus, aſcenſum ſcilicet lapidis è centro, & deſcenſum ejus ad centrum eſſe unum motum continuum, quod nequit dici, cum habeant terminos contrarios totaliter, & ut docent Philoſophi ad unitatem motus requiritur unitas formæ, & termini ad quem, ideo hi Phil. aſſerunt, talem lapidem in centro quieturum; nec nullatenus moriendum.

Alii nihilſecius volunt talem lapidem continuò è centro rurſus removendum, & ad alteram partem verſus cœlum aſcenſurum eouſque, quouſq; patietur impulſus & impetus ejus deſcens^{s}, & impulſus quanto fuerit vehementior, & locus à quo deſcendit ſublimior, tanto altior erit etiam ejus aſcenſus. Nec hoc adverſatur doctrinæ Philoſophi, quod ſcilicet duo motus contrarii non poſſint eſſe continui, hoc namq; intelligi debet de duobus motibus formalibus & non materialibus & reipſa deſcenſus lapidis uſq; ad centrum foret motus continuatus cum aſcenſu reſpectu entitaris realis, & materialis ipſius motus, non autem quoad eſſe formale, cum centrum ſit termin^{s} ad quem, reſpectu deſcenſ^{s} lapidis, reſpectu verò aſcenſus ſit termin^{s} à quo. Hinc plures inferunt Phil. quod lapis v. g. qui è cœlo deſcendit, & pervadit terræ centrum in medio apertum, aſcenderet ex altera parte, & eo ſublimius, quo impulſus fuerit fortior, & locus à quo deſcendit, altior. Doctrinæ huic nullus quoad meum propoſitum contradicere poteſt.

II. Petra jure merito fuit vocata Maria, ut notavit noſter Petrus Galatinus in illa verba Zachariæ. *Et educet lapidem primarium* Lapis primarius, hoc eſt fundamentalis, ſuper quem poſt Chriſtum ejus filium: debebat ædificari Eccleſia Dei, *Lapis primarius primaria petra rectè dicitur Maria* ut ſtatim diſceremus ſuper eam tanquam ſuper lapidem fundamenti poſt Chriſtū ædificandos nos eſſe. Petra à Deo ſublimata uſque ad altiorem partem empitei cum ſit electa in matrem ipſius Dei, adeoque ornata prærogativis maximis, quæ poſſent convenire tali matri. Centro terræ & mundi comparatur virtus humilitatis. Centrū mundi, quia ſicut centrum orbis eſt locus infimus, & profundiſſimus ejus, ſic humilitas hominem deprimit, & ſubjicit omnibus aliis. Hinc quidam dixit. *Humilitas eſt centrum terræ.* Ad hoc infimum, & profundiſſimum centrū deſcendit Virgo Sanctiſſima, dum hodie purificatur in templo, ac ſi eſſet ſubjecta legi purificationis, cùm tamen virtute Spiritus S. peperiſſet verbum æternum. Et ſicut ſine aliqua libidine carnali eum conceperat, ſic ſine dolore eum etiam peperit. Ad hanc abyſſū celerrimè deſcendit Maria, ac ſi eſſet culpabilis, cum tamen fuerit innocentiſſima, ac ſi eſſet immunda, quæ fuit puriſſima, & mundiſſima.

Philoſophia.

Applica.

Pacha. 4. Galatinus.

O Virgo immaculata, ô lapis elevatus ad altiſſimam

tissimam partem cœli! quomodo fieri potuit ut suo modo abhorrens sublimitatem maximam altitudinem empirei, te contuleris ad infirmam partem terræ, centrum scilicet mundi? purificatio nimirum dedecet tuam plusquam angelicem puritatem, illa namque fœminis carnaliter cognitis tantum competit. Purificatio nimirum contaminat tuam puritatem, eum significet eam esse immundam, quæ sine nota impuritatis, & privilegio immaculatissimæ innocentiæ, & integritatis virginalis concepit, & peperit filium Dei. O lapis cœlestis, ô virgo immaculatissima! nimium te deprimis, nimium descendis, dum te templo præsentas ut purificeris. Sed non miror, quia valde bene cognosco tuum lucrum, nam certa es, quod, quo profundius descendis ad hoc centrum terræ per humilitatem, ex altera parte eo altius ascensura sis versus cœlum, ac si hic descensus humilitatis ad centrum foret motus continuatus cum ascensu tuæ sublimitatis, exaltationis. Et quamvis respectu nostrum hic descensus fuerit profundissimus, qui potuerit convenire tuæ sublimitati, tamen respectu Dei, & tui, fuit excelsissima sublimitas quam quis mente concipere possit. Imo quo profundior fuit descensus per humilitatem, tanto sublimior fuit tua exaltatio per gloriam, quam inde reportasti. Nam tua profundissima humilitas, juxta illud Christi. *Qui se humilitat exaltabitur.* pariter ascensum sibi correspondentem ad majorem gloriam, & excellentiam, hæc erit materia mei discursus.

ASSUMPTUM.

Quo humiliorem se in purificatione ostendit Maria, eò gloriosior, & sublimior comparet.

Scriptura. III. IN sacris canticis dum sponsus cœlestis laudaret venustates suæ dilectæ, & singulariter capillaturæ ejus decorem, hinc comparat gregibus caprarum, qui pascuntur & ascendunt ad montem Galad: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Quod per hanc sponsam intelligatur Virgo sacerrima nostra Domina, nullatenus dubito. Quod per ejus capillos significentur æstimationes ejus humiles, abjectæ, & viles, quas de se ipsa habebat, clarè significavit Richardus à S. Laurentio *Capilli isti sunt cogitationes humiles* Sed quæso vos observate modum loquendi cœlestis sponsi, & in illis apertissimam videbitis contradictionē. Virgo sanctissima, sponsa mea dilectissima, tui capilli sunt adeo belli tuæ cogitationes humiles, tui conceptus viles ita me recreant, ut videantur mihi esse instar gregium caprarum quæ ascenderunt montem Galaad. *Capilli tui &c.* quomodo est possibile, ut illæ capræ ascenderent de monte? est contradictio in terminis, nam ascendimus sursum, adeoq; debebat dicere. *Quæ ascenderunt ad montem, non ascenderunt de monte.* Quia sic significatur motus deorsum. Ergo si vis dicere ascenderunt, debes dicere ad montem, quod si descenderunt, debes dicere de monte. Cur ergo adhibes terminos ita oppositos, qui sese non compatiuntur, dicens. *Capilli tui &c.* Quod si per hos capillos Mariæ significentur conceptus humiles, & abjecti, quomodo potest dici, quod descenderunt, hoc enim denotatur superbia, sic enim dixit Lucifer. *In cœlum conscendam?* quomodo hic ascensus potest exprimi per particulam de monte, quo denotatur humilitas, & abjectio? imo ex hoc capite debebat dicere sponsus illos capillos esse similes capiris, quæ descenderunt, & non quæ ascenderunt de monte Galaad. Quale ergo hic latet mysterium?

cap. 4.

de lau. Virginis lib. 4.

Idem Richardus ad stuporem rem enodat. Nulla est contradictio, quod capilli Mariæ cōceptus ejus humiles, & viles se ipsis ascenderūt ex monte, quia simul ascendebant, & descendebant, adeoq; ut ascensū, & descensum simul declaret, dixit: *ascenderunt de monte* Dum enim hodie singulariter Maria se humiliat, & deprimit, purificando se (quod virginibus non conveniebat (magis honorificabatur, glorificabatur, ac honorificabatur in oculis sui sponsi Dei. Et quanto vilius fugiendo gloriam de se sentiebat, eo altius supra naturam ac conditionem à Deo exaltabatur, & sublimabatur. Divine Richardus *Bene dicitur ascenderunt, licet descenderēt, quia hujus descensus in oculis suis ante oculos domini erat quidā magnus ascensus.* Nullus enim nescit, quod juxta humilitatem, ac depressionem quâ se in purificatione depressit Virgo Domina nostra, ex altera parte apud Deum sublimata fuerit ejus excellentia, & gloria.

Ibid.

Philosophia. IV. Ingeniosissima profectò fuit inventio priscorum ad nos usque transmissa, quâ scilicet per quosdam ductus ac meatus, & canales lapideos vel plumbeos aquam duxerunt; hac inventione sæpè aquam, quæ ex natura sua petit deorsū, ducunt sursum, & ex unâ summitate montis, ad summitatem alterius. Præterea

Symbola. experiuntur, quod aqua tantum aſcendat ex una parte iſtorum canalium, quantum deſcendit ex parte altera.

Hinc quoddam ingenium academicum, ut refert Ferrus, formavit pro ſymbolo aquam, quæ deſcendendo ex colle, alium collem vicinum ſubibat cum hâc epigraphe. *Deſcendendo vel. Deſluens elever.* Valde bene. Philoſophi percupientes ſcire hujus rei rationem naturalem quærunt, quomodo aqua ex natura ſua gravis & ponderoſa, adeoque naturaliter deſcendere petens, contra ſuam inclinationem aſcendat & montes ſcandat?

Et reſpondent hi docti, quod quando aqua deſcendit per illos aquæ ductus, fluat continuò abſque interruptione aliqua ac ſi eſſet filum chordæ tenſæ. Addite, quod dum aqua deſcendit, tunc una pars illius trudit alteram, illa quæ ſequitur ſemper pellit præcedentem, & ſecunda protrudit primam, tertia ſecundam, & ita conſequenter, ita ut dum anterior aqua pervenit ad partem profundiſſimam canalis, & meatus, tunc aqua gravata & onuſta ſit omnibus illis partibus aquæ, quæ deſcendunt; & quia conſequenter ac inceſſanter aqua deſcendit, ſic & aquæ ductus impletur, & dum aqua non poteſt diffundi, neceſſe eſt ut aliqua pars aquæ cadat, porro illa cedere debet, & dare locum alteri, quæ eſt minus potens ut alteri parti reſiſtat; hæc vero eſt ultima pars quæ eſt in fundo aquæductus, cum pellatur & trudatur ab aliis, & cum non poſſit in aliam partem diffluere, cum intus ſit conſtricta, neceſſe eſt ut per alteram partem canalis, quæ tendit ad verticem montis aſcendat, & ſic conſequenter una pars ab altera ſurſum pellitur, donec illa, quæ aſcendit ſit tanta, quanta eſt illa quæ deſcendit, & tum cum ambæ partes ſint æquè fortes ac graves, non amplius aqua aſcendit. Et hæc eſt ratio naturalis, cur aqua, quamvis gravis, & ponderoſa in tanta copia aſcendat, in quanta deſcendit. Philoſophia nobiliſſima & ratio quâ nulla convenientior ab ullo docto aſſignari queat.

Applicatio. V. Nunc ad Mariam. *Capilli tui &c.* A Spiritu S. natura humana vocatur aqua. *Omnes morimur & quaſi aqua dilabimur ſuper terram.* Et ſpecialiter noſtra Virgo & Domina, in ſacris canticis vocatur fons, & puteus aquarum viventium irrigans hortum & tellurem electorum. *Fons hortorum, puteus aquarum viventium.* Hæc eſt fons, qui aſcendebat è campo naturæ humanæ ad verticem montis perfectionis. *Sed fons aſcendebat de terra.* Et à Deo fuit ſublimata ad maximam ſublimitatem, quæ convenire poſſit naturæ humanæ, fecit enim contra omnem curſum naturæ ut hæc magna Domina eſſet Virgo & mater, & quidem mater ipſius filii Dei. Celſitudo adeo ſublimis, ſublimitas adeo alta, excellentia adeo magna ut aſcenderet ad eſſe infinitum & eſſe divino appropinquaret. *Quod fœmina pareret* ſunt verba ſancti Bernardini Senenſis. *Fuit miraculum miraculorum &c.* Oportuit enim, ut ita dicam fœminam elevari ad quandam æqualitatem divinam. O quanta ſublimitas ſincomparabilis, ô altitudo inacceſſibilis fuit hic fons, & aqua Mariæ Virginis, & Matris.

Nihilo ſecius hoc non obſtante, hæc aqua, & iſte fons maximo impetu viſus eſt ex hac celſitudine, & ſublimitate currere ad profundiorem abyſſum terræ. Nam ut ab Angelo reſcivit ſe eſſe electam in matrem. *Ecce concipies in utero & paries filium, hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur.* Illa ſe proclamavit ancillam, & ſervam indignam. *Ecce ancilla Domini.* Dum Eliſabeth eam præferret cunctis fœminis. *Benedicta tu inter mulieres,* illa declaravit, quod eſſet quoddã nihil, & ſe ad imitatem maximam depreſſit. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Dum hodie exaltatur & ſublimatur à ſene Simeone, & ab hoc agnoſcitur pro Matre Dei, illa ſe deprimit, ac humiliat ſe purgando in templo, ac ſi eſſet immunda velut puerperæ aliæ, cum tamen eſſet Virgo ante partum, in partu, & poſt partum. Hinc S. P. Bernardus ad hunc nexum admirabilem ſummæ celſitudinis Virginitatis, & profundiſſimam depreſſionem humilitatis in purificatione exclamat. *Pulchra permixtio virginitatis, & humilitatis.*

Sed ô altiſſimum, ac profundiſſimum fontem aquarum viventium! an forſan concluſa fuiſti in profundo vallium tuæ humiliationis dum purificareris, & in oculis hominum te proderes, ac ſi eſſes immunda? nequaquam, quia hæc aqua non potuit concludi in profundo, ſed à Deo magis fuit exaltata; & ſublimata, quia comparuit dotata majoribus perfectionibus, virtutibus, & meritis, cum enim ſe ſubjiceret legi, Mulier ſi ſuſcepto ſemine

Cant. 4.

Gen. 4.

ſerm. 61. de B. V. art. c. 12.

Luc. 1. ibidem.

2. Reg. 4.

femine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, ipsa verò triginta diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Cui tamen non erat subdita. *Postquam impleti sunt, &c.* Major in ea virtus obedientiæ enituit. Videsne sublimitatem obedientiæ, quæ emicuit in Maria. Obedientia hæc eò magis sublimem eam fecit, quò magis illa se depressit, dum non obligata instar aliarū, quæ semine susceptō genuerant, legē adimplevit. Quod si dicant Juristæ, Principi honorem & gloriam majorem accrescere si servet legem, quâ non tenetur. *Digna vox est majestate regnantis legibus alligatum se principem fateri.* Cod. de legibus. c. 4. Quomodò hæc aqua Mariæ adeò depressa, dum se, non obstante quod sit Regina, & Imperatrix huic legi subjicit, non magis exaltabitur & sublimabitur? *Digna vox est majestate regnantis legibus purificationis alligatam se virginem profiteri.* Insuper hæc aquâ depressâ in purificatione voluntariâ, nec jussâ magis exaltatur, quia meritum censetur majus, quando quis operatur voluntariè & sponte, quam quando ex præcepto. Hæc aqua Mariæ altius ascendit, esto tam profundè descendisset: quia dum oblatione duorum turturū vel columbarum puerum redimit, apparet quasi redemptrix ipsius redemptoris. *obtulerunt pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum.* O celsitas & sublimitas Mariæ correspondens ejus profundissimæ humiliationi! Hinc meum conceptum confirmans, dixit S. P. Chrysostomus. *Quemadmodum aqua tantò altius ascendit, quantò quis illam ad ima deduxerit, ita se habet & animi humilitas, quanto quis seipsum humiliaverit, tantò magis exaltabitur.* Maria itaque, dum quasi ex altissimo monte defluens, suprà alium altissimum montem scandit, potiùs sibi attribueret illud lemma. *Descendendo ascendo*, vel *defluens elevor.* Dicat sponsus de ea. *Capilli tui &c.* Dicat insuper Richardus. *Bene dicitur ascenderunt, &c.* in cap. 4. ad Ephes. O humilissima & sublimissima Maria.

IV. Tota curia cœlestis, dum in sacris Canticis demiratur pulcherrimas qualitates illius sponsæ divinæ, quæ est Virgo Domina nostra, præ stupore extra se acta ob fragrantiam odorum, quibus flagrabat, ac si secum traheret omnia aromata totius orientis dixit: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii.* Cap. 3. Observate quæso Scripturistæ mecum hunc modum loquendi filiarum Sion, Angelorum cœlestium, imò totius curiæ cœlestis. Vocant sponsam Mariam virgulā fumi, & quidem subtilissimam *sicut virgulam fumi &c.* Et dein subdunt, quod reddat odorem myrrhæ, incensi & omnium aromatum. *Ex aromatibus &c.* Hic modus loquendi non est conveniens, imò involvit maximā conditionē: quomodo enim possit fieri, quod Maria sit virgo subtilissima fumi, & nihilosecius spiret fragrantiam & odorem omnium aromatū ac pastillorum odoriferorum? Quodlibet aroma spargit suum odorem, illum spargit thus, illum spargit myrrha & quodlibet aroma, ita ut necessariò fateri debeamus, hanc Virginē vel fuisse virgam fumi aromatici valde pinguē & crassam, aut potiùs pastillam fumi odoriferi, quam subtilissimā virgam, aut quod non spirant fragrantiam omnium pulverum aromaticorum. Quod si spiret omniū odores, cur non dicit, tot esse virgulas fumi, quot sunt aromata, quæ odorem fragrant? Aut si sit una sola, cur non potius dicit quod sit pastillus, quàm virga subtilissima? *Quæ est illa, &c.* Quod si per hos pulveres aromaticos intelligantur virtutes, quæ efficiebant, ut Maria odores spiraret, cur non, cum illæ virtutes fuerint distinctæ, & quælibet quoad suum esse ab alia differret, cur inquam non vocatur *virgæ*, vel *virgæ* aut *virgulæ*, sed diminutivè *virgulæ*, ac si esset una sola, & quidem exilissima virgula fumi? Quod si dicatis eam fuisse compositum quoddam ex omnibus pulveribus aromaticis conflatum, ego replicabo, quod cum omnes isti pulveres in illo conflato adhuc distinguerentur, & quilibet suum particularem spiraret odorem, potiùs debuisse esse unam virgam vel pastillam fumi odoriferi, & non subtilissimam virgam, quale est hoc mysterium.

Dicunt expositores, quod volens sponsus cœlestis magnificare humilitatem suæ sponsæ Mariæ, eam non vocet *virgam*, sed diminutivè *virgulam fumi*. Cum humilis ea sit conditio, ut se extenuet, subtilem reddat, ac reducat ad talem exilitatem, ut instar subtilissimæ lineæ mathematicæ sit ratione latitudinis & magnitudinis indivisibilis. *Propter humilitatem dicitur virgula*, volens itaque demonstrare, quod quò major fuit humilitas ejus, eo etiam copiosior, ditior, abundantior virtutibus perfectionum comparuerit, ideo dicit, quod hæc virgula fumi,

mi, quamvis unica, ſola, & ſubtiliſſima, nihiloſecius ſpiravetit fragrantiam myrrhæ, incenſi, imo omnium paſtillorum odoriferorum & aromatum, quæ Aſia & regiones adjacentes poſſunt proferre. Mirè S. Ildephonſus *Odoramenta virtutum ſpargebat, non qualiacunque, ſed univerſi pulveris pigmentarii, ita ut in ea eſſet forma non ſolùm virginum, verum etiam omnium Eccleſiarum Dei.* An ad majorem ſubtilitatem ſe potuit reducere Maria, dum hodie ſe ſiſtit in templo ut purificetur, & demonſtrat hâc actione ſe eſſe immundam, quæ erat immaculata, illam eſſe corruptam quæ erat Virgo puriſſima non ſolùm corpore, ſed & mente, illam eſſe matrem communem, quæ erat mater Dei, illam concepiſſe modo communi, quæ conceperat ope Spiritus ſancti? Reverâ hæc virgula magis extenuari non poterat. Et enim recompenſam ſubtilitatis adeò incomparabilis, incomparabiliter comparet ditata virtutibus & perſecutionibus cœleſtibus, dum ſpirat fragrantiam omnium aromatum Paradyſi, *Odoramenta virtutum &c.*

ſerm. de Aſſumpt.

VII. Profeſſores Opticæ vos docetis è corpore luminoſo verbi gratia ſole, quaſi infinitos radios emitti, quia *lumen non à centro tantùm, ſed ab omni parte extimæ ſuperficies corporis luminoſi emicat.* Et quia puncta ſunt quaſi infinita, ſic etiam emittuntur quaſi radii infiniti. Addite, quod lumen & radii ex illo corpore emiſſi diſtendantur in modum ſphæræ & pyramidis, porrò hæ pyramides ſunt quaſi infinitæ, cùm radii, qui illam componunt, quaſi infiniti ſint.

Optica.

Franciſc. Aquila.

Præterea hæ Pyramides ſe invicem includunt, ita ut major includat omnes minores. Et quia omnes terminantur in cono, & in parte auctiori primæ pyramidis, & conus iſte ſit punctum, prout clarè oſtendit pars acutior primæ pyramidis, & ſic de aliis, ideo fit, ut pars acutior primæ, eſto ſit punctum, nihiloſecius ſit tantæ magnitudinis & capacitatis, quantæ eſt circumferentia tota, & baſis minoris pyramidis. Baſis quippe majoris pyramidis in ſe continet omnes baſes aliarum, & conus ejuſdem conos aliarum, & partes ejus acutiores, aliarum partes acutiores, & ſicut hæ terminantur in cono primæ, idcircò contingit dictum conum alios omnes concludere, & ideò eſt tantæ capacitatis, quantæ eſt ipſamet baſis. Et ſicut continet infinitas baſes pyramidum, ſic conus infinitos conos, & ideò pars acutior, quæ eſt quaſi punctum, ſit quaſi capacitatis infinitæ.

Porrò ſi ex adverſo hujus corporis luminoſi, puta ſolis, ponas ſpeculum concavum in eo loco, in quo terminatur major pyramis, nullum eſt dubium, quin excipiantur in centro illius ſpeculi omnes radii emiſſi à ſole, quia cum illi ſint reſtricti in cono majoris pyramidis, & hic terminentur in centro ſpeculi, neceſſariò omnes in eo reperiuntur. Unde conſequitur, quod eſt centrum ſpeculi, ſit unicum & indiviſibile punctum, nihiloſecius recipit quaſi infinitos radios.

VIII. Redeamus ad Virginem. *Quæ eſt iſta &c.* Sol qui emittit infinitos radios, virtutum, perfectionum, favorum, ſplendorum, illuminationum cœleſtium, eſt benedictus Deus, vocatus *lux lucis, & fons luminis.* Speculum terſiſſimum & ſine macula repræſentans imaginẽ Dei, & quidem pompoſi, magni & immenſi eſt Virgo Domina noſtra. Ipſe Deus ſic eam vocat *Speculum ſine macula Dei majeſtatis.* Sed quale fuiſti ſpeculum ô Virgo benedicta? ſcio quod ſemper fueris ſpeculum ſine macula. Sed cujus formæ & figuræ? An ſpeculum planum, quod repræſentat objecta ſine aliqua deceptione, quod illa exhibet, quæ recipit? Nullum de hoc eſt dubium, quia ſicut recepiſti Deum, ſic illum repræſentâſti. Sed præter ſpecula plana dantur etiam ſpecula concava & tumida inſtar pilæ, curva & concava ſicut arcus. An forſan in die tuæ purificationis exhibuiſti te ſpeculum concavum ac tumidum? Nequaquàm quia talia ſpecula erant omnes aliæ fœminæ, quæ purificabantur, gloriando ſuprà modum de tali actu, quia oſtendebant toti mundo, quod non eſſent ſteriles, ſed fœcundæ, de hoc mirum in modum priſcæ legis fœminæ intumeſcebant. Hinc videmus, quod Agar famula Saræ, poſtquam peperit Iſmael dedignata fuerit officium ſervæ, nec amplius Saram pro Domina agnoſcere voluerit. Sed tu dum te purificas, ac legi te ſubjicis, quam non tenebaris obſervare, non fuiſti ſpeculum tumidum ex ſuperbia, ſed curvum & concavum ex humilitate, fuiſti ſpeculum & quidem ſine macula, & concavum, ſignificatum per altare concavum priſcæ legis, ut obſervat Hugo Carenſis. *Altare concavum per humilitatem*

Applicatio.

Sapient. 7.

Sed quale amabo Virgo ſanctiſſima fuit centrum

centrum hujus ſpeculi concavi animæ tuæ? Non aliud, quam tua humilitas, de qua quidam dixit. *Humilitas eſt centrum animæ.* In hoc centro tuæ humilitatis comparuerunt omnes radii gratiarum, favorum, beneficiorum, irradiationum, prærogativorum illius fontis gratiarum, illius ſolis liberaliſſimi Dei, qui ſe contuens in ſpeculo concavo tuæ animæ per centrum tuæ humilitatis, diffudit omnes radios ſuarum gratiarum, propter quas comparuiſti fœlicior & beatior præ creaturis. Hinc de te ipſa dixiſti: *Luca 1.* *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Idcircò meum conceptum confirmans dixit Gerſon. *Gerſon.* *Humilis ſimilis eſt ſpeculo concavo, ex cujus centro reperiuntur omnes radii divinarum illuſtrationum.*

O Terſiſſimum & concavum ſpeculum, quam fuiſti magnum, quam fuiſti capax, eò quod potueris recipere in centro tuæ humilitatis omnes radios gratiarum, quæ ex hoc fonte lucis ſunt derivatæ; quinimò in eo recepiſti ipſum fontem lucis, ipſum ſolem, ipſum Deum. *Virginitate placuiſti ſed humilitate concepiſti,* inquit Bernardus. *Bernard.* Quid ergò miri quod per humilitatem comparueris virgula fumi quidem ſubtiliſſima, ſed tamen ſpirans odorē omnium paſtillorum odoriferorum? itaque deſinat præ ſtupore exclamare? *Quæ eſt iſta.* quia indiviſibile centrum tuæ humilitatis te fecit grandiſſimam & capaciſſimam ad recipiendas omnes divinas irradiationes. *Odoramenta virtutum, &c.* Humiliſſima & ſublimiſſima Maria.

Locus ſcripturæ. IX. In ſacris canticis virgo de ſe ipſa, & de ſuo dilecto à ſe ſummoperè amato loquebatur. Portò inter alia caſum ſibi nobiliſſimum accidiſſe refert, nempe quod ſponſo ſuo, regi cœlorum & terræ, in ſolio ſuo regali ſedente, ipſa nardum ſuam olfaciendam ei corroborando & recreando præbuerit, & illa ſuaviſſima fragrantia nares ejus ſummoperè delectârit: *Cant. 1.* *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuavitatis.* Nullum eſt dubium, quin hic Rex ſit filius Dei, verbum æternum, quod requieſcit in ſinu patris, ut obſervat Joannes: *Joan. 1.* *Unigenitus qui eſt in ſinu Patris.* Sed quæſo vos interpretes ſcripturæ, obſervate mecum illud, quod Maria de hoc magno Rege ſubjecit. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus, mihi inter ubera commorabitur.* Petindè ac ſi dicetet Virgo. Hic magnus Rex & Monarcha univerſi, qui non habet dignius ſolium, & ejus magnificentiæ aptius, quàm ſinum ſui æterni patris, hinc inſtar faſciculi myrrhæ ego inter ubera mea geſto. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, id eſt, in ſinu Patris,* inquit Rupertus, *nardus mea dedit odorem ſuum,* & ſtatim ſubdit, *faſciculus myrrhæ &c.* Subintrat hic S. Bernardus, & ait: Quales ſunt hi ſtupores? Nunc filius Dei à Virgine vocatur Rex, Princeps & Monarcha univerſi, & nunc eum appellat ſuum ſponſum, ſuum dilectum, & bonum unicum animæ ſuæ? aliâ vice dicit, quod hic magnus Monarcha habeat ſuum ſolium & quietem in ſinu æterni Patris, nunc quod eum geſtat inter ubera? *Ante Rex,* inquit Bernardus, *modo dilectus. Ante in accubitu regio, modo inter ſponſæ ubera?* quale eſt hoc paradoxum? Illo majeſtas, quæ non habet locum aptiorem, quàm ſinum patris, illa immenſitas, quæ nullo loco poteſt circumſcribi, nunc reperitur inter ubera Virginis? Hoc aſſertum eſt intelligibile, & tranſcendit capacitatem ſubtiliſſimorū ingeniorum, quamvis angelicorum. Sed quomodò amabo hic grandis Monarcha univerſi, poſſit deſerere illud ſolium adeò prætioſum, illum thronum ita ſplendidum, illum locum adeò immenſum, illum hortum, illum paradiſum infinitarum delitiarum? ſcio quod dixerit Rupertus Abbas pro ſtabilitate dicti virginei, Nempe quod Rex ſupremus fragrantiâ & ſuavitate, quam nardus ſponſæ ad ejus nares tranſmittit, reſolverit ſuo modo deſerere ſinum Patris, ut frueretur fragrantia illius nardi, quæ ſpirabat omnem odorem florum, qui hortum & ſinum æterni Patris ornabant. Nec hæc nardus aliud fuit, quàm humilitas Mariæ, hæc fuit ita efficax, ut unigenitum filium educârit è ſinu Patris, & tranſtulerit ad ſinum Mariæ inter ubera, prout illa ſubjunxit. *Faſciculus Myrrha, &c.* ſic itaque ait Rupertus. *Rex in accubitu ſuo eſt verbum in ſinu Patris, & dum ita eſſet, nardus humilitatis Mariæ dedit odorem ſuum, cujus odore delectatus deſcendit in uterum ſuum.* Sed necdum huic reſponſo acquieſco, quia non video, quomodò ille ſummus Monarcha, qui pro ſolio & loco ſuæ immenſitati convenienti habebat ſinum æterni Patris, potuerit circumſcribi ab anguſto utero Mariæ? Inter locum *Lib. 1. in Cant.*

&

& locatum debet esse proportio, & quia locus ambit locatum, ideò juxtà Philosophos proportionaliter debet esse major locato. Porrò cùm filius Dei sit immensus, ita ut à nullo loco possit capi, nisi à sinu patris immenso, quomodò potuit capi augustissimo sinu Mariæ, ita ut illa dicat *Inter ubera mea &c.*

Divinè sanctus P. Bernardus *Ante Rex, modo dilectus, &c. magna humilitatis virtus, cui etiam Deitatis majestas tam facilè se inclinat.* O quàm egregiè! quod immensitas Dei, quæ a nullo loco potest capi, nisi ab immenso sinu patris, nihilosecius capiatur ab augusto sinu Mariæ videt ut impossibile. & contradictio; sed si nos observemus, quod ille sinus per humilitatem sit factus augustissimus, & ex minimo sit factus adeò capax, ut ipsum infinitum & immensum concludere possit, cessabit omnis impossibilitas, omnis contradictio evanescet, & omni stupore erit satisfactum, quia humilitas Mariæ est tam grandis, tam immensa & tam capax, ut certet cum immensitate sinus paterni; *Magna, magna humilitatis virtus, &c.* Quasi hæc esset punctum indivisibile, quod adeo expetivit Archimedes, extra mundum, & per illud ingenio ac industriæ suæ confidens, sibi promittebat ad nutum suum flectere & movere totum universum, & plures mundos si existerent, & existere possent,

Philosophia. Philosophi, antiqua est valde in vestro licet quæstio, an in natura detur vacuum, vel an illud omninò natura proscripserit, prout mordaciter asserit Philosophus docens nec illud posse dari, cum illud natura præ omnibus abhorreat, quæ ne illud admittere cogatur, tam mira, ac sæpe suæ naturæ adversantia operatur.

4. Phisi. cap. 7. Democritus & Leucippus, quibus adhæret tota cohors Epicureorum, tenaciter docuerunt intra circumferentiam globorum cœlestium necessariò dari vacuum. Id probant diversis rationibus, quas eruditè solvit Philosophus. Sed Stoici & Pythagorici voluerunt extra circumferentiam suprem & ultimi cœli dari spatium immensum & infinitum, in quo nullum sit corpus, sed vacuum. Addunt istud infinitum vacuum communicari & conferri omnibus rebus, quæ dantur intra circumferentiam cœli, ad dividendam & distinguendam unam rem ab alia, aliàs sine ordine, maxima cum confusione cuncta in unum conglobata essent. Sit quod hoc infinitum vacuum sit extra cœlum, etiam docuerunt plurimi Philosophi & Theologi.

Scotus in 1. dist. 17 q. unica. Bona 2. q. 1. Præterea scire percuperem, num Deus existat in illo spatio ac vacuo infinito & immenso extra cœlos; Subtilis præceptor, Doctor Seraphicus, Capreolus, Durandus & alii dicunt id esse impossibile, quod probant. Deus non potest esse in nihilo, quia sic etiam esset in privationibus, cœcitate, surditate, v. g ex similibus, sed vacuum illud extra cœlum est nihil, quia extra cœlum nihil est, ergò.

in Æsculapio. Hoc non obstante alii Philosophi, & Theologi non pauci affirmant, Deum esse in spatio infinito & immenso. Ita apertè Trismegistus. *Deus supra verticem summi cœli existens ubique est, omnia conspicit. Est enim ultra cœlum, spatium sine stellis ab omnibus rebus corpulentis alienum.* Idem teste Eugubino docuit Plato & Aristoteles. Idem testatur Ticinus de Platonicis. *Decere*, inquit, *Platonici putant infinitum bonum per immensum exuberando ita sese integrum fundere, ut nullam imaginariam universi particulam, sive in mundo sit, sive cogitetur extra mundum relinquat suâ præsentiâ destitutum.* Idem confirmant sancti Patres, Nazianzenus, Basilius, Dionysius Areopagita, Augustinus, qui adjungit Deum esse mare immensum, & totum hoc universum non esse nisi spongiam in medio illius maris, Ita ut immensitas Divina, quæ non potest circumscribi à vastissima mole cœlorum, actu sit in illo spatio vacuo immenso & infinito, ac si hoc foret tantùm adæquatum Divinæ majestatis, quia sicut juxtà Philosophos infinitum positivum, non potest mensurari ab infinito negativo, sic immensitas Dei non potest capi, nisi à vacuo immenso ac infinito

Lib. 4 de perenni philosophia c. 1. & 2.

Lib. 2. de immort. animæ c. 6

Applicatio. XI. Nunc ad Virginem. *Dum esse Rex, &c. Fasciculus. &c.* Deus à principio mundi diffuderat & communicaverat gratiam suam, ac seipsum omnibus creaturis universi, sed singulariter hominibus ac Angelis, veluti magis capacibus. Sed quia infinitum est etiam infinitè communicabile, videns creaturas non posse comprehendere immensitatem suæ bonitatis & gratiæ. Videbatur suo modo non esse contentus, cernens quod, quò plures favores conferebat in creaturas circumscriptas à circumferentia cæli, eò plures remanent

rēmanſiſſe elargiendas & dandas, quia *ſummum bonum eſt ſummè diffuſivum*, & dum non poſſet exhaurīri replendo ſpatium, & capacitatem limitatam ac finitam, ſuo modo cruciabatur & angebatur.

Sed en comparet ſanctiſſima Virgo adeò capax, ut ſola potuerit recipere in ſe immenſitatem Divinam. *Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.* Immenſa fuit gratia quam recepit Maria, immmenſi favores, immenſæ prærogativæ, hinc dixit meus Seraphicus S. P. Bonaventura. *Gratia Mariæ eſt gratia immenſiſſima.* Et ſi continens debet eſſe adæquatum contento, neceſſe eſt, ut dicamus vas illud, quod continere debebat immenſitatem gratiæ, debuiſſe eſſe immenſæ capacitatis. Hinc idem Doctor dixit: *Maria vas immenſiſſimum fuit, ex quo illum, qui major eſt cœlo, continere potuit.* Capacior fuit Maria Cœlis & omni eorum ambitu, quia in ſe continuit, quod cœli capere non potuerint. Amplior fuit toto orbe, quia illum ſuis viſceribus concluſit, quem totus orbis circumſcribere non potuit.

In ſpeculo cap. 5.

De hac immenſa capacitate Mariæ adæquatâ immenſitati Dei loquens Seraphicus S. Bonaventura, dixit cum ſtupore Angelorum & cœlorum. *Tu immenſiſſima Maria capacior es cœlis, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti. Tu capacior es mundo, quia quem totus non capit orbis, in tua ſe clauſit viſcera factus homo.*

Sed quomodò fieri potuit, ut tu Virgo benedicta, locus limitatus & finitus (fuiſti enim Creatura) receperis & capax fueris recipiendi immenſitatem divinam, quæ à nullo poteſt circumſcribi, & eſto repleat totum univerſum, tamen infinitè plura replere poteſt? Reſpondebis, quod eſto fueris locus immenſitatis Dei limitatus, finitus & anguſtus, in ordine ad hoc quod fueris à Deo ſicut aliæ creaturæ, tamen reſpectu tuæ profundiſſimæ humilitatis fuiſti vacuum immenſum & infinitum, adeoque adæquatum immenſitati divinæ; vacuum extrà cœlum, quod non poteſt repleri niſi à ſolo Deo immenſo & infinito. *Quia reſpexit humilitatem* vel *nihileitatem ancillæ ſuæ.* Et quo immenſius fuit factum hoc vacuum, tantò capacius fuit effectum ad recipiendam immenſitatem Dei, ut notavit S. P. Auguſtinus. *Quantò humilius ſedebat, tantò ampliùs capiebat.* Nam ut opinatur Guilielmus Cancellarius Pariſienſis. *Habet hoc peculiare humilitas, quod vacuitas ejus non poteſt donis largitoris impleri, ſed contendit cum immenſitate divitiarum Dei.* Vacuum Mariæ non eſt vacuum intra cœlum, quia hoc poteſt impleri à Deo, adeoque non eſt adæquatum immenſitati divinæ, ſed eſt vacuum extra cœlum, quod non recognoſcit aliud quo poſſit repleri, quàm ipſam immenſitatem Dei, cum qua certat. *Contendit &c.* Deus te elegit in ſuam matrem, & tu ut eſſes capax recipiendi illam immenſitatem, te feciſti vacuum extra cœlum, dicendo: *Ecce ancilla Domini.* Te fecit Matrem Virginem, ô qualis immenſitas! Et tu hodie te purificas. Sicut aliæ fœminæ, & vis comparere vacuum extra cœlum immenſum & infinitum, ut capax fieres tantæ immenſitatis. Fecit Deus, ut conciperes de Spiritu ſancto, *Nullo ſuſcepto ſemine.* (O qualis favor.) & tu nihilominus te præſentas in templo, ut purificeris, ut te ſubjiceres legi quâ non tenebaris; O quàm immenſum vacuum? Voluit Deus te ſervare virginem ante partum, in partu & poſt partum; O immenſitatem, quæ tranſcendit ambitum cœli! ſed tu nihilominus apparuiſti in templo ſicut aliæ fœminæ, quæ purificabantur, ac ſi tua puriſſima virginitas inſtar aliarum eſſet violata. O quale vacuum extra cœlum, immenſum & infinitum, & ſolum adæquatum immenſitati Dei? Dicas ergò, quod magnum illum Monarcham cœli, qui non potuit capi niſi ab immenſo tuæ humilitatis, comprehenderis *Dum eſſet Rex &c. Faſciculus &c.* Dicat Bernardus. *Ante Rex &c.* quia hoc ſolum vacuum humilitatis potuit eſſe adæquatum immenſitati divinæ. *Magna humilitatis &c.* Humillima & immenſiſſima Virgo.

Ser. de aſſumpt. lib. de virtut.

XII. Obambulabat hæc magna matrona Maria, ornata pretioſiſſimis gemmis & veſtibus; quas terra vel cœlum fabricare poſſet. Et in inceſſu greſſus formavit adeò pompoſos, ut hi ſolùm indices eſſent eminentiæ auctoritativæ hujus principiſſæ. Hinc dum ejus ſponſus Deus illam conſideraret, admirans ejus greſſus, in exceſſivum prorupit ſtuporem, dicens:

Cant. 3. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui filia principis in calceamentis tuis?* quàm belli, gratioſi, formoſi ſunt greſſus, quos formas in illis calceis, revera illi rapiunt mihi cor, non eſt dubium, quin illud Tò, *greſſus*, non ſolùm ſignificet ipſum incedere, & ipſum inceſſum, ſed etiam ipſos pedes, qui ſunt pars extrema corporis. Hinc Hebræus legit *Pengamaich*, quæ vox utrumque ſignificat. Sponſus itaque cœleſtis non ſolùm demiratur venuſtatem pedum ſuæ ſponſæ ob Majeſtatem in incedendo, ſed etiam ipſos calceos pretioſos & cothurnos ejuſdem. Et ut verum fatear, gravis & pudicus inceſſus non minus ornat fœminam, quam ſpecioſitas vultus ejuſdem.

Hinc inter vituperia illius infamis, de qua loquitur Sapiens, etiam recenſetur ejus inceſſus levis. *Vagi ſunt greſſus ejus & inveſtigabiles.* Prætera valdè ornat fœminam elegantia calceorum, quia illis Judith oculos & cor Holoferni rapuit. *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus.* Hinc non eſt mirum, quod Deus fuerit delectatus, non ſolùm gravi compoſito inceſſu illius ſponſæ, ſed etiam elegantia calceamentorum. Sed duo in encomio, quo ſponſus afficit ſponſam ſuam, mihi conſideranda videntur. Primum eſt ordo, ſecundum emphaſis. Ordo, quia capite tertio & ſexto etiam laudans hanc ſponſam, orſus eſt ab oculis, à capite, & conſequenter deſcendit ad collum, pectus. Sed capite ſeptimo incipit à pedibus & aſcendit, imò de pedibus ſponſæ in utroque capite præcedenti nulla fit mentio. *Quàm pulchri oculi tui, quam pulchræ genæ, quam pulchra labia*, & ſic conſequenter. Verùm capite ſeptimo, non ſolùm orditur ſuum panegyricum à pedibus & greſſibus, ſed admiratione adeo emphaticâ eos laudat. *Quam pulchri ſunt greſſus tui, &c.* Ut extra ſe raptus, videatur potiùs à compoſito decore eorum & à nitore calceamentorum, quàm à forma oculorum, capitis, genarum, aut aliarum partium corporis illius pulcherrimi. *Quam pulchri ſunt greſſus tui &c.* Hic ſcripturiſtæ ſcire vellem, cur Rex cœli & terræ adeò demiſetur inceſſum, & calceos illius matronæ, principis & filiæ Dei.

Proverb. 3

Judith. 16.

Hiſtoriæ. XIII. Recordor me legiſſe in quodam regno, & ni fallor, in Gallia Regem exigere tributum quoddam à Vaſallis pro calceis Reginæ, & quiâ illud ſolùm exigitur pro calceis, ideò vocatur *Pour les patins.* Per calceamenta inquit Rupertus, hujus magnæ Reginæ cœlorum ſignificatur humilitas Mariæ, pedes enim ſunt extrema pars corporis, ſicut per oculos intelligitur ſimplicitas, per genas modeſtia, per labia oratio, & ſic conſequenter. Volens itaque ſponſus Mariæ demonſtrare omnes alias virtutes, quantumvis eminentes & perfectas, quæ erant in Maria, debuiſſe cedere ejus humilitati, & hanc agnoſcere pro Domina & Regina, & jure debuiſſe hujus fieri tributarias, ideircò tantâ energiâ, tanto ſtupore laudat ejus humilitatem ſignificatam in pedibus & ejus calceis, & ab illa potiùs, quàm à cunctis aliis ſe raptum fatetur. Et ideo contigit, quod poſtquàm unamquamque ſpecialiter & diligenter conſideraſſet, & orſus fuiſſet à laude aliarum in aliis capitibus, tandem capite ſeptimo, ac ſi mëliùs negotium conſideraſſet & rem exploraſſet, Humilitatem ſcilicet ſuperare excellentias aliarum, ſicut Regina præeminet vaſallis, ab hac tanta energia & emphaſi encomia ſponſæ orditur. *Quam pulchri ſunt greſſus &c.* inſinuare voluit omnes alias virtutes & prærogativas duciſſæ eſſe ſervas ac tributarias plantarum humilitatis ejus. Mitè Rupertus. *Cuncta virtutes, omnes gratiæ, cuncta dona, quæ Virginem Mariam exornabant, humilitati ejuſdem tributa pendebant.* Non poterat dicere melius.

Profeſſores litterarum humaniorum in Juvenali veſtro duos reperio verſus, qui ob obſcuritatem luce indigent. *Litera humaniores.*

Nobilis & glorioſus
Appoſitum nigræ lunam ſubtexit acutæ. *Satyra 7. lib. 44.*

Pierius Valetianus vult, hunc verſificatorem voluiſſe alludere ad morem priſcorum Romanorum, qui in calceis lunulam portabant, quod tamen nonniſi nobilibus licebat, ita obſervat Statius in ſylvis Criſpini.

Primaque patricia clauſit veſtigia luna.

Porrò Martialis dicit non ſolùm calceos, ſed & togas lunatas fuiſſe *Lib. 2. Epig.*

Quanta nuſquam pellis, & nuſquam toga.

Hic (NN.) ſcire percuperm, cur Romanorum nobiles

nobiles geſſerint lunatos calceos, quos teſte eodem Pierio diu ante geſtare ſolebant Arcades, qui cum Evandro Italiam peragrando illum morem Romanis reliquerunt.

In quæſt. Roman. Plutarchus in quæſtionibus Romanis hujuſce rei cauſam indagans, illam præcisè aſſignare non potuit. Hinc duas aſſignat, Romanos calceos lunatos geſſiſſe, vel ut ſignificarent ſe poſt fata aſcenſuros in cœlum, & calcaturos pedibus lunam, vel ſe originem duxiſſe ab Arcadibus, qui ſe anteriores Lunâ jactabant, vel ad minus quod fuerint primi, qui poſt diluvium Deucalionis aſpexerint lunam, & quod ab illis genus humanum ortum duxerit; vel quod voluerint oſtendere, ſe non debere gloriari ac ſuperbire de nobilitate, veluti re inſtabili ſicut Luna & ſubjecta mutationibus & deliquiis, vel tandem voluerunt denotare, quod ſicut luna dependet à ſole, ſic ſe dependere à legibus & magiſtratibus. Ita Plutarchus.

Joannes Britannicus & Zonara, putarunt illud ſignum non fuiſſe mediam lunam, uti alii cenſuerunt, ſed fuiſſe unam litteram C. quæ apud Romanos ſignificabat centum. Hinc nobiliores & antiquiores Romanorum, volentes oſtendere ſe eſſe de numero illorum 100. Senatorum à Romulo inſtitutorum, & ſe non eſſe nobiles novos, geſtabant in calceis iſtud ſignū diſtinctivum, opinio valde eximia. Sed quia Pythagoras dicebat lunam eſſe quandam terrā cœleſtem & cœlū terreſtre, cum è ſenſu illius fuerit terra fabricata, ideò non erit irrationabile dicere, quod tam Arcades, quàm Romani geſtârint lunulas in calceis, ut oſtenderent ſe ducere originem è cœlo, & rursùs prætendere cælum, ac ſi ſimul eſſent homines terreſtres & cœleſtes veluti ſemiDei.

Applicatio.

XIV. Nunc ad Virginem. *Quam pulchri ſunt greſſus &c.* Principaliſſima & nobiliſſima matrona erat Virgo noſtra Domina, orta ex ſtirpe & ſanguine Regali, uti de ea cantat Eccleſia. *Regali ex progenie Maria exorta refulget.* Veſtes prætioſiſſimæ, quibus ornabatur & veſtiebatur, clarè prodebant ejus nobilitatē, quia caput ejus cingebat ſertum ſtellarum, pallium ejus erat ſol, Calcei luna; *Mulier amicta ſole, & Luna ſub pedibus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* O quàm bella, quàm exornata, quam nobilis comparebat Maria!

Sed cur quæſo Virgo ſanctiſſima geſtas calceos lunatos? an forſan, ut demonſtrares te poſt mortem aſcenſuram in cœlum, & pedibus calceaturam lunam? Hæc non eſt prærogativa ſingularis, quâ præemineas omnibus aliis, quibus id competit dum cœlo donantur. Forſan ut denotares ſalutem mundi perditi extortam, cum enim fueris electa mater Redemptoris, ſine quo non fuiſſet ſalvatum humanum genus, tu etiam debuiſti cooperari? valde benè. Veruntamen quid lunæ in calceis, cum redemptione orbis? Forſan mihi dicetur, te calceos geſtaſſe lunatos, ne anſam haberes ſuperbiendi ob tuam nobilitatem, quæ eſt variabilis inſtar lunæ? Id non crediderim, quia ſicut à te exulavit omnis umbra ſuperbiæ, ita fuiſti ſtabilita & confirmata in bono, particulariter poſtquàm in tuo utero verbum carnem ſuſcepit. Id ejus jure optimo dixerim, quod ideò geſtaveris calceos lunatos, ad oſtendendum te fuiſſe nobiliſſimam Matronam, creatam à ſupremo illo Romulo cœli Principiſſam univerſi, ac Matrem filii Dei. Hoc fuit ſignum te diſtinguens ab omnibus tuis anteceſſoribus & poſtnatis, uti affirmat Bernardus: *Nec ſimilem ſibi viſa eſt, nec habere ſequentem.* Prætera dicam te geſtaſſe calceos lunatos, ut ſignificares, quod eſto fueris conditionis humanæ, nihilòſecius tantas fuiſſe prærogativas & excellentias, quibus erat dotata, ut digna eſſet, quæ fieres ſemiDea. Dicam à te calcatam lunam, ut denotares te fuiſſe humillimam, & ſicut illa eſt ultima inter planetas, ita te fuiſſe omnium infimam. Addam Lunam, quæ eſt in cœlo exornaſſe tuos pedes, ut ſciremus tuam humilitatem è cœlo deſcendiſſe, & eam fuiſſe quid divinum, prout teſtatur Imperator Emanuel; illam enim didiceras à filio Dei, qui ſuam divinam conditionem ita exinanivit & depreſſit. *Apoc. 12.* *D. Bernardus Orat. 7.*

Nec præteribo ideo calceos tuos fuiſſe lunatos, ut demonſtrares quod inſtar lunæ cœlo & Titani Deo, plenitudinem tuorum ſplendorum & tuarum gratiarum attribuas, & poſtquam illam à Deo habuiſti, ſemper depreſſiſti & minuiſti illos favores, deprædicando te indignam tot ſplendoribus, & poſt tot

diminutiones & exinanitiones, ſol divinus denuò tot favoribus & gratiis te ditavit, & hæc luna in pedibus tuæ humilitatis decurſu totius vitæ ſemper luminoſa comparuit, & ſemper mundo declaravit tuam nobilitatem.

Verum enimverò, quando hæc luna coram oculis Dei ſplendidior & rutilantior apparuit? Ego credo Virgo ſanctiſſima, quod hoc die tuæ purificationis. Tu enim re ipsâ eras Mater Dei, & velut talis comparuiſti in templo; ſed comparendo ut purificareris inſtar aliarum fœminarum, ſignificâſti quaſi non eſſes Mater Dei, O qualis fuit hæc tranſcendentia humilitatis! O qualiter non fuit raptum cor divinum, quod exceſſum humilitatis tuæ perfectè penetravit! Comparuiſti in templo ut purificareris inſtar aliarum fœminarum, & monſtrâſti ac ſi violaſſes clauſtrum virginitatis, prout aliis contingit, & tamen manſiſti Virgo ſicut ante. Et nonne jure dicemus hunc exceſſum humilitatis fuiſſe paſſum, & inceſſum pedum calceatorum lunâ, qui ſuprà modum recreavit oculos Dei? Comparuiſti in templo, ut purificareris & oſtendiſti te ex viro conceptiſſe, cùm tamen conceperis ex Spiritu ſancto; nonne hic fuit alius paſſus humilitatis, quem meritò debebat Deus admirari? Comparuiſti in templo ut purificareris, volendo te ſubjicere & obedire legi, quâ non tenebaris. Nonne ideò dicam quod hic fuerit alius greſſus formatus à tuis pedibus lunatis? Cum maternitas tua & virginitas fuerint prærogativæ adeò eminentes, ut conditionem etiam nobiliſſimam creaturarum excederent, & tu hodie oſtendas, quod non fueris Mater Dei & Virgo, fateri cogor, quod clariùs eluxerit tua profundiſſima humilitas, & quod omnes greſſus, quos formaſti è domo ad templum, fuerint formati calceis lunatis exprimentibus tuam nobiliſſimam conditionem, quæ ita dignè in humilitate tua emicuit, ut per hanc ſolam præ aliis prærogativis, quantumvis excellentiſſimis rapueris oculos Dei? Hinc non miror, quod cœli, Angeli, tota Trinitas obſtupeſcens dicat; *Quàm pulchri ſunt greſſus, &c.* Videbant omnes alias virtutes, gratias, favores libentiſſimè primatum ceſſiſſe tuæ humilitati, & ea ſeſe ſubjectos ac tributarios agnoviſſe. *Cuncta virtutes, &c.* Humillima & ſublimiſſima Mater Dei.

XV. Deus raptus venuſtatibus Mariæ eam reſoluit eligere pro ſuo ſolio & throno regali, in quo toti mundo ſuam majeſtatem & eminentiam pomposè & ſolemniter manifeſtare debebat. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum.* Hoc eſt ſolium, in quo in ſpiritu Iſaias vidit ſedere magnum Monarcham univerſi. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum.* Hunc locum ſic interpretatur Hugo Carenſis. *Per ſolium excelſum & elevatum intelligitur beata Maria, in qua ſedit Dominus & quieſcit.* Sed quando Maria fuit Dei thronus? ſane toto decurſu ſuæ vitæ, & ſpecialiter quando illum utero geſtavit, & aliàs quando illum portavit in ulnis. Sic ſanctus Methodius, *Ecce tibi tanquàm thronus ſublimis & elevatus, Virgo Mater Regi Domino palàm inſtruitur.* Sed ego velim indagare excellentias, opes & pretium hujus ſolii, ſcio mihi reſpondendum, illa deſumenda ex pretio & majeſtate graduum; Nam ſi hi calcati à pedibus Regis ſint adeò prætioſi, quantò non erit prætioſior thronus hujus Monarchæ? quod ſi pariter ſcire velim, quàm altus & ſublimis fuerit hic thronus Dei, dicetur mihi, ut numerem gradus, nam ex illis cognoſcam ſublimitatem ſolii. Verum ulteriùs ſcire percuperem, quales fuerint gradus iſtius throni. Reſpondet Gilbertus: *Humilitas.* Sed quomodò gradus puta humilitas Mariæ, ſunt ſtrati & cooperti, purpura debet ſervire pro pallio & toga Regibus, quia ſic manifeſtatur eorum Majeſtas, quomodò ergo ponitur in gradibus throni, qui non ſolùm à pedibus Regis, ſed & aliis aſcendentibus calcantur.

Scriptura. *Cant. 3.* *Iſa. 6.* *Serm. de purif.*

In hoc myſterium conſiſtit, inquit Gilbertus. Hæc eſt menſura & perpendiculum, ex quo cognoſcere poſſumus altitudinem & prætioſitatem throni. Gradus throni Mariæ eſt ejus humilitas, quò prætioſiùs & opulentiùs fuerint ornati gradus, eò prætioſiùs erit ſolium, atque gradus humilitatis ſunt tecti purpura, panno regali, quo declaratur & panditur majeſtas regalis; ergò credam, quod ſolium Mariæ, in quo debebat ſedere & acquieſcere Deus, ſit prætioſiſſimum & opulentiſſimum. Mirè Gilbertus. *Aſcenſum purpureum, quia humilitas*

militas pro Chriſto ſuſcepto regiam profert dignitatem. Præterea humilitas Mariæ fuit ſcala, ac aſcenſus ſolii ut ob ſervavit S. P Auguſtinus. *Serm. 38. de ſanctis.* *Facta eſt humilitas Mariæ ſcala cœleſtis per quam Deus deſcendit ad terras.* Verum enimvero hæc ſcala humilitatis virginalis fuit altiſſima, & profundiſſima ſupra omnem captum humanum, nec ulla humilitas alicujus creaturæ ei potuit proportionari, ſed ſola humilitas Dei, quæ participavit de infinito, quia quod Deus fiat homo eſt humilitas incomprehenſibilis, & quod Mater Dei ſe vocet ancillam, imò indignam hoc nomine teſte Dioniſ. Carthuſiano, æquale hoc eſt humilitati Dei. *Serm. 4. de concep. Mariæ Virg.* *Quemadmodum dignißima virgo fuit Chriſto præ cunctis propinquißima, ſic fuit & humilitate aliiſque virtutibus ſimillima.* Ergo cum hic aſcenſus humilitatis mariannæ ſit profundiſſimus, debet neceſſario Maria tanquam ſolium Dei eſſe altiſſima, ac ſublimiſſima. Nunc addite; Maria purificationis ſuæ die ſingulariter ſe exhibuit ſolium Dei, filium Dei ad templum, & è templo ut obſervat S. Methodius portans, & aſcenſus hujus ſolii fuit humilitas profundiſſima Mariæ; cum enim eſſet Mater Dei, & Virgo, ſe purificat. Ergo ſolium fuit altiſſimum, & incomparabilis ſublimitatis, nam Mater & Virgo per ſcalam humilitatis ſuæ profundiſſimæ declarat quaſi eſſet puerpera immunda, & ordinaria Mater.

Hiſtoriæ. XVI. Sed quæſo vos Domini optici juvate me in menſurando altitudinem, & ſublimitatem hujus throni virginali. Recordor me legiſſe quod Thales unus è ſeptem ſapientibus Græciæ, dum deberet metiri altitudinẽ cujuſdam turris ſublimiſſimæ, quam non poterat aſcendere, neſciret quid inciperet, ut rei veritatem perciperet, hærens ad radicem turris ſumpſerit manu virgam, & illam à fundo uſque ad verticem turris erexerit, ſicque longitudinem umbræ, quæ ſequebatur virgam obſervarit, & per hanc umbram menſurans umbram turris, quamvis altiſſimæ, venerit in cognitionem altitudinis turris. Sed quomodo amabo poteſt hæc veritas cognoſci?

Optica. Franciſcus Aquilus. Optici vos habetis hujuſmodi propoſitionem *Ex umbra nota altitudinis ignotam altitudinem inveſtigamus.* Si velis ſcire, quam alta ſit alicua turris, debes attendere ad umbram corporis, cujus altitudinem perſpectam habes. Et ratio hæc eſt, quod umbra producta à corpore opaco ſemper habeat proportionem cum principio à quo producitur. Sed quia umbra quandoque eſt major, quandoque minor, ne erremus, neceſſe eſt accipere virgam v. g. tribus brachiis longam, & illam erigere è diametro turris, & videre quanta ſit umbra virgæ. Si umbra virgæ ſit longa brachio, jam cum ſcias quod virga ſit longa tribus, videre debes an inter umbram virgæ, & ejus altitudinem ſit propoſitio unus ad tria. Hoc facto metire umbram turris, & ſi hæc ſit longa triginta brachiis, turris erit alta nonaginta, & tota altitudo turris erit nonaginta brachiorum, & ita per umbram virgæ cognitæ venis in exactam cognitionem turris per regulam proportionum; Nam ſicut dicit Opticus, quando idem radius lucis cadit ſuper ſummitatem duarum altitudinum inæqualium, tunc umbræ illorum duorum corporum habebunt inter ſe proportionem, & ex hac proportione cognoſcet proportionem, quam habent corpora opaca, quæ producunt umbram. *Franciſcus Aquill.* *Si idem luminis radius è ſublimi delapſus plurium inæqualium altitudinum vertices tranſeat, erunt umbræ altitudinis proportionales,* quod ſi ergo videas, quod corpus opacum trium brachiorum det umbram unius brachii, quæ eſt proportio unius ad tria, & metiendo umbram turris, videas quod ſit longa 30. brachiis certo ob rationem proportionis dices turrim eſſe altam 90. brachiis, quia eadem eſt proportio inter unum, & tria, & inter 30. & 90. & ſicut numerus ternarius reſpectu unarii creſcit duo, ſic nonagenarius reſpectu trigintarii creſcit ſexaginta nempè bis 30. Hoc modo Thales venit in cognitionem altitudinis turris, cujus verticem non poterat ſcandere, nimirum umbrâ virgulæ, quam manu tenebat menſurabat umbram turris, & ſummitatem ejus cognovit, nec minimum erravit, ac ſi perpendiculo turrim fuiſſet menſus.

Applicatio. XVII. Nunc metiamur ſolium virginale Dei. *Ferculum fecit, &c.* Turris altiſſima fuit Maria noſtra Domina, ſic namque eam vocavit ſponſus in Canticis. *Cap. 4.* *Sicut turris David collum tuum.* Et eſt adeo ſublimis hæc turris, ut pertingat uſque ad verticem cœli, ipſamq, altitudinem cœlorum adeo tranſcendat, ut meus Seraphicus Pater Bonaventura quamvis Geometra perfectus diffidat ac deſperet ſe poſſe cognoſcere ejus altitudinem. Hinc ſtupore plenus exclamat. *Quis immenſitatem Mariæ poteſt* *In Speculo B. Virg. c. 5.*

mensurare? si dicas *Maria est cælum*, non id ego; nihilo secius inquit sanctus Doctor: *Quis hujus cæli altitudinem dimensus est?* si replices *Maria est terra*, non eo inficias. *Quis hujus terræ latitudinem* dimensus est? si dicas Maria est abyssus, concino. Sed. *Quis hujus abyssi profunditatem dimensus est?* Maria est turris David. *Sicut turris, &c.* Sed quomodo penetrabimus altitudinem hujus sublimissimæ turris? *Quis*, dico ego, *hujus turris altitudinem dimensus est?* Hæc turris est adeo alta, & excelsa, ut excellentissimi geometræ diffidant, quod possint eam metiri, & credunt facilius se posse penetrare sublimitatem cæli, latitudinem terræ, profunditatem abyssi quam celsitudinem hujus turris. *Quis immensitatem Mariæ, &c.*

O Turris inaccessibilis celsitudinis! ô virgo super omnes alios eminentissima! quomodo tui devoti venire poterunt in cognitionem tuæ sublimissimæ altitudinis? si ego velim adhibere regulam aliorum sanctorum, eosque tibi comparare, certus sum, quod non habebo intentum, quia eorum majores sublimitates non possunt servire ut etiam mensuremus radices hujus turris. Hinc dixit Hieronymus: *Sicut in comparatione Domini nemo bonus est, ita in comparatione Matris Domini nulla creatura inventur perfecta, quam vis eximia comprobetur.* Si eam velim metiri Angelis, video meos conceptus ire in fumos. Quia prima fundamenta hujus turris innituntur summitati horum beatissimorum spirituum. *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Quod si itaque nolim fraudari meâ devotione, cum aliud medium non restet, accipiam cum optico umbram. An forsan si accipiam tuam humilitatem, quam vocavit umbram Richardus à S. Laurentio, & quidem umbram qua protegis tuos clientes. *Maria nos protegit in umbra humilitatis.* Sic in cognitionem claram illius deveniam? Nequaquam; cum enim non sciam quanta sit proportio inter tuam umbram humilitatis, & altitudinem tuæ turris, quantumvis cognoscam, & mensurem longitudinem hujus umbræ, non tamen potero venire in cognitionem celsitudinis turris. Quid ergo facto opus? An capienda humilitas aliorum sanctorum, vel spirituum Angelicorum? Profecto adhuc non habebo intentum, quia sicut nulla est proportio inter sublimitatem perfectionum, quas illi habent cum suis perfectionibus, sic umbra eorum humilitatis nullatenus poterit proportionari umbræ tuæ humilitatis, quia celsitudo tuæ perfectionis participat quid infiniti, & umbræ tuæ humilitatis debet esse infinita, sicut humilitas aliorum sanctorum finita est. *Finiti autem ad infinitum nulla est proportio.* Hinc S. P. Bernardinus *Sicut nulla post filium Dei creatura ascendit in gratia dignitate, sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis profunda.* Videbo itaque num humilitate tui eminentissimi filii possim attingere celsitudinem hujus turris.

Sed quomodo poterit hæc umbra humilitatis Christi servire meo intento, si regula opticorum dicat: *Ex umbra nota altitudinis, investigamus altitudinem ignotam.* Cum ego non possim cognoscere quænam sit altitudo, & eminentia filii Dei, adeoque etiam sit cognita umbra ejus humilitatis? O Turrim infinitæ celsitudinis! omnia instrumenta mathematica, omnes regulæ Geometræ, & opticæ sunt insufficientes ut penetremus hanc altissimam subtilitatem, & eminentiam, quia omnes serviunt ut cognoscamus dimensiones terminatas & finitas, tu autem transcendis infinitum, idque infinities, adeoque nullam potes habere proportionem nisi cum infinito, & illius umbra. Sola altitudo infinita Christi, & umbra illius possunt ad hoc intentum servire. Cum enim Christus quia Deus fuerit infinitæ, & incomprehensibilis eminentiæ, & umbra illius humilitatis habeat quid infiniti, cum Deus assumendo naturam humanam, se deprimat in infinitum, ideo & altitudo hujus turris, & umbræ tuæ humilitatis erit infinita. Cum maternitas Dei prout affirmat Angelicus Doctor, sit dignitas infinita, sic dum se Mater Dei vocat ancillam, & servam, erit hæc umbra infinitæ humilitatis.

Hodie sistitur in templo filius Dei ut purificetur, ô qualem umbram infinitæ humilitatis, quod ille qui mundat alios, ostendat se egere mundatione? Hodie comparet Mater Dei, ut munderur, ô qualem umbram humilitatis infinitæ, quod illa se declaret subjectam legi purificationis, quæ velut Mater Dei concepit de Spiritu Sancto! Cum igitur sit conditionis infinitæ umbra humilitatis Christi, & per hanc metiamur umbram humilitatis Mariane, Maria etiam erit conditionis infinitæ, & sicut infinitus

Serm. de assumpt.

Psal. 65.

Lib. 2. de laud Virg.

Tom. 2. art. 1. c. 3.

finitæ ſunt umbræ, ſic humilitas, eminentiæ, ac ſublimitates utriuſque erunt infinitæ. Hic dixit Divus Dionyſius Carthuſianus. *Quo aliquid eſt alicui propinquius, tanto eſt ei ſimilius: quemadmodum ergo dignissima virgo fuit Chriſto præ cunctis propinquiſſima, ſic fuit & humilitate, aliiſque virtutibus ſimillima.* Dicamus ergo quod hic thronus Dei, qui hodie in templo comparuit, fuerit ſublimitatis incomprehenſibilis, ita ut non poſſit menſurari niſi infinitâ humilitate ſuâ, & filii Dei. *Ferculum Fecit, &c. Quia humilitas pro Chriſto, &c.* humillima, & eminentiſſima Maria!

Serm. 4. de Concept.

Epilogus.

XVIII. O glorioſiſſima virgo, benedixi in capite mei diſcurſus, quod quo magis te humiliaſti in hodierna purificatione, eo ſublimior, & eminentior comparueris inſtar petræ, quæ è ſublimitate empirei cadens uſque ad centrum terræ, non quievit in illo; ſed aſcendendo ad alteram partem ejuſdem cæli perrexit. Revera non dixi malè, quia crines tuæ humilitatis hodie deſcendentes inſtar gregum capratum è monte Galaad, aſcenderunt altius inſtar aquæ, quæ profluit ex altiſſimo monte ad profundiſſimam vallem, & eiſdem paſſibus ſcandit verticem alterius montis excelſi. Non erro in meis conceptibus, quia hodie diſcooperis virgam ſubtiliſſimam fumi, quæ ſpirat fragrantiam omnium aromatum virtutum; Hinc eſto per tuam humilitatem te effeceris centrum indiviſibile, tamen fuiſti capax, ut reciperes infinitos radios divinorum favorum.

Dixi bene in meo aſſumpto, (eſto minus dignè explicuerim meos conceptus) quod Nardus ſuaviſſimus tuæ humilitatis traxerit è ſinu patris immenſo filium Dei ad ſinum anguſtiſſimum & minimum tui uteri, & videns quod tua humilitas ſit facta vacuum extra cælum, vacuum quod ſolum eſt adæquatum ſuæ immenſitati, non doleo quod aſſumpſerim hanc provinciam, eſto longè aberraſſe me fatear.

Digna fuit mea propoſitio (quamvis nimis frigidè illam probaverim) qua dixi, quod ipſe Deus, eſto ſit ſummè ſapiens, adeoque nullius capax admirationis, nihiloſecius dum videret tuos pedes, & calceos tuæ humilitatis & conſiderans greſſus, quos è domo tua ad templum formaſti & è templo domum, & quo tui calcei lunati te exhibuerint quaſi ſemideam, indicibili ſtupore affectus fuerit.

Non me pœnitet meæ propoſitionis eſto rubore afficiar ob meam ignorantiam, & inſufficientiam in aſſumpto probando. Ut verum fatear, conatus ſum palam oſtendere Thronum eminentiſſimum Dei, cujus gradus, puta tua profundiſſima humilitas veſtiti ſunt purpurâ, ſignum evidentiſſimum, quod cum hæc ſit virtus Regalis, & dignitatis maximæ, ac incomparabilis excellentiæ debeat eſſe thronus. Sed dum conatus ſum metiri ſublimitatem, & altitudinem hujus ſolii Dei, fateor meam inſufficientiam eſto adhiberem omnia inſtrumenta, & regulas Geometricas & opticas. Unicum medium reſtabat, ut ſcilicet uterer umbrâ infinitâ humilitatis Chriſti; Hac vix uſus, & non attendens quod ſim minor arenâ Maris, non vidi quod nimis fuerim præſumptuoſus, volens menſurare infinitum ſed nunc prius erroremagnoſcens, quod aggreſſus ſim opus ſuperans vires meas veniâm rogo. Et eſto erubeſcam ob præſumptionem meam, non tamen erubeſco ob meam inſufficientiam, quia clarè video, quod ſublimitas tuæ exaltationis ortæ à profundiſſima vilitate tuæ humilitatis in purificatione, non poſſit cognoſci, nec menſurari niſi per umbram infinitam humilitatis Chriſti filii Dei, qui ſolus tanquam eminentiæ infinitæ poteſt perfectè & dignè penetrare, & cognoſcere & menſurare eminentiam tuæ ſublimitatis, & profunditatem umbræ tuæ humilitatis; ſub hac rogo ó virgo pientiſſima velis nos admittere, protegere & defendere nunc, & ſingulariter in hora mortis noſtræ, Amen.

ELOGIUM V.

Pro feſto S. Matthiæ Apoſtoli.

Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum Leve.
Matth. 11.

Philoſophia.

I. AMethyſtum pretioſiſſimum lapidem, & gemmam æſtimatiſſimam affirmant ſcriptores, quod habeat colorem pulcherrimum & vivaciſſimum, ita quod in illo præfulgeat color purpureus violaceo intermixtus, ut unicus & quidem ſimpliciſſimus color inſtar coloris roſæ videatur. *Amethyſtus*, inquit Iſidorus, *eſt colore purpureo, & violaceo permixtus quaſi roſa nitens* Nec minus eſt pretioſus, & æſtimabilis ob raras virtutes, quas continet, quam ob venuſtatem pulcherrimorum ejus colorum. Nec hoc eſt mirum, quia eruditi, qui ſtudent cognitioni, & penetrationi exactæ lapidum pretioſorum, eorumque virtutum & qualitatum, affirmant, quod ſupramodum pellat ebrietatem, & poſitus ſupra umbilicum illius, qui exceſſit in potu, deprimit vapores vini, qui alias ad caput aſcenderunt, & conſequenter prohibet nimias freneſes, judicia, & diſcurſus imprudentes potatorum. *Ebrietati reſiſtit* dicunt illi gemmarii Philoſophi. Præterea, *facit vigilem*, tollit malam imaginationem, diſponit ad bonum intellectū.

Iſidorus.

Philoſophia.

Semper percupidus fui ſcire cauſam, ex qua proveniat, quod Amethyſtus producat effectus adeo notabiles. Et tandem inveni philoſophos recurrere ad rationem naturalem, & id ſolum refundere in temperamentum lapidis. Hic cum ſit naturæ calidæ & humidæ, prout clarè colligitur ex colore ejus purpureo, & violaceo, attrahit ad ſe calorem ſuo inſtar roſæ vapores, & fumoſitates vini, & ſuo humore temperat vinorum calorem, imò ſuo modo reddit groſſos illos ſpiritus, ut non poſſint ita facilitet evolare ad caput. Hinc capite purgato, aut illis vaporibus domitis ebrius evigilat, ex quo ſimiliter naſcitur, quod illæ turbulentæ imaginationes à ſpiritibus vini cauſatæ ſopiantur, & tandem non obſcuretur intellectus, nec à rectitudine judicii declinet. Hinc dicunt illi Philoſophi. *Ebrietati reſiſtit facit vigilem, &c.*

Aſtrologia.

Addunt Aſtrologi amethyſto ſingulariter prædominari planetam Jovem, qui majori virtute in eum influit, uti ejus temperamentum, quod non valde differt à temperamento planetæ oſtendit. Dicunt itaque, quod Jupiter ſit planeta naturæ valde temperatæ, ita ut nec humor à calore, nec calor ab humore excedatur, ſed exactè, ac temperatiſſimè calor junctus ſit humori, & ideo ejus influentiæ ſunt ejuſdem conditionis; adeoque cum ſit dominus partus, & prædominetur ſanguini, quando eſt feliciter collocatus, tunc ita accuratè attemperat humores noſtri corporis, ut reddat perſonam optime diſpoſitam in complexione naturali membrorum, ſtaturæ valde proportionatæ, formæ venuſtæ, ac jucundæ; Et quia affectus animi ſequuntur conſtitutionem corporis, illa perſona ordinariè erit magnanimus, generoſus, alacer, fidelis, affabilis, amans juſti, judicioſus, & juſtus, ab æquitate non declinans, ſed potiusſin factis integer & rectus. *Natus ille, cujus Iupiter patrocinium ſuſceperit, magno animo erit, amator honeſti, defenſor æqui, apud quem fides, rectitudo, integritas, prima ſemper futura ſint.* Et ſicut Jupiter regit & temperat ſanguinem, ex quo dependet compoſitio proportionata corporis & animi, & amethyſtus ſit coloris purpurei, qui conſecratus eſt

Jovi,

Jovi, & dependet ab ejuſdem temperatis influxibus, hinc dicunt quod habeat particulare dominium ſuper amethyſtum, & quod ab illo habeat lapis ille præfatas virtutes, ut ſcilicet reſiſtat ebrietati, temperantiam conſervet, tollat malas imaginationes, intellectum rectè diſponat. Idcirco volunt ſymbolici amethyſtum eſſe ſymbolum temperantiæ.

Applicatio.

II. Per amethyſtum juxta ſenſum plurium expoſitorum repræſentatur glorioſiſſimus Apoſtolus Matthias Deo diſponente aſſcriptus collegio Apoſtolico in locum Judæ proditoris. Matthias eſt ultimus lapis duodecim fundamentorum civitatis Jeruſalem deſcriptæ ab Evangeliſta Joanne in ſua Apocalypſi. *Duodecimum amethyſtus.* Hinc cum per alia undecim fundamenta ſignificentur reliqui Apoſtoli, cum Matthias ſit ſubrogatus in locum apoſtatæ Judæ, eſt ultimum fundamentum hujus ſacri Collegii, & ideò ſignificatur per amethyſtum, qui eſt duodecimum fundamentum hujus ſanctæ civitatis, uti declarat Beda, Baſilius, Viegas, & alii Expoſitores Apocalypſis. *Duodecimum amethyſtus, & ſignificat Matthiam Apoſtolum.* Amethyſtus coloris purpurei ob ſanguinem ſparſum dum occiſus eſt à Judæis. Amethyſtus coloris violacei ob humilitatem dicto flore ſignificatam; Nam Matthias idem eſt, ac *parvus humilis.* Amethyſtus coloris roſei ob ſincerum amorem, quo amabat Chriſtum Redemptorem, cujus veſtigia tanquam unus ex diſcipulis ejus tanto tempore eſt ſecutus. Amethyſtus, qui efficaciâ ſuæ prædicationis evacuavit caput Hebræorum peccatorum, qui per vapores errorum ſuorum currebant in impertinentia, ſed extravagantia per eorum perverſa judicia, ac ſiniſtras imaginationes, judicantes ſine prudentia legem Chriſti fuiſſe nimis rigidam, ac ob exceſſivam gravitatem, atque pondus inobſervabilem, atque nimiis præceptis refertam. Amethyſtus, qui temperando illorum ſpiritus, eoſque reducendo ad quandam moderatam diſpoſitionem amoris, & charitatis Dei, ſimul illas falſas imaginationes corrigebat, & perverſa judicia emendabat, judiciumque rectum iis inſtillabat, declarans iis, ei, qui libenter, & ex amore amplectitur legem Chriſti, non videri quod ſit nimis multiplex, numeroſa, gravis, vel difficilis, ſed potius jugum ſuave & leve, quomodo ipſemet, qui triginta tribus annis illud portarat, expertus eſt, & ipſemet Chriſtus ſemper docuit. *Jugum meum &c.*

Cap. 21.

O pretioſiſſime Amethyſte, ô glorioſiſſime Apoſtole! Unde amabo tibi evenit virtus adeò efficax, ut è cordibus eorum pelleres falſas imaginationes, & ex eorum intellectibus eradicares illa ſiniſtra judicia? Scio id proceſſiſſe à ruâ temperatâ, & proportionatâ compoſitione, non tam corporis, quam animi, regulati ab amore, quo proſecutus es Deum, hic, ſicut diſpoſuit tuum intellectum, ut judicares legem Chriſti eſſe levem & ſuavem, ſic faciebat ut id perſuaderes etiam aliis, verùm non errabo ſi addam, quod totum id dependerit à ſupremo illo Jove ſcilicet Deo, qui jam ſuos ſuper te radios diffuderat, & cum particulari prædominio tibi ubertim communicarat ſuas cæleſtes influentias, quando fuiſti ſubrogatus in locum Judæ, prout advertit S. Apoſtolus Petrus. *Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus unum &c. Et cecidit ſors ſuper Matthiam.* Hæc ſors, ut cenſet Areopagita, erat radius lapſus è cælo ſuper tuum caput. Hinc non mirum, quod hic Jupiter ſupernus adeò animam tuam attemperarit, & rectificarit, ut illam effecerit totam purpuream, roſeam, amoroſam, amicabilem ignitâ charitate repletam, Ex hoc porrò regulato amore proveniebat in te rectum judicium, quo judicabas divinam legem non eſſe jugum grave, & difficile, non numeroſum, prout judicandi illi, qui non amant Deum, ſed ſuave, leve & ſimplex, prout etiam ſuadere conatus es aliis. Nec erro in meo conceptu, quia ſancta Eccleſia legit hoc Evangelium in tuo feſto, ut demonſtret quod tu amethyſtus paradyſi, unum ex duodecim fundamentis Eccleſiæ, habueris prærogativam hanc, ut rectificares, & diſponeres intellectum, ut rectè judicet legem Chriſti eſſe ſuavem, quia fuiſti coloris roſei, & totus amoroſus erga Deum. Et de hoc hodie perorabo.

Act. 1.

ASSUMPTUM.

8. Apoſtolus Matthias, quia ex corde Deum amabat, hinc contra conſuetudinem illorum, qui non amant rectè judicabat legem Chriſti eſſe ſuavem.

Scriptura. Gen. 3.

III. SAcer Chroſologus Moyſes refert in Geneſi, quod Dæmon invidia aduſtus, eò quod videret humanam naturam ad tantam eminentiam ſublimatam, nec id ob ſuam ſuperbiam ſufferre valeret omnia media, quæ ſuo intento continere putabat attentarit. In forma ſerpentis adit noſtram protomatrem, eam valdè amicabiliter & gratioſè interrogabat. *Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno Paradiſi?* Chariſſima Eva qualis eſt hic rigor, & ſeveritas Dei? Dedit veſtro uſui hunc inſigniſſimum hortum cum omnibus ejus fructibus, & jam vobis vetat, ut ab uno ſolo abſtinetis? ut verum fatear res mihi hæc videtur valdè abſurda & irrationabilis. Sed quæſo vos ſacri Interpretes, obſervate reſponſionem Evæ. *De fructu lignorum quæ ſunt in paradyſo veſcimur, de fructu verò ligni, quod eſt in medio paradiſi præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud ne forte moriamur.* Scias ô ſerpens non ſolum eſum illius fructus, ſed & tactum ejus nobis eſſe vetitum ſub reatu mortis. Cur autem id tam rigidè prohibuerit, intelligere nequeo. Experta parumper ita te Deus ſalvet Eva, hic aliquid dicis, quod à nullo antea dictum eſſe audivi. Dicis à Deo non ſolum eſum illius fructus, ſed & tactum illius eſſe vetitum. Ego hoc nullibi lego, invenio quidem quod interdixerit illius eſum. *De ligno autem boni & mali ne comedas.* Sed tactus nullam fecit mentionem, adeoque ſi illum tetigiſſes, nec comediſſes, non violaſſes præceptum Dei, nec pœnam incurriſſes mortis. Quinimo ipſe ſerpens, qui bene ſciebat ſolum illius eſum tibi à Deo interdictum quærit ſimpliciter *Cur præcepit &c.* Nec de interdictione tactus facit aliquam mentionem. Ex quo clarè concludo, ſolum eſum ejus à Deo fuiſſe vetitum. Qui ergo fit, quod tu credas, imò aſſeveranter affirmes duo fuiſſe data præcepta, unum, de fructu non comedendo, alterum de eo non tangendo, cum tamen fuerit tantum unum?

Oleaſter rem benè ponderans, ac perticâ rationis ad fundum uſque penetrans, quaſi Evæ ſuccenſus ob impoſturam quam Deo affingit, ad Evam converſus eam perſtringit ob injuriam Deo illatam. Tu dicis à Deo duo fuiſſe præcepta data? Et unde quæſo habes à Deo fuiſſe vetitum tactum pomi? An non vides te deceptam, & hanc deceptionem à te provenire? Et an ſcio hujus cauſam? Tu obſervas unum præceptum non velut filia ex amore, quo teneris proſequi Deum tuum, qui tibi prohibuit ne comederes pomum, ſed mota timore ſervili ne moriaris ſi Dei juſſionem violes, ex uno præcepto facis duo. *Quia non ex amore, ſed timore mortis potius legem ſervandam arbitrabatur, quàm timor ex una feciſſe duas viſus eſt*; quod ſi mota fuiſſes amore ſincero erga Deum, non fuiſſes decepta, ſed rectè judicaſſes, & vidiſſes fuiſſe unum præceptum non duo, prout tu tamen Deo impoſuiſti. *Quia non ex amore &c.* ſiquidem eſt proprium illius, qui non amat Deum, ut contra id quod ſolent eum amantes, judicet legem Dei eſſe difficilem & numeroſam. *In cap. 3. Gen.*

Verum Apoſtolus Matthias tanquam pretioſiſſimus amethyſtus coloris roſei, hoc eſt totus amore divino flagrans, & qui eum tanquam diſcipulus tot annis ſecutus eſt, & cui ſupremus Jupiter rectum & ſanum judicium infuderat non judicabat jugum Domini, ejuſque legem graviorem & numeroſiorem quam à parte rei fuerat, ſed potius ſuavem, & ſimplicem. Quomodo enim alias potuiſſet eam tot annis obſervare, & illam perſuadere aliis, qui judicabant quod eſſet lex adeò gravis, difficilis, & numeroſa; Amabat Chriſtum, & obſervabat ejus legem, non ex timore pœnæ, ſed ex amore, quem Deus ejus cordi infuderat; Hinc dixit Anano Hebræorum Pontifici ſe nullam aliam legem amplexurum, quam Chriſti, ſe nulli alteri parıturum, quam Chriſto, nec ſe curaturum mortem pro illo defendendo, quem ſequebatur, & quem docebat. Erat namque Amethyſtus purpureus paratus fundere ſanguinem. Amethyſtus coloris roſei, amoroſus totus, & affectus ſuo domino. Amethyſtus, qui correxit falſas imaginationes Judæorum credentium legem Chriſti eſſe difficilem & inobſervabilem. Amethyſtus, qui tollit malam imaginationem.

Optica. IV. Res profectò non exigua eſt (NN.) quàm ego obſervo in noſtris oculis, nempè quod ſive ambobus oculis, ſive uno contueamur unum objectum, appareat hoc tamen eſſe unicum tantum, uti revera eſt, cum tamen veriſſimum ſit in bona Philoſophia objectum illud quod utroque oculo conſpicimus duas ſpecies, vel ſimilitudines ſui ipſius mittere, unam ad oculum dextrum, alteram ad ſiniſtrum, adeoque cum ſint duæ imagines repræſentantes, & duo oculi, qui ſpecies recipiunt, videtur quod duo objecta deberent comparere: quod ſi tamen digito claudas unum oculum, & eum amoveas à ſitu ſuo naturali, illud objectum apparet duplicatum, quantum eſt hoc prodigium?

Nonnulli Philoſophi Optici æſtimantes viſionem perfici in ſenſu communi, cum hic ſit unicus tantum, eſto oculi ſint duo, & objectum cuique imprimat ſuam ſpeciem, hinc unicum tantum comparere, & non duo aſſerunt.

Cimellus & Vitellius Optici valdè periti opinati ſunt id provenire à congreſſu Nervorum Opticorum, & viſualium, qui ſunt neceſſarii ad viſionem. Dicunt itaque iſti quod à cerebro duo nervi depulentur à natura ad potentiam viſivam. Hi nervi Optici per diverſas vias uſque ad certam diſtantiam in media fronte pergunt ad potentiam viſivam, ad illam ut pervenerunt, antequam intrent Calvariam oculorum omnium ſimul, & quaſi ex duobus fiunt unus; dein rurſus dividuntur, & unus intrat Calvariam oculi dextri, alter ſiniſtri. Hoc ſuppoſito, inquit Vitellius viſio completur & perficitur in congreſſu nervorum Opticorum, per quem uniuntur, & ex duobus fiunt unicus tanum, & quia ſpecies objecti pervenientes ad dictum congreſſum etiam fiunt una tantum, hinc eſto objectum terminet viſionem utriuſque oculi, & duas ſpecies emiſerit, tamen videtur eſſe tantum unicum & ſimplex.

Alii Optici non minus ignobiles volunt viſionem perfici & compleri in conjunctione illarum duarum linearum, quas vocant *Axes Opticos* vel *Axes cognitionis*. Dicunt igitur hi docti, quod ex centro cujuſque oculi deriveturunus radius, & una linea, quæ ferit & terminat objectum à nobis viſum, & virtute hujus perficitur, & fit vera viſio, ideoque utraque vocatur *Axis cognitionis*. Hæ itaque duæ lineæ ab oculis derivatæ uniuntur & conjunguntur in objecto à nobis viſo, ita ut ex duabus fiant ſuo modo una ſola, adeoque eſto videamus objectum utroque oculo, nihiloſecius apparet eſſe unum tantum. Hinc proferunt hanc inſignem propoſitionem. *Viſibile in axium Opticorum congreſſu poſitum, unum videtur.* Hæc ratio eſt melior profectò.

Et hinc eruitur reſponſio ad ſecundum quæſitum, nempè unde proveniat quod occluſo per digitum uno oculo, objectum videtur duplicatum eſto ſit unum tantum, nam quoties hæ duæ lineæ ſeparantur, tunc una deſtinatur ad punctum diverſum ad quod terminatur alia, & hinc cum quælibet ſit *axis cognitionis*, ideò objectum apparet duplicatum. Hinc dicunt Optici. *Diſtractâ luminum ſocietate cuncta geminari videntur.* *Franciſcus Aquil.*

V. Nunc ad applicationem. Duo radii, & duæ lineæ prodeunt ex anima noſtra, & noſtro corde, utraque non ſine cauſa poteſt vocari *axis cogitationis*, quia utraque multum conducit ut anima veniat in perfectam cognitionem Dei & legis divinæ, una eſt linea, & radius amoris, altera timoris filialis. Hæ duæ lineæ ſemper ſimul concurrunt, & ſimul terminantur in eodem objecto divinæ legis, & æqualiter concurrunt ad ejus obſervantiam. Amor complacendo ſibi in ejus obſervantia, eò quod rem gratam præſtet Deo. Timor ne Deo diſpliceat. Amor itaque ſemper comitatur timorem filialem, ſicut econtra timor ſervilis ſemper fugit amorem, & ab eo ſe ſeparat, quia facit ut legem obſervemus, non quia timet offendere Deum, illique diſplicere, ſed ſolum quia timet pœnam. Hinc de eo loquens dixit S. Joannes. *Timor non eſt in charitate.* Ubi ſic Hieronymus: *Timorem ſervilem perfecta dilectio foras mittit, amicabilem autem, & ſanctum non excludit charitas.* Applicatio. *Ioan. epiſt. 1. c. 4.* *ibid.*

Ex hac porrò ſeparatione lineæ timoris à linea amoris provenit error & deceptio eorum, qui ſpectant, & obſervant legem Dei, quia illi qui illam conſpiciunt axe timoris ſervilis, & eam obſervant ex metu pœnæ inferni, ſupplicii temporalis, aut etiam æternæ, eam cenſent multo graviorem, difficiliorem, & numeroſiorem,

rem, quia hæc linea timoris servilis, separata à linea amoris, non terminatur ad Deum, sed in seipso, & in proprio commodo, sed ille qui eam contuetur, & observat axe timoris filialis, & qui secum semper habet amorem, ille non erat in cognitione hujus legis, & illam agnoscit unicam, & non numerosam, non multiplicatam. Et quamvis aliquatenus eam duplicet, tamen id facit pro bono observatoris illius, quia plura præcepta putat unicum tantum. Hinc ad stuporem benè Oleaster. *Expende amoris & timoris*, puta servilis discrimen. *Amor ex multis præceptis, imò ex tota lege unum præceptum facit, timor verò ex uno multa.*

Quam egregiè eluxerunt istæ duæ lineæ in bellissimo amethysto S. Matthiæ Apostolo? In illo micabat linea amoris Dei & legis ab ipso cum Evangelio latæ, dum in illo videbatur color purpureus, charitatis symbolum, similiter in eo resplendebat linea timoris filialis, dum in hoc amethysto cernebatur color violæ pallidæ significans timorem; portò hæ lineæ unitæ concurrentes terminabantur in colorem roseum, qui unum & alterum complectitur, purpureum scilicet amoris, & viola cum timoris. Ab hac igitur perfectâ unione provenit, ut Matthias videret legem Dei non multiplicem, sed simplicem & unicam; imò multa præcepta judicaret unicum tantum. Habuit igitur judicium contrarium judicio nostræ protoparentis, quæ ductâ lineâ timoris servilis falsò judicavit non solum esum, sed & tactum pomi fuisse vetitum. *Quia non examore, &c.*

Scriptura. VI. Loquens Salvator apud D. Joannem de Observantia divinorum mandatorum, ex qua verus amor, & charitas hominis erga Deum colligitur sic suis Apostolis dicebat. Discipuli mei, vultis clarè cognoscere, num aliquis me amet? observate an legem meam & verba mea Cap. 14. observet; si observet verba mea, & illud quod jubeo, indubitanter credite talem erga me singulari affectu ferri, sed si videritis, quod dicta mea non curet, & legem meam violet, insallibiliter infertè, quod talis me non amet. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Qui non diligit me sermones meos non servat.*

Nescio an in tota sacra Scriptura possit inveniri passus clarior, & minoribus difficultatibus involutus. Nihilosecius invenio, quod adeò sit difficilis, ut non ita faciliter eum explicare possim. Quæso vos sacri Interpretes, observate diversum modum loquendi Christi in his duobus periodis. In prima dicit, quod ejus lex sit ejus sermo: *Sermonem meum* in singulari. In secunda verò dicit, quod sit eius sermones in plurali, *sermones meos. Si quis diligit &c.* Quale est hoc paradoxum? Lex Dei semper est eadem, adeoque vel est unica tantum, vel multiplex, si una: ergo tam in secunda periodo, quam in prima debebat eam vocare *sermonem meum* in singulari. Si multiplex, in utraque propositione debebat dicere *sermones meos* in plurali. Hic singulariter noto mihi dare responsū singulari ponderatione dignū, quod in prima propositione Christus de iis loquatur, qui legem ejus observant, quia dicit *sermonem meum servabit.* In secundò verò eum sermocinari de iis, qui illam transgrediuntur. *Sermones meos non servat.* Veruntamen hæc speculatio mihi non satisfacit. Quia semper est eadem lex, sive quis eam observet, sive quis eam violet, ideò utrobique debebat loqui in plurali, vel in singulari, unde ergo fit, quod illi qui observant legem, experiantur quod sit una sola, illi verò qui eam non curant, probent quod sit multiplex & numerosa? Divinè Oleaster dicit solutionem ex ipsis verbis Christi esse eruendam. Hic enim dum loquitur de sua lege in singulari *sermonem meum*, non solum discurrit de eo, qui illam observat, sed & qui eam amat. *Si quis diligit me sermonem, &c.* Sed quando legem suam vocat *sermones meos* in plurali, loquitur tunc non tantum de iis, qui eam non violant, sed & qui eam non amant. *Qui non diligit &c.* Quia igitur ille, qui Deum ex corde amat plures leges & præcepta judicat, unicam tantum legem, & unum præceptum, econtra verò ille, qui Deum non amat unicam solum legem & præceptum, judicat esse plures leges & plura præcepta, ideò in prima propositione eam nominat *sermonem meum* in singulari, in secunda verò *sermones meos* in plurali. Divinè Oleaster. *Si quis diligit &c. Ac si dixisset explicatius. Sermones sunt, & leges ei qui non diligit. Qui verò diligit me, sermonem meum servabit, id est multo sermones, unicum sermonem & levem reputabit.* Perinde ac Oleaster diceret. Unitas, aut multiplicitas legis ejusdem, non dependet ab eadem Inca. 3. lo.

dem lege, quia hæc ſemper eſt eadem, ſed derivatur à diſpoſitione illius, qui eſt ſubjectus legi: quia ſi talis amet Deum, non eſt dubium, quin lex illi videatur unica, & ſola; ſed ſi non amet, reputabitur ab eo multiplex, gravis, & inſupportabilis. *Sermones meos, &c.*

Nunc quiliber, eſto habeat mediocrem conditionem, conſideret hunc cæleſtem amethyſtum Matthiam, an ille reputaverit legē Chriſti multiplicem, vel numeroſam, aut potiùs unicam ſolam. A Chriſto fuit numero diſcipulorum adlectus, & vivens Salvatoris veſtigiis inſtitit, & legis chriſtianæ jugum humeris ſuis impoſuit. Imò poſt adventum Spiritus Sancti, qui velut Jupiter ſupernus linguâ igneâ huic ſacroſancto amethyſto ſuos efficaciſſimos cōmunicavit influxus, eandem legem per Judæam portavit, ac prædicavit, & quia præterea inſtar amethyſti coloris roſei præ omnibus ſuum Creatorem amabat, quæro ego, an hic Apoſtolus reputaverit legem divinam unicam, vel plures, ac multiplicem. Si ille, qui amat, & obſervat legem Dei, illam æſtimet unicum tantùm ſermonem, & legem, *Si quis diligit, &c.* & ille, qui non amat, judicet, quòd lex Dei ſit, plures ſermones, & plura præcepta: *Qui non diligit, &c.* Et Matthias tanto tempore amaverit Deum, ejuſque legem ſanctam obſervaverit, quis ſibi poſſit perſuadere, quòd reputaverit illam eſſe jugum importabile, gravius, numeroſius, quam à parte rejecerat?

Optica. VII. Sed quæſo vos Eruditi, ne pigeat proclariori intellectu loci hujus eum contrapunctare belliſſimâ doctrinâ, decerptâ ex Optica. Neſcio, an unquam in praxi obſervaveritis differentiam perſpiciliorum fabricatorum in formâ planâ, & ordinariâ, ac eorum, quæ ſunt figuræ quadræ. Attendite. Si vos perſpicilio plano, & ſimplici intueamini objectum parvum inſtar manus, vel grani milii, illud objectum vobis repræſentabitur unicum ſolum, & ſimplex, ſicut à parte rei eſt; ſed ſi illud reſpiciatis perſpicilio quadro, videbitis juxta numerum quadrorum apparere illud objectum multiplex, & tot videbitis objecta, quot quadra ſunt in conſpiciliis. Unde oritur hæc multiplicatio illa in objectis?

Vos doceris Domini Optici, tunc objectum per conſpicilia à nobis videri ſine deceptione, quando ſpecies emiſſa ab objecto recipitur ab oculo per lineam rectam; nam ſi recipiatur obliquè, tunc ſemper intercurrit error; hoc ſuppoſito, quando objectum conſpicimus per conſpicilia ſimplicia, & plana, tunc objectum mittit ſpeciem ſuam ad oculos per lineam rectam, ita ut ſpecies non reflectatur, vel multiplicetur, ſed maneat unica, adeoque nulla contingit deceptio, ſed objectum videmus unicum, ſicuti eſt.

Econtra quando videmus objectum per conſpicilia quadra, tunc ſpecies quam mittit objectum, eſto mittatur per lineam rectam, & quidem unica ſola, nihilominus quando pervenit ad oculum, tunc multiplicatur juxta numerum quadrorum conſpiciliī, ita ut cuilibet reſpondeat ſua ſpecies, ac ſi forent plura conſpicilia. Et quia nos credimus, quòd tot ſint objecta, quot ſpecies videmus, quæ per conſpicilia tranſeunt ad oculos, hinc fit, ut objectum à nobis viſum per conſpicilia quadra videatur multiplicatum, & toties auctum, quot ſunt quadra conſpiciliorum; & cauſa hujus eſt reflexio ſpecierum, adeoque imaginativa decipitur, ſicut & intellectus, niſi per diſcurſum corrigatur.

VIII. *Si quis diligit me, &c.* Amor (N. N.) eſt quaſi conſpicilium, per quod oculi animæ noſtræ intellectus & voluntatis feruntur ad Deum, & ejus ſanctiſſimam legem. *Amor*, dixit quidam, *conſpicilium eſt.* Et ſicut varia ſunt genera conſpiciliorum, videlicet quædam, quæ decipiunt oculos corporales, imaginativam, imò & ipſum intellectum, ex alia, quæ id non faciunt, ſic ſunt diverſa genera amorum, qui feruntur ad Deum, & legem ejus, ſcilicet amor Dei, & amor noſtri. Amor Dei, utpote qui directè fertur in Deum, non decipit animam noſtram, ut putet, quòd lex Dei ſit multiplex, & numeroſa, imò facit, ut multa præcepta ejuſdem legis judicet unum tantùm, ſicut videmus in Davide, qui quia intuebatur legem Dei conſpiciliis amoris divini, ſexcenta & tredecim præcepta judicaverit tantùm eſſe unum præceptū. *Legem pone mihi Domine viam juſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.* Pſal. 118. Hoc obſtupeſcens Olealter, ſic Davidem alloquitur: *Nunquid non ſexcenta tredecim leges ſunt, quas ſervare tenebaris bone Rex: Cur ergo legem vocas ſexcenta* Applicatio.

tredecim præcepta? Et ex parte Davidis respondet: *Quoniam dilexi legem tuam Domine.* Illi autem, qui intuentur eandem legem conspiciliis, quadrigis, hoc est, non amore Dei, sed amore proprio, & proprii commodi, illi judicant quòd lex Christi sit multò major & numerosior, quàm in se sit, non una tantùm, sed decem, centum, & mille leges, & hoc, quia ista conspicilia non directè feruntur in Deum.

S. Apostolus Matthias aspiciebat legem Christi conspiciliis amoris Dei, & ideo in judicando non errabat, credens eam esse numerosiorem, & majorem, sed æstimabat, quòd esset unica tantùm; hinc dicebat cum Davide: *Lege pone mihi, &c.* Quia cùm esset Amethystus coloris rosei, & legem videret conspiciliis amoris Dei, ideo æstimabat & videbat, quòd esset unica solùm: & hoc, quia *diligebat eam.* Sed Judæi, ad quos, disponente ita Spiritu Sancto, erat missus hic Apostolus, ut persuaderet & prædicaret iis eandem legem, quia eam intuebantur conspiciliis amoris proprii, & proprii interesse, tunc legem, quæ erat simplex, æstimabant nimis grandem, multiplicem, & numerosam, adeoque insupportabilem, & inobservabilem, prout & eam æstimant Christiani nostri sæculi, qui Deum non amant. Dicebant Judæi, quòd non debeat occidi inimicus, transeat, quia
Matth. 5. id Deus jussit: *Non occides*: sed quòd præterea eum debeamus amare, ei benefacere, & pro illo orare, prout Christus docet: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos,* hæc est lex nimis numerosa, multiplex, & gravis. Et quia Apostolus Matthias Amethystus cælestis voluit in Judæis corrigere hos errores, & falsas imaginationes, ostendendo hoc ex illo provenire, quia non amabant Christum, sed eum oderant, prout ipse docuerat, *Qui non diligit, &c. Et quòd sermones sunt, & leges ei, qui non diligit,* & quòd *Iugum Christi suave est*, ideo fuit accusatus apud Pontificem Ananum, damnatus ut lapidaretur velut blasphemus, & sub lapidibus sepeliretur.

O glorioſiſſime Matthia, ô cælestis Amethyste! cui Deus delegavit hoc munus corrigendi falsas imaginationes Judæorum, qui falsò judicabant numerosum, & minus suave illud jugum Christi, clarè videtur, quòd tu illud non judicaveris tale esse, nec sic egeris toto decursu vitæ tuæ, quia pro defensione illius veritatis propriam vitam dedisti in potestatē impii Anani, & tuorum persecutorum, quos, sunt verba Lippoloe, *ad sanam mentem à pravâ deducere non potuisti*; quia esto fueris Amethystus tantæ efficaciæ, tamen non potuisti eorum intellectus corrigere, & ad verum judicium disponere. Sed cur hoc sit mirum, cùm noluerint unquam deponere illa conspicilia quadra amoris, & interesse proprii ob odium quo persequebantur Christum. Hinc hoc factum non debet attribui tuæ exiguæ virtuti, sed eorum pravæ dispositioni, & obstinatæ voluntati; tu enim judicasti legem divinam semper unicam, & solam, cùm eam semper fueris intuitus per conspicilia amoris divini, & conatus fueris eam esse talem persuadere deceptis Judæis, qui quia non amabant Christum, non solùm æstimarunt eam esse numerosam, & multiplicatam, sed & præterea gravem, onerosam, & impottabilem.

IX. Loquens gratiosa illa Sponsa de prærogativis sui dilecti, cum quo mutuos, eosque gratiosè sæpè trahebat discursus, dum non posset ampliùs cohibere flammam in suo pectore, quæ ardebat in illo Æthna amoris, in hæc verba adeo dolorosa prorupit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Sciatis ô puellæ Hierosolymitanæ, & sorores meæ dilectissimæ, quòd meus sponsus mihi sit instar fasciculi myrrhæ, quē inter ubera gesto. O dulcissima sponsa Dei, quale est verbum, quod hodie ex ore tuo audio! Sponsus tuus est tibi instar fasciculi myrrhæ adeo exigui, parvi, levis, & subtilis, ut pro ornamento illum gestes inter ubera? Sit venia verbo, vel somnias, vel insanis præ amore. An non recordaris, quòd in iisdem Canticis sponsus tuus vocetur Mons altissimus myrrhæ ob acerbitatem suæ passionis, & cruciatus illi inflictos à populo Hebræo? An nescis, quòd de se ipso dicat: *Vadam ad montem myrrhæ?* An nescis, quòd sacri Interpretes per hunc montem myrrhæ intelligant Christum, vestrum sponsum, qui voluntariè tot mortificationes gustavit, quæ sufficientes erant deprimere montem, & quòd mortē subjecerit? quomodo ergo dicis, quòd non sit nisi fasciculus myrrhæ subtilissimus, & minimus, ita ut pro ornatu tuo illum appensum geras ad ubera? An existimas, quòd mons altissimus maximus possit

Scriptura. *Cap.* 1.

Cap. 4.

sit vocari fasciculus subtilissimus, & minimus? Certè, qui hoc crederet, diceretur mente captus: quomodo ergo tu, ô gratiosissima puella, adeo prudens & sapiens pateris, ut tibi excidat tale verbum: *Fasciculus myrrhæ, &c.* Si ipse Sponsus de se ipso dicat: *Vadam ad montem, &c.* Eruditè S. P. Bernardus. Non dicit malè sancta Sponsa, quòd ejus dilectus, quamvis sit altissimus, maximus mons, tamen sibi videatur esse fasciculus myrrhæ, quia non dicit absolutè, quòd talis sit respectu omnium, sed solùm respectu sui ipsius. *Fasciculus, &c.* Et adjungit: *Mihi.* Ac si diceret: Non ego, imo libenter concedo, quòd meus Sponsus æstimetur ab aliis esse mons myrrhæ ponderis intolerabilis, sed solùm dico, & ut veritatem vendo, quòd à me judicetur esse simplex fasciculus subtilissimus, ita ut delectationis erga eum gestem inter ubera. *Fasciculus, &c.* Nec mireminì, quòd talis videatur esse sponsa, quia hujus causa fuit, quòd suum sponsum diligeret, quòd eum amasset, fuisset experta eum esse montem subtilissimum & ponderosissimum. Hinc subjungit Bernardus in persona sponsæ: *Mihi, qua dilgo, fasciculus est.* Quia re ipsa amor res seipsis graves, reddit leves, maximas minimas. Hinc lex Christi illi, qui amat, non videtur esse amplius quàm fasciculus myrrhæ, prout dicit Sponsus de suo dilecto: verùm qui non amat, credit eam esse montem altissimum, & onus importabile.

Serm. 49. in Cant.

Judæi, quibus prædicabat S. Matthias, eam judicabant & experiebantur esse onus importabile, & quia conabatur iis persuadere, quòd esset fasciculus myrrhæ levissimus, qui deberet non in dorso, sed supra cor, & in pectore, illi qui non amabant, sed odio prosequebantur Christum, datorem ejusdem legis, eum tradiderunt ejus hostibus, non advertentes, legem Mosaicam fuisse montem altissimum & ponderosissimum myrrhæ ob suum pondus importabile, sed lex Christi non erat nisi fasciculus myrrhæ subtilissimus, prout experiebatur ipsemet Apostolus, qui ex corde legem & datorem ejus amabat.

Philosophia.

X. Bellissima quæstio è Philosophia hunc locum Scripturæ illustrat, inquirunt illi, an elementa gravia, putà terra & aqua, cùm sunt in locis naturalibus, & propriis sphæris, gravitent, & actualiter petant deorsum?

Nonnulli censuerunt, elementa in propriis suis sphæris non solùm retinere suam gravitatem, hæc enim est eorum proprietas inseparabilis, sed & præterea actualiter gravitare. Hinc dicunt, quòd si terra moveretur à loco suo naturali, vel annihilaretur, aqua sine dubio descenderet, ut impleret illum locum priùs à terra occupatum. Quòd si de facto id fiat, quòd à terra sustineatur. Hinc concludunt, quòd elementa in loco etiàm naturali gravitent, ac descendant deorsum. Sed revera non bene discurrunt, esto hic non sit locus, ut illud ostendam.

Alii idcircò dixerunt, & valde sapienter, quòd esto elementa gravia in propriis locis retineant suam gravitatem naturalem, non tamen gravitent, quod experientia clarè demonstrat; quia si dejiceres homines ad fundum maris, certum est, quòd dorsum ejus onerent plus quàm centum urnæ aquæ, & tamen non sentiret illius pondus, quamvis extra aquam non posset portare duas urnas. Quòd si aqua in propria sphæra gravitaret, quomodo ille homo in fundo maris non sentiret illius onus, cùm tot urnas habeat supra suum dorsum.

Addite, quòd quando vas plenum aqua est in fundo vel maris, vel putei, & tu illam vis attrahere, experiris, quòd sine multo labore illam attrahis usque ad superficiem aquæ maris, vel putei, quando autem eam trahis ex ipsa superficie, tunc majores debes adhibere vires, quia est ponderosior, & ejus onus magis sentitur, quam ante. Ergo dicendum est, quòd elementa in propria sphæra non gravitent, esto habeant suam gravitatem naturalem. Insignissima opinio, quam docuerunt Archimedes, Ptolomæus, & alii Philosophi.

Applicatio.

XI. Nunc ad applicationem. *Fasciculus, &c.* Non est dubiũ, quin lex divina sit elementum, jugum, & pondus valde grave, specialiter respectu naturæ nostræ debilis & corruptæ. Hinc eam vocat Salvator *jugum & onus.* Et revera illam gravè & ponderosam sentiebant. Hebræi, quorum humeris Apostolus Matthias illam debebat imponere, sicut per triginta tres annos tentaverat, esto fructu valde exiguo, cùm non possent sustinere pondus adeo forte; hinc eam vocabant *onus grave, & importabile pondus.* quòd homo sit graviter ab altero læsus, nec tamen se debeat vindicare, est pondus valde grave, sed quòd nec verbo debeat offendere suam impa-

impatientiam, eſt onus graviſſimum, & quòd tandem offenſus, nec in corde debeat offendenti ſuccenſere, eſt onus importabile Quòd præterea bonum pro malo debeat reddere, & benefacere perſecutori, pro eoque Deum rogare, eſt jugum, eſt onus, eſt elementum adeo grave, & oneroſum, ut maximi Athlantes illud non poſſint humeris ſuis ſufferre *Onus grave, &c.* Attamen S. Matthias Apoſtolus, qui ſuis humeris hoc grave onus, & oneroſum elementum portavit, non probavit illud eſſe grave, & oneroſum, imò valde leve, & facillimum portatu. Et eſto fuerit à Judæis offenſus, injuriatus, malè tractatus, non verbis, factis, & lapidibus, & occiſus, tamen non obmurmuravit, imò libentiſſimè iis ignoſcebat, uti ejus Magiſter, & lex quam prædicabat, docebant. Unde ergo fit, quòd Judæi cenſuerint illud jugum fuiſſe grave, Matthias verò leve?

Sciretiſne mihi dicere (N. N.) quis ſit locus naturalis, & propria ſphæra legis divinæ? revera nullus alius quàm cor: ſic David: *Et legem tuam in medio cordis mei.* Nunc ſcietis cauſam, cur Judæi jugum divinæ legis prædicatæ iis ab Apoſtolo S. Matthia, cenſuerint eſſe jugum intolerabile & importabile, & Apoſtolus tamen nullum omnino ſenſerit pondus: nam ſi cor, & amor ſit centrum, & ſphæra legis, ille, qui non vult ſentire illud onus, debet Deum, & ipſam legem amare, quam habet in corde: Judæi iſti non amabant Chriſtum, imò & adeò eum adorabant, ut nec ejus nomen ſufferre poſſent, uti ad perſuaſionem Judæorum Ananus Pontifex ipſi Matthiæ declaravit. Et quia oderant Chriſtum, nec volebant legem portare in corde, proprio centro legis, hinc illam æſtimabant elementum ponderoſum, onus grave, &c.

Pſal. 89.

Econtra S. Apoſtolus Matthias pretioſiſſimus Amethyſtus coloris roſei, totus amoroſus, & affectuoſus erga Chriſtum, nullum ſentiebat pondus, vel gravitatem, eſto tot annis portaſſet hoc pondus & jugum, quia illud portavit in ſuo corde, centro, ſphæra, & loco naturali hujus elementi. *Et legem tuam, &c. Jugum meum, &c.* Imò ipſi imputantibus tanquam ſcelus enorme, & maximum dedecus, quòd eſſet Chriſtianus, reſpondit conſtanter & intrepidè: *Chriſtianum eſſe non criminoſum eſt, ſed glorioſum.*

Lippoleo in vita.

O ſanctiſſime Apoſtole, ô pretioſiſſime Amethyſte, ô generoſiſſime Athlas! ex hinc clarè elucet tuum robur, tuus generoſus valor, quod onus adeo grave, & importabile aliis, tibi tamen fuerit adeo leve, & ille altiſſimus mons myrrhæ à te judicatus, tantùm fuerit faſciculus myrrhæ, qui tibi tantùm ornatus erat, & delectamento, prout Sponſa dicebat: *Faſciculus, &c.* Sed non minor, quia dum portares hunc altiſſimum montem myrrhæ, hoc jugum, hoc elementum in medio tui pectoris, ex ſe alias grave & ponderoſum, attamen tibi non potuit aliud eſſe, quàm faſciculus, quàm jugum, quàm elementum valde leve, idque ideò, quia fuiſti Amethyſtus coloris roſei, quia amaſti legem divinam. Meritò ergo potuiſti dicere cum Sponſa: *Faſciculus, &c. mihi, qua diligo, faſciculus eſt.*

XII. Legimus in libro Numerorum de populo Hebræo, adeò quidem ingrato, & infideli, attamen tot favoribus à Deo dotato, ut non dedignaretur Angelos ipſos adhibere, pinſendo pani cæleſti, quo tot annis nutritus fuit in deſerto. Legimus inquam, quòd poſtquam tanto tempore illo cibo alitus fuerit, cœperit tandem illum faſtidire, & nauſeare. Hinc in illo vaſtiſſimo campo dicebat: *Anima noſtra enim nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo.* Nec aliæ voces reſonabant per illud deſertum. Ex alia parte obſervo, quòd Apoſtolus Paulus ſcribens Coloſſenſibus, ſupra modum delectatus & gloriatus fuerit in cruciatibus, quibus à fame, & ſiti torquebatur: *Gaudeo in paſſionibus meis, in fame, & ſiti.* Hic ſiſto (N. N.) & quæro, unde oritur hæc tanta differentia? Manna cibus adeo delicatus, ſuavis, dulcis, & ſubtilis, ſtomacho adeo aptus, & conveniens; manna, quod continebat in ſe ſapores omnium ferculorum pretioſorum, manna pinſum ab Angelicis ſpiritibus, quod per antonomaſiam vocari meruit panis Angelorũ, hoc inquam generat Hebræis nauſeam & faſtidium, ut tædio & nauſeâ totus plenus, ac tetricus clarè clamet per illa nemora: *Anima noſtra nauſeat ſuper cibo &c.* Econtra S. Paulus aſſerit, quòd ſtomachus ſuus ſummam capiat delectationem ex fame & ſiti? Hæc duo abhorret, & execratur natura tanquam nociva & deſtructiva vitium, complexionum, & tanquam adverſa ſtomacho; & nihilo ſeciùs tantam attulerunt lætitiam, & con-

Locus Scripturæ. *Cap. 11.*

Cap. 1.

consolationem Paulo, ut plenus jubilo, gaudio, corde exhilarato apertè clamet, & dicat *Gaudeo*, &c. Sacri interpretes, unde proveniunt hæc portenta?

In Ps. 118. Divinè os aureum. *Difficultatem non natura præceptorum, sed multorum solet socordia efficere. Itaque si quis ea animi alacritate susceperit, videbit ea esse levia & facilia: Quando enim Manna fruebantur Judæi, id & ægre ferebant, & mortem exoptabant. Paulus autem fame conflictans gaudebat, & exiliebat. Illi dicebant: Anima nostra arida est in Manna, eduxisti nos ut interficeres. Paulus autem: Gaudeo in passionibus meis.* Ac si sanctus diceret. Non Manna, quod è cælo delapsum fuit generavit nauseam Hebræis, nec etiam fames, & sitis fuerunt illa, quæ Apostolo ita jucunda fuerunt, si simpliciter, & absolute velimus loqui, quia Manna ex se erat suave, & dulce; econtra fames & sitis amara, & dura: à diversa ergo dispositione subjectorum hi varii effectus provenerunt. Stomachus & palatum Hebræorum fuerunt malè affecta & dispositа, & velut ingrati, ex bono corde non amabaant illum Deum, à quo tot favoribus affecti erant, & ideo Manna ex se suave, & salutiferum, illis fuit fastidium & nausea. Apostolus autem Paulus habebat stomachum & palatum sanum, ex toto corde amabat DEUM, & ideo fames & sitis, esto aliàs insipidæ & asperæ, ipsi efficiebantur dulcissimæ. *Quia difficultatem, &c.* Idem contigit S. Apostolo Matthiæ, & Hebræis, quibus in Galim, vel Giscala prædicabat. Dum illis in Synagoga legem CHRISTI celebraret & laudaret, iisque eam persuaderet, illi & legem & prædicatorem, datoremque ejus convitiis petere cœperunt, opposuerunt se Apostolo, eique velut blasphemo silentium indixerunt, ac si dicerent: Tace, nec verbum ulterius profer, stomachus noster fastidit hanc tuam vanam & futilissimam doctrinam. *Anima nostra, &c.* Porro Apostolus gustavit quod esset valde suavis, & sapotosa, nec plurium annorum spatio alio cibo pascebat suam animam, quàm observantiâ hujus legis. Sed mirum non est quod illi illam execrati sint & fastidierint, quia non amabant CHRISTUM, imò odio crudelissimo illum persequebantur. Sicut econtra Apostolus cum summopere amabat, nec pro eo vitam fundere timebat. *Difficultatem, &c.*

XIII. Erudita ingenia, credo quòd sæpius observa veritis certum casum, qui tribus personarum generibus sæpè accidere solet, nempè stultis, pueris, & dormitèntibus, & esto res sit exigua in se, tamen docti illam maximi faciunt. Hinc Philosophorum hæc est propositio. *Pueris somniantibus & amentibus omnia videntur magna.* Puer, si videat vitulum, credit, quod sit bos, somnianti pulex videtur Elephas, stultus, ut ego oculatus sum testis, volens pedem ponere supra gradum scalæ, pedem duplo altiùs attollebat, quàm requirebatur, & sic fieri debere æstimabat. Hic ego unde oriatur deceptio in talibus scire percupio. Philosophia.

Vos respondebitis, quòd magnum & parvum sicut sunt correlativa, sic non posse cognosci nisi ad se invicem conferantur; cum autem comparatio semper exigat experientiam, & rectitudinem judicii illius, qui rem unam alteri confert, & hæc desit præfatis personis, & quidem pueris experientia, & rectum judicium ut notum est, somniantibus autem & stultis, quidquid sit de experientia, sanum judicium, hinc non possunt res discernere, adeoque decipiuntur, quia judicium eorum est ligatum.

Verùm suspicor vos velle subjungere unde procedat quòd iste error contingat potius in judicio, quo judicamus exigua magna, quàm magna exigua. Cui hanc rationem assigno, quod quando judicium deficit, tunc illud reduci ad illud, quod in quolibet genere est notius & manifestius, & quia in omni genere res grandiores sunt manifestiores & notiores, hinc fit ut res parvæ ab iis æstimentur esse magnæ. Hinc strepitus lenis illis videtur tonitru gravissimum, si aliquâ forsan scintillâ adurantur, credunt mediis se esse in flammis, & magno igne se aduri, verbo; omnia minima judicant esse valde grandia; judicium enim quælibet judicat esse majora, quàm in seipsis sint. *Pueris &c.*

XIV. Nunc ad applicationem. *Anima nostra* Applicatio.

ſtra, &c. Gaudeo, &c. Judæi quibus prædicabat Apoſtolus Matthias erant veluti pueri, ſomniantes, & ex numero eorum de quibus
2. Cor. 11. ſcribebat Apoſtolus. *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi* Præterea erant ſtulti & amentes. *Sic ſtulti eſtis ut cum ſpi-*
Ad Galat. 3. *ritu cœperitis, nunc conjummemini.* Pueri, dormientes, & ſtulti, qui non habent neque diſcurſum, neque judicium, neque experientiam, quibus poſſent examinare, & cognoſcere cujus eſſet conditionis lex, & doctrina quam S. Apoſtolus Matthias iis prædicabat.

Hic autem quia habebat ſanum & rectum judicium, quia erat Amethyſtus duodecimus lapis fundamentalis Eccleſiæ, & veluti ille, qui tot annis ante mortem Chriſti tanquam ejus diſcipulus, & poſt mortem ejus tanquam ejus Apoſtolus eam obſervârat, probârat, examinârat, ſciebat perfectè, & ſine errore eam fuiſſe legem ſanctam, parvam, ſuavem, & levem, *Jugum meum, &c.* & veluti talem eam Iudæis prædicabat. Sed illi cum eſſent infantes, dormientes, & ſtulti abſque experientia, credebant quod eſſet valde gravis, ſcabioſa, & contraria legi Moyſis, ut dicebat Ananus in conciliabulo quodam congregato, in quo præſente ipſo ſancto Matthia ſignificabat, & dicebat Chriſtum cum ſua doctrina vana & ſuperſtitioſa deſtruxiſſe legem Moyſis. Attamen Matthias totum oppoſitum defenſabat, probans Moyſen amicum fuiſſe Dei, ejus legem fuiſſe ſanctam & juſtam, eſto ſub cortice literæ continuerit medullam Evangelii, adeoque ita legem Chriſti, quam ipſe fuit ſamplexus, & quam docuit non deſtruere, ſed perficere legem Moyſis. Hinc velut Amethyſtus conabatur illa judicia, & ſimaginationes falſas & chymæricas ex eorum mentibus pellere.

O pretioſiſſime Amethyſte, ô glorioſiſſime Apoſtole Matthia! Et unde fit, quòd virtus tua adeò efficax nil effecerit in illis nebulonibus, nec diſſolverit eorum imaginationes falſas, intellectuſque eorum diſpoſuerit, ut erectè judicarent ſicut tu? quomodo non potes iis perſuadere, quod lex Chriſti ſuavis & levis, quomodo non potes corrigere eorum falſos conceptus, quibus judicant legem eſſe adeò gravem, & oneroſam, atque repugnantem legi Moyſis? Nunc rationem accipio. Defectus non tibi, ſed eorum malæ diſpoſitioni adſcribendus eſt: Siquidem ſunt pueri, dormientes, ſtulti abſque ulla experientia, quomodo vos perfidi Judæi vultis cognoſcere an lex Chriſti ſit magna, vel parva, ſi nullam de hoc habeatis experientiam? Conferte illam parumper cum lege Moyſis, & videbitis quantò minor levior & ſuavior, hac erit. Nonne lex Moyſis præcepit circumciſionem, præceptum adeò grâve, & grande ut multi parvuli ex ejus obſervatione ſint mortui? Chriſtus autem pro circumciſione, quæ ſubibatur cum periculo vitæ vobis præcepit, ut baptizemini aquâ abſque ullo periculo, & vos præceptum Moyſis judicatis leve & parvum, præceptum vero Chriſti ſgrave & ſmagnum? Lex Moſaica continet ſexcenta, & tredecim præcepta, Chriſti verò lex tantùm decem, & tamen magis gravem, & importabilem judicatis legem Chriſti, quàm Moyſis? Quæ cauſa hujus erroris tanti momenti? O miſeriam? neſcitis vos eſſe pueros, dormientes, ſtultos, experientiæ, & judicii recti expertes, adeoque vos non poſſe parva componere magnis, *Cum pueris, &c.* Recipite hunc Amethyſtum Matthiæ, uſurpate ejus virtutem & doctrinam, ſi velitis liberari ab his erroribus. Obſervate legem ab ipſo traditam, & etiam experiemini, quòd ſit jugum ſuave, & onus leve. Amate Chriſtum, & odium ergà eum remittite, ſic probabitis quòd ejus lex ſit Manna valde ſuave, ſapidum, & delectabile, nec dicetis cum veſtris majoribus. *Anima noſtra nauſeat, &c.* Amate Chriſtum ſicut eum amavit Matthias, & ſic cum illo, & Paulo ſatebimini famem, & ſitim toleratas pro Chriſti amore eſſe cibum & potum valde delicatum, & congruentem ſtomacho, & legem CHRISTI non eſſe ſcabioſam, & difficilem, ſed facilem & levem. Nam, *Difficultatem non natura, &c.*

Epilogus.

XV. Evangeliſta Joannes raptus in ecſtaſin, vidit Angelum nube veſtitum, qui unum pedem in mari, alterum in terra collocatum habebat, & in manibus geſtabat librum apertum, & vocem audivit, quæ ſibi dixit, accipe librum iſtum: Inſtantiſſimè ab

Scriptura.

Angelo

Cap. 10. Angelo petiit hunc librum, qui & illum ei dedit hac lege *Accipe librum, & devora illum.* Sit tibi liber,, quem à me petis; ſed ſcias, quòd non debeas illum comedere, ſed devorare. Sed duos ejus effectus tibi prædicere volo. Quamdiu illum maſticaveris intra dentes, & habueris in ore, erit inſtar mellis, ſed trajectus in ſtomachum erit amariſſimus. *Et faciet amaricari ventrem tuum. Sed in ore tuo erit dulce tanquam mel.* Quales producit effectus raros hic liber? Quomodo poteſt fieri, ut in ore ſit dulcis & ſuavis, in ſtomacho autem acerbus & amarus? Cùm ſit idem liber meo videri utrobique vel dulcis, vel amarus eſſe deberet.

Philoſophia. Dicunt Philoſophi, hos duos ſapores dulcem & amarum eſſe extrema, hoc eſt totaliter contraria, nam ſapor, qui eſt objectum guſtus conſiſtit in ſicco, & humido, in rebus autem dulcibus humidum valde ſuperat ſiccum, in amaris autem ſiccum ſuperat humidum, & illud reſolvit; & ideo ſunt extrema contraria. Lib. 4. ſimpliciium. Et quamvis Galenus velit ſaporem ponticum, & acutum eſſe extrema, cùm acutus conſiſtat in calido intenſo, & ſubtili, ponticus verò in frigore intenſo & groſſo, & cum valde prædominetur calidum, & directè ſit contrarium frigori, quod à calore valde exceditur, hinc dulce & amarum differunt tantùm ſecundùm magis & minùs calidum; hinc juxta Galenum; amarum & dulce non ſunt extrema, ſed tantùm ſapor ponticus & acutus. Niſi Philoſecius Angelicus & Averroes, & alii cum Ariſtotele dicunt, quòd ſapor dulcis & amarus ſint extrema. Nec de hoc eſt dubium, ſi conſiderentur ſecundùm ſuam naturam, & prout ſunt objectum guſtus, quamvis in ordine ad ſubjecta in quibus reſident ponticus, & acutus, prout vult Galenus, tantùm extremi ſint. Hoc itaque ſuppoſito, quod ſapor amarus & dulci, ſint extremi ſapores, adeoque contrarii, quomodo idem liber in ore, lingua, palato faucibus Joannis ſit ſuavis, & in ejus ſtomacho amarus, ſic ut dicat Angelus. *Accipe, &c.*

Hom. 8. in Apoc. S. P. Auguſtinus relictâ litè inter Medicos ac Philoſophos, & tranſiens ad moralitatem, advertit per os intelligi in ſacra ſcriptura juſtos, devotos, & ſpirituales, per ventrem verò & ſtomachum carnales, qui non habent Deum niſi ventrem. Porro per hunc librum apertum, ac ab Angelo Joanni datum ſignificatur verbum Dei, lex, & doctrina evangelica. Nolite itaque mirari, inquit Auguſtinus, ſi eadem lex faucibus Joannis fuerit dulcis ac ſuavis, ſtomacho verò aſpera atque amara; quia voluit ſignificare legem Chriſti reddi dulciorem, gratiorem, ſuaviorem, quàm mel iis, qui ſunt ſpirituales, Deum timentes, & amantes; Carnalibus autem & qui proprias ſequuntur concupiſcentias reddi frigidam, aſperam, & amaram. Et ſicut illi non experiuntur majorem ſuavitatem, & dulcedinem quàm dum geſtant legem Chriſti, eam maſticando, comedendo, & obſervando: Sic hi non experiuntur majorem acerbitatem, & amaritudinem. Et cauſa eſt quod illi ſint ſpirituales. & amici Dei. Hi carnales, & amatores ſui ipſius, ac propriarum concupiſcentiarum. *In ore intelliguntur boni, & ſpirituales Chriſtiani, in ventre carnales & luxuriooſi. Inde eſt, quòd cum verbum Dei prædicatur, tunc ſpiritualibus dulce eſt, Carnalibus verò, quorum Deus venter eſt, amarum videtur & aſperum.*

Idem vidit ſuccedere S. Apoſtolus Matthias in Judæis, quibus aperiebat & porrigebat librum Evangelii, & doctrinæ CHRISTI. Nonnulli ex illis guſtârunt, quòd fuerit valde ſuavis & dulcis, adeoque appetentes illum manducârunt legem CHRISTI amplectendo ab illo Angelo terreno iis prædicatum: Nam ſicut advertit Lippeleo *Multos ad Chriſtianam religionem fidemque traduxit.* Alii autem econtra eam experiebantur eò acerbiorem, amariorem & nociviorem, & ideo eum adduxerunt ad Pontificem Ananum, eum accuſantes, quòd tales amaritudines iis voluerit perſuadere *Doctrinam, ac Religionem ut crimen ei objicere cœperunt.* Sed ſi erat eadem lex, à quo alio principio hoc dependere potuit, niſi ab illo, quod illi, qui legem amplectebantur, erant facti ſpirituales, Deum timentes, & amantes: Alii autem, quia erant carnales, odioſi, perſecutores Chriſti, amatores proprium appetituum, adeoque eorum

venter, & ſtomachus fuit acerbus, & amarus factus à prædicatione Apoſtoli ; quem tandem ad pontificem attraxerunt, *Doctrinamque ei, &c.* Veriſſimum ſiquidem eſt, quòd *verbum Dei ſpiritualibus, &c.*

Philoſophia

XVI. Meo judicio reperio contrapunctum valde dignum pro hoc loco ſcripturæ erutum è Philoſophia & Medicina. Dicunt profeſſores harum facultatum, quod ſapor, qui eſt objectum guſtus, nil aliud ſit, quàm aliquod mixtum ex humido & ſicco, & juxta prædominium unius ex his qualitatibus diverſitas ſaporum naſcitur. Hinc Theophraſtus. *Sapor eſt ſiccæ, terreneque partis in humore demeſtio* Et clariùs Ariſtoteles. *Sapor eſt affectio in humido aqueo facta à ſicco terreſtri, & calore decoquente guſtatum, qui eſt in potentia ad actum per alterationem deducens.* Hoc ſuppoſito curioſè inquirunt ; Cùm ſapor ſit propriè objectum guſtus, & rei guſtabilis, ita ut hæc ſaporem inalteratum retineat, unde illa mutatio, & rei alteratio proveniat, an à guſtu, ſeu potentia guſtativa, an aliunde.

Lib. 6. de cauſis plant. c. 1. De ſenſu ſentibus c. 4.

Theophraſt. c. 2.

Nonnulli, ut refert Theophraſtus, putârunt, quòd hæc commixtio ſicci & humidi, non producat ſaporem immutabilem, & inalterabilem, & determinatum ad unam ſpeciem, ſed quòd mutetur ab ipſo guſtu ; Hinc dicunt Philoſophi (& nos tam in nobis, quàm in aliis id clarè experimur, V. G. tam in beſtiis, quàm in nobis,) quòd eadem herba uni ſit dulcis, alteri amara, nonnullis ſapida & grata, aliis inſipida & ingrata, cum tamen herba ſit eadem, & ſit mixta ex humido & ſicco. Patet igitur, quòd ſapor mutetur à guſtu, qui guſtus non habet in ſe illud mixtum humidi & ſicci, quæ ſunt certa & determinata qualitas ſaporis.

Alii nihiloſecius contrarium docent hac ratione fundati ; Cùm enim guſtus ſit ejuſdem naturæ in omnibus animantibus, & niſi interveniat impedimentum, guſtus non errat circa proprium objectum ; ideo dulcedo, quæ eſt in herba tam guſtatur à guſtu hominis, quàm bovis. Et eſto cibus uni ſit ſuavis & gratus, & alii inſipidus & ingratus : nihilominus inde non ſequitur, quòd guſtus mutet & alteret conditionem cibi, ſed quòd organa guſtuum ſint ſint diverſi temperamenti, prout & in nobis experimur, dum ſumus ſani, & organum guſtus noſtri non eſt alteratum, vel malè diſpoſitum ; tunc enim mel ei valde bene ſapit, eſtque ei dulce & ſuave : Verùm ſi contingat eum à bile infeſtari, prout contingere ſolet in febricitantibus, idem mel quantumvis dulciſſimum ſit, illi amarum, ingratum & acerbum eſt, non quod mel contrahat illum amatorem, (quia retinet immutabiliter & inalterabiliter ſuam dulcedinem) ſed id provenit à palato malè diſpoſito, & corrupto à bile, quæ cum ſit amara, communicat palato ſuum amatorem, & ita palatus ex errore judicat mel amarum, ſicut qui conſpicillis viridibus reſpicit objectum album, credit objectum eſſe viride, eſto valde erret : quia *quicquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.* Hinc concludo, quod ſapor immutabilis determinatè reſideat in objecto guſtus, nec mutetur aut alteretur à potentia guſtativa.

XVII. Nunc ad propoſitum. *Accipe, &c.* Mel ſuaviſſimum & dulciſſimum vocatur lex divina, & talis facta eſt Davide, & omnibus obſervatoribus ejus velut amicis Dei. Hinc dicere ſolebat ille ſanctiſſimus Rex. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.* O Domine, quàm ſuavis, quàm ſapida, quam dulcis redditur faucibus meis tua ſancta lex; *quàm dulcis, &c.* ut verum fatear, ſuavitas & dulcedo ejus ſuperat dulcedinem mellis. *Super mel ori meo* Et taliter etiam dulcis fuit Sancto Apoſtolo Matthiæ. Hinc dum ipſi velut infamia & ſcelus objiceretur, quòd eſſet Chriſtianus, obſervator, & prædicator iſtius legis, liberè reſponder. *Chriſtianum eſſe, non criminoſum eſt, ſed glorioſum.* Ac ſi diciſſet. Nulla amaritudo vel defectus in lege Chriſti, ſed tota eſt ex ſe dulcis, ſuavis, & ſaporoſa, nec poteſt recipere aliquam mutationem, vel alterationem. O Judæi perverſi & ei contrarii, à veſtro guſtu, quinimo illam dulciſſimam & ſuaviſſimam eſſe guſtârunt Judæi à me ſpatio triginta trium annorum converſi, qui cum Davide dicunt : *Judicia Domini*

Applicatio.

Pſal. 118.

vera,

Carmen de Mad.=

vera, justificata in semetipsis, desiderabilia super
Psal. 18. *aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum.* Hoc tamen non obstante aliis è populo Judæorum, non solum plebeis, sed & sacerdotibus ac pontificibus obstinatis, & qui nolebant converti ad prædicationem Apostoli, magis aspera & amara, quàm acetū & absynthium fuit reddita illa lex, ita ut non solum conjicerent in eum culpam, amatorem & defectum quod esset Christianus, sed & eum tractarent ut blasphemum & dignum qui lapidaretur. *Christianam religionem, &c.*

O glorioſiſſime Apoſtole, & unde proceſſit hæc diverſitas? an forte hæ acerbitates fuerunt in lege Chriſti? Nequaquam; quia ex ſe eſt valde ſuavis & dulcis. *Quam dulcia, &c.* Et tu etiā eam æſtimaſti ſuavem & dulcem, quia pro ea lapidibus ſepeliri non timuiſti. An ergò palatus obſtinatorum & perverſorum Judæorum, ſacerdotum & pontificum habuit tantam vim, ut dulcedinem hujus legis mutaret in aſperitatem & acerbitatem? Minimè, quia lex ſemper eadem manſit. Cauſa igitur fuit eorum mala diſpoſitio, odium, rancor, quo Chriſtum perſequebantur, illa eorum palatum corrupêre, quod cum eſſet plenum amaritudine contra Chriſtū, ejuſque doctrinam, fecit ut etiam judicarent eſſe amaram & acerbam illam legem, quæ aliàs
Hom. 8. de pœnitent. erat dulcis & ſuavis pluſquàm mel. *Omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur.* Hinc os aureum. *Mel naturâ dulcedinem habet eandemque jucundiſſimam, ſed ægrotis amarum quid, atque illibatum eſt, non propriâ, ſed ipſius ægrotantis naturâ.* Sic lex, tametſi videatur onerosa, id non ex ſua natura, ſed ex noſtra fit pigritia. Et ſicut amaritudo fructuum provenit à defectu caloris, cujus eſt proprium concoquere humidum, unde & fit, quod in terris ac temporibus calidioribus fructus ſint calidiores, eodem modo Judæis, qui non habebant calorem Charitatis & amoris Dei, lex effecta eſt inſuavis, amara, ingrata & inſipida, ſicut è contra Matthiæ, & iis qui abundārunt charitate & amore Dei, reddita eſt ſuavis & ſapida. Dicat ergò Angelus Joanni. *Accipe librum &c.* Dicat Auguſtinus. *Verbum Dei ſpiritualibus dulce eſt, &c.*

O glorioſiſſime Apoſtole, ô ſanctiſſime Matthia! jure meritò vocatus es *Donum Dei*; quia majus donum & favorem non potuiſti conſequi, quàm quod Deus te fecerit obſervatorem & portatorem jugi & legis Chriſti, ſubrogatum in locum prævaricatoris Judæ. *Donum Domini* fuiſti, quia ſupra tuum caput viſus eſt radius divinus, qui declaravit te electum à cœlo, te prælatum Joſepho, eſto aliàs excellente & cognato Chriſti. *Donum Domini* fuiſti, quia electus ut adimpleres numerum duodenarium mancum ob apoſtaſiam Judæ. *Donum Domini* pro bono Eccleſiæ, quia debuiſti eſſe duodecimum fundamentū, quod eam ſuſtentaret. *Donum Domini*, Quia electus à Deo, ut proponeres jugū legis evangelicæ toti Judææ, & illam adduceres, ut illi ſe ſubjiceret, ſicut & & authori legis, quem adeò execrabantur.

O fundamentum cœleſte, ô complementum numeri duodenarii! O pretioſiſſime Amethyſte, bene videmus, quod fueris donum Dei electum à cœlo ut corrigeres Judæos, ac eos reduceres ad rectum & ſanum Judicium, cùm eſſes totus amoroſus & coloris roſei, & ideò temperaturæ valde congruæ per gratiam illius ſupremi Jovis, qui influxibus ſui amoris & gratiæ tantum ſuper te prædominium demonſtravit. Epilogus.

Credebant illi cum Eva generis humani prima auctrice mendaciorum & falſarum imaginationum, quod lex à te prædicata fuerit nimis gravis, adeoque importabilis, quia cum Eva reſpiciebant eam axe & oculo timoris ſervilis & non filialis, qui ſemper cum vero amore eſt.

Eam judicabant numeroſam, veluti illi, qui eam ex defectu amoris Dei, non obſervantes, reſpiciebant eam non conſpiciliis planis & quæ non compatiuntur errorem, ſed conſpiciliis proprii intereſſe, fabricatis cum quadris, quæ adeò multiplicant præcepta divina, ut unica ſola lex, & unicum verbum Chriſti videantur multæ leges & plura verba. Deceptio hæc fuit tanti momenti, ut maxima ſecum inconvenientia traheret.

Et eſto tu pretioſiſſime & amoroſiſſime Amethyſte, ſtudueris omnibus emendare falſas iſtas imaginationes Judæorum, tamen ob eorum malam diſpoſitionem parvum fructum pro iis reportaſti, etſi pro anima tua copioſiſſimum, ne dicam infinitum.

Experiebantur, quod eſſet ponderoſior, quàm altiſſimus quidam mons, eſto tibi fuerit faſciculus, quem recreationis ergò inſtar ſponſæ geſtaſti inter tua ubera, & quamvis eſſet

mons altiſſimus, tamen non ſenſiſti illius pondus, cum divina lex fuerit in tuo corde velut in propria ſphæra, & ſic non permiſerit, ut ſentires illius pondus, prout ſenſerant illi, qui extra cor illum habebant.

Minima erat lex à te Judæis prædicata, attamen ipſi, quia pueri, dormientes & ſtulti, judicio & experientiâ deſtituti, æſtimabant quod eſſet maxima, nec attendebant, ecto tu eos moneres de errore, quod ſimiles eſſent ſuis majoribus, qui clamabant, Manna omnium ferculorũ ſuaviſſimum & exquiſitiſſimum illis eſſe faſtidio, & ſtomachum eorum nimium gravare, quamvis Paulus è fame & ſiti ſummam reportaret delectationem & ſolamen.

Eam guſtabant amariſſimam, aſperrimam & ingratiſſimam, tanquàm illi, qui habebant guſtum in ſtomacho carnali, & appetentem tantùm perverſas & pravas eorum concupiſcentias, corruptum à bile amariſſima rancoris contra Chriſtum. Quod ſi fuiſſent ſpirituales, & habuiſſent guſtum ſuum in ore, veluti timentes Deum, illam guſtaſſent dulciſſimam & ſuaviſſimam, ſed quid mirum, quod tot erroribus fuerint involuti, ſi non voluerint uti illo Amethyſto, qui *Tollit falſas imaginationes, & diſponit ad bonum intellectum.*

Tuus intellectus non fuit his erroribus oppreſſus, imò cùm eſſes Amethyſtus coloris roſei, amoroſus versùs Deum, & hic amor te ſemper reſpicere fecit legem axe timoris filialis, quem ſemper comitatus amor & perſpicilium planum quod non decipit nec multiplicat objecta, alios illuſtrare docuiſti. Hic idem amor fecit, ut æſtimares legem eſſe valde levem, velut faſciculum myrrhæ, quia fuit cauſa, ut eam portares in corde velut propria ſphæra. Amor fecit ut illam cognoſceres parvam & facilem, quia non fuiſti puer, ſed vir, non dormiens, ſed vigilans, non delirans, ſed ſapiens. Amor fecit, ut guſtares eam ſuavem & dulcem, quia à palato tuo quamcumque amaritudinem expulit. Et hic fuit idem amor, qui fecit ut talem eam eſſe perſuaderes Judæis, quibus Deo diſponente prædicaſti. Verùm, quia illi te noluerunt audire, quinimò hunc pretioſiſſimum Amethyſtum ſepelierunt ſub lapidibus, impetra, ut nos illo uti poſſimus, & redditi toti amoroſi erga Deum amplectamur veritatem Chriſti à te edoctam, quod ſancta ejus lex ſit jugum ſuave & onus leve, ſimpliciſſima, leviſſima, minima, & dulciſſima. Et Deus nobis benedicat.

ELOGIUM VI.

Pro Feſto S. Joſephi.

Joſeph autem erat vir ejus, cum eſſet juſtus. Matth. 1.

Philoſophia.

1. CUrioſitas meherclè valde digna eruditis ingeniis mihi videtur eſſe illa, quæ indagat, quæ ſit cauſa, cur homines magni ſæpe habeant patres parvos, & econtra, cùm à natura potiùs contrarium fieri debere videatur, ut pater ſcilicet magnus generet filios magnos, & parvus parvos; effectus ſiquidem naturalis ſuæ cauſæ, maximè univocæ proportionatur.

Si à Philoſophis & medicis ſuffragium exquireres, illi forſan dicerent illud provenire à materia copioſa & abundanti formatrici partus, quæ quò eſt copioſior, cum in ſe habeat virtualiter omnia membra cum debita quantitate juxtà exigentiam temporis, tantò in principio ſui eſſe erunt majora, & ſucceſſu temporis, proportionaliter augmentabuntur: Et quia pater, eſto ſit parvus, copioſam nihiloſeciùs queat dare materiam, ideò poterit fieri, ut pater parvus generet filium grandem.

Effectus porrò hic poteſt juvari etiam à proportionato temperamento calido & humido, ab alimento prolis, à conditione inſuper loci, & à con-

à conditione climatis; ſicut è contrario; ſi materia ſit exigua, & temperamenti frigidi & ſicci, additâ paucitate ſuperfluæ alimenti, conditione loci, & climate cœleſti frigido & ſicco, à quo impeditur dilatatio, & extenſio rerum, non eſt dubium, quin tunc pater, quantumvis magnus generet filium parvulum & ſibi diſſimilem.

Aſtrologia. *Propoſ. 12. Centiloq.*

Hoc non obſtante, Ptolomæus vult hunc effectum principaliter eſſe adſcribendum cœlo, ideò advertit, quod ſi Petrus, v. g. in ſua nativitate habuerit in aſcendente ſignum quoddam rectum, puta Libram aſcendentem, cum ſuis primis gradibus, & eodem tempore planeta Dominus illius genituræ v. g. Jupiter reperiatur in parte altiori ſui cœli, & ſimiliter planeta, qui eſt Dominus & hoſpes ſigni, in quo reperitur planeta, Dominus genituræ reperiatur in parte altiori ipſius cœli, abſque dubio Petrus erit magnæ ſtaturæ, eſto habeat patrem parvum. Hinc Ptolomæus! *Domini genituræ hominum proceræ ſtaturæ in ſublimitatibus ſunt eorum horoſcopi in ſignorum principiis. Ad hæc inquirito ſigna, ne recta, an obliqua ſint.* Et Pontanus in hunc locum addit. *Sed nec hoſpitator admittendus videtur.* Et ratio omnium horum eſt, ut obſervat Pontanus, quod ſignum rectum plus temporis requirat, ut aſcendat horizontẽ, quam obliquum. Similiter primi gradus ſigni aſcendentis ſunt fortiores, quàm ultimi. Præterea planetæ dum reperiuntur in parte altiori ſui cœli, neceſſariò requirunt plus temporis, ut percurrant illam portionem propriî cœli, quàm quando reperiuntur in parte inferiori, ac idcircò cùm omnia hæc concurrant, Petrus, eſto habeat patrem pygmæum, erit magnæ ſtaturæ; ſicut è contra, tunc parvæ ſtaturæ futurus eſt, quando res jam dictæ contrarias diſpoſitiones habuerint.

Applicatio.

II. Naſcitur glorioſiſſimus Patriarcha Joſeph filius Jacob & quidem quoad gratiam, ſanctitatem & perfectionem è progenitoribus valde parvis, utpotè non ornatis illis favoribus cæleſtibus, & illis excellentibus prærogativis, quibus Joſeph copioſè dotatus erat; Nullus ſiquidem eorum fuit electus in patrem nutritium Chriſti, & ſponſum Virginis noſtræ Dominæ. Naſcitur dico Joſeph, & in cœlo ſupremo Triadis beatæ videntur comparere duo planetæ dominantes, tanquam ſpectatores, & fautores hujus nativitatis cum Libra non obliquâ, ſed rectâ perfectiſſimæ juſtitiæ, quâ volebat dotare hunc grandem Patriarcham, *Joſeph autem cum eſſet juſtus.* Comparet Jupiter propitius æterni patris, tanquàm Dominus Libræ juſtitiæ comparet ſimiliter ſol verbi æterni tanquam Dominus nativitatis Joſephi. Comparet Pater Deus, quia eum elegit in patrem putativum ſui filii. Comparet verbum æternum, quia eum elegit in ſponſum legitimum ſuæ matris. Comparent hi duo grandes fautores ſuperni, veluti fautores hujus nativitatis, & ambo ſeſe oſtendunt in Auge, in vertice, in ſummitate ſuorum cœlorum dotati totali plenitudine & abundantia gratiæ & favorum cœleſtium, quibus uberrimè hanc ſacerrimam prolem volebant tumulare, ſicut decentiſſimum erat, ut donis & virtutibus, quibus dignus erat putativus pater Chriſti, Vicarius patris æterni in terra, & conſors legitimus Mariæ in terra abundaret.

Portò quis neſcit (N N.) quod Joſeph habens in ſua nativitate adeò ſibi propitiam configurationem ſtellarum, & ipſum cœlum Trinitatis ita ſibi favens, debuerit decurſu ætatis ſuæ fieri valde magnus, imò major omnibus ſuis progenitoribus, hoc eſt dicere, majori ſanctitate, gratiâ, perfectione, prærogativis cœleſtibus dotatus, & in ſtatu gratiæ Giganteæ molis, incomparabilis & inattingibilis futurus? valde bene id ille obſervavit, qui dixit: *Joſeph autem cum eſſet juſtus.* Indeterminatè illi aſſignat hanc prærogativam juſtitiæ, volens ſignificare eum à ſuo ortu fuiſſe adeò grandem, ut nemo eſſet, qui ejus magnitudinis modum vel terminum aſſignare poſſit.

O glorioſiſſime Joſephe, quàm exactè refers illum alium Joſephum priſcæ legis! quomodò non jure potiori tibi dicetur illud, quod dictum eſt de illo. *Filius accreſcens Joſeph, filius accreſcens*; idque quia debebat evehi ad dignitatem Proregis Ægypti, alter conſtitui à Phatone, quomodò ergò non dicemus a potiori de te, *Filius accreſcens Joſeph filius accreſcens.* Cum evectus ſis ad dignitatem: ut eſſes ſponſus Reginæ cœli, Matris Dei, pater putativus Chriſti, Pro-Deus æterni patris in terra! Tuum nomen juxtà D. Bernardum nil aliud ſignificat, quàm *Augmentum, incrementum*; per quod ſatis inſinuatur, quod ſtaturæ proceræ factus es, & quod attigeris illam eminentiam perfectionis, ad quam nemo potuit pervenire, ita ut antonomaſticè fueris vocatus juſtus *Joſeph autem cum eſſet vir juſtus.* De hoc hodie diſcurram.

Gen. 49.

ASSUM-

ASSUMPTUM.

Patriarcha Ioſeph fuit adeò grandis, ut ſupergrediens conditionem humanam Angelicam, certârit cum Divina.

Locus ſcripturæ. III. VIdens ſanctiſſimus Joſeph ſuam ſponſam gravidam, nec ſciens à quo uterum ferre poſſet, cognoſcens ſe liberum, decrevit eam repudiare. Et en en dum perplexus hæreret, & hiſce anxietatibus immerſus, deſcendit quidam Angelus, qui dubium omne diluit his verbis: *Matth. 1.* *Ioſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Hic videmus, quod immediatè ab Angelo vocetur filius David. *Ioſeph fili David, &c.* ſubintrat hic S. P. Petrus Chryſologus, & totus admirabundus inquirit, quomodò vetè Angelus poſſit vocare Joſeph filium David? ſi S. Matthæus diſertè dicat: *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ.* Et S. Lucas de eo dicat, quod fuerit filius Heli? *Luc. 3.* *Qui fuit filius Heli,* quomodò poteſt dicere Angelus, quod fuerit filius David? Idem Chryſologus obſervat 30. vel 40. generationes effluxiſſe inter David & Joſephum, quomodò ergò inquit Chryſologus: *Serm. 145.* *Triceſima octava generatione natus, quomodo filius David dicitur?*

Reſpondet idem Sanctus: *Videtis fratres in perſona genus vocari, videtis in uno totam proſapiam nuncupari, videtis in Ioſeph totam ſeriem Davidici ſtemmatis jam citari. Ioſeph fili David? Triceſimâ octavâ generatione natus, quomodo filius David dicitur, niſi quia generationis aperitur arcanum, fides promiſſionis impletur, ſuperna conceptio cœleſtis partus Virginea jam ſignatur in carne?* Petindè ac ſi Sanctus dicere voluiſſet: Deus promiſerat David ex ejus ſtirpe naſcendum Meſſiam, Salvatorem generis humani, Filium Dei humanatum. Portò executio hujus promiſſi dilata & prolongata fuit, nec adhuc adimpleta, quia nemo ex poſteris Davidis habuit illam integritatem, illam perfectionem, illam excellentiam, illas prærogativas, quibus debebat pollere ille, qui pater putativus Chriſti, & ſponſus Mariæ Matris Dei futurus erat. Sed cùm Joſephus eſſet editus in lucem, in quo ſolo omnes illæ neceſſariæ conditiones aderant ad hoc munus requiſitæ, quaſi tunc & non ante fuiſſet adimpleta promiſſio, & quaſi omnes poſteri Adami in ſolo Joſepho comprehenderentur, ac ſi Joſephus eſſet tota ſtirps & proſapia Davidis, non obſtante quod 38. generationes inter Davidem & Joſephum intercurrerint, ex hoc ſolùm capite fuit immediatè vocatus filius David; ut totus ſcilicet mundus ſciret promiſſionem factam David tunc prius fuiſſe adimpletam, & filium Dei tunc in mundum veniſſe. *Videtis fratres in perſona, &c.* Videte an non habeam anſam, quod dicam, Joſephum fuiſſe ſanctiſſimum, perfectiſſimum & maximum apud Deum.

IV. Controvertunt Philoſophi pariter & Medici, quænam pars in corpore humano, aut alio quovis animali ſit nobiliſſima, ita ut illi debeatur primatus & præeminentia, an caput, vel cor, aut potiùs jecur, quæ ſunt principaliores partes in corpore. Medicina Philoſophia.

Nonnulli voluerunt primatum debere jecori; nec abſque ratione; illa ſiquidem pars debet eſſe nobilior alterâ, à qua aliæ partes ſuo modo dependent, quia in jecore reſidet virtus naturalis formatrix ſanguinis à quo dependet virtus nutritiva, & augmentativa, & generativa, quæ non poſſunt exercere ſuas functiones ſine ſanguine, ideò ergò jecur velut ſedes hujus naturalis virtutis & facultatis debet anteferri omnibus aliis membris, puta cordi & capiti. Adde juxtà mentem Hippocratis & Galeni, Jecur eſſe primam partem animalis, quam natura delineat in utero materno, quod Hippocrates dicit ſe experientiâ comprobaſſe in embrione ſex dierum. *Hippo. lib. de naturæ pueri. Galen. lib. de fœtuũ formati c. 3.*

Ariſtoteles, Theophraſtus, Avicenna, Aphrodiſæus, Alexander & alii, cenſent nobiliorem partem corporis aut animalis eſſe cor, non ſolùm quia teſte Ariſtotele libro de juventute & ſenectute, & alibi, cor eſt primum membrum quod formatur in animali, & ultimum quod moritur, ſed etiam quia eſt ærarium & fons vitæ, officina ſpirituum vitalium, fornax caloris, quæ omnia ſunt neceſſaria ad fabricam & conſervationem omnium aliarum partium. Accedit, quod ſit principium, à quo dependent omnes facultates tam naturales, quàm vitales & ſenſitivæ. Hinc reſident in pectore veluti Rex in ſuo ſolio ac throno Regali, imperat & movet omnia alia, quæ veluti ſubdita ab illo dependent,

dent. Ideò dicit Aristoteles, quod primatus debeatur cordi.

Tandem Hippocrates, Galenus, Plutarchus, quibus quo ad hoc adhærent SS. Patres Gregorius Magnus, Augustinus, & Ambrosius, Chrysostomus in illam iverunt sententiam, ut assererent caput esse nobilissimam partem corporis. Et ratio id exigit; quia illa pars corporis in nobilitate præfertur aliis, in quâ residet nobiliores potentiæ, & facultates animalis, atque in capite sedem suam fixerunt omnes sensus interni, & externi, quæ miro modo sunt deputati ad servitium intellectus, nobilissimæ potentiæ animæ rationalis, ergo Capiti debetur primatus.

Addite si facultas sensitiva, quæ residet in capite, & quæ juxta Ambrosium & Fernelium instar cæli superioris influit omnibus aliis membris, spiritus animales sine quorum concursu potentiæ sensitivæ non possent exercere suas nobiles operationes; ideò concludunt hanc eminentiam jure debere capiti præ aliis membris, & cum sit fons, & principium omnium sensuum, debet ipsi etiam dari primatus præ omnibus membris, etiam jecore & corde.

Applicatio. V. Nunc ad Patriarcham Joseph. *Joseph fili David &c.* In nobilissimo corpore, seu familia sanctissimi Joseph tres reperiuntur nobilissimæ partes, jecur, Cor, & Caput; Maria, Jesus, & Joseph. Cui ex his tribus debeatur primatus, posset quis dubitare. Devotus Mariæ assumeret partes Matiæ, eique vindicaret primatum, quia ipsa in hoc nobilissimo corpore fuit jecur; Nam sicut in jecore residet virtus naturalis formatrix sanguinis; sic Maria sanguine suo purissimo formavit corpus pueri Jesu. Quod si à virtute naturali, quæ habet sedem suam in jecore dependet virtus nutritiva, & augmentativa, quis quæso, nisi Maria nutrivit, cibavit & augmentavit hunc delicatissimum puerulum? Et hinc cum Christus fuerit filius Mariæ, videtur huic jecori deberi primatus. Imò si consideretur etiam hoc jecur respectu Josephi, adhuc debet ferre primas, quomodo enim Josephus fuisset electus caput hujus corporis nisi fuisset Maria, cujus debebat esse legitimus sponsus & alii nihilo secius dicerent, Christum velut Cor debere ante poni Josepho, & Mariæ. Etenim à Christo fonte vitæ habens non solum primordia vitæ temporalis, sed etiam vitæ spiritualis gratiæ scilicet divinæ. A Christo habuerunt calorem charitatis, & amoris divini, quo copiosissimè abundabant, & inflammati comparebant. Christus communicavit iis spiritus vitales, quibus recreabantur in suis laboribus, quibus consolabantur in mœroribus, quia dum solum contemplarentur hoc divinum cor, & hunc sanctissimum puerum, qui velut cor morabatur in medio eorum, nullus labor reddebatur iis molestus, nulla afflictio eos torquebat. Et quomodo jecur Mariæ vivere potuisset, & caput Joseph potuisset tolerare tot molestias, nisi fuissent fota continuo ab hoc calidissimo corde, fontis vitæ? Hi ergo dicent, ex hoc capite primatum hujus nobilissimi corporis deberi Cordi hoc est puero Jesu *Quia de plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Ioannis 1.

Sed veniâ vestrâ mihi liceat Virgo sanctissima, & tu mi salvator, non ut deprimam vestram eminentiam, sed ut exaltem vestrum sponsum, & patrem putativum respectivè (& securus sum quod non offendemini) dare primatum sanctissimo Joseph; Joseph fuit caput hujus corporis, & familiæ. Caput, quia sponsus Mariæ. *Ioseph autem vir ejus &c.* quod si juxta Paulum vir sit caput mulieris, Joseph fuit sine dubio caput Mariæ; fuit etiam caput Christi, quia fuit ejus pater putativus, à quo Christus in omnibus pendebat, & cui promptè obediebat, & subjectus omnino fuit. *Ecce Pater tuus, ego dolentes quærebamus te.* præterea tekte Evangelista: *Iesus erat subditus illis*, ergo & Josepho quamvis Josephus reverentiâ summâ ei mandata daret, eum gubernaret, ei provideret, & reliqua faceret, quæ sunt propria capitis. Joseph fuit caput, quia in ipso veluti in centro, & epilogo reperiebantur omnes sensus, hoc est omnes virtutes, & perfectiones collectivè, quæ fuerunt communicatæ aliis sanctis distributivè. Hinc in communi dicit sacer Evangelista quod justus fuerit. *Ioseph autem cum esset justus &c.* justitia porrò juxta Augustinum in se concludit omnes virtutes. *Iustitia ad omnes partes animæ pertinet, quia ipsa ordo, & æquitas animæ est* Quod si caput nobilius sit corde, & jecore, & omnibus aliis membris, cur non dicemus nos quod hic sanctissimus Patriarcha præcelluerit non solum omnes reliquos sanctos, membra mystica corporis Ecclesiæ, & dependentia à Jesu, & Maria, sed etiam ipsum Jesum, & Mariam, Cor, & jecur non solum ecclesiæ, sed etiam nobilissimæ Ephes. 5. Luc. 2. Lib. 2. in gene. conf. Manich.

familiæ Joſephi? Dicat ergo Evangeliſta, quod Joſeph fuerit filius David, eſto interutrumque 38 generationes interceſſerint. Dicat Chryſologus, quod in Joſepho tanquam capite Chriſti & Mariæ, omnes gratiæ, perfectiones, prærogativæ fuerint collectivæ, ac ſimul quæ in progenitoribus ejus fuerint diſperſæ. *Videte fratres in perſona &c.*

Sed quomodo ô nobiliſſime caput, ô ſanctiſſime Joſeph, potero ego tam arctis terminis conſtringi, ſi video, quod tua nobilitas excedat conditionem humanam, & te faciat comparere Angelum paradiſi, non ex inferioribus, ſed ex ſuprema Hierarchia.

Scriptura. VI. Nec permittit me à vero aberrare ſpiritus ſanctus in Geneſi, ubi recenſetur in principio orbis à Deo benedicto fuiſſe creatum paradiſum terreſtrem, refertum majoribus delitiis, quæ poſſent produci, ita ut à Deo fuerit vocatus paradyſus omnium voluptatum. Porrò in medio ejus creavit arborem vitæ, cujus fructus comeſti reddidiſſent Adamum immortalem, & Adamum huic loco præfecit. *Plantaverat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem quem formaverat.* Verum ut Adamus deliquit, & à Deo ex hoc loco ejectus fuit, refert ſacer textus, quod Cherubim gladio igneo armatum ante ejus fores collocavit. *Ejecitque Adam, & collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Si ego velim conſiderare ſenſum literalem hujus ſcripturæ, pro nunc nullam reperio difficultatem, ſed ſi reſpiciam ad tropologicum, illum haud ita faciliter capio. In ſacris Canticis lego inter reliqua epitheta, & laudes, quibus affecta eſt ſacra ſponſa, eam ob ſuam incomparabilem venuſtatem paradiſo terreſtri fuiſſe comparatam. *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum.* Cant. 4. Hæc verba Virgini noſtræ Dominæ ſacroſanctæ Eccleſiæ appoſitè attribuit. *Emiſſiones tuæ paradiſus ô Maria*, paradiſus non ſolum terreſtris, ſed cœleſtis, plenus immenſis delitiis gratiarum, & favorum cœleſtium. Uſque huc omnia tranſeunt bene. Sed ſi parumper retrogradiamur, incidemus in aliquem laqueum, quia in paradiſo terreſtri plantata erat arbor vitæ. *Lignum etiam vitæ in medio paradiſi.* Hoc ſuppoſito ſi Virgo fuit per hunc paradiſum figurata & ubi erit arbor vitæ ex cujus eſu Adam acceptaturus erat immortalitatem? ſacer Evangeliſta Joannes ſignificavit in ſua Apocalypſi, hoc lignum fuiſſe Chriſtum filium Mariæ plantatum in utero virginali hujus delitioſiſſimi paradiſi. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei.* Apoc. 2. Attamen non credo mihi adhuc ſatisfactum, quia poſtquam ejectus eſſet Adamus è paradiſo terreſtri, refert ſacer textus, Deum poſuiſſe Cherubinum ante paradiſum, ne ulli ſtatueret aditum ad arborem vitæ. *Collocavit ante &c.* Hinc ſi Virgo ſit iſte paradiſus, & Chriſtus lignum vitæ, quis erit Cherubinus utriuſque deputatus cuſtos?

Valdè benè Iſodorus Iſolanus S. Joſepho devotiſſimus. Inveniſti paradiſum delitiarum, inveniſti lignum vitæ, nec animus tibi adeſt inveniendi Cherubinum? ſi paradiſus ſit Maria, lignum vitæ ſit Chriſtus ejus filius, annon vides clarè Cherubinum eſſe Joſephum, ſponſum Mariæ, & patrem putativum Chriſti? Joſeph eſt Cherubinus ille, qui cuſtos paradiſi, & ligni vitæ Jeſu à Deo patre eſt conſtitutus; ut tu intelligas hunc ſacratiſſimum Patriarcham fuiſſe tantâ dignitate ornatum, ut ſuperans conditionem humanam, pararit viam ad Angelicam & in terra appareat eſſe Angelus Paradiſi non alicujus vulgatis ordinis, ſed ſupremi ex Hierarchia Cherubinorum. *Reminiſcere Virginem paradiſi typo ſignatam, & Chriſtum lignum eſſe vitæ, quod plantatum eſt ſecus decurſum aquarum. Porrò ſi iſthæc explorata creduntur veritatis. Cur non Joſeph Cherubim eſſe credendus eſt, qui & Virginis ſanctiſſimæ, & cuſtos Chriſti à Deo immortali poſitus eſt?* 3. P. c. 22.

Theologia. VII. Patres Theologi vos docetis, & quidem veriſſimè, Deum clementiſſimum cuilibet hominum ab utero uſque ad inſtans mortis dediſſe Angelum cuſtodem. Sic D. Hieronymus in illud: *Angeli eorum in cœlis &c* ait. *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum.* Præterea aſſeritis Angelos cuſtodes deputatos cuſtodiæ hominum ex infima Hierarchia. Et ſicut Principatus, præfecti ſunt cuſtodiæ toti multitudini hominum, ſic tota natura corporea gubernatur à virtutibus. Et Dæmonibus dominantur poteſtates, Angelis verò bonis præfecti ſunt dominationes. D. Thom. 1. part. q. 113. art. 4. in illud Matt. c. 18.

Hoc poſito, inquiritis an Chriſtus habuerit Angelum cuſtodem? Nec eſt ſermo de Chriſto quatenus Deo, quia ſic negativa pars eſt certa,

certa, nam Angelos quà talis deputavit cuſtodiæ hominum, ſed qua homo. Scio doctorem Angelicum partem tenere negativam, quia ut ipſe aſſerit, Chriſtus etiam qua homo immediatè regulabatur à verbo Dei, ſed poſſet aliquis replicare, Chriſtum adhuc dupliciter poſſe conſiderari, ſemel quatenus eſt comprehenſor & beatus, & ſic eſt certum eum non non habuiſſe Angelum cuſtodem, ſicut nec eum habent beati in cælo: ſecundò quatenus viator, & ſic videtur affirmativè reſpondendum, maximè cum Angelus eum in horto afflictum, & deſolatum ſit conſolatus. *Et ecce Angelus de cælo confortans eum.*

Supra.

Luc. 22.

Attamen hoc negat etiam D. Thomas, quia cuſtodia ſupponit ſuperioritatem, Chriſtus autem quatenus viator non erat inferior Angelis, quinimo eorum omnium caput, ita ut deberent ei dum opus foret ſervire, nullatenus tamen veluti ſuperiores cuſtodire. Unde nec poteſt dici, quod habuerit Angelum cuſtodem tanquam viator, ſiquidem Angeli illi tantum ſervire debebant. Hinc S. Matthæus. *Et acceſſerunt Angeli & miniſtrabant illi.*

Matth. 4.

Sed forſan dicet nonnemo. Tranſeat præterea Chriſto non eſſe datum Angelum ex infimo ordine, vel hierarkia, quales ſolent dari hominibus puris: dignitatem enim, & excellentiam Chriſti talis non decebat; Non videtur tamen aliquid obſtare, quin poſſit dici ei datum Angelum aliquem ſupremum, & nobiliorem; Nam ſi voluerit ſubjici noſtris miſeriis, & infirmitatibus, ac paſſionibus patiendo frigus, calorem, ſitim, famem, cur non poſſemus dicere, quod voluerit cuſtodiri ab Angelo aliquo ſupremo?

Nec hoc concedi debere conſtanter aſſeverat Thomas; Nam etiam ſupremus Angelus eum non cuſtodivit, ſed illi ſervivit. Et hæc ratio debet convincere, quod Chriſtus non ſolum quatenus Deus, ſed etiam quatenus homo fuerit caput Angelorum omnium omninò, juxta illud Pauli *Qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis*; Cum enim ſit caput totius Eccleſiæ tam militantis, quam triumphantis, quæ conſtat non ſolum hominibus, ſed etiam Angelis, ſit quod Chriſtus fuit omnibus ſuperior, & nullus debuerit eum cuſtodire, ſed illi tantum miniſtrare.

Coloſſ. 2.

Applicatio.

VIII. Nunc ad Joſephum. *Et collocavit &c.* Quod ſponſus Mariæ Joſephus fuerit Angelus, non eſt dubium, Angelus dico, non quoad naturam, ſed quoad vitam, mores, converſationem, ſanctitatem, & perfectionem. Hinc vocatur taliter Angelus ab Iſodoro Iſolano. *Joſephi mores Angelici dicendi ſunt.* Angelus fuit Joſephus, non quoad conditionem naturalem, ſed quoad proprietates, & miniſteria angelica, quibus fuit deputatus, Angelus non ex infimo ordine, qui minima nuntiant, & manifeſtant; ſed ex ordine Archangelorum deſtinatus ad nuntiandum cælo, & terræ per matrimonium ſuum cum Virgine, ſupremum myſterium incarnationis. Sic obſervat Chryſologus. *Alterna conceptio cæleſtis partus virginem jam ſignatur in carne.* Angelus fuit Joſephus ex ordine Poteſtatum, quia ut dicit Iſolanus. *Fuit Chriſti pueri contra inſidias Diaboli, & aſtutias defenſor.* Fuit ex ordine Principatuum, veluti ille, qui electus Pater putativus Chriſti, ſoit ſuperior Angelis, quibus nunquam hic titulus fuit collatus. Fuit ex ordine Thronorum veluti ille, qui proprio ſinu, & ulnis toties Salvatorem geſtavit. Fuit Cherubinus ob exceſſum ſapientiæ, eo quod (ita docentibus multis) jam ſæpius viderat divinam eſſentiam. Fuit Seraphinus ob exceſſum amoris erga illum gratioſiſſimum filium, qui cum eſſet totus igneus, non potuit minus, quin illum ſanctiſſimum Patriarcham ſibi adeò vicinum calefaceret. Hinc Iſolanus. *Divinâ ardens charitate, Deum verum manibus pertractabat.*

1. Part. c. 16.

Serm. 41.

O ſapientiſſime Cherubine, ó inflammatiſſime Seraphine, ad quantam non es evectus eminentiam, & ſublimitatem, ſi æqueris Angelis ex ſuprema Hierarchia? ſi de hominibus ordinariis dixit Doctor Angelicus, quod *per donum gratiæ homines meveri poſſint tantam gloriam, ut Angelis æquentur ſecundum ſingulos Angelorum gradus*, conformiter ad id quod dicit Matthæus: *Erunt ſicut Angeli Dei in cælo.* Quantò verius id poterit dici de te ô ſanctiſſime Patriarcha, quia nullum nec in Hierarchia Angelorum, nec in Hierarchia hominum ſuperiorem habuiſti prout teſtatur Gerſon. *Nullus ſanctus in cælo eſt major ſancto Joſepho poſt Virginem benedictam?*

1. Part. q. 108. art. 8

Matth. 22.

O Cherubine ſapientiſſime, tu non ſolum æqualis es Angelis ſupremis, ſed & quod me in exceſſivum rapit ſtuporem

Ser. de nat. Mariæ conf. 3.

eſt, quòd ſis ſupremus Angelorum, cuſtos Mariæ, & Jeſu; & eſto Chriſtus nullum habuerit Angelum, qui illum cuſtoditet, ſed tantùm, qui illi ſerviret, tu tamen à Patre æterno deſtinatus es, ut eſſes ejus Angelus cuſtos toto tempore ejus vitæ, quòd fuit ſecundùm multos triginta annorum. Quòd ſi Chriſtus ob ſuam eminentiam non habuit Angelum cuſtodem, eò quòd eſſet caput Angelorum, eorumque ſuperior; quanta non eſſe debuit tua eminentia, dum meruiſti eſſe ſuperior capite Angelorum, & ipsâ Reginâ cælorum, quibus à Deo cuſtos es præfectus?

Dicat ergo indubitatè Holanus, quòd fueris ſupremus Cherubin, qui fuit collocatus cuſtos ante thronum delitiarum Mariæ, & ligni vitæ Jeſu: *Cur non Joſeph Cherubim aſſerendus eſt, qui & Virgini ſanctiſſimæ, & Chriſti cuſtos à Deo immortali poſitus eſt?* Repetat id abſque ulla formidine, quia tua eminentia tanta eſt, ut ſuperior ipſis Cherubinis factus eſſe videaris.

Locus Scripturæ. *Matth.* 1.

IX. S. Matthæus in deſcriptione Genealogiæ Chriſti, ut venit ad Joſephum, hæc formalia effatur: *Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus.* Magnum revera hoc factum eſt, inquit Gerſon (NN.) quod loquens de duobus Sanctis adeo eminentibus, & qui Chriſto excepto, cunctis fuerunt ſuperiores, Joſeph putà, & Maria, adeo ſe parcum demonſtret Evangeliſta in recenſendis illorum prærogativis, excellentiis, & operationibus, ac ſi hic ſacer Scriptor non æſtimaret illos pluſquam aliquem vulgarem Sanctum, cùm tamen Maria fuerit mater Chriſti, & Joſeph pater putativus Salvatoris, ac Sponſus Mariæ. Cur de Mariæ, cur de Joſephi dignitatibus, & excellentiis, virtutibus, operibus, & geſtis amphora non tradidit Scriptura ſacra? ſi exactiſſimè ſacræ literæ agant de uno Moyſe, Abrahamo, Jacobo, Davide, Salomone, Joanne Baptiſta, ſi accuratiſſimè eos præ aliis reddiderunt conſpicuos, quomodo Scriptores ſacri de Joſepho & Maria vix aliquid recenſent, & nihil, aut parum de iis ſcriptis conſignarunt? Nonne ſpecialiter debebat fieri aliqua mentio eorum prærogativarum, excellentiarum, dignitatum? Nonne debebant celebrari, ac extolli eorum eminentia, ſanctitas, virtutes, & perfectiones, quibus pollebant illi duo ſanctiſſimi Sponſi?

Moralitas.

Dices forſan, de Maria unico verbo plus dictum, quàm potuerint exarare eruditiſſimi calami prætetitorum & futurorum ſæculorum, dum nempe ſacer textus dixit: *De qua natus eſt Jeſus, &c.* Verbum hoc adeo eſt ponderoſum, ut ſe ſolo æquet mundum, & in ſe contineat majora encomia, quæ poſſint convenire ulli creaturæ rationali, non ſolùm homini, ſed & ipſis Angelis, imò longè præcedit conditionem nobiliſſimorum Angelorum. *De qua natus &c.* Siquidem per hanc dignitatem Maternitatis Dei, Maria præcellit, & ſuperat ipſos miniſtros Dei. Sic S. P. Auguſtinus: *Tanta eſt Virginis dignitas, eò quòd Mater Dei ſit, ut planè excedat non ſolùm omnium hominum dignitatem, verùm etiam Angelorum, cùm longè præſtabilius & excellentius ſit eſſe matrem Principis, quàm miniſtrum.* *De ſymbo. ad Catechum. lib. 3.*

Quòd ſi hoc inquam mihi reſponderetur, quòd Maria ratione Maternitatis Dei ſuperet majores excellentias hominum & Angelorum, ideoque dicendo Evangeliſta: *De qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus*, paucis complectatur, quicquid dici poterat de Maria, replicabo, Joſephum non fuiſſe patrem naturalem Chriſti, nec de illo potuiſſe dici: *De quo natus eſt, &c.* adeoque videri mancum Evangeliſtam, dum fusè non recenſet excellentias ac dignitates illius, qui fuit pater putativus Chriſti.

Divinè reſpondet Gerſon. Sicut juxta Auguſtinum, Evangeliſta tamen aſſerens, Mariam fuiſſe matrem naturalem Chriſti, complectitur maximas excellentias, quæ poſſunt convenire Mariæ, & quòd per hoc excellat omnes ſimul homines, & Angelos; ſic dicendo de Joſepho, quòd fuerit Sponſus Mariæ matris Chriſti, dicit paucis verbis omne illud, quod prolixiſſimo diſcurſu de hoc maximo Patriarcha dici poteſt. Hæc ſiquidem dignitas Sponſi Mariæ eum ita præfert omnibus Angelis paradiſi, ſicut Maria iſdem præfertur. Hinc non miratur, quòd Evangeliſtæ tam parci ſint in recenſendis excellentiis Mariæ & Joſephi, ut ſolùm dicant: *De qua natus eſt &c. Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ.* Mirè Gerſon: *Ex eo, quòd Joſeph eſt vir Mariæ, de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus, velut ex quodam principio fœcundiſſimo, copioſiſſimo, ampliſſimo* *Serm. de Nativ. Virginis.*

laudum

laudum ſeminario habet devotè contemplantis animus, unde facilitèr aſſurgat ad laudes quantaslibet Mariæ & Ioſeph, quas in aliis creaturis etiam angelicis conſiderat. Et paulò pòſt: *Eſt autem Maria ſuper choros Angelorum per gratiam & gloriam ſublimata, quale de ipſo Ioſeph negare non audeo.*

Leges. X. Belliſſimum dubium proponitur à quibuſdam eruditis ingeniis, an ſi Regina nubat alicui ſe inferiori, huic debeatur titulus Reginæ, vel an Reginam dedeceat tale connubium? Non deerit fortè, qui dicat, nobilitatem Reginæ valde diminuendam, & illam ſponſi nihilo augendam. Dicunt ſiquidem Juriſtæ: *Codice de nuptiis. Lege final. de Indolis.* *Vxor marito concreſcat, & ſentiat ejus fulgorem.* Et alibi: *Mulieres maritorum honore erigimur, & nobilitamur.* Et Ulpianus ſcripto reliquit: *Cap. Connubio, de his, qui in poteſtate ſunt.* *Connubio interveniente, liberi ſemper patrem ſequantur.* Hinc refert Titus Livius lib. 1. Virginem à Senatu Romano fuiſſe privatam nobilitate, quia plebeio nupſerat; hinc diceret aliquis, in tali caſu non ſolùm maritum non ſublevandum ad dignitatem Reginæ, ſed & illam à ſua nobilitate excidendam, quia *Fœminæ ſequuntur viri conditionem.* Hinc ruſtica nupta Regi, fuit Regina, ſed non econtra.

Hoc non obſtante, communiter dicunt Juriſtæ, illud axioma non habere locum in Reginis, quia ſic hæ ſæpe cogerentur non nubere, aut ſi vellent nubere, privandas eſſe regno, quod tamen eſt contra leges. *Decium Codice de ædendo lib. 1 & alii.* *Reginarum ſponſi vocantur in partem regni, & Reginæ viris ſuis titulum Regis impertiunt.*

Hinc referunt Hiſtorici Hiſpanici, Joannam filiam Reginæ Hiſpaniarum Iſabellæ jure hæreditario, mortuâ matre ſucceſſiſſe in regno, (cùm in Hiſpaniis non obtineat lex ſalica, vetans mulieribus regnare) cùm tamen vivente matre nupſiſſet Philippo primo Principi Auſtriaco, Patri Caroli quinti, qui poſtea Rex acclamatus eſt.

Applicatio. XI. Nunc ad Joſephum. *Iacob autem, &c.* Sponſa legitima Joſephi fuit ſanctiſſima Virgo, *Ioſeph autem vir ejus*; & Angelus, *Ioſeph fili David, &c.* Et ut eſſet paritas inter hos duos ſponſos, juxta illud: *Si vis nubere, nube pari*, ambo fuerunt ex proſapia regia, & ſtirpe David. Verùm præterea Virgo velut Mater Chriſti, Regis Angelorum, & filia æterni Patris, & Sponſa Spiritus Sancti per gratiam, jure merito fuit Regina etiam Angelorum, prout eam intitulat tota Eccleſia: *Regina Angelorum.* Et ſic cùm eſſet Regina Angelorum, ſuperabat in dignitate, nobilitate, & eminentia omnes Angelicas Hierarchias, & ſupremi Angeli ei erant ſubjecti, eamque recognoſcebant pro Regina, & veluti ejus ſervi ad pedes Mariæ proſternebantur.

Et quamvis hæc Regina Angelorum nupſerit Joſepho inferiori dignitate, ac nobilitate, per hoc tamen Maria non excidit ſuâ nobilitate, prout excidunt aliæ fœminæ non Reginæ, dum nubunt marito inæqualis conditionis: quinimò, Maria ſuum ſponſum ad ipſam dignitatem Regis Angelorum evexit. Hinc ſi Maria indigitatur *Regina Angelorum*, propter eandem rationem Joſephus debet vocari *Rex Angelorum*, quia *Reginarum ſponſi vocantur in partem regni:* quia *Reginæ viris ſuis titulum Regis impertiunt.* Quòd ſi Maria velut Regina Angelorum omnes Angelos ſuperet in dignitate, & illis adeo fuerit ſuperior, cur non jure dicemus, ſanctiſſimum Joſephũ, velut legitimum ſponſum Mariæ ad eandem dignitatem evectum.

Nec mihi aliquis objiciat, Mariam tunc conſecutam eſſe titulum Reginæ Angelorum, quando actualiter fuit facta Mater Dei, prout notaſſe videtur S. Auguſtinus, dicens: *Auguſtin.* *Tanta eſt Virginis dignitas, eò quòd Mater Dei ſit, ut plane excedat non ſolùm omnium hominum dignitatem, verùm etiam Angelorum.* Cùm tamen fuerit antea ſponſa Joſephi, hoc inquam nemo objiciat; nam dato, quòd tunc fuit acclamata Regina Angelorum, Joſeph etiam tunc illum titulum adeptus eſt, quia debet ſequi conditionem Reginæ. Ex quo ſequitur, quòd Joſephus ratione Mariæ debeat vocari Rex Angelorum.

O nobiliſſime, ô eminentiſſime Sanctè! cedant tuæ nobilitati ſertata capita, & maximi Monarchæ mundi, quia nec ullus eorum vel eſt dignus, quòd oſculetur pedes tuos. Cedant tuæ eminentiæ Angeli, Archangeli, Virtutes, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubim, Seraphim, quia tu illos,

ſicut Rex ſuos ſubditos ſuperat in nobilitate. Gloriare de titulo, quo es ſponſus Mariæ, & Rex Angelorum legitimè adepto, gloriare quòd ſis legitimus conjunx Reginæ Angelorum. Quòd ſi Evangeliſta ſublimandæ, & exaltandæ Mariæ ſolùm dixerit, eam eſſe matrem Dei: *De qua natus, &c.* (Hic quippe titulus omnes titulos in ſe, quantumvis maximos continet,) ſic idem volens tuam declarare ſummam eminentiam, ſolùm dicat te eſſe Sponſum Mariæ: *Iacob autem, &c.* quia hic titulus te præfert Angelis. Dicat ergo audaciter Gerſon: *Eſt autem Maria, &c.* Quòd ſi verum ſit illud, quod docet Philoſophus, *Infimum ſupremi cæli, eſſe ſupremum infimi*, dicamus de te, quòd contineas omnes perfectiones, & nobilitates Angelorum in te tantâ perfectione, quòd ſupremus illorum ſit ſub primo gradu tuorum pedum.

Sed quid? An forſan nimis depreſsè ſentiat gloriosiſſime Joſephe, qui recognoſceret, te ſuperiorem eſſe Angelis? Ah! adeo præeminet tua dignitas rebus creatis, ut ſanè, ac reverenter loquendo, te faciat eſſe conditionis quaſi ſimilis divinæ, dum te ſubſtituit loco Patris, & Spiritus Sancti. Ad probationem hujus deveniamus.

Locus Scripturæ.

XII. S. Lucas à conſiſtorio ſanctiſſimæ Trinitatis, & ſpecialiter ab æterno Patre recenſet amandatum eſſe; Archangelum Gabrielem ad Virginem Dominam noſtram, ut ejus conſenſum, num dignitatem Matris Dei acceptare vellet, reſciret. *Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Mariam Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo David.* Ex his verbis ſacri textus evidenter colligimus, quòd dum Angelus annuntiavit in utero Virginis incarnandum Verbum, jam eam Joſepho deſponſatam fuiſſe, & hunc ejus legitimum fuiſſe conſortem. Si ego hic quæterem, cur æternus Pater voluerit filium ſuum incarnari, & concipi in utero Virginis jam deſponſatæ, ſcio vos cum Origine reſponſuros: *Propterea Virgo fuit deſponſata ipſi Ioſepho, quia ſi non fuiſſet deſponſata, omnium bonorum increduli, & inimici Iudæi lapidibus eam occidiſſent.* Sed ut verum fatear, necdum mihi plene eſt ſatisfactum; quia eſto ſit verum, quòd nativitas Chriſti ex virgine deſponſata, virginem præſervarit à nota infamiæ, nihilominùs videri illam notam non incurriſſet, ſi concepiſſet à Spiritu Sancto uno momento, mediâ horâ, vel hora antequam deſponſaretur Joſepho. Hinc ſcire percuperem, cur conceptio Verbi in utero Mariæ non præceſſerit vel unico momento conjugium Virginis cum Joſepho, ita ut finitâ deſponſatione, ſtatim uterus Virginis virtute Spiritus Sancti fuiſſet fœcundatus; uti videtur inſinuare Divus Matthæus, dicens: *Cùm eſſet deſponſata Mater IESV Maria Ioſeph, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto?* Cap. 1.

Luc. 2.

Hom. 39. de diverſis

XIII. Patres Theologi, vos dicitis, in Chriſto eſſe duas generationes, unam æternam, & alteram temporalem: unam ſecundùm Divinitatem, & alteram ſecundùm humanitatem. Quoad generationem æternam non agnoſcit ad am perſonam tanquam principium activum, niſi Patrem, & quia in illa generatione nullum eſt principium paſſivum, ideo in illa fuit pater ſine matre. In generatione econtra humana adfuit principium paſſivum, putà ejus ſanctiſſima Mater, defuit tamen principium activum, nempe Pater; cùm enim conceptus fuerit virtute Spiritus Sancti, fuit ibi Mater ſine patre. Theologia.

Patres Theologi, hic veſter requiritur ſuccurſus. Vos quæritis, an Spiritus Sanctus debeat dici pater Chriſti, non quà Deus eſt, ſed quà homo.

S. P. Hieronymus refert, fuiſſe quoſdam adeò ſtupidos, ut affirmarint; forſan fundarunt ſe in dicto Philoſophi dicentis: *Pater dat principium actuum in generatione, mater verò miniſtrat materiam.* Atque in generatione Chriſti temporali ſanctiſſima Virgo ſubminiſtravit materiam, putiſſimum ſcilicet ſuum ſanguinem, ergo debet dici Mater Chriſti. Similiter cùm Spiritus Sanctus fuerit in illa principium activum, juxta illud Angeli: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi,* & alibi: *Ioſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod in ea natum eſt*, vel ut alii legunt, *conceptum eſt, de Spiritu Sancto eſt*, debet dici pater Chriſti. Lib. 2. de gener. c. 3. & 4.

Præceptor Angelicus cum omnibus Theologis damnat hanc opinionem tanquam parum 3. p. 4. 31. art. 3.

rum Catholicam; quia ut aliquis sit pater, non sufficit, quòd sit principium activum, vel productivum in generatione, sed propterea exigitur, ut producat sibi similem in specie; & hinc videmus, Solem non dici patrem hominis, esto activè ad generationem illius concurrat. Porro Beata Virgo debet dici Mater Christi, quia velut principium passivum subministravit materiam formatricem Corporis Christi secundùm similitudinem speciei; Spiritus Sanctus autem, esto instar principii activi concurrerit ad formationem illius corpusculi sanctissimi, tamen cùm non fuerit agens simile Christi secundùm speciem, ideò non debet dici pater Christi, quatenus est homo.

XIV. Nunc capietis, cur voluerit Deus, ut desponsatio Josephi cum Maria præcederet imprægnationem Mariæ, & conceptionem Verbi in utero Virginis. Sciebat optimè æternus Pater, se non potuisse esse patrem Christi, quâ hominis, quia ei non erat similis secundùm speciem. Spiritus Sanctus, qui etiam fuit principium activum hujus conceptionis, ob eandem rationem non potuit esse ejus pater. Ne ergo Christus à mundo haberetur pro illegitimo, debuit habere patrem. His perpensis, concluserunt Pater & Spiritus Sanctus, Josephum substitui debere in loco utriusque personæ. Et ut Judæi vere judicarent, Josephum esse patrem Christi, sicut

Matth. 3. ipsâ judicarunt, dum dicerent: *Nonne hic est fabri filius?* Ideo Pater, & Spiritus Sanctus noluerunt, ne vel momento imprægnatio Mariæ præcederet desponsationem ejus cum Josepho, sed potiùs, ut desponsatio præcederet imprægnationem, nam hoc modo nemine contradicente, habebitur pro vero patre Christi, esto à parte rei talis non esset, sed solùm propater, & locum tenens æterni Patris, ac Spiritus Sancti. Et quòd fuerit in terra substitutus Patris cælestis, clarè explanat Isidorus Isolanensis, dicens: *Gessit Joseph personam Dei Patris, omnium Conditoris per Verbum, dum ejusdem Verbi putabatur pater.*

Isidor. 1. p. c. 16. Quòd etiam fuerit locum tenens Spiritus Sancti, asserit Gerson in sua Josephina: *O veneranda Trinitas, Jesus, Maria, Joseph.* In hac Trinitate, Maria substituta est loco Patris, Jesus loco Filii, Josephus loco Spiritus Sancti. Quòd si ergo Josephus fuit ab æterno Patre, & Spiritu Sancto electus, ut in terra suppleret locum istarum divinarum personarum, cur non diceremus, dignitatem Josephi præcellere humanam & Angelicam conditionem, ac pertingere ad confinia Divinitatis?

XV. Sed quæso, vos Domini Astronomi succurrite mihi, ut declarem hunc locum Scripturæ. Vos, qui omnia contingentia in hoc mundo sublunari, & spectantia ad nostram vitam, v. g. constitutionem, dispositionem, & complexionem corporis, qualitates morum, inclinationes animi, divitias; dignitates temporales, attribuitis cælo, & illa à cælo dependere dicitis, affirmatis, in cælo inter alias stellas planetam dominatorem nativitatis obtinere primatum in dandis illi, qui nascitur, prædicta juxta conjunctionem cum aliis stellis. Hinc dixit Pontanus: *Bona hominum omnia aut corporis sunt, aut animæ fortunæ. Horum autem omnium genituræ dominus denuntiator erit pro natura, collocatione & configuratione ad alias stellas.* Attamen non conveniris, quis sit planeta dominator nativitatis illius, qui nascitur.

Astronomia.

Lib. 8. de reb. cæles.

Nonnulli Astronomi putârunt, nativitatibus diurnis, vel quæ de die contingunt, dominari, seu præesse illum planetam, ejusque nativitatis debere vocari dominum, in cujus confinibus, vel puncto tunc reperti contigerit ortum Solis. Quòd si igitur nativitas contigerit in nocte, Dominus illius nativitatis erit ille planeta, in cujus confinibus tunc erit Luna; nec sine ratione hæc asseruerunt Astronomi; cum enim Sol & Luna sint principales auctores generationum, & etiam sit indecens, quòd se impendant ministeriis inferioribus, rationi congruit, ut hoc minus imponant alicui planetæ inferiori hinc cùm Sol sit Dominus diei, illum planetam præficiet illi nativitati, in cujus confinibus reperietur, dum filium illum nasci contigerit; similiter alii volebant, Dominum illius nativitatis esse illum planetam, qui in illo tempore fuit Dominus latitudinis lunæ.

Alii censuerunt, hoc dominium debere tribui illi planetæ, qui in nativitate illius filii fuerit in horoscopo dotatus majoribus

bus viribus, ac prærogativis præ aliis planetis. Alii tandem dederunt hoc dominium illi planetæ, in quocunque cælo reperiatur, qui majorem præ aliis habet authoritatem.

Denique Julius Maternus voluit, illum planetam debere eligi in dominium nativitatis, cujus ſignum luna intravit, poſtquam egreſſa eſt ex illo ſigno, in quo fuit illâ horâ, in qua de nocte natus eſt filius, & idem pariter dicendum eſt de Sole, ſi fuerit diurna nativitas, quòd ſi dictus planeta fuerit non ſolùm dominus illius ſigni, ſed & fuerit in propria domo, imo & in propria exaltatione, ac in ſua triplicitate, & confinibus, ſicut tunc habiturus fuiſſet majorem auctoritatem, vires ac dominium cum majori fœlicitate illius, qui naſcitur, ſic à Sole, vel luna reſpectivè fuiſſet ſubſtitutus.

Applicatio.

XVI. Nunc ad Joſeph. *Miſſus eſt Angelus, &c.* Naſcitur puerulus Jeſus ex Maria Virgine in ſtabulo Bethlemitico opere Spiritu Sancto. Nativitas ejus fuit diurna, ac nocturna. Diurna, quia illuſtrata fuit clariſſimâ luce Angelorum, qui illas tenebras illuſtrârunt. Nocturnæ, quia contigit ſub mediam noctem. Nocturna, & diurna, quia facta eſt in medio ſæculorum, cùm tunc ceſſare inceperint tenebræ legis ſcriptæ, & oriri cepetit dies legis gratiæ. Ideo tunc poterat dici: *Domine, opus tuum in medio annorum, vivifica illud.* Habac. 3. Vel cum Paulo: *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit.* Rom. 13. Auctores principaliſſimi hujus nativitatis fuerunt Sol Spiritus ſancti, velut principium activum formationis, & animationis illius ſanctiſſimi corpuſculi. *Quod enim in ea natum eſt, &c.* & luna Maria, veluti illa, quæ ſubminiſtravit materiam ſui puriſſimi ſanguinis. *Caro Chriſti*, inquit Auguſtinus, *eſt caro Mariæ*; verum quia Sol Spiritus Sancti veluti ille, qui non poterat eſſe pater Chriſti, etiam non debebat eſſe dominus illius nativitatis, ſicut nec Luna Maria, hoc enim ſexui non permittebat; hinc tam Spiritus Sanctus, quam Maria elegerunt nobiliſſimum planetam, cui ſuas vices committerent, eique filioli illius curam demandarunt, & hic jure merito debebat vocari planeta dominator illius nobiliſſimæ nativitatis, ac fœliciſſimæ genituræ.

Sed quis quæſo debebat eligi ad hoc officium, ac miniſterium adeo excellens? quis fuit dignus, ut vices ſuppleret horum duorum luminarium mundi, putà Solis Spiritus Sancti, & lunæ Mariæ, niſi nobiliſſimus ille planeta Joſephus ſanctiſſimus? Quòd ſi à multis ille planeta habeatur pro dominatore genituræ, qui collocatus in angulo aſcendentis, prædituſ eſt majoribus viribus, quis congruentiùs fuit repertus in aſcendente, quàm Joſephus, cujus nomen eſt idem, ac *augmentum*, vel *incrementum*. Et quis majoribus fuit dotatus favoribus, gratiis, prærogativis, quàm Joſephus, qui per antonomiam vocatur juſtus. *Joſephus autem cùm eſſet juſtus, &c.* Dominus hujus nativitatis fuit Joſephus, quia reperiebatur tunc in propria domo. *Eò quòd eſſet de domo, & familia David*, velut ſponſus Mariæ. Erat præterea in ſua exaltatione, & eminentia velut caput Mariæ. *Joſeph autem vir ejus.* Etat in ſua triplicitate velut Dominus in hoc conſiſtorio terrenæ Trinitatis. *O veneranda Trinitas, Jeſus, Maria, Joſeph*, Dominus hujus nativitatis feliciſſimæ, quia Sol Spiritus Sancti, & Luna Mariæ intrarunt domum, & juriſdictionem Joſephi, Sol Spiritus Sancti in utero Mariæ: *Spiritus Sanctus ſupervenie in te, &c.* Et Maria in domo Joſeph tanquam ſui legitimi conſortis. *Joſeph fili David, &c.*

O glorioſiſſime Joſephe, & quis ignorat, quòd dotatus tot prærogativis ac excellentiis, fueris etiam planeta dominator illius nativitatis, quia electus & ſubſtitutus es in locum Solis Spiritus Sancti, & Lunæ Mariæ, ut regeres, gubernares ſanctiſſimum puerulum, ut eum doceres, doceres, & in egeſtatibus ſuccurreres, velut pater nutritius, ac putativus? Cùm ſubiveris vices Solis Spiritus Sancti, imò æterni Patris. Cur non diceremus, quòd tuis eminentiis ſupergreſſus fueris conditionem hominum & Angelorum, in tantum etiam, ut attigeris confinia Divinitatis, & in terra apparueris eſſe proDeus cæli.

Dicamus ergo, ad hoc, ut talis compareres, voluiſſe Spiritum Sanctum, & æternũ Patrem, ut eſſes Sponſus Mariæ, & ut tua ſponſalitia præcederent imprægnationẽ Mariæ tuæ conſortis, ac conceptionem pueruli Jeſu, ut totus

mundus

mundus tandem cognoſceret te fuiſſe planetam dominatorem Nativitatis puerili Jeſu ſubſtitutum, & electum ut vices Solis Spiritus ſancti, & æterni patris ſuppleres. Dicat ergo Iſolanus. *Joſeph geſſit vicem æterni patris.* Dicat ergo Gerſon *O veneranda Trinitas, &c.*

Epilogus. XVII. Quis ergo ô eminentiſſime Joſeph, ô ſtupor cæli, & terræ, non celebraret tuas laudes, non deprædicaret tuas excellentias? Reſolvantur quamvis in linguas Paradiſi omnes ſtellæ cæli, pennæ avium, flores arborum, arenæ maris, non tamen ſufficient vel minimum gradum tuarum excellentiarum, ut par eſt deprædicare.

Verum eſt, quod ſtaturæ proceræ factus es, quod inter homines fueris Gigas, eſto natus à parentibus parvis per hoc quod habueris in aſcendente nobiliorem configurationem cæli, quam excepto Chriſto, & Maria ullus mortalium habuit. Verum quis Gigas poterit reperiri, qui ſolam plantam tui pedis poſſit menſurare.

Verum eſt, quod fueris epilogus omnium tuorum avorum, ac majorum, & quod in te ſolo, veluti in capite Mariæ, & Jeſu, tanquam in mari concluſæ ſint omnes aquæ excellentiarum, quibus dotati fuerunt tui majores, & velut in centro omnes excellentiæ tuorum Majorum. Attamen quis ſit, qui valeat exerere linguam, incingere calamum ducere lineam, ut magnificet tuam eminentiam quâ capitis Chriſti, & Mariæ?

Forſan mihi dicetur, quod tu ſupergrediens conditionem humanam & factus æqualis Angelis, imò ipſis Cherubinis ſupremæ Hierarchiæ tanquam ille cui per privilegium paradiſus delitiarum Mariæ Virginis, imò ipſum lignum vitæ Chriſti Jeſu, qui ſolus inter homines caruit Angelo cuſtode, veluti ille, qui erat caput Angelorum, ut redderet magis conſpicuum, quam ipſi ſupremi Angeli, non ſolum te elegerit in Angelum, & non infimum quendam, ſed & fecerit ſui cuſtodem, & quod ideò nullus niſi Angelus quiſquam poſſit cognoſcere tuas eminentias. Sed quis Angelus ſit ſufficiens illas manifeſtare, ſi tu ſuperior Angelis factus, longe ſupergreſſus fueris eorum conditionem?

Nonne verum eſt miniſtros, & ſervos Principum, ac Monarcharum, eſſe longe inferiores ipſis Principibus, ac Monarchis? Nonne eſt indubitatum, quod tu fruens titulo ſponſi Mariæ matris Dei, & Reginæ Angelorum, longe exceſſeris ipſos Angelos, ſicut tua ſponſa per maternitatem Dei illos longe ſupergreſſa eſt. Quis ergo Angelus, quamvis ex ſuprema hierarchia præſumat ſe poſſe dignè celebrare tuas prærogativas?

O glorioſiſſime Joſephe, deſiſtant ergo homines ab hoc negotio, obmuteſcant ipſi Angeli, cedant ipſorum linguæ munus extollendi tuas excellentias linguæ, quæ habeat aliquid divini, quia revera nulla alia eſt apta ad tam altum & dignum miniſterium, eum pater æternus, & ſpiritus ſanctus ad hoc ut compareres in eorum locum ſubſtitutus, noluerint impræg-nationem, & conceptionem Mariæ factam virtute ſpiritus ſancti, vel momento temporis deſponſationem tuam cum Maria præcedere, & elegerunt te dominatorem illius cœleſtis partus, & diviniſſimæ Nativitatis, ita ut per illam ſubrogationem in locum ſolis æterni patris & Spiritus ſancti certo modo per participationem ſis factus conditionis cœleſtis; quæ ergo lingua niſi divina audeat te laudare?

Ego itaque veluti omnium inſufficientiſſimus cedo campum, & tego me pallio ſilentii, agnoſcens me dignum accerrimâ objurgatione ob meam maximam præſumptionem, qua tentavi tuas deprædicare prærogativas. Sed certus ſis diviniſſime Joſeph, quod ex ſola devotione me commiſerim huic vaſtiſſimo mari. Quod ſi conatus procedentes a devoto affectu minus culpabilem reddunt præſumptionem ultra vires proprias ſupplex rogo glorioſiſſime Patriarcha, non attendas meum viliſſimum modum, quo tua encomia celebrare tentavi, ſed exceſſum meæ debitæ obſervantiæ, & devotionis majoris, & da mihi gratiam, ut ſemper protegar à conſiſtorio illius eminentiſſimæ Trinitatis, Jeſu, Maria, Joſeph, in qua tu locum habes Spiritus ſancti.

Amen.

ELOGIVM VII.
Pro Feſto Annuntiationis.

Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus JESUM. Lucæ 1.

I. Meteorū. CÆlum mihi teſte erit, quantâ curioſitate ductus fuerim ſciendi, an mel, quod in tanta copia ex alveariis apum colligitur, ſit ſudor vel materia, ab ipſis fabricata, vel ſimpliciter collecta, ac in vaſibus in hunc finem aptatis repoſita.

Lib. 5. de hiſt. anim. cap. 22. Ariſtoteles ſemper opinatus eſt, mel nil aliud eſſe, quàm vaporem tenerrimum & ſubtiliſſimum cui in aëre miſcentur aliquæ partes terreæ, ſed valde ſubtiles, & dum reſolvitur aliquantulum humor aqueus, generari ſuccum valde dulcem & ſuavem, quo matutino tempore videntur madefactæ herbæ, flores, frondes, eoque collecto, ab alveariis inferri. Hic ſuccus eſt mel, circa quod apes nil aliud agunt, quàm quòd illud colligant. Juxta Ariſtotelem ergo favi fabricantur ab apibus ex floribus, & cera ex quibuſdam lachrymis arborum, mel è rore cæleſti. Nec hic grandis Philoſophus perſuaderi ſibi paſſus eſt, mel ab apibus fabricari, quia illi, qui illud recolligunt, ſtatim vident repletas cellulas, è quibus mel ſumunt, quod non poſſet ita citò fieri, ſi illud fabricarent apes. Accedit, quòd in autumno, quamvis ſint flores, non tamen ab apibus inferri alveariis mel, (ut evidens eſt, dum homines illud auferunt, (quod tamen facere deberent, cum potiſſimum nutriantur melle. Dici itaque non debet, quòd illud ingenitâ induſtriâ fabricent.

Lib. 2. cap. 12. Plinius anceps hæret, nec ſe reſolvit, dubitans, an mel debeat vocare ſudorem cæli ſalivam ſtellarum, excrementum aëris; conceptus hic potiùs eſt Poëtæ, quàm Philoſophi.

Epiſt. 84. Seneca refert, nonnullos cenſuiſſe, mel nil aliud eſſe, quàm rorem cæleſtem, ex le tamen inſipidum, & expertem grati ſaporis, ſicque collectam ab apibus, virtute cujuſdam propriætatis ingenitæ, & naturalis mel quaſi fermentari, coagulari, & condenſari, reddique guſtui gratum & dulce.

Alii tandem conciliantes Ariſtotelem cum Seneca, docent mel eſſe ſuccum & rorem cæleſtem, vaporem tenerrimum, & ſubtiliſſimum, mixtū partibus terreis ad hoc, ut habeat quandam coagulationem & condenſationem, eſſe tamen inſipidum, illudque ab apibus in cellulis fermentari, & corpore donari, ingratoque ſapore, & aſperitate privari. Porro hos ego judico veritati magis accedere, & rem meliùs tetigiſſe.

II. Ros cæleſtis eſt Filius Dei, qui ſtillavit è cælo Sanctiſſimæ Trinitatis, prout oſtendunt antiqui Patres, dum toti anhelantes clamabant apud Iſaiam: *Rorate cæli de ſuper.* Ipſe Deus non dedignatur vocari Ros per Oſeam: *Ero quaſi ros.* Vapores quidem terrei, ſed ſubtiliſſimi, & puriſſimi fuerunt ſanguines Dominæ noſtræ. Et apis induſtrioſiſſima, quæ cum omni perfectione præparavit cellulas uteri Mariani, in quibus hic ros cæleſtis debebat converti in mel, eſt Spiritus Sanctus, cujus operâ, ut docent Theologi, fuit fabricatus favus Corporis Chriſti. Hic ros cæleſtis, hoc Verbum divinum, antequam jungeretur ſanguinibus virgineis, fuit valde inſipidum, & aſperum, prout extra dubium eſt, humano generi fuit ſudor cæleſtis valde amarus, ita ut nec guſtabilis eſſet, & cælum nil aliud videbatur poſſe ſtillare, & pluere, quàm ſupplicia, minas, terrores, & aſperitates. *Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, ignem, & ſulphur pluam ſuper eam.* O quàm rorem inſipidum, quàm ſudorem amarum, aceribiorem abſynthio ſtillabat cælum, antequam incarnaretur Filius Dei! *Ignem, & ſulphur.*

Applicatio.

Iſai. 45. Oſe. 14.

Pſal. 10.

Ezech. 38.

Sed

Sed cum in hoc ſacratiſſimo die apis Spiritus ſancti rorem verbi æterni miſcuerit cum vaporibus puriſſimis ſanguinum virginalium in cellula uteri ſacroſancti Mariæ. Statim hic ros inſipidus eſt factus ſapidiſſimus, dulciſſimus, & ſuaviſſimus, ita ut filius Dei ſit factus totus ſuavitas, & dulcedo. *Suavis Dominus univerſis, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* Nec hoc eſt mirum; Cum enim Virgo eſſet tota melliflua: *Spiritus meus ſuper mel dulcis*, & ejus ſuavitas, & dulcedo ſuperaret ipſum mel, meritò debuit ejus filius fieri dulciſſimus & ſua ſuavitate, ac dulcedine ſuperare ipſum mel. Ita ut cæli, qui antequam incarnaretur Deus non ſciebat ſtillare, nec placere aliud niſi ſulphur, ignem, ſupplicia, flagella, incarnatione facti ſint toti mel, nec aliud mandarint niſi ſuavitates conſolationes miſericordias: Hinc cantet ſancta Eccleſia: *Melliflui facti ſunt cæli, dum manu Domini fabricata mater tanti Dei.* Eodem momento, quo virgo eſt facta mater Dei, *dum manet &c.* Tunc prius *melliflui &c.* quia re ipsâ in utero virginali Mariæ, apis Spiritus ſancti convertit inſipidum, & aſperum rorem, in dulciſſimum & ſapidiſſimum mel. *Et vocabis nomen ejus Jeſum.* Nomen planè mellifluum, & quod ad ſtuporem ſignificabat ſuavitatem contractam à rore filii Dei, de hoc hodie diſcurram.

Pſal. 144. Eccleſ. 24.

Eccleſia.

Luc. c. 1.

ASSUMPTUM.

Filius Dei aſſumens noſtram carnem in utero Mariæ, natus eſt totus ſuavis, & miſericors.

Scriptura.

III. IN Exodo quadam vice Deus ſeſe oſtendit Moyſi in figura flammæ igneæ ardentiſſimæ ardentis in medio rubo, nec tamen deficientis. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Moyſes à longe conſpiciebat hoc prodigium & ſumme demirabatur. *Videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* Quam mirandum eſt hoc ſpectaculum? Et forſan ſic ſecum diſcurrebat, & ratiocinabatur. Sitne ignis adeò grandis intra dumetum, & hoc tamen non comburatur? qui hoc fit? An ex natura dumeti, vel ignis? Non ex natura ignis, quia hujus proprietas eſt non ſolum ardere, ſed & conſumere, nec ex conditione rubi, quia cum hic ſit, vel ex herbis, vel lignis, quorum quodlibet eſt materia proportionale ignis facillimè combuſtibilis. Qui ergo fit, ut rubus concipiat ignem, nec tamen conſumatur, nec ignis in eum agat, ſed potius eum formentet, nutriat, & conſervet.

Philoſophia.

IV. Pro elucidatione hujus dubii neceſſe eſt recurrere ad quandam doctrinam Philoſophiæ. Quærunt Philoſophi, an calor elementaris ignis, & naturalis, qui conſervat noſtram vitam ſint ejuſdem ſpeciei. Conciliator Mirandulanus, Fernelius, & alii putarunt calorem naturalem vi cujus corpora noſtra vivunt, & exercent ſuas operationes vitales, & calorem elementarem proprietatem ignis ſe totis differre; Nam ſi omnia viventia conſerventur mediante calore naturali prout docet Philoſophus, & calor ignis experientia docente deſtruat, & occidat vivens, ita ut nullum vivens diu poſſit vivere in igne, eſto ſit naturæ valde frigidæ, ut idcirco dicat Philoſophus, & Galenus mortem eſſe extinctionem caloris nativi in humido, quomodo aſſeri poterit calorem naturalem, & elementarem eſſe ejuſdem ſpeciei.

In lib. de Reſp.

Hoc non obſtante Alenſis, Angelicus Thomas, Averroes, Marſilius, & communis Philoſophorum, ac medicorum docent, illos calores non differre ſpecie, ſed eſſe ejuſdem conditionis, imò eandem quaſi rem. Hinc videmus, quod calor elementaris corroboret, augeat, & fomentet naturalem, excitet calorem ipſius ſtomachi, promoveat digeſtionem, & talia operetur, quæ non poſſet, ſi differrent ſpecie.

Verum quidem eſt obſervatio Alberti magni calorem elementarem factum naturalem & uti dicunt complexionalem diverſimode operari. Quia in quantum elementaris, & emanans ab igne, corpora comburit, diſſolvit partes, conſumit humidum, & omnia deſtruit: Sed quatenus naturalis, derivatus ab anima, & quaſi habitans in noſtris corporibus humidum & frigidum attemperat calido, & ſicco, componit & unit partes, vivificat & conſervat vivens in proprio eſſe, & perdito vigore, ac virtute conſumptivâ, quam antea habebat, fit propitius, & benignus, & acquirit virtutem beneficam, vitalem, & conſervativum.

Applicatio.

V. Nunc ad rubum *videbat &c.* Calor, & quidem elementaris, ac igneus erat benedictus

Deus antequam incarneretur in utero Mariæ. Calor, qui conſumebat, deſtruebat, diſſolvebat, redigebat in cineres, annihilabat. Sic vocabatur
Deut. c. 4. in priſca lege: *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt*: Calor, & ignis, qui comburebat peccatores, genus humanum, & totum univerſum, ſicut ſæpiſſimè experti ſunt homines à principio mundi uſque ad incarnationem Filii Dei, & quidem adeò attrociter, ut legentibus, & audientibus horror incutiatur. *Pluet ſuper peccatores laqueos ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum. Accenſus in eos ignis Domini, devoravit extremam caſtrorum partem.*

O calorem elementarem, ô qualis ignis deſtructivus, conſumptivus erat filius Dei ante ſuâ incarnationē! *Dominus Deus tuus ignis &c.*

Verum enimverò, poſtquam hic calor elementaris factus eſſet naturalis, & complectionalis in viſceribus Virginis, quamvis eſſet idem, quamvis manſerit idem ignis, quamvis fuerit idem Deus increatus, & incarnatus, ſimul tamen ſuas qualitates, & conditionem mutavit, & in utero Mariæ factus eſt temperatè propitius, & clemens, & acquiſivit vim beneficam, vitalem, & conſervativam. Hinc S. Antoninus: *Deus intrans in uterum Virginis totus factus eſt benignus, ſuavis & humanus.* Ille ignis, qui antea comburebat, diſſolvebat, & conſumebat, ille cepit unire fovere & conſervare genus humanum. Ille ignis, qui paulò ante erat fatalis, & occidebat, factus eſt vitalis, & incepit dare vitam mundo. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Verum hoc totum debet tribus viſceribus Mariæ. Soli virgini hoc eſt aſſeribendum; Hæc enim dum in ſe recepit hunc calorem, & ignem elementarem, illi ademit qualitates rigidas, & deſtructivas, eique communicavit virtutes plane oppoſitas, confortativas, benignas, vitales. *Deus intrans &c.*

Nunc capietis, cur tubus arſerit, nec tamen fuerit combuſtus; Hic ignis ſiquidem ut ait
Hom. 1. de Nativit. Theodotus, ſignificabat verbum æternum, & hic rubus virginem ſanctiſſimam. Ignis ſignificabat Deum ſeverum judicem generis humani, rubus Virginem pretioſiſſimam, & benigniſſimam, cujus viſcera poſt plura ſæcula concepetunt hunc ignem verbi incarnati. Ne ergo miremini cum Moyſe, quod hic ignis non conſumat, quod non exerat ſuam virturem conſumptivam, & deſtructivam, quia ex elementari in rubo factus eſt naturalis, & complexionalis; Hic namque rubus Mariæ igni verbi æterni (dum hoc recepit in ſuo utero) abſtulit virtutem combuſtivam, & conſumptivam eique reliquit ſolam vim illuminativam, & purgativam abſque ulla tamen læſione. Et quamvis ille, qui latet in rubo ſit filius Dei judicis, non tamen eſt rigidus, ſed mitis, non ſeverus, ſed benignus, non aſper, ſed pius, dum hanc conditionem accepit à rubo ſanctiſſimæ Virginis, in cujus utero ignis verbi incarnati conceptus eſt. Mitè Theodotus. *Quare rubus accenditur, & tamen, quod ignis natura fert, non operatur; Illuminat, non conſumit, abſtergit, non incendit, beneficium impendit, pœnam non offert. Quare, quare?* & ſubjungit. *Nonne in rubo Virginem animadvertis?*

Totum hoc debet tribui Virgini, totum debet aſſeribi Mariæ, quæ mitigavit iram Dei, eumque reddidit benevolum, & miſericordem. *Nonne in rubo &c. Deus intrans &c.*

Scriptura. *Cap. 23 & 24.*

VI. In libro Numerorum loquens ſpiritus ſanctus de tanto portento, quod Deus patravit in bonum ſui populi, dum eum liberavit è ſervitute Pharaonis, dicit illud factum fuiſſe ſummi valoris, & actionem tanti roboris qualeſt robur Rhinocerotis: *Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo ſimilis eſt Rhinocerotis.* Supra modum demiror (NN.) cur robur fortiſſimum omnipotentis comparetur fortitudini Rhinocerotis potius, quam leonis, qui tamen inter animalia fortiſſimus habetur? Nonne Leo ſolo rugitu terret omnia animalia, & quantumcumque ferocia, & truculenta ſint, veluti cuniculos conſternat? cur ergo robur cunctipotentis non potius comparatur robori leonis quam Rhinocerotis. *Cujus fortitudo &c.*

Hiſtoria. *Animalium.*

VII. Plinius ſecundus, & Pierius Valerianus ex communi conſenſu tradunt Rhinocerotem à Deo & natura eſſe dotatum tam valoroſo robore, ut à nullo omninò animali ſuperari poſſit. *Robur Rhinocerotis nullum animal domare poteſt.* Addit Valerianus, eum eſſe ſymbolum animi ira inflammatiſſimi, & quamvis ſit tardus ad iram, tamen quando ejus bilis ſolet accendi, ira terminum neſcit, & tunc eſt formidabiliſſimus & invincibilis. *Vbi iraſci cœperit, ferocioſſimus eſt.*

Hinc

Poëſis. Hinc refert Martialis, quòd dum quadam vice in theatro Rhinoceros in arenam deſcenderet contra Urſum, & ſpectatores feritatem Rhinocerotis contra Urſum expectarent, Rhinoceros ſemper declinabat, iramque magis temperabat: tandem tamen ſanguine accenſo, tantâ ferocitate invaſit urſum, ut cornu, in quo principaliter robur ejus latet, adeo illum altè in aërem excuſſerit, ut urſus in terram cadendo conquaſſatus, & mortuus fuerit, & hoc tantâ facilitate fecit, quantâ robuſtiſſimus taurus in altum ſuis cornibus paleam jacit. Hinc Martialis factum deſcribit:

Martial. *Sollicitant pavidi dum Rhinoceronta magiſtri,*
Seque diu magnâ colligit ira fera.
Deſperabantur promiſſa prælia mortis,
Sed tamen in rediit cognitus ante furor:
Namq; gravẽ gemino cornu ſic contulit urſum,
Iactat ut impoſitas taurus in aſtra pilas.

Nihilominus obſervant Naturaliſtæ, quòd quamvis furor ejus non habeat terminũ, nihilominus ſi Virginem imbellem, & inermẽ obviam habeat, furore miſſo totus manſuetus ad eam accurrit, & in ejus ſinu ſeſe recondit, ibi quieſcit, ſeſeque Virginis captivum facit.

Applicatio. VIII. Nunc ad nos, *cujus fortitudo, &c.* quid creditis, (N.N.) fuiſſe Deum, antequam recumberet in ſinu, & utero Virginis? erat Rhinoceros fortiſſimus, & robuſtiſſimus. Hinc Spiritus

Deut. 33. S. *Cornua Rhinocerontis, cornua illius.* Rhinoceros tardus ad iram, quia quamvis laceſſitus graviſſimis peccatis, tamen non evomuit ſuum furorem in genus humanum, niſi poſt tot centenos annos, ſed ſibi vim intulit, & furorem compreſſit, quia *Dominus tardus ad iram.*

Verùm cùm homines eum irritare non ceſſarent, furorem haud amplius cohibere potuit, ſed genere humano cornui impoſito, illud adeò in ſublime jecit, ut cadendo contritum fuerit, & in pulveres redactum: *Cornua Rhinocerontis cornua illius, in ipſis ventilabit gentes uſque ad terminos terræ.* Et Habacuc Propheta

Cap. 3. de eo ſolebat dicere: *Cornua in manibus ejus, ibi abſcondita eſt fortitudo ejus, ante faciem ejus ibit mors.* Quàm iratus, fetus, ferox Rhinoceros fuit Filius Dei, antequam incarnaretur in utero Mariæ? *Namque gravem gemino, &c.*

Verùm, tandem recondens ſe in utero virginali, tantam ex illo contraxit manſuetudinem & clementiam, ut miſſo furore, irâ, ferocitate, factus fuerit totus mitis, benignus, & manſuetus, adeo ut timidiſſimæ fœminæ, imbecilliſſimi, & debiliſſimi infantes eum placare, & captivare poſſint. Hæc cauſa eſt, cur robur cunctipotentis Dei potius comparetur roboti Rhinocerontis, quàm leonis, *Cujus fortitudo, &c.* In quem locum Archiepiſcopus Florentinus ſic divinè ait: *Sic Deus, cui nemo reſiſtere poteſt, mitis effectus eſt, requieſcens in Virgine Maria.* Antonin.

Sit Deus quantumvis iratus, expueret quantumvis furore, irâ, truculentiâ, pluſquam Rhinoceros in genus humanum, ob hujus praviſſimas culpas, minetur pœnas, tormenta, flagella, mortes, infernos, nil refert; nam illa reducere ad actum tantum poteſt, antequam cubet in ſinu Mariæ: verùm poſtquam in illo recubuerit, hæc timere non debemus, quia ſinus Mariæ eum reddet mitem, placatum, benignum, & manſuetum.

IX. Iſaias Deum benedictum adeo iratum, terribilem, iras & furores tonantem in proſcenium adducit, ut videnti & legenti divinam majeſtatem adeo iratam, horrorem incutiat: *Væ Aſſur, virga furoris mei, & baculus, ipſe in manu eorum indignatio mea.* Væ mundo, dum venit Aſſur, qui erit virga furoris mei, & in manibus meam indignationem portabit, per illum namque totum univerſum bello truculento impetam, ei mandabo, ut illos impugnet, qui me irritarunt, ille eos ſpoliabit, omnibus bonis, fortunâ eos orbabit, & quod plus eſt, eos conculcabit, & diſperget velut lutum leviſſimum: *Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat ſpolia, & diripiat prædam, & ponam illum in conculcationem, quaſi lutum platearum.* Locus Scripturæ. Cap. 70.

Totum hoc caput non niſi furores & indignationes ſpirat.

Progreditur Vates ad caput undecimum, & adeo mutat linguam & perſonam, ut alter omnino videatur. Siquidem introducit in aliam ſcenam Deum totum placatum, mitem & benignum, & illa virga, quæ paulò antè in manibus Aſſur erat virga furoris, in manibus Jeſſe eſt virga pacis, & clementiæ: *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini ſpiritus pietatis.* Unde provenit, quòd Deus tam citò mutet iram in amorem, furorem in tranquillitatem, minas in clementiam? quid ſibi vult, quòd ad comparitionem virgæ ex radice Jeſſe,

Deus qui paulò ante ſpirabat minas, & furores, placetur mitigetur, & manſueſcat.

Rubertus Abbas, Hieronymus dicunt, cum communi, per hanc virgam Jeſſe intelligi ſanctiſſimam Virginem. *Virgam de radice Jeſſe ſanctam Mariam Virginem intelligamus.* Antequã verbum in illa humiliaretur, Deus erat totus ira, & furor erga genus humanum; vocari voluit Deus exercituum, nil reſonabatur niſi ignes devaſtationes, gladii, ſtrages, mortes. O quam indignatus fuit Deus! *Dominu exercituum dominus fortis, & potens, dominus potens in prælio, & in manu ejus gladius utraque parte acutus.* Sed quando vidit virgam de radice Jeſſe, ex qua velut flos germinare debebat, ad primum ejus aſpectum, & exortum. Deus indignatus, totus placatus, mitigatus, & quietatus eſt, & poſitis armis, minis, furoribus, in momento factus eſt mitis, benignus, manſuetus, & pacificus, & incepit vocari non amplius Deus bellorum, & exercituum, ſed Deus pacis, & conſolationis, non amplius dux gentis armatæ, ſed pater gratioſus & benignus: *Princeps pacis, pater futuri ſæculi.* Porrò hoc factum eſt per virgam Jeſſe Mariæ, quæ dum conſentiret eſſe mater Dei, hunc iratum placavit. Ubi mirè Rupertus. *Supra oſtendebatur ille ſpiritualis Aſſur virga furoris domini, & in manu ejus baculus indignationis ejus, ecce autem virga gratiæ, virga requiei domini Mariæ.* O quam bene. *Ecce autem virga gratiæ, virga requies Domini Mariæ.*

Hie in c. 11 Hiere. l. 4.

Quas hoc ſolemniſſimo die ſuâ maternitate mitigavit iram Dei.

Meteora.

X. Ariſtoteles in ſuis meteoris dicit, quandoque in mari oriri tempeſtatem adeò ſævam & crudelem, ut non contenentur undæ ſuperbæ, & elatæ ad ſtellas uſque exilire, & demergere ad profundiſſimas abiſſos terræ, ſed & adeò ſæviãt ſuis ferociſſimis fluctibus, ut Urbes, Provincias, & integra Regna ſepeliant. Hinc non raro mare fit terra, & terra mare. Hinc dicunt Delum, & Rhodum bis ſubmerſas, & toties iterum emerſiſſe. Sic ex fluctibus aſſerunt natas Anaphim, Neam, Theraſiam, Aloneim & alias Inſulas; Hoc modo Sicilia eſt ſeparata ab Italia, Cyprus à Soria, Besbicus à Pithitia; imò noſtrum mare mediterraneum juxta nonnullos non eſt à Deo in principio orbis creatum, ſed occaſione vehementiſſimi terræ motus, qui montes diſſecuit, & ſeparavit Africam ab Europa productum eſt, dum præbendo aditum Oceano qui per ſinum vocatũ Gibilterra intravit.

Quod ſi quæratis, quomodo mare poſſit adeò ſævire in terram, reſpondebo non mare ſe ſolo, ſed cælum principalem eſſe cauſam tantarum ruinarum: quod ſi mala ſorte plures ſtellæ conjunctæ ſint puta Sol, Luna, Orion, & aliæ, quæ ſpecialiter dominantur mari, ſi inquam omnes illæ ſinus repetiantur ſuper horizontem in aliquo ſigno humido & aqueo, tunc eorum influxus adeò rigoratur, & augetur, ut mare tumidum & ſpumans non poſſit intra ambitum ſuum cohiberi, ſed effundatur & ſuâ inundatione Inſulas, Urbes, Provincias, Regna cum ſuis incolis ſubmergat.

Verùm quia Deus terræ ſuccurſum cæleſtem adduxit, ne tam frequenter tam acerbis & funeſtis ſtragibus involvatur, voluit in cælo collocare ſtellas, quæ priorum impetum retunderent, ſuiſque aſpectibus & benignis influxibus feritatem, & aſperitatem aliarum mitigarent, ac mare pacarent. Et hinc quando hæ ſtellæ infauſtæ mare reddunt adeò inquietum, ſi tunc ſuper horizontem compareat quædam ſtella benefica, & benigna, quæque habeat influxus contrarios influxibus priorum, hæc furorem earum ſedat, & ſimul prohibet inundationem maris illudque pacat, & tranquillat.

Applicatio.

XI. Nunc ad Virginem. *Egredietur virga &c.* Genus humanum prioribus ſæculis peccavit, & adeò irritavit cælum, ut Pater æternus, Filius & Spiritus ſanctus, nec volentes nec valentes ſe amplius cohibere, facti ſint mundo ſtellæ nimis infauſtæ habitantes in truculento ſigno divinæ Juſtitiæ: nolentes inquam tolerare tot peccata, conſpiratunt ſimul in ſupplicia hominum & deſtructionem illorũ. Et mare iræ divinæ & ſuppliciorum adeò efferbuit, ſæviit, & inundavit ut hominem in profundiſſimas abyſſus demerſerit.

Vidit quãdam vice Iſaias ſpumas hujus maris, & dixit. *Ecce validus, & fortis Dominus ſicut impetus aquarum multarum inundantium & emiſſarum ſuper terram ſpatioſam.* Et fluctus iræ divinæ adeò inundarunt, ut retuſiones antiquorum Patrum non ſufficerint ad ſalvandum genus humanum, ne hoc ſubmergeretur & ſepeliretur in undis iræ divinæ.

Verùm enim vero, cælum contra tantum infortunium hominis ordinavit propitiam ſtellã puta Mariam Virg. ſtella, quæ ſpecialiter influit in mare: *Ave maris ſtella.* Stella, quæ hodie

exoriens

exoriens ſupra horizontem militantis Eccleſiæ velut mater Dei, ſuo aſpectu toto benigno, pio, & amoroſo, ſuis influentiis pietatis & miſericordiæ, aſpiciendo Deum iratum, & furore plenum, mitigat ejus juſtitiam, placat mare ejus iræ, coërcet emerſionem ſuper terram, & deſcendit genus humanum à furiis hujus maris. Hinc S. Amadæus ad hoc propoſitum loquens, ſic Virginem ſalutat: *Ave maru ſtella, mirabiles elationes maris ſolo nutu compeſcitura.* O quàm bene & divine, *Ave maru!* bene veneris Virgo ſanctiſſima, bene veneris ô ſtella maris, quia tuo ortu placaſti Deum iratum. Bene veneris ô ſtella maris, quia tuis divinis influxibus mitigaſti truculentos influxus cæli. Bene veneris ô ſtella maris, quia pacaſti undas divinæ juſtitiæ, ſalvaſti mundum ab ira Dei. *Ave maru ſtella, &c.* Quaſi virga Jeſſe hodie oriens veluti electa mater Dei, quietaſti illum Deum, qui antea velut virga Aſſur deſtruebat mundum. *Ecce autem virga gratiæ, virga requiei Domini Maria.*

Hom. 3. de laud. Virg.

Scriptura. *Cap. 7.*

XII. In ſacris Canticis Sponſus cæleſtis deſcribit ſuam dilectam, à capite uſque ad plantas pedum, & omnibus membris nobiliſſimas cõparationes applicat. Caput ejus comparat monti Carmelo, crines purpuræ, oculos aquis cryſtallinis Heſebon, collum turri eburneæ, naſum turri montis Libani, ubera duobus hinnulis gemellis caprearum, ventrem acervo frumenti circumſito liliis, & tandem umbilicũ ſcypho tornatili vino repleto: *Vmbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculo.* Revera NN. eſto omnes iiæ cõparationes ſint miræ, nihilominus dum audio, quòd imbecillus hujus ſpõſæ comparetur huic cyatho vino ſemper repleto, maximo ſtupore afficior. Quòd per hanc ſponſam intelligatur Virgo Maria, communis eſt interpretum opinio. Verum cùm ſciamus, hanc eſſe typum, ideam, & exemplar modeſtiæ, continentiæ, temperantiæ, vinum autem econtra ſit ſimbolum intemperantiæ luxus, & incontinentiæ quomodo umbilicus Mariæ poteſt compatari cyatho vino generoſiſſimo ſemper pleno. *Vmbilicus tuus &c.*?

Litt. humani.

XIII. Pro elucidatione hujus loci obſervandum eſt, priſcos ſic teſtantibus Valeriano, Plauto, Terentio pacem ſtabilire, & confirmare vino ſolitos, ita ut animi diſcordes, & irati porrectione cyathi pleni vino, aquâ tamen mixtâ pacaretur, & componerentur. Hinc cecinit Tibullus:

Mixtaque ſecuro eſt ſobria Lympa mero.

Et ille alter *vini hauſtus diſcordes animos cõciliabat.* Plautus etiam hoc conſilium poſteritati reliquit: *Homini valde irato propinandum educitur vinum, ut ille bilem diluat.* Antiqui, ut hoc demonſtrarent, formarunt hoc nobiliſſimum ſymbolum. Pinxerunt duas ferociſſimas tygrides currui junctas, quem Bacchus puerulus minabat, hoc lemmate addito *Ferocia emollita.*

Obſervant tamen nõnulli, aquam vino miſceri ſolitam, juxta illud Tibulli: *Mixtaq; ſecuro eſt ſobria lympha mero*: duabus potiſſimùm ex cauſis: prima, nam ſicut aqua & vinum, quamvis ſint duo liquores contrarii, tamen ſi miſceantur, inſimul fiunt eadem res, ſic voluntates diſcordes debent ſimul uniri, ut fiant unica tantùm voluntas; ſicut vinum maximè generoſum & forte facillimè evaporatur ad caput, & propoſita concepta mutat, ne animi conciliati hoc periculum incurrerent, cum præjudicio ſtabilitæ pacis, ideò vinum paucâ aquâ temperabat. Ideò Tibullus, *Mixtaq; &c.* Hoc modo ſopiebantur diſcordiæ, & pax ſtabiliebatur.

Applicatio.

XIV. Nunc quæſo, parumper retrogrediamur. *Vmbilicus tuus &c.* Emin. Petrus Dam. mirè reſpondet: Ne miremini (NN.) quòd uterus ſacroſanctus Mariæ comparetur ſcypho repleto vino, quia ſcire debetis, quòd poſtquam Adam inductus ab Eva peccaſſet, Deum iram maximam concepiſſe adverſus genus humanũ, eamque continuò creviſſe, quia Eva ei porrexerat ſcyphũ, & vinum furoris contra hominem, veruntamen Virgo ſanctiſſima volens placare Deum, eumq; reconciliare mundo, ei in ſcypho ſui uteri virginalis dedit vinum ſuaviſſimum ſui putiſſimi ſanguinis, per quod ſuo modo loquendi, Deus digeſſit bilem, iram, & furorem; & factus eſt mitis, benignus & pius, ita ut bene potuerit dici: *Ferocia emollita, & vini hauſtus, &c.* Hinc mirè Damianus: *Vmbilicus tuus &c. Quia per Evam ſicuti mortis potus porrigitur, ita per Mariam pacis, & vitæ poculũ exhibetur.* *Serm. de Nativ.*

Eva porrexit poculum Deo, quo redditus eſt furioſus, ferox, implacabilis, ſuccenſus generi humano, ſed Maria ex poculo ſui uteri virginalis ei porrexit vinum ſui præſtantiſſimi ſanguinis, quod eum totaliter dulcoravit, placavit, ita ut miſſo furore reconciliatus ſit mundo, eique dederit vitam, & ſalutem. *Per Evam &c.*

Vel potiùs dicamus cum S. Ildephõ. uterum Mariæ fuiſſe illud poculum auri, in quo vinum Divinitatis, & aqua humanitatis Chriſti commixta

mixta ſunt. Quòd ſi antea Divinitas erat vinum præſtantiſſimum & generoſiſſimum, quod evaporabat in caput, ſuoque modo reddebat Deum ſuccenſum mundo; tamen dum in poculo uteri Mariani dilutum fuit aquâ humanitatis, nõ ampliùs debebant timeri hi furores: *Mixtaq; ſecure, &c.* Dicamus ergo, *Ecce concipies, &c.*

O Virgo benedicta, quàm fuiſti benigna, pia, miſericors; reddidiſti ſiquidem benignum, miſericordem eum, qui ob noſtras graviſſimas culpas erat totus ira, furor, vindicta, ita etiam, ut in die maximi furoris jam compariturus ſit veſtitus ſummæ clementiæ veſte. Quod probo.

Locus Scripturæ. *Cap.* 21.

XV. S. Evangeliſta Lucas agens de ſecundo adventu Filii Dei in mundum, poſtquam recenſuiſſet terrores, qui præcedent judicium finale, nempe eclypſes Solis, lunæ, ſtellarum, terræ motus, palpitationes cordium, & horrores, quibus exanimabuntur homines. Tandem cõcludit, judicem ſuperaum in forma hominis ſeſſurum ſupra nubem, velut in ſolio regali. *Luc. c.* 1. *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube.* Res mira eſt (N.N.) quòd quoties in novo teſtamento agitur de adventu Filii Dei ad judicium, ſemper vocetur filius hominis, id eſt, Virginis. Sic eum vocarunt omnes quatuor Evangeliſtæ, S. Matthæus, *Cùm venerit filius hominis.* S. Marcus pariter, & S. Joannes in ſua Apocalypſi, *Et vidi, & ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis.* Et S. Lucas loquens, dicit: *Et tunc videbunt filium hominis.*

Nihilominus Prophetæ priſcæ legis loquentes de hoc judice, & terminis duris dederunt titulum Dei, & Domini. Sic eum appellarunt Iſaias, & Ezechiel, & Joël, & alibi paſſim. Hîc ſcire vellem, cur Evangeliſtæ eum non vocent Deum, & Dominum, ſicut faciunt Prophetæ; nonne actus judicandi potiùs convenit Deo, & Domino, quàm homini? Cur ergo comparebit in forma hominis potiùs, quã Dei, & Domini?

Divinè S. Bernardus: *Vult itaque, & ſi in judicium venire, non tamen in forma Dei in judicio apparere, ſed in ea, quâ nobis natus eſt, idque de ſolo fœmineo ſexu. Cur hoc? nempe ut ex utroque & admoneatur infirmo miteſcere in die ira.*

Salvator vult judicare non in forma Dei, ſed hominis, in, & cum qua prodivit ex utero Mariæ, ut totus mundus cognoſcat, quòd ſicut demoratus eſt novem menſibus in viſceribus Virginis, & ab ea recepit carnem humanam, ejuſque lac ſuxit, ſic etiam eum ſimul ſuxiſſe pietatem, & clementiam in tanta copia, ut etiam in ipſo actu judicandi, eſto is ſit actus ſummi rigoris, & ſeveriſſimæ juſtitiæ, totus futurus ſit dulcedo, clementia, pietas; & ſicut caro, quam illi dedit Maria, eſt caro matris benignæ, ſic etiam in die judicii, die furorum, vindictarum, ſe ab illa carne incitandum, & ſuaviter cogendum ad miſericordiam mundo exhibendam. Et quia in priſca lege Filius Dei necdum erat incarnatus, hinc Vates eum terminis rigoris in judice vocarunt Deum, & Dominum; incarnatus autem ab Evangeliſtis vocatur Filius hominis, qui titulus ejus humanitatem, clementiam, benignitatem, & miſericordiam demonſtrat. *Vult itaque, &c.*

Theologia.

XVI. Inquirunt Patres Theologi, an Virgo rectè eſſe poſſit, & debeat vocari mater miſericordiæ, prout ſine ullo ſcrupulo ab Eccleſia ſancta vocatur.

Nonnulli forſan arrideret pars negativa; nam eadem ratione poſſet vocari mater Deitatis; cùm enim miſericordia, ut certum eſt, ſit attributum divinum, & attributa omnino idem ſint cum Divinitate, prout omnes docent Theologi, nec juxta S. Thomam ab ea pluſquam ratione differant, ſi Maria poſſit vocari mater miſericordiæ, poſſet etiam dici mater Deitatis, maximè cùm non minus vocetur *mater Dei Theotocos*, quàm mater Chriſti *Chriſtotocos.*

Si dicatis, propoſitiones ſæpè quidem eſſe veras in concreto, non tamen in abſtracto, & Mariam catholicè poſſe vocari matrem Dei, non tamen Deitatis (hîc enim fateri deberemus, eam dediſſe Deo Deitatem, quod eſt falſiſſimum: eâdem ratione replico ego, Mariam, quamvis bene poſſit vocari mater miſericordiæ in concreto, non eam tamen ſic poſſe vocari in abſtracto, aliàs miſericordia divina, quæ eſt Dei attributum, eſſet temporalis, & eam Deus haberet à Maria, quod dici nequit. Ex quo ſequitur, quòd ſicut non poteſt catholicè dici Mater Deitatis, ſic nec eam poſſe vocari matrem miſericordiæ.

Pro declaratione hujus dubii neceſſariò adeundus eſt Præceptor Angelicus. Hic docet, miſericordiam dupliciter poſſe conſiderari: ſemel quoad affectum cordis, & ſemel quoad affectum operis. Explico, aliquis dicitur miſericors, vel quia compatitur, & condolet miſeriis alterius, vel quia conatur illum ab iis liberare.

Miſeri-

Miſericordia in primo ſenſu quatenus ſignificat compaſſionem, non convenit Deo, Deus enim non eſt ſubjectus paſſionibus cordis) attamen ei poteſt convenire illa, quæ eſt regula, & rationi ſubjecta, quatenus homo eſt? Porrò miſericordia in ſecundo ſenſu quo ad effectum Deo convenit quâ Deo, quia poteſt, ſcit, vult ſuccurrere per media oportuna noſtris calamitatibus.

Applicatio. XVII. Videns itaque Deus ſe eſſe incapacem miſericordiæ in primo ſenſu ob rationem dictam, & deſiderans etiam hoc modo eſſe miſericors in condolendo noſtris miſeriis ſicut fuit miſericors ab æterno iis ſuccurrendo, complacuit ſuæ bonitati infinitæ hoc ſancto die noſtram naturam ſubjectam omnibus pœnalitatibus, abſque peccato unire perſonæ verbi, ut hac vitâ poſſet compati noſtris miſeriis, & acquirere novam miſericordiam. Hæc eſt

Hebr. 2. & Hebr. 4. mens Pauli dum dixit de Chriſto. *Debuit per omnia fratribus aſſimilari, ut miſericors fieret*, & quando pariter dicit; *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.*

Hæc natura eſt capax compaſſionis, & conſequenter miſericordiam in primo ſenſu verbum incarnatum per generationem temporalem accipit ex Virgine, quæ idcirco dicitur mater miſericordiæ in primo ſenſu, ſed non in ſecundo; & quia in primo ſenſu miſericordia non eſt attributum divinum, ſed in ſecundo. Hinc Maria Catholicè dicitur Mater miſericordiæ, & non Deitatis, quia Chriſto dedit novum attributum miſericordiæ ei conferendo cor carneum, quod poſſet condolere miſeriis noſtris, quodque mitigaret iram juſtè conceptam ob noſtras culpas; Et hoc ſenſu miſericordia non competit aliis perſonis divinis. Hinc dixit Job in perſona

Cap. 31. verbi incarnati. *Ab infantia mea crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum.*

O virgo ſacratiſſima, quid ergo miri, quod voceris illa columna nubis, quæ defendit populum Dei ab ardoribus nivis, & illa nubecula levis, ſuper quam quaſi ſolium regale aſcendit filius Dei, ut liberaret populum Ægypti ab idololatria.

Quid miri quod voceris Thronus miſeri-

cordiæ, ex quo ſupremus monarcha mundi debebat oſtentare mundo effectus ſuæ pietatis, cum ſis illa, quæ velut Mater miſericordiæ dulciſſimo tuo filio præbuiſti ſugendum lac tuæ clementiæ; ſi ſis illa, quæ dando carnem incarnato verbo, ei etiam dediſti cor, quod poſſet competi miſeriis noſtris, & ſimul mitigare iram contra genus humanum.

O virgo benedicta, tu es illa rorida nubecula, quam intravit, & ex qua pluit Deus ſuper terram aridam mundi lac divinæ miſericordiæ, quod ex tuis uberibus ſuxit, ita etiam, ut in die ſummi rigoris, & rigidiſſimæ juſtitiæ, & juſtiſſimæ iræ velit comparere in forma hominis, & non Dei, veſtitus carne, & non Deitate, ad demonſtrandum quam ſit pius, benignus, mitis, ſpirans miſericordiam erga genus humanum. Et hanc miſericordiam à te ô dulciſſima Virgo recepit. *Vult itaque, &c.*

XVIII. O Virgo benedicta, quam fuiſti be- Epilogus.
nigna gratioſa, pia, & miſericors, quia feciſti eum benignum, pium, & miſericordem, qui ob noſtras graviſſimas culpas erat totus ira, totus furor, totus vindicta.

Debitum meæ obſervantiæ devotiſſimus affectus meus filialis, reverentia meæ devotionis optaret me totum impendiſſe ad manifeſtandam mundo hanc tuam excellentiam; Sed verè hoc non poſſum, quia verbis neſcio exprimere, quod volo, nec capio dignitatem hujus prærogativæ, quod ſis ſcilicet illa, quæ hoc ſancto, & feliciſſimo die placavit iram Dei.

O rubus cæleſtis, ex quo ignis, & calor elementaris Dei mutavit qualitatem, & conditionem, in quo commutavit virtutem deſtructivam, & corruptivam in vitalem, & conſervativam,

O ſinus ſemper benigniſſimè, in quo hic ferox Rhinoceros depoſuit ferocitatem, & contraxit tantam manſuetudinem, & clementiam, ut virgines eum capere poſſint.

O Virga radicis Jeſſe ex qua prodiit flos totus melliſluus, ſtella, quæ oriens velut Mater Dei mitigavit influxus fatales iræ Dei, & ſalvavit genus humanum ab inundationibus Seveniſſimi furoris cæli.

O utere ſacroſancte, verè ſolium miſericor-

diæ, in quo verbum æternum contraxit naturam capacem condolentiæ, & coradeò tenerum & affectuosum, per quod posset placari ira justè ob nostras culpas concepta.

O utere verè piè, è quo quasi poculo rotundo perfectæ clementiæ Deus bibit vinum pietatis, quod digessit ejus bilem, furorem, & indignationem. Cellula virginalis, dulcissima & mellifiua, in qua apis Spiritus sancti rorem cælestem insipidum, & acrem temperavit terreis vaporibus tui purissimi sanguinis, & ex eo confecit dulcissimum & suavissimum mel.

O Virgo sacratissima tota natura, & nos singulariter supra modum, & supra omnem captum agnoscimus nos obligatos huic utero, qui portavit nostrum Redemptorem, Reparatorem, & Salvatorem. Illi ascribimus omne nostrum bonum, reconciliationem cum Deo, justificationem, liberationem ab inferno, gratiam, salutem, gloriam æternam, & tandem cumulum omnium bonorum, certo sperantes illis semel nos fruituros, per tuam efficacissimam intercessionem, & omni potentem favorem, Amen.

ELOGIUM VIII.

Pro festo S. Marci Evangelistæ.

Designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos &c. Lucæ cap. 20.

Astronomia

1. AN grandis machina cæli, unum ex perfectissimis operibus manus creatricis sit figuræ perfectæ sphæricæ, seu rotundæ, vel alterius, non consentiunt unanimiter Philosophi.

Lib. 2. de placitis Philos. cap. 2.

Nonnulli teste Plutarcho censuerunt cælum esse figuræ Ovalis, alii testudinis, alii ollæ, alii cilindri, imò & nonnulli voluerunt cælo absque ullo absurdo posse tribui quamcunque figuram.

Lib. 3. divin. Institut. cap. 24.

Lactantius valde irridet asserentes cælum esse perfecte Sphæricum, vel rotundum; Ex hoc enim sequeretur omnes res nobis antipodes habere situm totaliter contrarium, quàm nos habemus, ita ut hominum pedes essent sursum, caput deorsum, idem est de arbonibus, plantis, domibus, & omnibus aliis, quod cum sit absurdum, non debet dici cælum esse perfecte sphæricum.

Omitto Damascenum putantem illud habere figuram semicirculi. Fundatus in illo Psalmi: *Extendens cælum sicut pellem*, & Chrysostomum putantem illud esse simile tabernaculo. *Expandit cælum sicut tabernaculum ad inhabitandum*, & assentior opinioni Babylonicorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, & aliorum innumerorum. Psal. 103.

Thales Miletius fuit primus in Jonia, & Pythagoras in Italia, qui docuerunt cælum esse figuræ perfectæ Sphæricæ; Eos secuti sunt Aristoteles, Plato, Ptolomæus, cum omnibus Philosophis, & Astrologis antiquis. Quod si quæras ab his doctis, cur cælum sit perfectè rotundum; Respondebunt causam esse quod eum cælum debeat incessanter moveri circumcirca centrum terræ, ut huic communicet suos supernos influxus. Ratio exigit, cælum dotatum esse figurâ plane dispositâ ad hunc velocissimum, & celerrimum motum. Et quia inter figuras geometricas nulla est aptior

tior ad talem motum, quàm Sphærica, & rotunda, ideò dicunt illam perfectiſſimè convenire cælo.

2. De cælo cap. 4. Hinc Philoſophus. *Si cæli latio quidem menſura eſt motuum, propterea quod ſola continuus eſt, & uniformis, ſempiternus que motus: in unoquoque autem genere menſura id eſt, quod eſt minimum: minimus verò motus eſt celerrimus; Patet cæli motum omnium motuum celerrimum eſſe; at eorum, quæ ab eodem in idem pergunt, minima ipſius circuli linea eſt, per minimam autem eſt motus celerrimus. Quare ſi cælum convertitur, celerrimeque movetur, rotundum ipſum etiam neceſſe eſt.*

Applicatio. II. Ego hoc die à ſancta Eccleſia invitatus contemptâ terrâ, ejuſque pretioſiſſimis, utpote corruptioni ſubjectis, elementis pertranſitis, & committens me vaſtiſſimo oceano hujus cæli cæleſtis puta Marci glorioſiſſimi Evangeliſtæ Domini, ex debito meæ devotæ obſervantiæ deberem plenis velis contemplari ejus portenta inenarrabilia, prærogativas indicibiles, favores innumerabiles, ſtellas inoffuſcabiles, virtutes, dona, gratias exornantes hoc cælum à Deo fabricatum, ut communicaret terræ, & toti mundo cæleſtia ſemina.

Cælum nobiliſſimum, & perfectiſſimum ex mente Spiritus ſancti, ita interpretante magno Gregorio: *Spiritus Domini ornavit cælos, hoc eſt ſanctos Apoſtolos* fuit S. Marcus Evangeliſta. Cælum fuit ornatum, lucidum, plenum tot ſtellis, quot virtutes habuit incomparabiles. *Ornamenta enim cælorum ſunt virtutes prædicantium.* Pſal. 32. Cælum, quod à Græcis dictum *Aplanes*, à latinis *firmamentum*, ſemper ſe demonſtravit ſtabilitum virtute Spiritus ſancti: *Verbo Domini cæli firmati ſunt.* Cælum, quod electum à Deo ad dignitatem Evangeliſtæ contempſit omnia terrena, & mundana, & factum eſt totum cæleſte, divinum. Hinc de Marco Procopius: *Divinâ voce invitatus terram quæ ipſum produxit, dereliquit.* Et fuit vocatus Marcus, hoc eſt ſublimis, cæleſtis, & divinus. O cælum cæleſte, ô ſtellatum firmamentum, & primum mobile Eccleſiæ Alexandrinæ; Cùm tam longe abſis ab oculis noſtris ut te cognoſcere nequeamus, manifeſta nobis qualem figuram in te fabricarit ille ſupremus artifex, qui ad tam nobile officium ex innumeris hominibus te elegit. Profectò nulla melius tibi quadrabat quàm ſphærica, hoc eſt rotunda. Hanc in te videns Petrus Damianus dixit, te eſſe *circulum auritum*? Et meritò. Cùm enim velociſſimè debebas moveri per orbem, ut ei influeres doctrinam Evangelicam: *In omnem terram exivit ſonus eorum*, neceſſarium fuit te habere figuram perfectè rotundam, hoc eſt ut eſſes totaliter abſtractus à terrenis inſtar ſphæræ, quæ tangit Planum in puncto; Siquidem hoc modo fuiſti promptiſſimus agiliſſimus, velociſſimus, aptiſſimus ad tuos gyros perficiendos. Has omitto tendo, altiores ſtellas tuarum Eminentiarum, & virtutum pro poſſe in hoc diſcurſu menſurare, calculare, & ſequi conabor.

ASSUMPTUM.

Marcus velut ille, qui pro inſigni, quod eum ab aliis Evangeliſtis diſtinguit, portat Leonem alatum, velociſſimum ſe oſtendit in ſuo munere, idque quia perfectè fuit ſequeſtratus à mundo.

Scriptura. III. LOquens Propheta David ad hoc propoſitum, dicit filios excuſſorum eſſe inſtar ſagittarum ex arcubus à robuſtiſſimis ſagittariis excuſſis: *Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filii excuſſorum.* Pſal. 126 Deus immortalis, & quantâ caligine non involvor! Ut verum fatear ſcripturiſtæ, quot hic ſunt verba, in tot videor incidere laconiſmos.

Qualis quæſo eſt hic modus loquendi? Qui ſunt per vitam veſtram hi excuſſi, ut poſſimus venire in notitiam filiorum ipſorum? Eucherius dixit Excuſſos eſſe Prophetas antiqui teſtamenti, eorum autem filios eſſe Apoſtolos, qui in eorum locum ſucceſſerunt. *Filii excuſſorum ſunt Apoſtoli, quia de prius excuſſis telis, hoc eſt Prophetis genti ſunt.* Hæc eſt vera mens Eucherii.

Acquieſco, & credo hanc eſſe mentem hujus graviſſimi Doctoris, ſed necdum eſt mihi plenè ſatisfactum: Quid enim telis cum Apoſtolis, & Apoſtolis cum telis? Per tela teſte Valeriano in ſuis Hieroglyphicis ſignificantur *Lib. 42.* radii

radii ſolis, quos veluti tela à cælo in terram evibratos mittit. Hinc Lucretius.

Non radii ſolis, neque lucida tela diei.

Sed quid radiis ſolaribus cum filiis excuſſorum, & diſcipulis Chriſti? Scio ab aliis per ſagittas intelligi vulnera amoris ab oculis perſonæ amatæ, inflicta cordi amantis. Sed quid vulneribus amoris cum filiis excuſſorum? Notavi quod Origenes in illud Pſalmi: *Paraverant ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde.* Per ſagittas intelligat laſcivas cogitationes, & venenoſas deliberationes, quibus impii offendunt juſtos, & amicos Dei. Verùm hæc explicatio adhuc videtur impertinentior. Ecce ergo diſcipuli Chriſti, filii excuſſorum comparantur telis evibratis ex arcu per robuſtum ſagittarium; *Sicut ſagittæ &c.*

Pſal. 10.

Obſervant Symbolici, per ſagittas non intelligi prædicta, ſed potius pernicitatem, celeritatem, agilitatem in ambulando, currendo, volando, & omni alio opere, & ſingulariter quando evibrantur à manu potenti, & illi celeritati, ſagitta cùm ſit ex materia valde ſubtili & gracili, non reſiſtit. Ne ergo miremini inquit Eucherius, quod diſcipuli comparentur ſagittis, quia eorum velocitas, agilitas aſſociata ſubtilitate, & ſequeſtratione rerum terrenarum, per quam fuerunt adeò prompti, & agiles ad peragrandum orbem, & peccatores convertendos ad Deum, à quo in hunc finem fuerunt ejaculati, valdè eximia eſſe videbatur. Hinc earum velocitas videbatur imperceptibilis. Idcirco Eucherius. *Per ſagittas in manu potentis ſignificantur Apoſtoli, qui orbem terræ volatu perniciſſimo peragrantes, mortalium, qui nondum Deum norant, corda penetrarunt.*

Literæ Mum.

IV. Sed quæſo vos (N. N.) liceat mihi hunc locum ſcripturæ illuſtrare belliſſimâ eruditione. Referunt Apollinem, dum quadam vice patriam Abaris natione Hyperborei, & profeſſione Poetæ tranſmearet, inſigniſſimo Panegyrico ab Abari celebratum fuiſſe: Apollo porrò volens grates rependere Poetæ, ei ſagittam dono dedit. Hæc eum adeò reddidit agilem, & pernicem in curſu, ut non homo, ſed Deus exiſtimaretur. Hinc quando à quopiam, reſponſum laturus reditum moliebatur, magnâ vi ejaculabat ſagittam ab Apolline ſibi dono datam, & quod mirum eſt. *Emiſſam ſagittam pari curſu pernicitate conſequebatur.* Inquirunt hic docta ingenia, unde tanta celeritas & pernicitas tam in vitis, quam fœminis nonnullis proveniat.

Philoſophia.

Et ut dicam quod res eſt Philoſophi, qui non affectant aliquid ſultra crepidam nec unquam infirmis rationis Philoſophicis, & naturalibus quietantur, dicunt hanc velociſſimam agilitatem provenire à defectu ſplenis. Hic ſiquidem quo major eſt & grandior, eò magis gravat perſonam, redditque eam obeſam, inhabilem ad velocem curſum & econtra exilis, & exiguus agilem, & promptam. Hinc ſolent in Gallia nonnullis celeribus ſeu miniſtris à pedibus certas particulas ſplenis præſcindere, ut expeditiores ad curſum fiant. Ita Philoſophi.

Aſtronomia.

Verùm Aſtronomi, qui omnes effectus ſublunares aſcribunt cælis & ſtellis, docent veloces in ſua nativitate habuiſſe ſuprà modum ſibi propitiam conſtellationem Delphini, qui influit hanc celeritatem, & agilitatem: Et obſervant, quod ſicut Delphinus marinus eſt adeò velox, & celer in mari, ita, ut juxta Cælium Rodighinum ſit ocior volucre, & acrior telo credatur. Sic & Delphinus cæleſtis corporibus hanc celeritatem, & velocitatem influit, & tanto majorem, quantò feliciorem ſitum habuerit in cælo. Dicunt itaque Aſtrologi Abarin, & alios ita veloces eſſe natos ſub conſtellatione Delphini feliciter in cælo collocati.

Applicatio.

V. Nunc ad S. Marcum. *Sicut ſagittæ &c.* Sagitta acutiſſima, & valde penetrans eſt verbum Dei, quod indicibili celeritate niſi ponatur obſtaculum ſanciat noſtra corda. Hinc Valerianus: *Sagittæ ſunt divinæ, quæ penetrabili charitate corda noſtra tranſigunt.*

Hanc ſagittam donavit Apollo, hoc eſt Chriſtus benedictus ſuo diſcipulo, & Evangeliſtæ S. Marco, dum eum creavit ſcriptorem, & prædicatorem Evangelicum. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Virtute hujus celerrimè, & ocyſſimè percurrebat totum univerſum, & quidem tantò omnium ſtupore, ut S. Petrus Damianus volens, nec tamen valens ejus deſcribere celeritatem, admirabun-

Marti &

abundus dixerit: *Terga pennata, & ubique volantia habebat.* O velocitatem, ô celeritatem incomparabilem longè ſuperantem pernicitatem Abatis, & velociſſimorum curſorum.

Sed quid miri, ô glorioſiſſime Evangeliſta, quòd adeò velox & promptus fueris in ſervitio Dei, in prædicatione Evangelica, ſi tibi prædominata fuerit felicíſſima conſtellatio hujus velociſſimi Delphini Chriſti, qui tantâ velocitate, & celeritate prolixiſſimum iter à cælo ad terram, & à terra ad cælum tam exiguo temporis ſpatio peregit. *Exultavit ut gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus?* *Pſal. 18.*

Quid miri, quòd tam celeriter notante Procopio, *Libia regionem celeriter peragrares,* ſi Chriſtus tuus magiſter in ſua nativitate ſpirituali, tibi ſuſtulerit ſplenem omnis terreni effectus, qui reddit animam & corpus tardum & pigrum in ſervitio Dei, *Ecce nos reliquimus omnia.*

Dicamus ergo de te, quòd velut filius excuſſorum, & Prophetarum antiquorum celeriùs Abati inſtar ſagittæ ejaculatæ à robuſto ſagittario Chriſto, *Orbem terra volatu perniciſſimo peragraſti?*

Scriptura. *Cap. 9.* VI. Matthæus ſuam propriam converſionem & vocationem ad Apoſtolatum litteris conſignavit. Erat Matthæus publicanus, totus immerſus lucris mundi, negotiationibus, & contractibus, qui cor ejus ſecum traxerant, planè oppreſſus. Et en Chriſtus illac tranſiens, oculos ſuos divinos in illum publicanum conjecit, & quaſi acutiſſimis telis cor ejus penetrando, dixit: *Sequere me Matthæe.* eccur tot occupationes, negotia, contractus, citò ſequere me, volo meus negotiator ſis. Mira res, ad ſolam vocem Chriſti ſtatim negotia & lucra, quæ præ manibus habuit, reliquit, Salvatoremque ſecutus eſt. *Et ſurgens ſecutus eſt eum.* Subintrat hìc ſplendor Prælatorum, & totius Eccleſiæ Chryſologus, & examinans illa verba: *Et ſurgens ſecutus eſt eum,* præbet mihi occaſionem indagandi ab hoc publicano. Quomodo ô Matthæe, cùm ſis totus immenſus in negotiationibus, lucris, contractibus tanti momenti, ad unicam vocem Chriſti abdicas illa negotia, quibus te, & tuos ſuſtentas, & ſine mora Chriſtum nudum, mendicum, pauperem, & vitæ neceſſariis carentem ſequeris? Cur non ſumis tempus deliberandi? Cur negotium tanti momenti adeò præcipitas, & ſine mora, auditâ voce Chriſti, ſtatim expeditus eum ſequeris?

Valde bene Chryſologus: *Genero, ſu animus ea, quæ magna putarat, facilè, & quaſi nulla contempſit, à lucris, ut ſe ſenſit, & vidit liberum, ſic raptus eſt ad divina.* *Serm. 29.*

O quàm divinè! *A lucris, &c.* Ne miremini, quòd ſolam vocem Chriſti incomparabili celeritate Matthæus ſequatur Salvatorem; quia Chriſtus illâ penetravit ejus cor, illud ſequeſtravit à mundo, exoneravit illud eo pondere, quod ſolùm poterat retardare celerem ejus reſolutionem. Hinc videns ſe liberum & agilem Matthæus, nullam habuit difficultatem, imò ſummam facilitatem, ſine mora ejus veſtigia ſequendi, qui eum tam velociter ad cælum conducebat. *A lucris &c.* Nam nil eſt in mundo, quod animam magis reddat promptam & expeditam pro cælo, quàm ſequeſtratio à rebus terrenis.

Philoſophia. VII. Belliſſima curioſitas examinatur ab Academicis, nempe, an ſi Deo permittente è cælo tolleretur aliqua portio cæleſtis, una ſtella, Sol, luna, aut aliquid aliud, & collocaretur in terra, an illa inquam hìc firmaretur, aut potiùs ad priorem locum ſublevaretur.

Nonnulli Eruditi fundati in doctrinâ Ariſtotelis, quòd ſcilicet cælum nec ſit grave, nec leve, putârunt ſtellam, quæ collocaretur, vel in ſphæra ignis, vel in regione aëris, vel hìc in terra quiete remanendam, nam ſicut conditio cæli nulli reſiſtit motui, neque recto, neque circulari, ſic nec reſiſtit alicui loco, adeo ut ubicunque illa collocaretur, ibi maneret.

Verùm ſi fas ſit in problematibus cuique ſuum proferre judicium, ego ſubmittendo tamen me meliùs ſentientibus, dico talem ſtellam, ſi collocaretur in terra, non poſſe in ea firmari, ſed ex ſua naturali inclinatione, & appetitu ſine mora ſublevandam in altum, & indicibili velocitate relictâ terrâ pertranſeundo elementa, cælo reuniendam; cùm enim cælum ſit locus naturalis ſtellarum, & pars ſemper appetat ſuum totum, ſequitur ſtellam, niſi vi detineatur, velociſſimè in cælum volaturam. Et quamvis cælum non ſit grave, aut leve, gravitate, vel levitate propriâ elementorum, nihilominus negari nequit, illud

eſſe ſubſtantiam dotatam levitate, quæ incomparabiliter ſuperat levitatem aëris & ignis, prout ejus velociſſimus motus demonſtrat. Hinc debet inferri, hanc ſtellam ſublato onere, vel impedimento eam detinente, contemptâ terrâ, velut loco ejus naturæ contrario, in cælum tranſituram. Optima opinio.

Applicatio.

VIII. Nunc ad S Marcum Evangeliſtam. Portio cæleſtis, imò particula, ſeu portio divinæ eſſentiæ, quamvis falsò, & contra rationem vocatur anima noſtra à Cicerone, Carpocrate, Gnoſticis, Manichæis, & Priſcillianiſtis; verùm ſi nos diceremus animam hujus ſacerrimi Evangeliſtæ fuiſſe rem cæleſtem, ſubſtantiam divinam creatam pro cælo, ſtellam quandam, imò Solem nobiliſſimum, qui radiis Evangelicæ doctrinæ illuſtrabat corda mortalium, nil proferemus abſurdi, ſed loquemur conformiter ad graviores ſanctos Patres. Hinc Procopius: *Marcus inſtar ſplendidiſſimi Solis humanas animas illuſtravit.*

Porro hæc ſtella firmamenti fuit è cælo avulſa, & hìc collocata in terra, quamdiu unita fuit corpori Marci: hinc ſentiens ſe gravatam pondere corporis, & rerum terrenarum, ſic advertente Laurentio Juſtiniano, querebatur cum Paulo, ſe contra naturam violentari. *Quamdiu ſumus in corpore, peregrinamur à Domino.* Verùm cùm agilitas ſpiritus ſuperaret gravitatem corporis, & rerum terrenarum, ſpretâ terrâ, tanquam loco ſibi contrario, à terra ſeſe ſequeſtravit per contemptum mundanorum affectuum, & libera velociſſimè, & pluſquam velociſſimè volavit ad cælum, eique à quo videbatur nobiſcum agendo ſequeſtrata ſe univit. Hinc dixit B. Laurentius Juſtinianus devotiſſimus Marco: *Quamvis enim cum hominibus converſaretur, & humana pertractaret negotia, mente tamen & deſiderio jugiter ferebatur in cælum.*

Ad illud, ô agiliſſime Evangeliſta, evolaſti tam celeriter, ut alæ velociores ventis te aſſequi non poſſent, & tam ſublimiter evolaſti, ut oculi acutiores lynceis obfuſcarentur, dum inſtar ſtellæ exoneratæ, & liberæ ab omni affectu terreno, te ſemper exhibuiſti. Dicamus ergo de te illud, quod dictum eſt de tuo conEvangeliſta Matthæo: *A lucru, &c.*

Sed fas mihi ſit ulteriùs progredi, & cùm ſis Evangeliſta, permitto, ut alterum Evangeliſtam adhibeam, ad demonſtrandam hanc tuam incomparabilem velocitatem ortam à totali ſequeſtratione à terrenis; & ſi opinio mea non ſit temeraria, credo quòd fuerit inſtantanea, & facta in uno tantùm momento.

Locus Scripturæ. *Cap. 5.*

IX. Nec permittet me mentiri Spiritus ſanctus in S. Matthæo. Hic recenſens octo beatitudines, quarum poſſeſſoribus promittitur regnum cæleſte. Orditur à pauperibus ſpiritu, iis ſcilicet, qui terrena totaliter deſpiciunt. *Beati pauperes ſpiritu, queniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Subintrat hìc S. P. Bernardus, & ſpiritu, ſubtilitateque ſuâ melliflua contemplatur complementum divinarum promiſſionum, & obſervat, reliquis quidem beatitudinibus correſpondere regnum cæleſte, ſed ſemper in futuro: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati miſericordes, quoniam ipſi conſolabuntur*, & ſic de cæteris. Solis pauperibus ſpiritu addicitur in præſenti.

Urgens itaque S. Bernardus *cur eſt*, inquirit, cur ſoli paupertati promittatur regnum cæleſte in præſenti. Quale privilegium habent pauperes ſpiritu, illi, qui deſpexerunt mundum, & ſe ſpoliarunt terrenis affectibus præ aliis Beatis, ut iis promittatur cælum in præſenti. *Beati pauperes &c.*

Reſpondet mirè Sanctus: *Magna quædam penna eſt paupertas, quâ tam citò volatur in regnum cælorum; nam in aliis virtutibus promiſſio futuro tempore indicatur, paupertati non tam promittitur, quàm datur.*

O quàm bene *Paupertati &c.* Paupertas voluntaria, relictio mundi, contemptus terrenorum eſt quædam ala, quædam penna adeò agilis & expedita, ut ille, qui eâ veſtitur, adeò celeriter volet in cælum, ut ſibi poſſit polliceri, ſe illum volaturum è terra in cælum facere non in tempore diviſibili & prolixo, ut alii Beati, ſed in inſtanti. *Paupertati non tam promittitur, quàm datur.*

Sit quantumvis aliquis juſtus, amicus Dei pacificus, mitis, miſericors, pœnitens, attamen non ſibi debet polliceri regnũ cæleſte de præſenti, ſed de futuro; verùm pauper ſpiritu, deſpe-

deſpector mundi quaſi haberet humeros alatos, tam velociter evolat in cælum; ut ſtatim, imò, & eodem tempore, poſtquam ſe à mundo, ejuſque affectibus ſeparavit, poſſideat paradiſum, ita ut iter è terra in cælum faciat in unico inſtanti. *Paupertati &c.*

Philoſophia.

X. Suppoſito, quòd inter cælum & terram nullus ſit aër, ſed merum vacuum, & avis poſſet volare ab Oriente in Occidentem, quæruntur Philoſophi, an ille motus eſſet diviſibilis, & menſurabilis tempore, horâ, vel mediâ horâ, an verò indiviſibilis, & momentaneus.

In 4. d. 44 q. 2. a. 3.

Doctor Angelicus, Subtiliſſimus Scotus, Avempace, Avicenna, & alii affirmarunt, illum motum fore ſucceſſivum, & diviſibilem; & non momentaneum. Probat Angelicus: Succeſſio, & diviſibilitas motus non ſolùm provenit ab aëre reſiſtente, & retardante motu, ſed etiam à diſtantia terminorum *à quo*, & *ad quem*, qui quò magis diſtent, eò motus eſt prolixior. Atqui eſto totum concavum lunæ, quod modò occupatur, ab elementis fuiſſet vacuum, attamen Oriens longè diſtaret ab Occidente, & quilibet terminus *à quo* tunc æquè diſtaret à termino *ad quem*, ſicut modò, ergo motus illius avis eſſet diviſibilis, & non inſtantaneus; nam aliàs deberet dici, quòd Occidens ab Oriente non diſtaret, ſed eſſent ſibi approximati, & quaſi eadem res, quod dici nequit.

4. Phyſ. tra. 9. tract. 2. cap. 6.

4. Phyſ. t. 8.

Hoc non obſtante, Albertus Magnus, Gregorius Ariminenſis, Averroës, & alii non ignobiliores aſſerunt, illum motum fore inſtantaneum, & ita teſtantur ſentire Philoſophum, & validè ſuum dictum probant, quæſo vos ſitis attenti. Eadem omnino proportio, quæ intercedit inter medium ſubtilius, & medium craſſius, ac denſius, illa etiam intercedit inter velocitatem motuum localium. (Cæteris enim paribus, in medio tenui motus eſt velocior, quàm in denſo & craſſo) atqui inter locum vacuum & repletum nulla eſt proportio, ut patet, ergo nec erit inter celeritatem motuum, qui fiunt in loco vacuo, ſive repleto. Nunc ſic: Motus factus in ſpatio replero, eſt diviſibilis & ſucceſſivus, ergo motus, qui fit in vacuo, erit indiviſibilis, & inſtantaneus, adeoque in ſuppoſito ſuprà allato volatus avis eſſet inſtantaneus. Optima Philoſophia.

Applicatio.

XI. Nunc ad propoſitum, *Beati pauperes &c.* Omnia terrena, cuncti affectus, quibus illa proſequitur, nil aliud ſunt, quàm aër craſſus, & denſus, qui ſummè impedit, & retardat iter animæ noſtræ, ita ut non ſit prompta, & expedita in ſervitio Dei. Hinc S. D. Ambroſius: *Carnalia omnia graſſum currentis velut oneribus impeditum detinent.* Ergo quò minor & tenuior fuerit hic affectus, eò minus reſiſtit animæ, & qualiter affectus ad res mundanas minuatur, taliter promptitudo, & velocitas in ſervitio Dei creſcet: Quòd ſi ergo hic affectus taliter minuatur, ut totaliter deſtruatur, & annihiletur, tunc ex altera parte adeo creſcet agilitas, & velocitas animæ in ſervitio Dei, & obſervatione divinæ legis, ut motus ejus non ſit ampliùs diviſibilis, & ſucceſſivus, tardus, & piger, ſed momentaneus, & inſtantaneus; hic enim motus fiet in vacuo, in quo nil poterit retardare animam, quia motus in vacuo fit in inſtanti.

Nunc ſic. S. Evangeliſta Marcus totaliter in ſuo corde deſtruxit affectus mundanos, & in ſua anima vacuum perfectum formavit, ut obſervat Procopius: *Pro nihilo fecit generis ſplendorem & honores*; ergo fateri debemus, ejus motum fuiſſe velociſſimum, & inſtantaneum. Hinc de eo Petrus Damianus: *Illuc jugiter pergebat, quò virtute Spiritus Sancti impellebatur: Cùm enim ſit veriſſimum, Neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia*; Debet dici eum veluti motum gratiâ divinâ, tantâ velocitate, & celeritate in munere Evangelico volaſſe, ut illud iter unico inſtanti, & momento agere videretur, tanquam ille, qui in vacuo ſummæ paupertatis, quæ in operando nil impedit, ab Occidente ad Orientem tranſibat. *Beati pauperes, &c. Paupertati non tam promittitur, quàm datur.*

O glorioſiſſime Evangeliſta, quàm velox, quàm agilis, quàm promptus, quàm expeditus fuiſti in via Dei! Laboro, ut id demonſtrem, ſed ad hoc pertingere non poſſum. Laborare pro te eſt pium, ad finem pertingere impoſſibile, id ſperare temerarium. Nunquam mihi perſuaſi, id me ſatis explicaturum, quia hoc cenſui impoſſibile; fuiſti enim adeò velox, ut tardis paſſibus mei intellectus pigri te ſequi non poſſum, & quò magis id tento, eò ampliùs retardor, & remotior ſum à te; ex quo plus quàm

quàm evidenter concludo, quòd hæc agilitas & promptitudo in ſervitio Dei tam longè ſuperet omne illud, quod habet aliquid terreni, ut participet aliquid cæleſtis & angelici ſupra omnem fidem humanam.

Locus Scripturæ. *Cap.* 14.

XII. Nec permittit me mentiri ſanctus Joannes Evangeliſta in ſua Apocalypſi. Hic Apoſtolus, dum eſſet totus abſorptus in contemplatione divinorum myſteriorum, vidit in ampliſſimis campis Angelum cæleſtem, geſtantem dextrâ Evangelium æternum, & velociſſimè volantem per cælum, ut toti orbi doctrinam Evangelicam illo libro contentam probaret & prædicaret. *Apoc.* 10. *Vidi alterum Angelum volantem per cælum, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret illud omnibus gentibus.* Portò in loco quodam antecedenti hoc oſtentum idem Apoſtolus ſe vidiſſe narrat. *Et vidi alium Angelum deſcendentem de cælo, & habebat in manu ſua libellum apertum, & poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram, & clamavit voce magna, quemadmodùm cùm leo rugit.*

Scripturiſtæ quæſo, vos concurrite mecum ad ponderationem hujus loci. Quis eſt iſte Angelus, qui unum pedem habuit in terra, & alterum in mari, rugiens velut leo volat per cælum, manibus geſtando æternum Evangelium, ut illud omnibus gentibus annuntiet? Scio B. Laurentium Juſtinianum intelligere per hunc Angelum à Joanne viſum ſanctum Marcum. Sed quomodo S. Marcus vocatur Angelus, & quidem volans?

Theologia.

XIII. Patres Theologi amabò ſuccurrite mihi ad elucidandum hunc locum Scripturæ, & conformandum illam noſtro aſſumpto. Inquiro ego, an Angelus volens deſcendere è cælo in terram, vel moveri ab Oriente in Occidentem, peragaret illud iter in inſtanti, vel in tempore?

Meus Seraphicus ſanctus Pater Bonaventura nequit capere, quomodo Angelus tranſeat è loco ad locum, non tranſeundo per medium, & hinc vult, illum motum eſſe ſucceſſivum; eſto enim motui Angeli non poſſit reſiſtere mediũ, nec diviſibilitas, vel quantitas mobilis, cùm hoc ſit incorporeum, tamen cùm ejus virtus ſit limitata & finita, ac extrema multum diſtantia, ob hanc rationem non poteſt inſtantaneè tranſire ab uno extremo ad aliud.

Alii hoc non obſtante volunt, Angelum pro ſuo libitu moveri, vel ſucceſſivè, vel inſtantaneè; cùm enim non debeat tranſire per medium, id eſt ei arbitrarium.

D. Thom. 1. part. qu. 53. art. 2. Scotus.

Alii tandem volunt, Angelum, quamvis tranſeat per medium, moveri localiter in inſtanti, ac in tempore imperceptibili moveri à terra in cælum, ab Oriente in Occidentem, ita tamen, quòd per totum ſpatium v. g. horæ hîc reperiatur in terra, & in ultimo inſtanti illius horæ ſit in cælo; ſic ut totum ſpatium inter terram & cælum percurratur ab Angelo in ultimo inſtanti terminativo horæ. Et hoc dicunt ei convenire ideo, quòd ſit ſpiritus incorporeus & immaterialis, potentior quâlibet reſiſtentiâ, quæ poſſet retardare motum Angeli. Hæc opinio ſubtiliſſimi Doctoris valde convenit noſtro propoſito.

Applicatio.

XIV. Nunc ad noſtrum Evangeliſtam, *Vidi alterum Angelum, &c.* Juxta Juſtinianum S. Marcus meritò *Angelus nuncupatur*; eſto enim quoad naturam eſſet homo, tamen quoad vitam & mores erat ſupra homines, & re ipsâ Angelicus. Hinc idem B. Laurentius: *Degens in carne Angelicam ducebat vitam.* Angelus, nam, *Quamvis*, ſunt verba ejuſdem Beati, *cum hominibus converſaretur, mente tamen, ac deſiderio jugiter ferebatur in cælum.*

Angelus, quia ſi illi ſpiritus beati vocentur *Angeli pacis*, Marcus etiam eſt ille, qui portat pacẽ, quam recepit à Chriſto ſibi dicente, *Pax tibi Marce Evangeliſta meus.* Allator eſt pacis, ita etiam, ut hanc pacẽ dederit pro inſcriptione Sereniſſimæ Reipub. Venetæ, quæ pro inſignibus habet Leonem, ſymbolum Marci, cum inſcriptione ſignificativâ veri & pacifici ſpiritus, qui ſemper regnavit in pectore, & corde illius auguſtiſſimi Senatus, *Pax tibi Marce, &c.*

Angelus, qui unum pedem habet in terra, & alterum in mari, ob imperium, quo per favorem hujus Evangeliſtæ feliciter dominatur, & dominabitur per cuncta ſæcula ſubjecta tempori, mari, & terræ Sereniſſima Reſpub. Veneta, quæ nomine S. Marci celebris, ſe oſtendit jugiter eſſe devotiſſimam huic Evangeliſtæ, & ſemper gratam beneficiis, quibus quotidie ab illo afficitur, & obruitur.

Angelus rugiens ut Leo; hunc enim portat pro inſigni, & per faciem Leonis ab aliis Evangeliſtis diſtinguitur. Leo, qui reddit hunc ſenatum

ſenatum terribilem, non dico per vim armorum, ſed per rugitus prudentiſſimarum deliberationum.

Marcus eſt Angelus manu geſtans æternum Evangelium, ut illud notificet omnibus gentibus velut Evangeliſta, quod & factum eſt.

Angelus tandem, qui humeris alatis volat per cælum, ut demonſtret ſuam velocitatem, & agilitatem, quâ huic miniſterio ſe impendit, ita ut quaſi unico inſtanti tranſierit ab ortu uſque ad occaſum, à ſeptentrione uſque ad Auſtrum. Hinc Procopius. *Ab extremis mundi partibus, uſque ad extremas mundi partes perrexit, ut Evangelium prædicaret.*

O Angelice Spiritus, O Evangeliſta Sanctiſſime, Confiteor te eſſe Angelum, talem te agnoſco, talem te mundo prædico, cum in te videam illas conditiones per gratiam, quas Angeli habeat per naturam. Quid ergo miti, ſi cum B Laurentio te credam Angelum, ſi ſupra omnes Angelicas conditiones etiam in te reperiam illam, per quam te ita ſimilem Angelis oſtendiſti, ſcilicet velocitatem imperceptilem, agilitatem inenarrabilem, ſubtilitatem incomparabilem, celeritatem inſtantaneam in adimplenda voce divinâ, ſuccurrendo egeſtatibus noſtris, annuntiandâ doctrinâ Evangelicâ toti Orbi, dum fuiſti exoneratus pondere affectuum terrenorum, qui ſoli poterant retardare, & impedire hanc tuam ſummam velocitatem Dicat ergo plenis buccis Laurentius Juſtinianus ad tui laudem, te eſſe deſignatum per illum Angelum, qui habebat unum pedem in terra, & alterum in mari, qui rugiebat ut leo, qui Evangelium æternum portabat manibus, qui velociſſimè volabat per cælum, ut illud annunciaret toti Orbi. *Iſte eſt, quem Ioannes myſteriali-ter prævidens ait, vidi alterum Angelum habentem Evangelium æternum volantem per medium cælum. Angelus enim nuncupatur, quia mortali degens in carne, Angelicam ducebat vitam; volaſſe autem perhibetur, ut undiq; Evangelium annunciaſſe oſtenderet.*

Sed quomodo O Angelice Evangeliſta poſſim conſtringi his anguſtiis, & confinibus arctorum Paralellorum, tam inferiorum tuis nobiliſſimis qualitatibus? Quod ſi affectus meæ venerabundæ devotionis non me faciat excedere, ſicut credo, dico (ita exigentibus tuis meritis, & bonitate ſuperni Monarchæ) te hic inter nos, & ſupra in cælo comparere valde ſimilem ipſi Deo

XV. Legimus Ezechielem quatuor animalia valde diverſa vidiſſe. *Similitudo autem vultus eorum facies Hominis, & facies Leonis à dextris ipſorum quatuor, Facies autem Bovis à ſiniſtris ipſorum quatuor, & facies Aquilæ deſuper ipſorum quatuor.* Juxta SS. Patres per hæc quatuor animalia adumbrantur quatuor Evangeliſtæ, ita ut Marco attribuatur facies leonis, & juxta eum pingatur leo, & quidem alatus. Hic ſcire percuperem, cur ſancti Evangeliſtæ comparent in hac forma, & Sanctus Marcus ſingulariter cum facie Leonis? Cur quæſo ſancto Marco præcipuè aſſignatur facies Leonis, & non hominis, quæ datur Matthæo, Bovis, quæ Lucæ, Aquilæ, quæ Joanni? Scio bene Petrum Damianum ex S. Gregorio Aſſerere Matthæo eſſe aſſignatam faciem hominis, quia incepit ſuum Evangelium à generatione humana Chriſti, recenſitis ejus progenitoribus, Marco vero attributam faciem Leonis, quia orſus eſt à rugitu Joannis in deſerto. *Quia ab humana generatione cœpit, jure per hominem Matthæus, quia vero à clamore in deſerto, rectè per leonem Marcus videtur deſignari*, Scio præterea eundem ſanctum Damianum velle faciem Leonis non S. Marco, ſed Matthæo debere tribui, & hoc putat eſſe de mente Auguſtini. *Qui ſeriatim cuncta Evangelicæ narrationis curioſius, atque minutius indagavere ſententias, B. Matthæo non hominis, ſed figuram decreverunt adſcribendam eſſe leonis.*

Scriptura. *Ezechielis* 1.

Ser. de S. Mar.

De conſenſu Evangelii. l. 1. *c.* 6.

Porro ratio hujus eſt, quod Matthæus deſcripſerit regiam dignitatem Chriſti, quæ leoni attribuitur velut Regi animalium. Sed acquieſco, quia ab exordiis primis Eccleſiæ Matthæus deſignatus eſt per faciem hominis, & Marcus per faciem Leonis. Hinc ſub hoc cortice puto aliud latere myſterium. Sed quale?

Multi volunt Matthæum fuiſſe unum ex ſeptuaginta duobus diſcipulis, qui ſecuti ſunt Chriſtum, & quod electus ſit Evangeliſta, dum à Chriſto vocatus fuit, ut ejus vitam, miracula, portenta, mortem ſcriptis conſignaret. Addunt, quod Chriſtus dum Matthæum vocaret, conjecerit, & fixerit oculos ſuos divinos in eundem Evangeliſtam, tanquam in ſpeculo, ſicut etiam reſpexit Petrum, & Andream dum eos vocavit ad Apoſtolatum. *Vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus. Vidit hominem*

hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine. Sic etiam reſpexit Marcum, dum eum elegit in Evangeliſtam.

In cap. 1. Matt. Hanc opinionem ſingulariter tradit Rupertus Abbas. *Vidit Marcum Sol verus.* Et quia Chriſtus juxta Gilbertum Abbatem ſuo aſpectu, perſonæ à ſe viſæ imprimit ſuam imaginem, *Similem tibi reddis quem irradias*, cum Chriſtus eſſet Leo de tribu Juda. *Vicit Leo de tribu Iuda.* Ideo Marcus velut ſpeculum terſiſſimum terminans viſionem hujus Leonis, illius imaginem in ſe recepit, & ita Marcus comparuit cum Vultu Leonis ſimilis Chriſto, & quaſi alter Chriſtus. Hinc divinè Rupertus: *Vidit Marcum Sol verus, & in illo figuravit faciem ſuam faciem Leonis.* Et cum hic leo de tribu Juda eſſet agiliſſimus, & velocior in ſuo curſu ipſis Angelis, Marcus comparens cum figura hujus leonis, contraxit etiam ejus velocitatem, & ideo videtur cum facie leonis alati.

Aſtronomia. XVI. Ad intellectum hujus eſt neceſſarium, quæramus à Philoſophis, cur in luna quando eſt in plenilunio, videantur in ea aliquæ maculæ, & quid ſint illæ maculæ.

Nonnulli cenſuerunt eas non eſſe veras maculas, ſed potius viſum noſtrum ob ſuam debilitatem decipi, dum enim oculos in lunam adeò diſſitam figere conatur nutat, & maculas ibi eſſe apprehendit.

Plinius voluit in luna eſſe veras maculas, eaſque contrahi ab immunditiis quæ humoribus terreis & aqueis quos luna attrahit & fugit, commixtæ ſunt, voluit quippe Plinius Lunam, & alias ſtellas illis humoribus paſci.

Ægidius Romanus opinatus eſt illas maculas nil aliud eſſe, quam partes rariores, & minus denſas Lunæ, quæ, cum propter raritatem non poſſunt remittere, & reflectere lumen ſolis, illud imbibunt, & tranſmittunt, quod non faciunt partes denſæ, quæ illud lumen reflectunt, ſicut contingit in ſpeculo, cui corpus denſum retroponitur.

Verum Plutarchus referens opinionem nonnullorum Philoſophorum ſui temporis, dicit illas maculas, quæ videntur habere formam faciei humanæ, nil aliud eſſe, quam imaginem ſolis. Putarunt hi ſolem eſſe formoſiſſimum juvenem, & lunam terſiſſimum ſpeculum. Quod ſi ergo ſol obviam habeat lunam, in ea ſe conſpiciat, imprimit ejus aſpectus, (uti fit etiam in ſpeculo) imaginem ſui belliciſſimi vultus, quæ à luna remittitur ad oculos noſtros, prout & ſpeculum eam remittit. Hinc concludit ex mente horum Philoſophorum, eas non eſſe maculas, ſed potius veram, & expreſſam imaginem ſolis, quæ lunæ affricat omnem formoſitatem, eamque reddit ſimillimam huic pulchertimo adoleſcentulo Soli, & ſic dicunt Aſtrologi lunam in plenilunio eſſe velociorem in ſuo motu, quam alias.

Applicatio. XVII. Redeamus ad S. Marcum: *Vidit Marcum Sol verus* Quod Chriſtus ſit ſol, nemo dubitat *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter.* Adoleſcens dotatus perfectâ pulchritudine, per quam eſt omnium pulchertimus: *Speciosus formâ præ filiis hominum.* Quod etiam glorioſiſſimus Marcus fuerit luna omni charitate plena, luna in plenilunio, comparens inſtar Solis inter ſtellas aliorum diſcipulorum, aperta eſt mens Procopii. *In ſeptuaginta duorum Apoſtolorum cœtu tanquam ſplendidum quoddam lumen inter ſtellas Marcus apparet.* *Pſal. 44.*

Porro in hac luna plena Marci aliquid videtur (neſcio quid) quod mundus admiratur, nec capit totaliter quid ſit. Nonnulli iddicent eſſe maculas peccati, quod poteſt concedi antequam Marcus fieret Evangeliſta.

Alii forſan dicent eſſe actus intenſiores ab ipſo productos in ſtatu perfectionis, quod poſſet etiam dici ſine errore.

Alii aſſerent non eſſe maculas imperfectionum, quia poſt vocationem ſuam à Chriſto, omnium imperfectionum fuit expers, cum eſſet à Deo dotatus juxta exigentiam Evangelici miniſterii, ſed potius, quod ſit deceptio noſtri viſus debili, & infirmi, qui totaliter non poteſt penetrare virtutem, perfectionem, & ſanctitatem S. Marci.

Dicat quiſque quidquid voluerit, concludendo dico, illud quod in Marco videtur, & mundus admiratur, nil aliud eſſe, quam faciem illius belliſſimi juvenis, Leonis ſcilicet de tribu Juda. *Vicit Leo de tribu Iuda.*

Hic ſiquidem occurrens huic lunæ plenæ Marco, dum hunc vocavit ad miniſterium Evangeliſtæ, ei veram & expreſſam imaginem ſui ipſius impreſſit. Et quia Chriſtus habet faciem leonis, hinc hæc luna plena Marci etiam refert vultum leonis. Et hic non eſt meus conceptus, ſed Ruperti Abbatis, qui divinè concludit.

dit. *Vidit Marcum Sol verus, & eo videnter formata eſt in illo facies leonis.* Valde divinè. Et quia luna in plenilunio eſt velocior quam ante, eſto ſemper ſit velociſſima, en Marcus gratiâ plenus à Chriſto cum velocitate incomparabili in ejus ſervitio conſecutus eſt ſimilitudinem ipſius Dei.

Epilogus. XVIII. O glorioſiſſimè Evangeliſta, & quam fuiſti promptus, velox, & expeditus in ſervitio Dei! Veritatem fateor, quod quotieſcunque de te cogito, tuâ incomprehenſibilitate, & ineffabilitate obrutus obmuteſcam, & elinguis fiam; Cum etiam Antipharites mei intellectus exhauriatur, & in me veriſſimum experiar dictum Periclis, quod dum orator habeat materiam copioſam de excellentio bjecto, eum tam parcum futurum in verbis, ut vel contemnetur, vel in medio diſcurſu deficiat, vel cum exiguo honore finiat, volens potius injurius eſſe linguæ, & intellectui, quam excellentiæ objecti, quod præ ſe fert.

Idem mihi toties contingit O velociſſimè Evangeliſta, quoties mundo tuam incomparabilem agilitatem, ſignificatam in alis leonis (quem pro inſignibus habes,) & ortam ex perfectô contemptu mundi, manifeſtare volo. Quod ſi impulſus potius ab affectu filiali, & debitâ obſervantiâ, quam à certitudine proſequendi diſcurſum uſque ad finem, accingo me operi, ſtatim ſentio ita obrui à tuis excellentiſſimis prærogativis meam linguam, & intellectum, ut argui mereat de præſumptione qua tentavi opus viribus eorum longè ſuperius.

Nam ſi dicam, quod fueris cælum Sphæricum, & perfectè rotundum, quod ob defectum angulorum rerum terrenarum eas tangebat in puncto, ut celerius gyrando promptiorem te oſtenderes ad communicandas mundo influentias doctrinæ Evangelicæ, nihil dico.

Si dixero, quod ſicut filius excuſſorum, & vatum antiquorum fueris ſagitta ejaculata à robuſto ſagittario Chriſto, ob quod velocior Abari, & curſoribus Alexandri æquaſti velociſſimos, eo quod habueris in aſcendente tibi valde faventem conſtellationem velociſſimi Delphini, qui tibi præſcidit ſplenem terrenorum affectuum, & agiliſſimum effecit in tuis operationibus, parum dico.

Si addidero te imitatorem Matthæi res terrenas reliquiſſe, & ſine mora voci divinæ paruiſſe, & quod inſtar ſtellæ liber, & expeditus, terrâ contemptâ ad divinâ raptus fueris, parum proficio.

Si ulterius progrediens dixero, alas agiliſſimas tuæ paupertatis, quæ nullam experitur reſiſtentiam, te efficere adeò velocem & expeditum, ut per unicum inſtans tranſiveris è terra in cælum, eo quod in anima tua vacuum, & ſequeſtrationem totalem rerum terrenarum in te cauſaverit, adhuc parum te æſtimo.

Quod ſi audacior factus è terra in cœlum ſublevatus, & vaſtiſſimo Oceano paradiſi immerſus te attentius conſidero, videbo quod ſis Angelus cæli, & quod inſtar puri ſpiritus ſine materia terreni effectus, imitatus ſis agilitatem Angelorum, qui in inſtanti moventur ab ortu ad occidentem. Exiſtimabo forſan me perfectè menſuraſſe tuam promptitudinem in ſervitio Dei, & debito meo te laudandi abundè ſatisfeciſſe.

Tua agilitas, quæ nullam agnoſcit comparationem æqualem in rebus creatis, adeò te evehit ſupra illas, ut te faciat lunam in plenilunio æmulatricem ſolis, & te Deificando efficiat comparere cum vultu Leonis ſuperni, & ſimillimum ipſimet Deo. Et dum video ô glorioſiſſimè Evangeliſta, ad hunc terminum me pertigiſſe, contentor, non quod meus devotus affectus hic ſiſtat, ſed quia navicula debilis, & fragilis mei intellectus ſubmerſa in vaſtiſſimo pelago immenſitatis divinæ, neſcit quo vertat proram, quia gubernaculum linguæ haud illi ſervit. Idcircò hic jactis anchoris, plicatis velis, dimiſſis funibus, ſeu dolonibus timens naufragium non progreditur, ſed in his periculis cum ſis luna plena, dominatrix maris, tuum ſuccurſum velociſſimæ interceſſionis implorat, & hic libenter quieſco toto affectu te honorans. *Pax tibi Marce Evangeliſta meus.*

(† †)
†

ELOGIUM IX.

Pro Feſto SS. Apoſt. Philippi, & Jacobi.

Philippe, qui videt me, videt & patrem meum.
Joannis 14.

Philoſophia. 1.



Sque in hunc hodiernum diem indeciſa, & irreconciliabilis, inter Academicos, & Peripateticos manet lis, an anima noſtra formarum ſubſtantialiũ perfectiſſima immediatè, vel mediante aliquo nexu, qui duas partes connectit, ſicut duæ partes lineæ connectuntur per punctum indiviſiblile noſtro corpori uniatur;

Galenus lib. de dogmat. Plato Beſſa. lib. 1. contra calum cap. 22. Cornelius lib. 4 ca. 2. D. Thomas 1. parte. q. 91. art. 1. ad 2.

Academici ita referentibus Galeno, Beſſarione, Fernelio, D. Thoma, docuerunt velut certum, animam noſtram non poſſe uniri immediatè huic corpori ex elementis compoſito. Moventur hac ratione, ut putant fortiſſimâ: Duæ res ſummè diſtantes non poſſunt uniri abſque vinculo, & nexu intermedio; atqui anima noſtra ſummè diſtat à corpore, cum illa ſit ſpiritualis, putiſſima, nobiliſſima, ſimpliciſſima, cæleſtis, *& quid divinum* juxta Platonem, corpus autem materiale, craſſum, terrenum, ergo neceſſariò debet illa unio intercedere. Hinc dicebant Platonici, Deum antequam infundat animam noſtro corpori, fabricare corpuſculum ex materia cæleſti magis conforme ſimplicitati animæ: Et quia inter ſimpliciſſimum corpus, & animam ſimpliciſſimam major intercedit convenientia, quam inter animam, & corpus noſtrum elementare, terrenum, & craſſum; Hinc animam prius infundit corpuſculo illi cæleſti, & dein fabricat aliud, ex materia quidem ſubtiliſſima, ſed non adeò illuſtri, lucidâ, & clarâ ſicut prima, ſed aliquantò magis obſcuriori, & craſſiori, & dein eam infundit corpori noſtro terreno.

Omnes Peripatetici hanc opinionem ſemper rejecerunt, docentes animam noſtram rationalẽ non minus immediatè uniri corpori, quam uniantur immediatè materiæ primæ omnes formæ ſubſtantiales. Porro ratio eſt evidentiſſima; Nam ex anima, & unione debet reſultare unum compoſitum per ſe, ergo ſi anima noſtra prius uniatur corpori cæleſti, & mediante hoc, corpori terreno, non erit homo unum per ſe, ſed per accidens; atqui hoc eſt falſiſſimum, ergo & opinio Platonicorum. Verum ego NN. pace Ariſtotelicorum hac vice accino Platonicis.

II. Anima animæ noſtræ juxta magiſtrum Angelicum eſt benedictus Deus, ejuſque ſanctiſſima gratia. *Anima animæ noſtræ* inquit Thomas *Deus eſt.* Hic eam vivificat, hic ei dat vires, & facultatem ad operandum, ad ſe movendum, & elicitendas omnes operationes meritorias vitæ æternæ, Cum hæc anima animæ noſtræ ſit Deus, ſit ſumma, & infinita ſapientia, ſequitur animam animæ noſtræ eſſe ſapientiam Dei. Porro hæc ſapientia Dei non poteſt uniri, & informare animam noſtram rationalem, quamdiu hæc veſtita eſt ſapientia mundana. Hæc ſiquidem reddit animam terrenam, cupidam vanæ gloriæ, ignorantem cæleſtium, & terrena tantum ſapientem. Hæc facit hominem animalem, libidinoſum, & totum carnalem. Hæc reddit hominem Diabolicum, ſeductorem, mendacem, ambitioſum, ſuperbum, implacabilem contentioſum, & vanum. Hinc S. Apoſtolus Jacobus in ſua Canonica: *Non eſt ita ſapientia deſurſum deſcendens à patre luminum ſed terrena animalis, & diabolica.* Hinc ſeparat animam à Deo, eamque

Applicatio.

Cap. 3.

eamque reddit incapacem, & inhabilem, ut uniatur, & informetur ab anima ſapientiæ cæleſtis.

Ex altera parte Sapientia divina eſt tota cæleſtis, adeoque reddit animam pudicam, tractabilem, obedientem, miſericordem, &c. ſic idem Apoſtolus. *Quæ autem deſurſum eſt Sapientia, primum quidem pudica eſt pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, judicans ſine ſimulatione.*

Adeoque cæleſtis; Et eſt impoſſibile, quod hæc ſapientia informet animam veſtitam ſapientia mundanâ, & terrenâ, qua inter talem animam, & ſapientiam cæleſtem nimia eſt diſtantia, & nulla proportio. Hinc S. P. Auguſtinus. *Cæleſtium verborum arcana, atque virtutes ſapientibus abſconduntur, & parvulis revelantur, parvulis malitiâ non ſenſu.* Serm. 48.

Idcirco ſanctiſſimi Apoſtoli, Philippus, & Jacobus, hac agnitâ veritate non Platonicâ, ſed Evangelicâ, relicto mundo, & omnibus facultatibus, ſpoliati ſapientiâ, mundana, ſecuti ſunt pauperem, & nudum quidem Chriſtum, ſed totum cæleſtem; & cum anima eorum eſſet totaliter ſimplex, & conditionis cæleſtis, ac divinæ, taliter eam diſpoſuerunt, ut reddiderint eam valde vicinam, proportionatam, & capacem, ut informari poſſet ab anima ſapientiæ cæleſtis, quæ tantum ſimplicibus communicatur.

Hinc iis dixit: *Philippe, qui videt me, videt & patrem meum. Creditis in Deum, & in me credite. In Domo Patris mei manſiones multæ ſunt.*

O ſimpliciſſimi Apoſtoli, ô animæ totaliter cæleſtes mundate animam meam à qualitatibus ſapientiæ mundanæ, & reddite eam totam cæleſtem, & ſimpliciſſimam, ut poſſit penetrare, & Orbi propalare quod vos ſanctiſſimi Apoſtoli fueritis à Deo dotati ſapientia cæleſti, eo quod contempſeritis, fugeritis ſapientiam mundanam. Hunc in finem conjunxit Eccleſia meo judicio Philippum & Jacobum, Philippum quia ſimplex, Jacobum, quia ſapiens. De hoc hodie diſcurram.

ASSUMPTUM.

Philippus, & Jacobus Apoſtoli ſancti fuerunt à Deo dotati ſapientia cæleſti, quia ſe ſpoliarunt ſapientiâ mundanâ.

III. APoſtolus Jacobus docere volens fideles, qui deſiderant habere veram ſapientiam, qualiter ſe habere debeant, eos exhortatur, ut ad Deum recurrant, ab eoque ſpeciali ſollicitudine eam poſtulent, certi quod eam ubertim ſint obtenturi, cum Dei conditio ſit eam omnibus abundanter largiri. *Si quis veſtrum indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Revera ſanctiſſime Apoſtole, tu omnibus, quibus deeſt vera ſapientia calcaria addis, ut ad Deum recurrant eam obtenturi, Loqueris enim tam aſſeveranter, & cuicunque eam tam indubitatè promittis, ut cuique deſiderium injeceris. Sed tua promiſſa non videntur convenire cum verbis Job. Hic enim loquens in perſona Dei ad homines, dicit eos debere converti, & accedere confidenter, ſe eos benigne recepturum, ſed eos debere cavere, ne quis ſapiens inter eos reperiatur. *Igitur vos omnes convertimini, & venite, & non inveniam in vobis ullum ſapientem.* Quomodo amabo hæc ſubſiſtant. Tu ſancte Apoſtole nos exhortaris, ut paſcamus à Deo ſapientiam, eamque nobis promittis uberem, tunc tamen idem Deus per os Jobi declaret, nos ab eo in gratiam recipiendos, hac tamen conditione, ut nullus in nobis reperiatur ſapiens. *Et non inveniam, &c.* Quomodo confidenter poſſimus à Deo poſtulare ſapientiam, & tuam exhortationem exequi, ſi ipſemet Deus proteſtetur nullum ex noſtris debere eſſe ſapientem, *& non inveniam, &c.* Scriptura. Cap. 1. Cap. 13.

O quam bene ſolvit difficultatem S. P. Gregorius. *Quid eſt, quod ad ſapientiam vocat, & tamen optat ne illos ſapientes inveniat, niſi quod ad veram ſapientiam venire non poſſint, qui falsè ſuæ ſapientiæ fiduciâ decipiuntur?* Quam divine! Cuilibet, qui ſapientiam deſiderat cæleſtem Deus eam promittit, dummodo eam poſtulet, ut hortatur Apoſtolus, imo Deus nil libentius concedit, quam ſapientiam, cum ſummè delectetur, ſi eam petamus uti clarè liquet in Salomone. Verum ex altera Lib. 3. moral. c. 14.

patte nullum vult esse præditum sapientiâ humanâ, & fallaci, quæ non potest stare cum sapientia divina, cum sint incompassibiles. Quod si ergo aliquis velit imbibere sapientiam cælestem, necesse est, ut vacuus sit sapientiâ humanâ fallaci, quo facto recurrat ad Deum, & sapientiam veram ab eo postulet, nec uilatenus dubitet, quin eam copiosè sit habiturus. Hoc modo reconciliantur hæ duæ scripturæ. *Quid est quod eos, &c.*

Historiæ. IV. De Aristippo Philosopho suo tempore valde celebri, ratissimum quid me legisse memini. Hujus cuilibet schola patebat, sed non ab omnibus idem minerval exigebat; ab iis enim, qui rudes eum accedebant, nullis literis instructi simplex postulavit minerval. Ab iis autem, qui sub alterius Philosophi fuerunt disciplina, duplicatum exigebat stipendium. Interrogatus hujus exorbitantiæ causam, dicebat duplici labori duplex deberi minerval.

Sed quomodo amabo Aristippus duplicem impendebat laborem instruendo eum, qui sub alterius fuerat disciplina, si ei eandem tradebat doctrinam, unam dabat iis, qui nunquam alterius fuerant discipuli.

Respondebat Aristippus: Scire debetis meam philosophiam esse valde diversam à Philosophia aliorum, adeoque etiam fundari in diversis principiis. Ille qui sub alterius fuerat disciplina, ille etiam illius imbibit principia: Cum autem mea Philosophia totaliter differat a Philosophia aliorum, prius debet mea capere principia, hoc autem difficulter fiet, nisi prius discredat principiis prioris magistri. Hinc ipsius instructio duplicato mihi constat labore; prius enim dissuadere ipsi debeo principia alterius, & dein ipsi imprimere mea, quæ simul cum alterius principiis non possunt stare, hoc autem non est necessarium respectu illius, qui sub nullius antea fuit disciplina, quia talis est sicut tabula rasa, in qua nihil est depictum; Et ideo ordinarium tantum postulo minerval, ab altero autem duplicatum. Ex hoc manifestè liquet eum facilius instrui, qui sub nullius fuit disciplina, quam qui fuit.

Applicatio. V. Nunc ad S. Apostolos. *Si quis vestrum, &c. Igitur omnes, &c.* Sæculis præteritis duæ cathedræ, fuerunt erectæ, & scholæ apertæ, una à mundo, ejusque Philosophis, altera à cælo, & Christo. Philosophia mundi totaliter differt à Philosophia Christi, & utriusque principia maximè sibi contrariantur. *Sapientia carnis inimica est Deo*, inquit Apostolus. Principia Philosophiæ mundanæ sunt, simulatè agere, aliud verbis, & aliud corde demonstrare, omnibus viribus conari, ut verum pro falso, & falsum pro vero vendatur, appetere, & omni conatu venari dignitates, gloriari in honoribus mundanis, titulis eminentibus, obsequiis, & reverentiis sibi exhibitis. Axioma Philosophiæ mundanæ est omnem injuriam arcere, & illatam ulcisci, quod si hoc fieri non possit, amicitiam fingere. Hinc mirè Gregorius: *Hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare. Hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere; Cum vires suppetunt nullis resistentibus cedere, cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare.* *Ad Rom.* 8. *Lib.* 10. *moral cap.* 16.

O qualia principia insipientia, qualia axiomata scandalosa protulit schola mundi! Principia e Diametro opposita principiis Christi. Christus postquam homines essent imbuti falsâ Philosophiâ mundi, aperuit suam scholam, ut iis mundi Philosophiam dissuaderet, ac suam veram, & cælestem introduceret. Porro axiomata hujus scholæ, plane contrarii sunt axiomatibus mundi; hinc juxta Gregorium. *Sapientia justorum est nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tollerare, quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare.* *Vt supra.*

Principia irrefragabilia, principia orta è cælo, principia planè contraria principiis mundi. Revera hanc cælestem sapientiam; & divinam Philosophiam non possunt capere illi, qui fuerunt in schola mundi, nisi prius hujus principia oblivioni tradant, ut enim dixit ille alter. *Intus existens prohibet extraneum*, nec potest imprimi tabulæ animæ, pulchra imago cælestis Philosophiæ, nisi prius ex ea deleatur deformis imago mundi.

Nostri sancti Apostoli tradiderunt se disciplinæ hujus divini magistri. Ab hoc cælesti præ-

præceptore didicerunt hi capaces discipuli non præferre terrena cælestibus. Ab hoc didicit Philippus confidentiam in divina providentia. Cum enim imbutus esset quodam axiomate mundi, cibandis quatuor millibus, & ultra, ingentem summam pecuniæ esse necessariam. *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt ut unusquisque modicum quid accipiat.* Ioan. 6. Christus illud ei disuasit, ostendens confidentem in Deo, exiguo pane, & paucis piscibus, sine pecunia abundanter satiandum. Habebat Philippus aliud falsum principium, nempe Christum non habere patrem, nec eum esse Deum, principium illo tempore ortum ex schola mundi. *Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis.* Ioan. 14. Christus autem depulit ex ejus mente illud principium; & contrario eum imbuit: ostendens se esse consubstantialem suo æterno patri, & consequenter eum, qui crederet in se, etiam videre, & credere in suum patrem. *Philippe qui videt me, &c.*

In hac schola similiter didicit S. Jacobus. Hoc principium: *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Matth. 31. Adeò contrarium scholæ mundi. Hoc tam perfectè imbibit, ut datâ occasione illud perfectissimè implerit. *Confractis cruribus jacens, semivivus manus tendebat ad cælum, Deumque pro illorum salute deprecabatur his verbis Ignosce Domine, quia nesciunt quid faciunt.*

O Glorioſissimi Apostoli, ô eruditissimi discipuli, satis bene videtur sufficientia magistri, qui vos instruxit, & profectus vester indicibilis in schola Christi, dum prius dissensistis maximis mundi, & inbibistis axiomata Christi, discredidistis sapientiæ, vanæ, & falsæ traditæ à mundo, & apprehendistis divinam veram, & permanentem, quæ non potest stare cum mundana, nam juxta Gregorium. *Ad veram sapientiam venire non possunt, qui falsa sua sapientia fiducia decipiuntur.*

Scriptura. VI. In proverbiis recenset sapiens sapientiam, dum quadam die vellet ostentare pompam suarum deliciarum, instruxisse convivium lautissimum in suo palatio pretiosissimè ornato. Cap. 9. *Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum, & proposuit mensam suam,* Convivio parato introducti sunt convivæ, qui & mensæ assederunt. Quod si quæras, quinam fuerint convivæ invitati à sapientia, respondebit sapiens pueros simplices, innocentes, & totaliter ignorantes. *Si quis est parvulus, veniat ad me, & insipientibus locuta est, venite comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* Et quia sub, & post prandium convivæ solent quandoque detineri aliquo discursu, ipsa sapientia summoperè delectabatur cum pueris invitatis discurrere. Hinc idem sapiens. *Et cum simplicibus sermocinatio ejus.* 1. ad Cor. 3. Et quia sæpe inter pocula, & orbes secretissima cordis propalantur, eadem sapientia his simplicissimis convivis, sua sublimissima arcana manifestavit. Hinc legunt alii ex Hebræo. *Et cum simplicibus secretum ejus.* Ut verum fatear, actiones Sapientiæ tam in ferculis, quam in convivis, & discursibus mihi valde extravagantes videntur. Fercula mihi videntur valde singularia; Cum enim convivæ sint pueri, innocentes, & tenelli, quomodo iis apponit vinum, & omnis generis fercula? Debebant adesse pultes, & lac, nam juxta Apostolum lac est congruus cibus, & potus pro infantibus. *Tanquam parvulus in Christo lac vobis potum dedi, non escam.*

Verum relictis cibis, singulare mihi videtur esse convivium, & discursus habiti cum convivis. Convivium instruens est sapientia, Convivæ autem sunt personæ ignorantissimæ, & qui vix possunt formare verbum. Intendit discurrere de rebus secretissimis, altissimis, occultissimis, & vult habere Auditores puerulos, insipientes, ignorantissimos, & qui nil sciunt loqui nisi Papa, & Mama. *Et cum simplicibus, &c.* Et revera majus portentum, & singularitatem majorem nunquam audivistis, nam si ipsamet sapientia sit invivitans, cur non invitavit subjecta eloquentia, facunda, quæ melius possunt capere, & discurrere de rebus adeo altis, & profundis, quàm pueri insipientes, & balbutientes.

Divinè S. P. Hieronymus in hunc locum. *Et cum simplicibus sermocinatio ejus* vel *secretum ejus. Sermocinatio Domini cum simplicibus est, quia illos cælestis sapientia secretis illustrat, quos terreni fastus, ac duplicitatis nihil habere considerat.*

Hæc appropriatas Dei, & sapientiæ divinæ, invitare ad suam mensam infantes, cum iis agere, & miscere sermones de rebus adeò secretis, & altis, quia tales sunt capaciores, quam sint

Sapi-

ſapientes, & Doctores mundi. Hi enim, cum repleti ſint ſimulationibus, faſtibus, ambitionibus, vanis gloriis, ſunt inepti, ut aſſideant menſæ ſapientiæ cæleſtis, non ſunt capaces ejus dogmatum, idiomatum, quia innixi propriæ ſcientiæ, diſcurſus ſapientiæ cæleſtis irridebunt tanquam ſtultos. Econtra pueri, cum ſint inſipientes, & nulla ſapientia humana imbuti, ſunt apti, ut imbuantur, & ſatientur cibis, & diſcurſibus cæleſtibus, & ſunt magis diſpoſiti ad recipiendas divinas illuſtrationes, & capienda myſteria ſecretiſſima cæli, & ideo tantum invitantur ad menſam ſapientiæ cæleſtis, iiſque revelantur myſteria ſecretiſſima cæli. *Et cum ſimplicibus, &c. Quia ullos, &c.* Hinc non eſt mirum, quod etiam Chriſtus elegerit hos duos ſimpliciſſimos piſcatores ad Apoſtolatum, eoſque invitari ad ſuam menſam, iiſque panderit abditiſſima myſteria cæli, nempe æqualitatem Filii cum patre, conſubſtantialitatem, & unitatem eſſentiæ divinarum perſonarum, ſecreta nunquam antea intellecta. *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me. Philippe qui videt, &c.*

Philoſophia.

VII. Inter partes miras noſtri corporis ſummo artificio fabricantes à natura doctioribus apparet prodigioſiſſimum oculus, in quo tot ſunt humores, tunicæ, muſculi, & alia ſingularia, quæ Domini Anatomiſtæ non deſinunt admirari, & diſcurrere de arum conſtructione. Ego ut illuſtrem hoc mane textum ſcripturæ à me propoſitum, ſcire percuperem, in qua ex dictis partibus ſpecialiter exiſtat facultas videndi.

Porro omiſſis opinionibus Philoſophorum, medicorum, Opticorum, ego adhæreo ſententiæ Galeni, & Aquilonii.

Lib. 10. de Uſu part. cap. 1. Lib. 1. de gen. animal. cap. 5.

Galenus affirmat Organum viſus ſpecialiter conſiſtere in humore Criſtallino. Huic libenter adhærent Philoſophus, Valeſius, Vega, & alii non infimæ notæ. Quod ſi rationem petas ab his Philoſophis, & medicis, dicent illam partem proprie debere aſſignari pro organo viſus, quæ eſt magis Diaphana, & tranſparens, & inſuper luce, & omni colore privata; Cum enim oculus debeat videre, & diſcernere omnes colores, ſequitur eum debere illis carere, nam ſi haberet aliquem colorem V. G. album, aut alium quemcunque, illum ſolum cognoſcere poſſet ut paret in viridi vitro, in quo omnia apparent eſſe viridia; nam *omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur*; atqui humor Criſtallinus eſt ſumme tranſparens, & ex natura ſua privatus omni luce, & colore, ergo, &c.

Similiter Franciſcus Aquilonius in ſua optica cenſuit, humorem Criſtallinum quidem poſſe terminare imagines objectorum viſorum, attamen Organum principale viſus eſſe tunicam, quæ aranea dicitur, qualis cooperit, & defendit dictum humorem, quamvis concedat Organum viſus debere eſſe Diaphanum, & tranſparens abſque ullo colore, & quia tunica aranea eſt talis, & inſuper cooperit humorem Criſtallinum, concludit dictus author, præcipuum Organum viſus eſſe partem nervi optici, quæ aranea nuncupatur. Ergo hanc litem decidere nolo, ſed optimè mihi nunc ſervit opinio Galeni, & Aquilonii. *Lib. 1 de Theoriate. 27.*

Applicatio.

VIII. Nunc ad noſtros Apoſtolos. *Si quis eſt parvulus, &c. Et cum ſimplicibus, &c.* Non eſt dubium N. N. quin Chriſtus noſter Salvator quamdiu vixit, fuerit caput viſibile corporis myſtici Eccleſiæ, illudque rexerit, & gubernarit. *Chriſtus eſt caput corporis Eccleſiæ.* Oculi hujus corporis fuerunt noſtri duo Apoſtoli, de quibus veluti duobus oculis hodie Eccleſia ſolemniſſimum feſtum agit. Oculi valde diaphani, & tranſparentes per innocentiam eorum, valde acuti, & perſpicaces per ſcientiam.

Philippus habuit viſum valde linceum, ita ut innixus auxilio lucis cæleſtis Chriſti benedicti, conatus ſit oculos defigere in æternitatem Dei Patris. *Domine oſtende nobis Patrem:* Oculus, qui volebat ſatiari hoc ſolo objecto. *Et ſufficit nobis.* Oculus, qui cum ſciret ad dictum objectum videndum neceſſariam eſſe lucem, recurrit ad Chriſtum lucem cæleſtem, *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, ejuſque auxilium imploravit. *Domine oſtende nobis Patrem.* Oculus fuit S. Jacobus, & quidem tam limpidus, & mundus, ut antonomaſticè fuerit vocatus juſtus. *Iacobus frater Domini cognomento juſtus.* Oculus tam perſpicax, ut dum oriretur lis inter Apoſtolos, an noviter converſi ad fidem ſubjicerentur jugo circumciſionis

jugo circumciſionis prout volebant Hebræi, rem clarè vidit, & definivit gentiles non debere circumcidi, nam acutè vidit Baptiſmum ſucceſſiſſe circumciſioni, & lege nova promulgatâ ceſſaſſe antiquam Oculus tantâ luce a Deo dotatus, ut clarè cognoverit altiſſima, & ſecretiſſima myſteria cæli, in ſua enim Epiſtola Canonica innumera profert. Hinc S. Cyrillus Alexandrinus pleno ore eum vocat *Spiritu ſanctorum plenum.*

Lib. 2. in Ioan. O Limpidiſſimi oculi Eccleſiæ, ô oculi ſupra modum diaphani, & tranſparentes, quænam fuit cauſa, quod tam apti fueritis ad cognoſcenda, & videnda objecta adeò perfecta, colores tam diverſos, myſteria, & ſecreta cæli tam recondita? Nemo miretur, fuiſtis ſimpliciſſimi, pueri, & interius privati omni luce humanæ ſapientiæ, & omni colore muodano Philoſophiæ, vel ut ſimpliciſſimi piſcatores, & ideo fuiſtis ita capaces rerum cæleſtium, & adeo apti ad videnda, & penetranda arcana cæleſtia, & recipiendam lucem Paradyſi, ad tam acutè cognoſcenda ſecreta edocta à ſapientia divina, quæ quia fuiſtis innoeentiſſimi pueri, vos invitavit ad ſuam menſam. *Si quis eſt parvulus, &c.* Et vobis abditiſſima myſteria reſeravit. *Et inſipientibus locuta eſt.* Vobis manifeſtavit profundiſſima arcana. *Et cum ſimplicibus*, nam illos oculos judicat aptiores ad videnda cæleſtia, qui puriores ſunt à luce mundanæ ſapientiæ, & omni varietate colorum, faſtus, & duplicitatis, *quia illos cæleſtis, &c.* Limpidiſſimi oculi Eccleſiæ.

Scriptura. *Cap. 22.* IV. In libro numerorum recenſetur caſus, qui accidit magno Balaam ſapientiſſimo apud Principes, & Monarchas mundi O Legimus eum vectum aſinâ feſtinantiſsimè perrexiſſe, ut diris devoveret exercitum Dei. Porro in medio itinere ſeſe obvium ſiſtit ei Angelus, ut eum repelleret; verum cum Angelum non videret, fuſtibus, & calcibus urgebat aſinam, quæ tamen immobilis hærebat, imo ad conſpectum Angeli huic adgeniculata eſt: *Cumque vidiſſet aſina ſtantem Angelum, concidit ſub pedibus ſedentis.* Obſtupeſcit S. P. Auguſtinus, quod aſina ſola viderit Angelum, & non Balaam; Quale eſt hoc Paradoxon? Æqualis erat diſtantia inter Angelum & Balaam, & inter Angelum, & aſinam, imo major ad aſinam, quia Baalam erat intellectualis, & potens videre Angelum, aſina autem animal irrationale, & incapax ad Angelum videndum. Præterea aſina erat animal ſtolidiſſimum, & ſtupidiſsimum, Balaam autem Propheta, & magus apud omnes ſapientiſsimus. Quomodo ergo aſina potius fuit capax, ut videret Angelum, quam Balaam. Scio S. P. Auguſtinum dixiſſe. *Magus Dæmones vidit, aſina tamen Angelum videt.* Ac ſi dicere voluiſſet: Aſina fuit capacior, ut Angelum videret, quam Balaam, & hoc quia fuit Aſina, & Balaam magus, & ſapiens mundi; Homines enim rudes, & ſimplices ſunt magis apti, ut videant Angelos Dei, & intelligant myſteria cæleſtia, quam docti, & ſapientes mundi. *Magus videt, &c.* *Serm. 10 de temp.*

Sed quomodo amabo S. Auguſtine tu adeò declaras inhabiles magos, & ſapientes mundi ad percipienda cæleſtia, ut iis præferas jumenta, cum conſtet magos Orientis fuiſſe reditos dignos, ut viderent, cognoſcerent, adorent infantulum Jeſum, tanquam verum Deum? *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Et intrantes domum invenerunt puerum, &c. Et procidentes adoraverunt eum.* *Matt. 2.*

S. P. Bernardus divinè. *Quia per ſapientiam mundus Deum cognoſcere non poterat, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Ingrediuntur Magi ſtabulum, inveniunt involutum pannis infantulum, procidunt, venerantur ut Regem, adorant ut Deum.* *Serm. 3. de Epiphan.*

O quam benè! Verum quidem eſt hos fuiſſe Magos, & ſapientes mundi, ſed ne exiſtimetis illos ut tales fuiſſe aptos ad capienda altiſsima myſteria, puta quod ille infantulus natus in ſtabulo fuerit Rex Cæli, & terræ, Deus, & homo; Sapientia enim mundana velut viſu pollens debili, & inepta ad illa arcana penetranda, numquam illa myſteria percepiſſet. Magi ergo capaces tunc facti ſunt, quando ſe ſpoliarunt ſapientiâ humanâ, quando intrarunt ſtabulum, & facti ſunt jumenta, quando agnoverunt Balaamos, ſapientes mundi, prudentes ſæculi eſſe incapaces, ut videant Angelos, cognoſcant veritatem, & arcana cæli; econtra autem ſolum eſſe capaces illos, qui ſe faciunt jumenta ſtolida, & inſipientia ob amorem Dei. *Quia per ſapientiam, &c.* Hoc

agnoverunt Magorum præceptores SS. Apoſtoli Philippus, & Jacobus; nam non putarunt Chriſtum cum Hebræis, Scribis, Phariſæis, & doctioribus in lege ſolum hominem, ſed hominem & Deum natum ab æterno à Patre Deo, & in tempore ex Maria ſemper Virgine. Porro ut venirent ad cognitionem tam altam, & profundam, quam attingere non poſſunt Balaami, Magi, Vates, & ſapientes mundi. Facti ſunt ſtulta & inſipientia jumenta, privantes ſe omni humanâ ſapientiâ, & pro hac veritate unus in Scythia, alter Hieroſolymis occubuit.

Aſtronomia. X. Aſtrologi loquentes de ingenio quo pollemus nos, qui ſumus animalia rationalia, & diſcurſiva, advertunt tria ſingulariter in cœlo notanda eſſe ad cognoſcendum, an ille qui naſcitur ſit habiturus bonum, ſubtile, limatum, ſapiens, & prudens ingenium. *Tria potiſſimum Aſtrologi loca in cælo ad judicandum de ingenio nati ſibi eligunt.* Nempè locum Mercurii, ſecundo locum Lunæ, tertio locum ſigni aſcendentis, dum perſona naſcitur. Quod ſi hæc loco fuerint fortunata, colligere poſſumus quale habiturus ſit ingenium ille, qui ſub tali configuratione ſtellarum naſcitur.

Hinc affirmant, quod ille qui naſcitur Mercurio exiſtente in prima domo, dum ſecum habet ſuas dignitates (cum enim tunc habeat majores) habiturus ſit ingenium valde capax ut addiſcat Grammaticam, Geometriam, Rhetoricam, Philoſophiam, Theologiam, & verbo aptiſſimus ad percipiendas omnes ſcientias. *Mercurius præbet intellectum divinum, & omnibus artibus, & negotiis aptum ſpecialiter ſi Orientalis eſt.* Quod ſi contingat Mercurium tunc reperiri in ſigno geminorum, quod eſt domus divina illius Planetæ, tunc reddit perſonam ſeduſam, & habilem ad omnes actiones & ſcientias, inſuper morigeratum, humanum, affabilem, & honoratum; Nam ſignum Geminorum eſt ſignum humanum, & valde ingenioſum. Similiter. *Mercurius in ſigno Virginis facit augures, & divinos Aſtrologos, arcana inquirentes, & ſtudiis aptiſſimos.*

Et quia Luna etiam in ſimilibus multum valet, non debet negligi, ſed potius ejus locus, & aſpectus reſpectu Mercurii obſervari. Et quia fœlicius ſe illi conjungit per aſpectum, quam per corpus, ideo quò fœlicior, & magis propitius fuerit aſpectus, tanto magis promovebit influxus benignos Mercurii. Hinc dicunt quod aſpectus quadratus Mercurii diurni, & lunæ faciat ſapientes, & facundos, aſpectus autem trinus, & ſextilis oratores valde eloquentes, & ſubtiles, Luna vero diſcedens à Saturno verſus Mercurium ingenioſiſſimos Aſtronomiæ, ac cæli peritos, Oratores ſummæ eloquentiæ, nobilitate fulgentes. Similiter Mercurius Jovem accedens legum peritos, & valde prudentes. Ita Aſtrologi.

XI. Nunc ad SS. Apoſtolos *Cumque viderent, &c. Et intrantes, &c.* Per lunam in ſacris litteris ob ſuam inſtabilitatem ſignificatur ignorantia, & inſipientia. Hinc ſapiens *Stultus ut luna mutatur*, ideo etiam teſte Pierio Valeriano Ægyptii volentes oſtendere alicujus inſipientiam & ignorantiam, depinxerunt lunam. Et quia hic Planeta valde prædominatur terræ, & aquæ, ideò per illum ſignificantur ignorantes in rebus cœleſtibus, quales ſunt Sapientes mundi, qui revera ſunt inſipientiſſimi in rebus divinis. Hinc Apoſtolus: *Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum.* Applicatio. Eccleſ. 27. 1. Cor. 3.

Similiter per Mercurium denotatur ſapientia cæli, Minerva Dei, verbum Patris, cognitio rerum cæleſtium, in quibus conſiſtit vera, ſolida, & perfecta ſapientia, quam ſolam Deus, & veri ſapientes æſtimant: nam Mercurius appellatur nuntius, & interpres Dei. Sic vocat eum Virgilius canens:

Interpres divum, cælo demiſſus ab alto.

Hic Mercurius cæleſtis eſt filius Dei, verbum æterni Patris, Minerva cæli nata ex intellectu fœcundiſſimo Dei Patris, ſapientia ſimul increata, & creata. Mercurius, cujus propria domus eſt conſtellatio geminorum, conjunctio naturæ divinæ, & humanæ, ſignum humanum, ſignum benignum, cum Deus in hac unione ſit factus pius, humanus, & miſericors. Mercurius cœleſtis, qui ſignum Virginis

pro

pto domo, & habitatione elegit, & in illo ſigno hanc unionem fecit, & ideo Virgo ſanctiſſima in ſuo utero eum novem menſibus
Eccleſia. portavit. *Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.* Porro ſi hic Mercurius ſapientiæ cæleſtis, benigno intuitu reſpiciat lunam inſipientiæ mundi æſtimatam ſtultam, O qualis intellectus divinus, quale acumen cæleſte, quam cognitio profunda, qualis ſapientia incomparabilis illi conceditur, qui naſcitur ſub tam propitia configuratione ſtellarum. Hinc dixit Paulus. *Si quis ſapiens videtur eſſe inter vos in hoc ſæculo, ſtultus fiat ut ſit*
1. Cor. 3. *ſapiens.*

Philippus, & Jacobus erant veluti lunæ inſipientes parum, vel nihil ſcientes, ne dicam omni ſcientiâ, tam humana quam divinâ privati; nam cum eſſent ſimplices Piſcatores, nec magiſtrum cognoſcebant quem ſequebantur. *Tanto tempore vobiſcum ſum, &c.* attamen tandem, dum approximarent huic Mercurio verbi divini, & ab eo reſpicerentur benigno aſpectu, tanta imbuti ſint ſapientia, tanta notitia, & cognitione rerum cæleſtium, ut relicta ſcapha, retibus, domo, parentibus, & omnibus ſuis ſequerentur Chriſtum, ejuſque diſciplinæ ſe traderent, & piſcarentur homines, qui antea piſcabantur piſces. Ita ut Philippus jecerit rete in Schythia, Jacobus Hieroſolimis, & ceperint ingentem multitudinem Deo. Cognoverunt Chriſtum eſſe filium Dei, eſto eſſet veſtitus carne. Agnoverunt veram felicitatem conſiſtere in contemptu terrenorum, in condonatione injuriarum, & tandem in profuſione Sanguinis pro Deo, ſicut Philippus actus in crucem, Jacopus præcipitatus è pinaculo templi ſe agnoſcere teſtati ſunt.

O Sanctiſſimi Apoſtoli, & quantum vobis favit hic cæleſtis Mercurius filii Dei, quando inſtat lunæ ſapientia Patris vos benignè reſpexit? Benè poteſt dici, quod quantumvis ſimplices piſcatores, longè tamen ſuperaveritis Balaamos, Magos, & ſapientes mundi, quia vos ſimpliciſſimi, & à mundo habiti jumenta ſtulta, & ſtolida, habuiſtis viſum adeò acutum, ut clarè cognoveritis cæleſtia, verum Deum, bona Paradiſi, idque tam perfectè, ut nihili duxeritis itinera, afflictiones, famem, ſitim, contumelias, & mortem ipſam prout clarè Schythia & Hieroſolyma teſtantur. Nec aliquis miretur cognitionem, & ſapientiam adeò profundam, quia velut inſipientes lunæ junxiſtis, vos cæleſti Mercurio verbi divini, ille vos benignè aſpexit, & recipit, dum tam perfectè cognoviſtis primum principium ſcholæ Chriſti, quod ipſi Magi, & ſapientes mundi nunquam percepiſſent, nempè quod ille infans involutus viliſſimis pannis, eſſet Monarcha mundi, nunquam eum venerati eſſent ut Regem, nunquam adoraſſent ut Deum niſi inſipientiam mundi depoſuiſſent, & facti inſipientes lunæ, tanquam jumenta intraſſent ſtabulum. *Quia mundus per ſapientiam, &c.* Cæleſtes Mercurii. ſapientes Paradiſi, glorioſiſſimi Apoſtoli, facti toti cæleſtes à ſapientia divina.

XII. Inter portenta, quæ juſſu Dei patravit Moyſes prodigioſa illa virga, Exodus etiam recenſet Nilum ab ipſo in ſanguinem verſum: *Elevans virgam percuſſit aquam fluminis, quæ verſa eſt in ſanguinem.* Flagellum tam atrox, ut ejus potus Ægyptios, & ipſos piſces ſtatim occideret. Ægyptii itaque, ut vitam ſalvarent, propè flumen foderunt ciſternas, ex quibus ſitim ſedare poſſent: *Foderunt autem omnes Ægyptii per circuitum fluminis aquam, ut biberent, non enim poterant bibere aquam fluminis?* Scriptura. Cap. 7.

Magnum revera hoc eſt factum, ut eî ponderando prolixiſſimus diſcurſus requiratur, ſed omiſſis variis circa iſtud ſcriptorum dictis, ego obſervo, quomodo Ægyptii propè ripam Nili potuerint educere aquas, quæ iis nil nocerent, cum tamen aquæ Nili eſſent fatales. *Foderunt autem, &c.* Si hæc aqua hauriebatur ex ciſterna, quæ circumdabant flumen, debebant per venas terræ manaſſe ex flumine, unde non minus debebat eſſe noxia quam aqua fluminis. Nec ſufficit dicere, quod ſicut aqua maris ſalſa, fluendo per venas, & meatus terræ ita purificatur, ut depoſitis partibus groſſis, & aduſtis, quibus reddebatur ſalſa, acquirat novas qualitates, & fiat in flumine dulcis; Sic etiam aqua Nili quæ erat in fluvio ſanguis, fluendo per meatus terræ ad ciſternas depoſuerit illas pravas qualitates, & facta ſit ſalutifera, & bona. Hoc inquam non obſtante! eſto hoc ſit verum juxta curſum naturalem) id tamen non poteſt

fieri in caſu noſtro; cum converſio Nili in ſanguinem fuerit ſupplicium quo Deus punivit Ægyptios, ut vel ſibi extinguerentur non potentes illam aquam bibere, vel ſi eam biberent morerentur; Hoc ſuppoſito, quomodo aqua hauſta ex ciſternis propè Nilum facta ſunt ſalutares, & vitales. Scio quod Rabanus, & Strabo tranſeat ad mortalitatem. *Aqua* inquit Strabo, *in ſanguinem verſa mundanam ſapientiam ſignificat, in qua omnis qui manſerit necatur, ſicut in ſanguine piſcis.* Verum ego urgeo, ſi hæc aqua ſapientiæ humanæ hauſta è Nilo occidit, quomodo poſtea educta ex ciſternis ea ſtructis circa Nilum dabit vitam, ſi ſit eadem aqua, & ſapientia?

Reſpondet Rabanus per Ægyptios ſignificatus Gentiles, per aquam Nili ſapientiam mundanam, per aquam ciſternarum veram ſapientiam cæleſtem, quæ eſt aqua ſalutifera, & vitalis, cujus potus confert vitam cæleſtem, & æternam, & hæc manat non ex Nilo, ſed ex fonte vitæ Chriſto Jeſu. Dum itaque gentiles, & ſapientes mundi probaſſent aquam ſapientiæ mundanæ eſſe minus ſalutiferam, & vitalem, ac loco vitæ dare mortem, volentes fugere mortem, & conſequi vitam, cognoverunt ſibi ſapientiam humanam fuiſſe deponendam, & ſe debuiſſe fieri ſtolidos, inſipientes & ſimplices coram mundo. Sic enim ſe reddendos aptos, ut Chriſto fonti aquæ vivæ ſe approximarent, à quo erant ſatiandi aquâ cæleſti, quæ mortem pellit, ac vitam donat. Mirè Rabanus. *Quia gentilitas confuſa de meditatione ſæcularis Philoſophiæ, cum viderit nihil vitale, ac ſalubre ſibi illam præbere, iſtum ſtudet, & inveſtigando, ac ſalubriter tractando uſquequaque quærere ſapientiæ hauſtum, quem tamen veraciter non invenit, niſi veniat ad fontem vitæ, quia ait: Qui ſitit veniat ad me, & bibat, & de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Raban.

Hæc ſiquidem aqua vitalis ſapientiæ cæleſtis manans è fonte Chriſto, non poteſt dare ei vitam, qui bibit ſapientiam humanam inſalubrem, & mortiferam, quæ ſcaturivit ex Nilo mundi, adeoque ſi velis veram recipere vitam, debes deſerere aquas Nili, ſapientiam humanam, teque facere inſipientem, & ſtultum, hoc modo evades mortem, extinguesque ſitim, & conſequeris vitam; Hæc ſiquidem aqua ſolum datur ſimplicibus, his ſolem porrigitur aqua vitalis, juxta illud Pauli ſupra, *Si quis ſapiens videtur, &c.*

XIII. Curioſiſſimam difficultatem controvertunt Medici, & Philoſophi, an ſcilicet in ſublunaribus poſſit fabricari corpus mixtum, in quo omnes primæ qualitates reperiantur ad pondus, & in gradu æquali. Non ago hic de qualitatibus motivis, de iis enim egi in meo quadradrageſimali, ſed in alterativis, hoc eſt, an in corpore gradus caloris, frigoris, humilitatis, ſiccitatis poſſint eſſe omnino æquales. Hanc combinationem, & temperamentum Avicenna cum ſuis vocat, *temperamentum, ac pondus.* Alii *uniformam medium & temperatiſſimum.* Philoſophia.

Avicenna, Algazellus, & omnes Arabes cum ſuo Duce Averroe, & alii ſimpliciter negant, inter alias hæc eorum eſt præcipua ratio. Si daretur in aliquo corpore mixto hæc æqualitas ad pondus, illud eſſe incorruptibile ab intrinſeco atqui hoc non poteſt dici ergo Major probatur, cum enim illæ qualitates elementares ſint in gradibus æquales, nec una ſit fortior altera, ceſſabit earum contratietas, & lis; conſequenter actio, manebunt enim quietæ, & otioſæ, probatur minor. Si naturaliter poſſet dari corpus tale ipſa ratio exigit, ut tale ſit corpus humanum, utpote quod præ omnibus aliis informatur formâ nobiliori, atqui juxta Galenum corpus humanum non eſt tale, quia in eo *major eſt calidi portio, quam frigidi*, ergo inferunt in nullo corpore poſſunt reperiri illæ æqualitates in gradibus æqualibus ad pondus ſed ſolum ad juſtitiam. *Fen. 1. doct. 2. c. & 1. 1. c. de complexionib. Averroes 2. colliger. cap 22. & Cor 1. Tract. 1. Lib. 2. de ſimplic. medic. facul. c. 3.*

His non obſtantibus Garbius, Fernelius, Ilaicus, Matſilius, Saxonia, ſimpliciter affirmant. Ratio eorum eſt, quod eſto bene dicatur vita conſiſtere in calido & humido, frigido, & ſicco, id tamen non eſſe intelligendum quaſi hæ qualitates ſint omninò in gradibus æquales, ſed ſolum, quia operationes vitales non poſſunt ita exerceri virtute ſicci, & frigidi, ſicut exercentur virtute calidi, & humidi. Addunt ſequaces hujus opinionis, tale corpus habiturum temperamentum perfectiſſimum, & ex hoc capite indiſſolubile ab intrinſeco, & talia volunt fuiſſe corpora prothoparentum, Chriſti Domini, & beatorum jam glorioſorum ſub- *Garbius in ſumma tract. 2. q. 5. Fernelius lib. 3. Phyſiologia. Iſaicus c. 4 dietarum univerſalium.*

ſubdunt, quod ſi corpora cœleſtia eſſent animalia, uti voluerunt multi ex priſcis Philoſophis, tunc corpus ſublunare in quibus elementa eſſent omninò in gradibus æqualibus, reducendum fore ad conditionẽ adeò cœleſtẽ & ſublimem, ut omnis contrarietas deſitura ſit, & illud ſit reddendum capax animæ & vitæ corporum cœleſtium. Ut teſtatur Averroes, ubi ſic commentatur. *Quantò amplius ad medium vicinatur complectio, tantò mixtum redditur habilius ad recipiendum nobilioris vitæ perfectionem, adeo, quod quando in tantum temperatur complexio, quod per æqualitatem ceſſet contrarietas, diſponitur mixtum ad receptionem vitæ conformis vitæ corporum cœleſtium.*

Aver. 1.

XIV. Nunc ad noſtros Apoſtolos: *Foderunt autem &c.* Quatuor facultates puta intellectus, voluntas, iraſcibilis, concupiſcibilis, correſpondentes quatuor humoribus corporis myſtici, fuerunt in his duobus ſanctiſſimis Apoſtolis, & in animabus eorum nobiliſſimum formarum temperamentum. Hinc Cardinalis Cuſanus? *Anima humana ex quatuor ſuis elemẽtis eſt compacta, concupiſcibili, iraſcibili, rationali & libero.* Hæc elementa quidem reperiuntur in ſapientibus mundi, ſed inæqualiter, ſicut unum dominetur alteri, nam in iis intellectus vult plus ſcire, quam debeat, & ſapere pluſquam oportet, ex quo naſcuntur mille confuſiones hæreſum, & errorum intolerabilium. Voluntas eorum eſt obſtinata, & firmiter adhæret objecto ſibi ab intellectu oſtenſo, & omnia alia quæ non capit, ſpernit. Concupiſcibilis vagatur circa inutilia, appetendo id quod eſt contra rationem & legem divinam. Iraſcibilis ſimiliter hæret in iis, in quibus non deberet, nec amplectitur illud quod deberet. Sapientes mundi malè judicant de divinis, & quod pejus eſt virtutem nolunt amplecti, & quod peſſimũ, appetunt res mundanas, & contra omnem rationem fugiunt cœleſtia. Ex his inordinationibus ſequuntur mille inconvenientia, infirmitates fatales peccatorum in animabus eorum contra Deum & proximũ, & tandem amiſſio & jactura gratiæ divinæ & ſapientiæ cœleſtis, quæ ſola poteſt dare vitam animæ. Temperamentum tantò incapacius ad recipiẽdos influxus vitæ cœleſtis, quantò magis diſtat à ſimplicitate, & puritate virtutis, quam ipſi baptizant ſtultitiam & inſaniam. O quàm difforme & diſtortum temperamentum, ad quod ſtatim ſequitur diſſolutio & mors ſpiritualis animæ! Hinc Gregorius: *Ab hujus mundi ſapientibus puritatis virtus fatuitas creditur; omne enim quod innocenter ab eis procul dubio ſtultum putatur.*

Applicatio.

L. 8 Exc. ſer. dominabuntur populis.

Lib. 10. moral. c. 16 in c. 12. Iob

Hæc eadem quatuor elementa ſpiritualia reperiuntur in noſtris glorioſiſſimis Apoſtolis, quæ in iiſdem formârunt perfectiſſimum temperamentũ, quia optimè fuerunt concinnata ad pondus & æquilibrium; nam concupiſcibilis erat mortificata à temperantia, iraſcibilis a fortitudine, intellectus à prudentia, voluntas à juſtitia. Qualem temperantiam non oſtendit Philippus ſingulariter, quando inter extraneos per Aſiam, Phrygiam, Scythiam, famem & ſitim, ac alia incommoda corporis patiebatur? Quam fortitudinem & conſtantiam non exhibuit ſuſtinendo flagella, cruces & ſaxa? Quam non exhibuit prudentiam prædicando Evangelium, diſſeminando fidem Chriſti, illuſtrando gentiles? Quam non juſtitiam, Deum debitè colendo, idola deſtruendo, ædificando Eccleſias, erigendo altaria, ordinando Sacerdotes, prout tota Aſia declarat cum tanta gloria hujus ſanctiſſimi Apoſtoli?

Quæ temperantia non eluxit in Sancto Jacobo, de quo teſtatur S. Hieronymus, quod fecerit tantam pœnitentiam, vitamque duxerit adeo exemplarem, ut videretur Idea cœli, nam ſemper abſtinuit à carnibus, vino & alio quocunque liquore inebriante, veſtiebatur lineis & non laneis, ibat diſcalciatus, nutriebat capillos quos tamen non inungebat pigmentis, ſicut hodie ſolent? Quam prudentiam non demonſtravit in conſultationibus Eccleſiaſticis, & in illo primo conſilio ab Apoſtolis celebrato, ita ut omnes ejus placito adhæſerint? Quam prudentiam non exhibuit per totam vitam illuminando Judæos, & prædeſtinatos docendo, uti clarè ejus canonica Epiſtola demonſtrat? Quæ juſtitia in eo ſemper non reſplenduit, cum antonomaſticè fuerit vocatus juſtus. Quam fortitudinem non demonſtravit, dum pro defenſione ſuæ prædicationis, quod Chriſtus eſſet Deus, ſe deretque ad dexteram Patris, fuit è vertice templi præcipitatus, & fuſte nodosâ percuſſus in capite, occubuit?

O ſanctiſſimi Apoſtoli, nunquam finirem, ſi mundo declarare accutatè vellem perfectiſſimum æquilibrium horum quatuor elementorum,

tum, quæ tam inſigne temperamentum totaliter et uniforme ad pondus in animabus veſtris formârunt. Solum dicam, quod cum in vobis fuerit temperamentum tale ſine aliqua contrarietate & pugna, imò conjunctio virtutum cardinalium valde pacifica, acceperitis eſſe quoddam valde conforme rebus cœleſtibus, & ideò fueritis dotati perfectiſſimâ ſimplicitate maximè propriâ ſtatui Apoſtolico. Quod cùm ita ſit, cur non dicam, quod Deus vobis dederit vitam cœleſtem, quæ incolis cœli debetur? Si ex perfectione temperamēti colligimus nobilitatem vitæ & animæ, ita ut temperamento totaliter uniformi (dummodò ſit vitæ capax, quia accedit proximè ad ſimplicitatem corporum cœleſtium) neſciamus aliam vitam & animam congruentiorem & convenientiorem aſſignare, quàm animam corporum cœleſtium, cur mihi non liceat in veſtri laudem cum veritate dicere, quod fueritis capaces vitæ & animæ cœleſtis, cum elementa veſtratum potentiatum à virtutibus cardinalibus ita fuerint modificata & reducta ad æqualitatem totalem, & ad pondus, ut animæ veſtræ potuerint dici plane ſimplices.

Et quid eſt quæſo vita cœleſtis, niſi vera ſapientia? Vita, quia de ea dicitur: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Eſt etiam cœleſtis, quia nata à Deo & ſapientia æterna. *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt.* Hæc ſapientia, quibus conceditur niſi ſimplicibus? *Et cum ſimplibus ſermocinatio ejus.* Vel ut dicit Tertulianus. *Sapientia conjuncta ſimplicitas eſt.* Sed quis eſt reductus perfectius ad ſtatum ſimplicium, quam vos duo ſanctiſſimi Apoſtoli, in quibus fuit temperamentum adeò perfectè uniforme ſine ulla re prout diximus? Ergò concludamus veſtram ſimplicitatem fuiſſe verè dignam vitâ cœleſti & ſapientiâ æternâ, quæ vobis ſimpliciſſimis communicavit exactiſſimè altiſſima ſecreta paradiſi. Dicamus, quod vos, quia fugiſtis ſapientiam mundanam inordinatam & fatalem, manantē ex Nilo converſo in ſanguinem, & quia fodiſtis circà fontem vitalem Chriſti Ciſternam, ex illa hauſeritis vitam & quidem cœleſtem, in fructus veræ & perfectæ ſapientiæ.

Eccl. 1.

XV. Quia animæ veſtræ fuerunt ſimpliciſſimæ, & cœleſtes fuerunt capaces ut informarentur, animarentur & vivificarentur ab anima æternæ ſapientiæ. Epilogus.

Vos à cœleſti Ariſtipo fuiſtis imbuti dogmatibus Paradiſi, quia accedentes ejus ſcholam, oblivioni tradidiſtis dogmata ſapientiæ humanæ.

Vobis fuerunt declarata & manifeſtata arcana cœli, quia effecti eſtis ſimpliſſimi infantes, & oculi animarum veſtrarum fuerunt facti digni, qui viderent cœleſtia, dum purificaſtis, & ex iis abraſiſtis quemcunmque colorem ſapientiæ humanæ.

Vobis tanquàm Magis Orientis fuit conceſſum videre, tractare, venerati & cognoſcere Chriſtum eſſe verum Deum, & ſummo affici favere à Mercurio cœleſti, quia cum iiſdem magis intrâſtis ſtabulum, & facti eſtis inſipientes tanquàm jumenta & lunæ.

Vos ex aquis Nili converſis in ſanguinē non bibiſtis mortem ubi biberunt Ægyptii ſapientes mundi, ſed vitam & quidem cœleſtem, quia adiiſtis fontem æternæ ſapientiæ, & quoniam reduxiſtis elementa animæ ad perfectiſſimum & ſimpliciſſimum æquilibrium mediantibus diſpoſitionibus attemperatis virtutum cardinalium. Ideò fuiſtis capaces ad recipiendam vitam cœli.

O mi ſanctiſſime Domine! jam quia Eccleſia ſancta, ut nobis inſipientibus & ſtultis, ſed nimis ſtultè inſipientibus ſignificaret, veram ſapientiam non concedi, niſi ſimplicibus, hodie duorum Apoſtolorum unâ ſolemnitate celebrat vivendos Philippum ſimplicem, Jacobo prudenti & docto, da gratiam, ut imitando Philippum, ſpretâ ſapientiâ, fiamus ſimplices ſecundùm Deum, ut cum Jacobo reddamur prudentes & ſapientes pro cœlo. Amen.

ELO-

ELOGIVM X.

Pro Feſto B. Felicis Capucini.

Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honeſtatis. Eccleſ. cap. 24.

Philoſophia. *Lib. 4. c. 6.*

PRodigioſiſſimum factum naturæ recenſet Alexander ab Alexandris in ſuis doctiſſimis diebus genialibus. Refert hoc eruditiſſimum ingenium in Germania citeriori, ſeu ſuperiori prope Danubium, plurimas fuiſſe plantatas vites, quæ totâ hyeme fuerunt coopertæ nive, ſed adveniente æſtate & prodeunte calore, qui aptiſſimus, ut eas germinare faciat, videbantur pullulare pampini, folia ex auro puro, vel ad minus deaurata aut auro veſtita. Et ad confirmationem hujus veritatis plura horum filiorum magnis Dominis ac Principibus præſentata fuêre tanquàm miracula naturæ valde rara.

Et hæc res prodigioſior fit, quia in eodem loco, in quo plantatæ ſunt hujuſmodi vites productrices auri, videntur & aliæ quædam diſparis tamen conditionis. Et quod magis eſt, videbuntur ſex, ſeptem, octo, novem vites eodem ordine & ſitu plantatæ, inter quas tamen aliquæ producunt aurum, aliæ non, ac ſi ex ſua natura diverſæ conditionis eſſent. Res reverà, quæ meritò ſtuporem augeat, cum hæ vites ſint plantatæ in eodem loco, & tamen aliquæ aurum producant & aliæ non.

A Doctiſſimis hoc arcanum & prodigium naturæ ad examen vocatum fuit, & fuit qui illud negaret, cùm enim vitis producat pampinos, racemos, botros, folia ejuſdem ſecum conditionis, & illæ gemmæ quæ pullulant ex illis vitibus, inſtar vegetabilium creſcant, augmententur, quod nullo modo poteſt competere auro, ſequitur quod hoc potiùs inter fabuloſa, quam arcana naturæ ſit referendum, quod ſi aliqui pampini, botri, folia aurea ſint reperta & viſa in illis vitibus, dicendum eſt, quod ab aliquo ibi ſint poſitæ, ad oſtendendum quaſi ibi fuiſſent nata, non ſecus ac in regia magni Cham cernere eſt arborem grandiſſimam, in qua tot gemmæ, & tam variæ micant, ut in Europa tot & tam varias reperire nemo poſſit, & tam dexteræ ſunt appenſæ illi arbori, ut ex illa quaſi germinatæ videantur.

Verùm hæc opinio rejecta eſt, non ſolum per oculatum teſtem Eſterum, qui teſtatur ſe vidiſſe à vitibus illis productos fuiſſe pampinos aureos, & folia aurea, ſed & per ruſticos illius regionis, qui non magis obſtupeſcunt talem effectum, quàm ſi illæ vites uvam naturalem producerent. Alii neſcientes quid reſponderent, rem ſilentio involverunt. Tandem approbata fuit opinio illius, qui dixit ex contractu aureæ glebæ pampinos illos aureos productos. Hi dicebant in locis, in quibus fuerunt plantatæ hæ vites, latuiſſe quaſdam mineras auri non multum profundas, quibus vites ſuis radicibus illaqueabntur & irretiebantur, & dum vites attrahebant & ſugebant humorem terræ per venas & poros vitis, ſimul aſcendebant plures arenulæ auri, adeoque dum tempus advenit germinandi vites, produxerunt pampinos, botros & folia aurea, vel ad minus deaurata, & quia iſtæ mineræ auri non latent ubique in iſto tractu terræ, ideò non omnes vites plantatæ, ſed hæc vel illa juxtà mine-

mineræ adſerptionem, & locum ubi ſunt globæ auri, aureos pampinos vitia producunt. Ex contactu itaque aureæ, inquit Alexander, procedit hoc prodigium naturæ.

Applicatio. II. Vitis plantata in tellure rigida religionis Seraphicæ, fuit Beatus Felix à Cantalico Capuccinus, vitis ſepulta ſub nivibus jejuniorum, diſciplinarum, ciliciorum, mortificationum, & omnis auſteritatum, ita ut impoſſibile videretur, vitam ejus conſervari poſſe. Vitis nihilo ſecius aurifera, productrix auri puriſſimi & pretioſiſſimi virtutum, charitatis, patientiæ, humilitatis, & verbo, omnis perfectionis, ſanctitatis, ita ut jure meritò poſſet dicere: *Ego quaſi vitis &c.* quod ſi aurum, ut vult S. Auguſtinus, ſit Symbolum Charitatis, quis non dicat, quod Felix Capuccinus fuerit vitis productrix auri puriſſimi, in qua ita charitas eluxit? ſi aurum ſit ſymbolum fidei juxta Origenem, quale non produxit aurum Felix, qui tam firmiter credit, quidquid Deus & Eccleſia credendum propoſuit? ſi aurum ſit ſymbolum Virginitatis, ut teſtatur Ambroſius, quomodò hic vir Dei non fuit vitis aurifera, qui per totam vitam virginitatem ſervavit illibatam, ſi aurum ſit index puritatis & innocentiæ mentis, prout docet Gregorius, quis non aſſeverabit, quod Felix produxerit aurum, veluti ille, qui innocentiam & puritatem mentis adeò ſervavit immaculatam, ut omnes raperet in admirationem, qui cum eo degebant? ſi aurum ſit Hieroglyphicum operum bonorum & perfectorum juxta Ambroſium, Felix revera fuit vitis germinans aurum puriſſimum, qui in cunctis operibus ſuis attigit Augem perfectionis.

ſuper Pſ. 67.

Orig. hom. 4. in Cant.

Gregor. 7. mor. c. 34.

Amb. ſuper 1. Cor. c. 3.

O glorioſiſſime Felix, ô vitis aurifera! quomodò cum fueris adeò pauper & ſimplex Laicus Sivæ, & aratro aſſuetus, potuiſti producere aurum adeò purum? quod ſi conſidero te natum eſſe ex patre, qui vocatus fuit ſanctus, & ex matre nomine ſancta, ſic etiam tua opera, & perfectiones videntur mihi reperiiſſe radicem ſtuporis, quod ſi præterea addidero, te fuiſſe vitem productricem auri puriſſimi omnis ſanctitatis *ex contactu aureæ glebæ*, ob vicinitatem cum Jeſu & Maria veris Mineris auri, cum quibus ita familiariter egiſti, ita ut meruerit à Maria puerulum Jeſum in tuis brachiis excipere, ſtringere, amplecti, oſculari pro tuo libitu, quoque ab iis mineris ſuxeris omne aurum virtutū, perfectionis ſanctitatis, cum omnibus tibi devotis acquieſcā, nec ulterius mirabor, quod aurū adeò purum & perfectum produxeris. Si enim Moyſes ex converſatione cum Deo tantum contraxit ſplendorem, quod filii Iſraël in faciem ejus propter claritatem vultus ejus reſpicere nequirent, quomodò ego non dicam; quod clariſſimum, & micantiſſimum aurum ſanctitatis produxeris, cum toties, ne dicam omni die vel momento, cum Jeſu & Maria converſatus fueris, quos habuiſti ſemper ante oculos tuæ mentis? te itaque favente ô glorioſiſſime Felix, de tua hac altiſſima, clariſſima, puriſſima & prodigioſiſſima perfectione proveniente è vicinitate glebæ auri Chriſti, & Mariæ hodie diſcurram.

ASSUMPTUM.

Beatus Felix ob vicinitatem cum Ieſu, & Maria, fuit ſanctiſſimus & perfectiſſimus.

Locus ſcripturæ. *Iob 1.*

3. NObiliſſimum ſeſe mihi offert locus ſcripturæ in Jobo, Spiritus ſanctus ordiens hiſtoriam virtutum, perfectionum, ſanctitatum, illius ſui magni amici, & ſervi fideliſſimi tanquam baſim & fundamentum totius hiſtoriæ & diſcurſus præmittit, quod Jobus fuerit homo. *Vir erat in terra Hus nomine Iob*; ac ſi voluiſſet dicere Spiritus ſanctus: quotquot legeritis hanc hiſtoriam Job, ante omnia ſciatis, & ut indubitatum teneatis eum fuiſſe hominem. *Vir erat &c.* Subintrat hic Sanctus Pater Joannes Chryſoſtomus, ac totus in ſtuporem actus quærit, cur Spiritus Sanctus adeò ſit ſolicitus, ut in exordio ſui diſcurſus declaret Jobum fuiſſe hominem. An non cuilibet, qui eum cognoſcebat, vel cognoſcere debebat, hoc fuit pluſquam notum? præmittuntur & velut indubitata illa ſtabiliuntur, quæ poſſunt pati aliquam contradictionem, illa autem, quæ ex ſe ſunt certa & clara, non præmittuntur, ſed ſupponuntur, nec de iis multum angimur, imò nec mentionem facimus, quia ab omnibus admittuntur, tanquam vera & certiſſima. Si ergò eſſe hominem ſit primum certum & indubitatum principium, ita ut Jobum aliud eſſe implicaret, cur Spiritus

tus

tus ſanctus adeò eſt ſollicitus in hoc puncto manifeſtando, illoq; tanquàm indubitato principio diſcurſus, & hiſtoriæ illius ſui ſervi inculcando mentibus eorum, qui illam hiſtoriam lecturi erant, quod Job ſcilicet eſſet homo? ſi dixiſſet: *juſtus erat in terra Hus, &c.* nonnemo potuiſſet forſan dubitare de ejus juſtitia & ſanctitate, quia hæc ſunt attributum accidentale, quod nec Jobo, nec cuicumque alteri neceſſario convenit; quod ſi ergò Spiritus ſanctus voluiſſet ſtabilire hoc punctum, & lecturo illam Hiſtoriam veluti indubitatum tenendum præmitttere, parum & exiguum hoc fuiſſet, ad præſcindendam cuilibet occaſionem dubitandi, idem enim foret, ac ſi dixiſſet: volo quod quilibet lecturus hanc hiſtoriam, indubitanter teneat illum fuiſſe juſtum. Sed toti diſcurſui præmittere, quod fuerit homo, mihi omninò videtur ſuperfluum, cum in nullius mentem poſſit ſubire ſuſpicio, quod non fuerit homo, cum hoc ſit attributum eſſentiale, quod cuilibet noſtrum ſine diminutione convenit. Cur ergò Spiritus S. præmittit? *Vir erat &c.*

Homilia 1. Mirè reſpondet S. P. Chryſoſtomus *quoniam vitam narraturus erat, noſtram ſuprà modum vincentem, ne quis agonis ſublimitatem reſpiciens, non humanam ſed peregrinam eſſe naturam putaret, deſcribit naturam & propoſitionem mireris, quod homo exiſtens ſupra hominem vivendo converſatus eſt.*

Quàm divinè *deſcribit naturam, &c.* non ſine particulariſſima conſideratione, inquit S. Chryſoſtomus, Spiritus S. in Principio hiſtoriæ Job à ſe deſcriptæ, præmiſit tanquam articulũ indubitatum, quod Job fuerit homo: cùm enim recenſendæ eſſent ejus virtutes, mores, gratiæ, prærogativæ, & vita hujus eminentiſſimi Sancti, qui adeò excelluit conditionem humanam, ut quilibet exiſtimaſſet Jobum non eſſe hominem, ſed Deum vel Angelum; ne ullus tali errore illaquearetur, judicavit neceſſariò ante cuncta præmittendum eſſe, quod Job fuerit homo. *Deſcribit naturam &c.* ac ſi Spiritus ſanctus voluiſſet dicere: tam eminentes ſunt perfectiones, virtutes & ſanctitas Jobi, ut ille, qui hanc hiſtoriam lecturus eſt, nil minus poſſit, quàm aſſerere Jobum eſſe Angelum paradiſi & naturæ angelicæ excellentiſſimæ & ſublimiſſimæ inter illos beatos ſpiritus, non ſolùm quoad gratiam, ſed quoad naturã, quod tamen non eſt verum, quia eſto Job, quoad mores & virtutes fuiſſet verus angelus, tamen quoad naturam fuit verè homo. Ne ergò ullus habeat anſam errandi, credendo quod Job fuerit Angelus per naturam, ſciant omnes quod fuerit verus homo. *Vir erat &c deſcribit naturam. &c.* Res laude digniſſima, & quæ demonſtrat ſanctitatem, non vulgarem hujus ſanctiſſimi hominis, qui talem duxit vitam, ut niſi Deus id præmoneret, quilibet crederet, quod fuiſſet Angelus paradiſi.

Deus ante omnia in vita B. Felicis vult mentionem fieri de loco in quo natus eſt, nempe Cantali[illegible] ad radices montis Apennini ſito, quatuor militaribus diſtante ab Areſio urbe Thuſciæ. Quilibet judicaret id parum conducere ad ſanctitatem & eminentiam Felicis, nec tamen hoc caret magno myſterio; caſtellum enim, vel arx Cantalicii ob continuas quaſi ſeditiones & tumultus incolarum redacta erat quaſi ad quandam ſolitudinem, & inter ſtrepitus armorum videbatur eſſe quaſi quidam infeliciſſimus infernus, attamen in hoc loco naſcitur homo, cui in baptiſmate imponitur nomen Felicis, nomen expreſſivum pacis, beatitudinis, & copiæ omnium bonorum.

Nomen, quod ſignificat felicitatem paradiſi, Empyreum, habitationem Angelorum. Nomen, quod potiùs demonſtrat cœlum, quàm terram. Nomen quo potiùs deſignatur Angelus quàm homo. Nomen, quod omnem excludit miſeriam, calamitatem, & afflictionẽ. Hinc ne mundus ſtupore repletus reperiat angelicam felicitatem & felicem pacem, ubi ſunt ſeditiones & infelicitates infernales, & quilibet cognoſcat, & credat beatum Felicem (quamvis quoad naturam hominem) eſſe tamen quoad virtutes non hominem ſed Angelum, ideò ante omnia tam ſollicitè vult præmitti illum hominem pacificum, adeoque Angelum natum fuiſſe Cantalicii, loco magis proprio dœmonum, quàm hominum; ita ut ſine periculo erroris dicere poſſimus. *Deſcribit oppidum, ut propoſitionem, &c.*

IV. Expertiſſimi Domini, vos quæſtionẽ quandam tractatis, non exigui momenti, an ſcilicet adeps in animalibus ſit animatus, ſicut animantur pedes, manus & alia membra, vel non. Medicina; *Galenus 2. de temper. Ariſtot. lib. 1. de gen. animal. c. 19.*

Nonnulli excellentiſſimi opinati ſunt adipẽ vivc-

vivere, ac animati anima totius eompoſiti. Ratio eorum eſt, quod adeps nil aliud ſit, juxtà Balenum, quam ſanguis concretus frigore, vel juxtà Ariſtotelem ſanguis optimè concoctus, atqui ſecundùm hos ſanguis eſt animatus, ergò & adeps. Horum itaque fundamentum adipem vivere, eſt, quia eſt ſanguis qui vivit. Porrò quod ſanguis vivat, expreſsè docet Ariſtoteles dicens: *Palpitat intra venas ſanguis omnium animalium, pulſuque ſimul undique movetur, & ſemper quamdiu vita ſervatur, ſanguis unus animatur & fervet.* Et ex Theologis Conradus, eminentiſſimus Cajetanus & alii, docent, ſanguinem peſectè concoctum vivere, adeoque eſſe animatum. Si ergò adeps ſit ſanguis, vel frigore concretus, ut vult Galenus, vel optimè concoctus, neceſſariò debebit vivere & eſſe animatus: Alii nihilominus negant adipem vivere & eſſe animatũ, & hæc opinio verior & probabilior cenſetur, nam eſt commune aſſertũ, tam medicorum, quàm Philoſophorum, nullum animal nutriri ſuis partibus animatis, urgente autem fame conſtat, quod animal veſcatur ſuo adipe, ut teſtatur Rondeletius, ergò adeps nequibit eſſe animatus: & quamvis dicatur, quod adeps eſſentialiter ſit ipſe ſanguis, diſtinctus tantùm accidentaliter, adhuc non debet dici, quod vivat, cùm juxtà Galenum & plures, eoſque meliores Theologo ſanguis, cum ſit ultimũ alimentum animalis, etiam non ſit animatus, cum nullum vivens nutriatur ſuis partibus viventibus. Addite inſigniſſimam opinionẽ Galeni, adipem non eſſe formaliter ſanguinem, ſed tantum radicaliter. Trahit quidem ſuam originem ex ſanguine, nec tamen eſt ſanguis. Eſt ergò ſubſtantia quædam puriſſima & candidiſſima, abſque ulla macula alicujus ſanguinis, concludunt igitur hi docti, quod adeps non ſit animatus.

lib. 3. de hiſt. animal. c. 19.

Conradus *in 2. quæſt. 64. art. 1.* *Cajetan. 1 p. q. 119.*

Applicatio.

V. Verum nunc ad B. Felicem de Cantalicio; veriſſimũ quidem eſt, quod de adipe materiali, qui impinguat & incraſſat corpora, tot ſint opiniones diverſæ, ſed ſi tranſeamus ad adipem ſpiritualem & puriſſimum, ceſſabunt omnes difficultates & diſſenſiones: fuit namq; hic Feliciſſimus Felix adeps ille à Deo ſibi ſoli reſervatus, quo ille & nullus alius debebat veſci, nec permiſit, ut minimam particulam mundus, Caro, aut Dæmon haberet; quia Felix à teneris annis uſque ad periodũ vitæ totus ſemper fuit Dei. Adeps ſoli Deo ſemper ſacrificatus, de quo myſticè loquens divina majeſtas præcepit, ut ſibi ſoli offereretur. *Omnis adeps Domini erit in perpetuum in generationibus, neque adipem omninò commedetis.* Adeps quidem, ſed vivens ac animatus. Adeps informatus puriſſimâ animâ, candidiſſimâ, ſanctiſſimâ, perfectiſſimâ, quam eo vivente vidit cœlum & terra, ita ut ipſi Angeli (ut ita dicam) ad ei invidendum movetentur: dum quilibet putaret eum non eſſe hominem, nec Adamum in eo peccaſſe. Adeps quidem natus ex ſanguine, quia natus per propagationem viâ ordinariâ ſicut alii, & conceptus in peccato, attamen fuit exſanguis & ſine ſanguine, quia nunquàm acquievit carni, aut ſanguini, aut ejus oblectamentis; quinimò à pueritia bellum perenne indixit ſuæ carni & ſenſibus, nec unico momento laxavit iis habenas, & ita perfectè illos domuit etiam adhuc ſæcularis, ut glorioſiſſimam victoriam reportârit. Sic teſtatur author ejus vitæ. *Tam honeſtam & virtute plenam in ſæculo vitam duxit, ut ſenſuum omnium victoriam aſſequi videretur.* Adeps quidem fuit generatus ex ſanguine, nihilo ſecius tamen exanguis ab utero matris, uſque ad ſepulchrum concupiſcentiarum, vixit ſine ſanguine concupiſcentiæ ac delectationum ſenſus; fuit ſubſtantia candidiſſima, puriſſima, immaculatiſſima, ita ut potiùs videretur eſſe angelus cæleſtis, quàm homo terreſtris.

Zevine. 3.

Boverius.

Hunc ille theſaurum tam integrum & illibatum ad extremum uſque ſpiritum ſervavit, ut communi cœlibatu non contentus, virginitatem angelis cognitam, ac Deo ſimillimam candidam ac immaculatam perpetuò conſervârit. Exanguis fuit candidiſſimus, quamvis natus in arce Cantaliciæ ob continuas rixas ſanguine humano inundante, fuit ſine ſanguine ſemper quietus, ſemper pacificus. Hinc non miror, quod tam punctualiter notetur eum natum Cantalicii, ut obſtupeſcat mundus, quomodo Felix ſine ſanguine, adeps candidiſſimus, puriſſimus, innocentiſſimus (ita ut per ſuam pacem, virginitatem & innocentiam potiùs videretur eſſe Angelus cœleſtis, quàm homo terreſtris) potuerit naſci in Cantalicio toto ſanguinolento. *Deſcribit oppidum, &c.* O ſanctiſſime Felix, candidiſſime & puriſſime adeps.

VI. Poſt-

Locus ſcripturæ.

VI. Poſtquàm Deus à principio orbis creaſſet lucem & tenebras, impoſuiſſetque ſinem operibus primæ diei, aggreſſus eſt ſecundum diem, ac firmamentum creavit, quod annos ſupernos ab infernis dividere debeat. *Fecit Deus firmamentum, diviſitque aquas quæ erant ſub firmamento ab his, quæ erant ſuper firmamentum*: Et antequam opera ſecundæ diei perficeret, firmamento impoſuit nomen, illudque vocavit cœlum. *Vocavitque Deus firmamentum cœlum, & factum eſt veſpere & mane dies ſecundus.* Magnum eſt hoc factum. Sacri Interpretes, Creat Deus firmamentum, & illud appellat cœlum, creat lucem, & eas vocat diem, & tenebras noctem. Creat atidam, & vocat eam terram, aquas denique ſub firmamento congregatas vocat *mare*. Creat tandem omnis generis animalia, nec ulli imponit nomen, ſed omnia curat iſti coràm Adamo, ut ille illa baptizaret. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & volatilibus cæli, adduxit ad Adam, ut videret quid vocaret ea, omne enim quod vocavit Adam anima viventis, ipſum eſt nomen ejus* Gen. 2.

Hinc videmus, quod Deus omnibus enumeratis impoſuerit nomen luci, tenebris, & ſic cæteris omnibus, nulli autem animali aliquod nomen dedit, ſed hoc reliquit Adamo, ut ipſe ea pro ſuo libitu baptizaret, *Adduxit ea ad Adam, &c.* ſubintrant hic (N.N.) Rupertus Abbas, & inquirit, cur Deus ipſemet firmamento & aliis voluerit nomina dare, & reliquerit Adamo, ut ipſe dein animalibus nomen inderet. *Quid hoc ſibi vult*, ſunt ejus verba, *quod ſcriptor ipſum Deum aſtruit firmamentum cœlum vocaſſe?* Revera ſubjungit idem Reverendiſſimus Abbas, id non eſt factum ſine ſpeciali myſterio, quia dum Deus omnia animalia creata ducit ad Adamum, ut ipſe eis nomina imponeret, videtur quod etiam id officii debuerit demandare Adamo, ut ipſe pariter firmamentum baptizaret, vel quod ipſe Deus, qui jam inceperat rebus nomina imponere, illa etiam daret animalibus. Verùm hoc modo non proceſſit Deus; nam creato firmamento Deus illud vocat cœlum, & creata animalia non baptizat, ſed nomina eorum relinquit diſpoſitioni Adami. *Quid hoc ſibi vult, &c.* quale eſt hoc myſterium? divinè reſpondet idem Abbas. *Non ſine cauſa eſſe, putandum eſt, quod de animalibus loquens, quæ ſine dubio præterunt adduxit, inquit, ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea, lucis autem id eſt diem, & tenebras, id eſt noctem, ipſe Deus poſuit, de quibus ſane dubium non eſt, quia præteriri vel mutari non poſſunt.* In Gen. c. 8 In cap. 2. Gen.

Quod Deus reliquis omnibus nomina impoſuerit, animalium autem nomina commiſerit Adamo, ideò factum eſt, quia lux, tenebræ, nox & dies ſunt res æternæ, perpetuæ & nunquàm deficientes, vel corruptibiles, decuit autem, ut ipſe nomina imponeret rebus perpetuò duraturis, & quia firmamentum eſt etiam indefectibile, ideo etiam dedit illi nomen: *Vocavitque, &c.* ſed pace tuâ Reverendiſſime Abbas, hâc vice acum non tetegiſti: Si Deus firmamento & etiam terræ nomen dedit, vocando hanc atidam, & illud cœlum, & de utroque ipſe Deus dicat: *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*, quomodo tu dicis, quod Deus volens demonſtrare perpetuitatem firmamenti, dederit ei nomen, ad denotandum verò defectibilitatem animalium, id munetis reliquerit Adamo? Matth. 24.

VII. Reſpondet Rupertus, ne vos verba mea dejiciant, nam ſunt optima & veriſſima. Nolo hic multitudinem Philoſophorum Patrum, & Theologorum, tam ſcholaſticorum, quàm poſitivorum in arenam producere & diſputare, an cœli ex natura ſua ſint corruptibiles quoad ſuam ſubſtantiam, vel ſolum quoad ſtatum quem habebunt uſque ad finem mundi, nam ſcio plures Philoſophos aſtruere (inter quos Plato, Heraclius, Cratillus) eos eſſe ex natura corruptibiles, & tantùm ex gratia indefectibiles. Hinc Sybilla cecinit: Philoſophia. Libro 2. oraç.

Tum ardens fluvius cœlo manabit ab alto
Igneus atque locos conſumet funditus omnes
Cœleſtemque polum, cœli quoque lumina in unum
Fluxa fluent, formâ dilectâ prorsùs eorum
Aſtra cadent, etenim de cœlo cuncta revulſa. Baſil. hom. 2. & 3. in Gen.

Idem Sanctus Pater Baſilius, Theodoretus, Damaſcenus & alii, affirmârunt fortè innitentes quibuſdam locis ſcripturæ: utpotè *cœli & terra tranſibunt, & opera manuum* Theodoret. in cap. 8. epiſt. ad Rō. Matt. 24.

manuum tuarum ſunt cœli, ipſi peribunt tu autem permanes, & aliis ſimilibus.

Attamen hæc & ſimilia loca: non intelliguntur de corruptibilitate cœlorum, quoad naturam & ſubſtantiam, ſed quoad ſtatum in quo de facto ſunt: ac ſi Spiritus S. dicere vellet, quod modo lux ſolis & ſtellarum, ſit aliquo modo defectibilis reſpectu lucis, quam conſequentur in die judicii, tunc enim ac ſi eſſent renovatæ ſeptuplo clarius reſplendebunt, juxtà illud Iſaiæ. *Erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter.*

Iſaiæ 30.

Pſalmo 101 c. 30. Auguſtin. 3. de gener. ad lit. 1. 2. & 3. 1. p. q. 66. art. 2.

Et hoc modo intelligendi ſunt ſancti Patres etiam, qui dicunt cœlos eſſe corruptibiles, quia quoad ſuam naturam ſunt incorruptibiles, ut advertunt S. Auguſtinus & Thomas. Hoc ſuppoſito dicit Rupertus, homines, qui ex natura ſua ſunt corruptibiles, non poſſunt nomina dare rebus incorruptibilibus & æternis, hoc enim ad ſolum tantùm ſpectat Deum. Idcircò enim volens demonſtrare firmamentum eſſe incorruptibile & indefectibile quoad ſubſtantiam, eſto quoad accidentia aliqualiter mutetur, ipſemet ei voluit imponere nomen, animalium autem nomina reliquit Adamo, eò quod illa ſint defectibilia & corruptibilia. *Igitur*, inquit Rupertus *eorum, quibus Deus nomina per ſemetipſum impoſuit, & ipſorum, quibus homo vocabula dedit hæc obſervanda diſtantia eſt, quia illa quidem quamvis mutata permanent, hæc autem tranſitoria ſunt.*

Applicatio.

VIII. Nunc ad ſtuporem uſque, hæc omnia obſervate in noſtro B. Felice. Editur in lucem hic puer, & Deo diſponente in baptiſmo vocatur Felix. Renaſcitur ad novam vitam in Religione Capuccinorum, & in ſuſceptione habitus, (in qua Religioſis ſolent mutari nomina, ad ſignificandum novitio, quod ſicut exuitur veſtibus ſæcularibus, & induitur habitu religionis, ſic etiam debeat vitam ſuam, & mores mutare & omnia ſæcularia uſque ad ipſum nomen abjicere) Deus noluit Felicis mutari nomen, ſed ſicut illud impoſitum ei fuit a Deo in ſæcula, ſic voluit illud eum teſervare, & prout obſervat auctor ejus vitæ hoc factum digniſſimum eſt, quod valde conſideretur; nam eo Deus ſine dubio demonſtrare voluit perfectionem & ſanctitatem incomparabilem ſui ſervi, quia præcipuis Sanctis cœli, imò ipſi ſancto ſanctorum Chriſto, non fuit nomen impoſitum ab hominibus, ſed à cœlo & à Deo. Joannes Baptiſta ab hominibus vocari debuit nomine patris ſui Zacharias, & Angelus dixit: *vocabis nomen ejus Ioannem.* Petrus hoc nomen accipit à Chriſto, imò ipſi Chriſto non deferunt illud nomen homines, ſed ipſe Deus. *Et vocabis nomen ejus Ieſum.*

Luc. 1.

His poſitis ſic diſcurramus: res, quibus homines nomina imponunt ſunt corruptibiles ac defectibiles & imperfectæ, illæ autem quibus dat Deus nomen, ſunt indiſſolubiles, perpetuæ & perfectiſſimæ. Felici Deus dedit nomen, ergò debemus dicere, quod fuerit perfectionis incomparabilis & ſuperantis reliquos homines ſui ævi.

Addite nomen Felicis anagrammaticè referre nomen cœli & firmamenti, quia Felix italicè *Felice* idem eſt, ac cielo, hoc eſt cœlum, & literâ F. ſuperadditâ denotat firmamentum. Et meritò fuit vocatus firmamentum, tum ob firmitatem, ſtabilitatem & perſeverantiam in bono, fuit etiam meritò vocatus cœlum ob perfectionem incomparabilem per lucem gratiæ divinæ, ſinceritatem conſcientiæ, & ob ſtellas omnium virtutum, quæ adorabant animam ejus, quæ omnes in cœlo illo, in illo firmamento rutilabant tantâ claritate, ut omes Sapientes delectaret, & quò diutiùs illud contemplabantur, eo magis ab ejus copioſa luce fuerunt læſi & obcæcati. Hic ſervus ex diſpoſitione divinæ fuit vocatus Felix, imò & ut ita loquar ab ipſo Deo, cui ſoli hujus nudipedis fuit nota perfectio & ſanctitas, ita ut forſan ſuo ævo ſibi parem non habuerit.

Philoſophia.

IX. Sed cùm jam verſemur in cælo, quæſo vos obambulemus parumper per hanc grandem machinam. Inquirunt Philoſophi, an cœlum ſit compoſitum ex materia & forma, ſicuti ſunt omnia corpora ſublunaria, an verò ſit corpus ſimplex, ſicuti eſt materia & forma è Averroes inter Arabes primus & anteſignanus, ſemper cenſuit cœlum non eſſe compoſitum ex materia & forma, ſed eſſe corpus ſimplex à materia & forma contra diſtinctum, & quod ſit una forma ſubſiſtens per ſe conſtans trinâ dimenſione apta moveri localiter, & capax plurimorum accidentium perfectivorum. Et tam validè propugnat hanc ſuam opinionem, ut præter ejus diſcipulos qui nec lato unguè ab ejus doctrinis

ctrinis diſcedunt, traxerit in ſuam partem plures Theologos, qui ſtando in nudâ Philoſophiâ docent opinionem illam eſſe ſanam. Sed quæſo vos attendite, quam validæ, & pulchræ ſint eorum rationes. Ubi nulla intervenit tranſmutatio, ibi non poteſt dari materia, quia *tranſmutatio eſt entis in potentia*; atqui cœlum non eſt ſubjectum ulli mutationi, quia non eſt generabile, nec corruptibile, nec conſequenter alterabile, ergo in cœlo non eſt materia phyſica, quæ eſt ſubjectum, & radix omnis corruptionis, & alterationis; addunt omnia illa, quæ conſtant materiâ, ad minus ſemel eſſe ſubjecta privationi, & hoc ante inductionem formæ in materiam, quæ non eſt eœva; nec coæternæ materiæ; ſed cœlum nunquam fuit privatum ſuâ formâ, ergò: ſic diſcurrunt hi Philoſophi. Græci nihilo ſecius cum tota ſcholâ Philoſophorum, & Theologorum, volunt cœlum conſtare materiâ & formâ phyſicâ, quia ſi cœlum non conſtaret materiâ, cum *operatio ſequatur formam*, illi neceſſario conveniret operatio nobiliſſima, immaterialis & independens à materia, atqui hoc eſt falſum, quia nulla datur operatio independens à materiâ, niſi intellectiva, quæ non poteſt competere Cœlo, quia alias eſſet capax animæ rationalis, quod quam ſit abſurdum, etiam ii ſciunt, & facillimè ſcire poſſunt, qui in rebus Philoſophicis inexperti ſunt. Neceſſario itaque affirmare debemus, cœlum eſſe compoſitum ex materiâ, & formâ phyſica; attamen veſtrâ veniâ nunc volo eſſe Averroiſta, ac inconvenientia, quæ inferunt adverſarii maximè Græci, ſuſtinere.

X. Nunc ad B. Felicem: *vocavitque Deus, &c.* cœlum [NN.] & quidem nobiliſſimum inter omnia alia non eſt dubium, quin ſit B. Felix; nam ſi omnis juſtis à ſacris doctoribus vocetur Cœlum: *anima juſti Cœlum eſt* inquit Gregorius, cur non eâdem ratione hunc ſervum Dei vocaremus Cœlum nobiliſſimum, cœlum non ex inferioribus, & ignobilioribus hujus magni ſyſtematis Eccleſiæ ſanctæ, ſed ex ſublimioribus, ac altioribus. Cœlum ob ſuam perfectionem, cœlum perfectum per ſuam puritatem, cœlum per ſuam ſummam innocentiam, cœlum ornatum omnibus ſtellis virtutum Chriſtianarum, quæ maximè in illo reluebant, & quamvis reſpectu ſtirpis, & proſapiæ præ mundanæ fuerit terra vilis, tenebroſa, & obſcura, in qua nihil aliud videre erat quam boves, capras, curtus, aratra, haras, ligones; nihilominus reſpectu genealogiæ divinæ erat nobiliſſimum, altiſſimum, & eminentiſſimum cœlum, in quo boves terreni videbantur mutati in tauros cœleſtes, capræ in capricornos, pecora in arietes cœli, Rhedarii in aurigas firmamenti, aratra in triangula, haræ in aras, & thuribula nobiliſſimarum virtutum. Hinc Boverius in ejus vita. *Puer Felix tametſi obſcuro loco, obſcuro genere, obſcuriſque parentibus natus; virtute tamen, quæ adoleſcentem, ac provectam ejus ætatem ſemper ſecuta eſt, clariſſimus, & nobiliſſimus fuit* O eminentiſſimum Cœlum, O glorioſiſſime Felix, quale quæſo fuiſti cœlum, & cujus conditionis in tua vita? an forte fuiſti cœlum compoſitum ex materiâ phyſica, ſicut alii cœli? nemo id audeat dicere, quia fuiſti corpus ſimplex medians inter actus puros, puta Angelos, & puram potentiam hominum ordinariæ ſanctitatis, & perfectionis, fuiſti cœlum ſine materia, quia fuiſti pauperrimus, & te exhibuiſti orbatum perfectiſſimè à rebus terrenis, & vetiſſimè expertus es dictum, & promiſſum tui ſanctiſſimi Patris. *Hæc eſt illa celſitudo altiſſima paupertatis, quo vos Chariſſimos fratres meos inſtituit hæredes, & reges regni cœlorum, pauperes vos efficit, & virtutibus ſublimavit, hæc ſit portio veſtra, quæ vos ducere debet in terram viventium. Cui dilectiſſimi filii totaliter inhærentes nihil propter nomen Domini Ieſu Chriſti ſub cœlo habere velitis.* Ab illa materia rerum terrenarum ita perfectè comparuiſti ſequeſtratus, & tam perfectè executus es doctrinam noſtri Seraphici Patris, ut jure optimo poſſis vocari cœlum immateriale, & tanti feciſti inopiam rerum terrenarum, ut tuam nudam & pauperrimam cellulam non mutaſſes cum ſuperbiſſimis palatiis Monacharum. Hinc dixiſti: *Neque ego cellulam meam cum Pontificis aula commutarem.* Cœlum fuiſti ſine materia cujuſcumque concupiſcentiæ, & affectus mundani, qui radix eſt & ſeminarium cujuſcumque corruptionis peccati, & alterationis gratiæ, illum tam purè deſeruiſti, & concupiſcentiam tam perfectè ſubjeciſti rationi gratiæ, & Deo, ut tuus confeſſarius, cui ſæpè, & candidè tuum cor aperuiſti, non reperierit materiam ſufficientem abſolutionis; quia adeo fuiſti circumſpectus, ut nec in leviſſimam culpam ceciderit, ita et-

Cap. 4. regulæ.

Applicatio.

iam, ut fueris cœlum immateriale, & ſimpliciſſima forma cæleſtis, totus claritas, totus puritas, totus ſanctitas, totus lux gloriæ, totus calor Charitatis, totus ſtella omnium virtutum. Cœlum ſimpliciſſimæ formæ gratiæ & animæ rationalis ſanctioris, magis cœleſtis, quam habuerit illud ſæculum, cui in ſummo gradu competebat operatio, nobiliſſima ſemper contemplandi Deum, ac eum ſpectandi in omnibus rebus, ſic ut non tantum in ſolitudine cellæ, eccleſiæ, monaſterii, ſed & in publicis plateis populiſſimæ urbis Romæ, inter ſtrepitus, tumultus, ac negotia mundi, inter oſtra, & purpuras in anima tua ſemper habueris cœlum, & paradiſum. Hinc dixit ſcriptor ejus vitæ. *Hanc ſibi ſolitudinem Felix in animo ædificaverat, ut in Romæ urbis vicis eremum conſpiceret, inter populos ſolitudinem conſtrueret, in negotio otium, atque in actione contemplationem reperiret.* Dicamus ergo, quod fueris illud firmamentum fabricatũ à Deo ad ſeparandas aquas conſolationum cœleſtium, ab aquis voluptatum terrenarum. Illud firmamentum, cui Deo diſponente datum eſt nomen immutabile, quod tibi in religione non eſt mutatũ. Firmamentum, quod fuit vocatum Felix, hoc eſt *calum Firmamentum.* Dicamus ergo, quod fueris Cœlum per aſſiduam præſentiam in bono per perfectiſſimam lucem, Charitatem, gratiam, ac ſanctitatem, ac demum per carentiam cujuſcumque minimi defectus, ſeu culpæ, puriſſimum, ac perfectiſſimum cœlum, ſeu firmamentum Sanctiſſime Felix, clarè videmus, quod fueris vitis aurifera, ac productrix auri puriſſimi, ſanctitatis eminentiſſimæ, ac perfectionis altiſſimæ. Sed quis neſcit ô glorioſiſſime Felix, quod hoc aurum produxeris *ex contactu auræ & glebæ*, propter vicinitatem, quam habuiſti cum Jeſu & Maria?

Scriptura. *Deut.* 33. XI. Nec permittit, quod dicam malè, Spiritus ſanctus. In Deuteronomio, in quo legimus, quod dux populi divini Moyſes volens (priuſquam faris concederet) benedictionem impertiri populo Hebræo, poſtquam à divina majeſtate cuncta proſpera Judæ, Ruben, Levi, & aliis rogaſſet, perveniens ad Joſephum, ſic ei benedixerit. *Benedictio illius, qui apparuit in rubo veniat ſuper caput ejus, & ſuper verticem Nazarei inter fratres ſuos.* O fili mi Joſeph, ille tibi benedicat, qui quondam mihi apparuit in rubo, & benedictio cœleſtis ſuper te deſcendat, quis tu es Nazaræus, hoc eſt ab aliis ſegregatus, electus è plebè velut illuſtrior juſtior ſanctior totius populi *Benedictio illius, &c.* nudum eſt dubium (NN.) quin hic Joſephus, de quo loquitur Moyſes in ſenſu litterali fuerit filius Jacob prorex Ægypti, attamen è mente ſacrorum Doctorum, & ſpecialiter Bernardi hic fuit ſymbolum, & figura Joſephi ſponſi Mariæ, & patris Chriſti, juxta mentem eccleſiæ rubus, qui ardebat, nec tamen conſumebatur ſignificavit innocentiam Deiparæ, de quâ eccleſia hic cantat. *Rubum, quem viderat Moyſes incombuſtum, conſervatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem.* Hic ſcripturiſtæ ego ſcire vellem, cur Joſephus Pater Chriſti, & Sponſus Mariæ Nazarenus, & electus præ aliis inſignis, ſingularis, verbo, juſtus, & ſanctus, (hoc enim ſignificat *Nazaræus*) cur inquam huic impertiatur benedictio Dei, qui apparuit in rubo, & in utero virginali Mariæ? cur hæc duo connectuntur ſanctitas ſcilicet, & excellentia ſingularis Nazaræi Joſephi, ac puritas, & integritas Mariæ ſignificata in Rubo? perbelle auctor Hiſtoriæ Scholaſticæ loquens de qualitate illius rubi, in quo apparuit Dominus Moyſi dicit, quod Deus illi ſingularem gratiam, & privilegium conceſſerit, nempè quod *Non ſolum rubus ille flammis correptus viridis manebat, & illæſus, ſed etiam vicina herba, & & planeta pluſquam natura ferebat vegeta, & hilares videbantur*, volens itaque Spiritus ſanctus demonſtrare quod Joſeph ſponſus Mariæ antonomaſticè Nazaræus vocatus, ſanctior, juſtior, præ omnibus aliis fuerit ob vicinitatem cum rubo Maria, cujus ſponſus erat, ideo Moyſes benedicens Joſeph filio Jacob, typo Joſephi Patris Chriſti, & Sponſi Mariæ, ſanctitatem & excellentiam Joſephi conjunxit puritati & integritati Mariæ ſignificatæ in rubo viridi. *Benedictio illius &c.*

Eccleſia.

Vacabat quadam vice B. Felix orationi, & dum ſummoperè deſideraret frui dulciſſimis amplexibus ſui amati Jeſu. uberrimis lachrymis ſupplex factus eſt virgini, ut ſibi illam gratiam largiretur, ſuumque puerulum porrigeret, annuit ei Deipara, & ſanctus ſenex ad libitum ei blandiebatur, eum oſculabatur, eum ſtringebat, & tractabat, viceque verſâ à puero cœleſtibus blandimentis, & propriis Deo afficiebatur. Nunc ſic diſcurrite; omnes herbæ,

herbæ, & plantæ vicinæ rubo remanſerunt vegetæ, hilares, ac virides, quia propè rubum erant, in quo Deus in forma ignis apparebat; & etiam Joſephus ſponſus Mariæ ob vicinitatem, quam habuit cum rubo matris Dei, ſemper fuit floridiſsimus hoc eſt puriſsimus, ac ſanctiſsimus atqui noſter ſeniculus fuit quædam plantula, ſemper vicina rubo matris Dei, ejuſque filii ſanctiſsimi, cum quo toties tam familiariter agebat, tractabat, oſculabatur, ſtringebat uti legimus in ejus vita, ergo poſſumus dicere, quod ob hanc vicinitatem fuerit revera ſanctiſsimus, puriſsimus, ſingulariſsimus, ac excellentiſsimus in perfectione, & quia adeo vicinus, & familiaris Mariæ, & puerulo Jeſu fuit, ideo etiam ex hoc capite viridis, & per privilegium puriſsimus ac ſanctiſsimus extitit. Hinc fuit vitis aurifera *ex contactu aureæ glebæ.*

Philoſophia.

XII. Philoſophi non eſt parva quæſtio, quam movetis in veſtra ſchola, quale cœlum ſtellatum ſit nobilius, ac dignius? & Reſpondetis Firmamentum, & octavam ſphæram, quod veſtrum Liceum judicavit ſemper primum mobile; nec diſplicet veſtra ſententia; ſolum ſcire vellem fundamentum, cui innitatur hæc eminentia. Scio nonnullos Philoſophos pro cauſa nobilitatis hujus aſsignaſſe multitudinem ut ita dicam quaſi infinitam ſtellarum, quæ in illo quaſi ſaphiri quidam, & carbunculi reſplendent, & ſpecialiter cum inter illas numerentur quadraginta octo, & ex his duodecim nobiliſsimæ, ſituatæ, & affixæ Zodiaco aquarum influentiis omnes effectus ſublunarium dependent.

Cum autem in aliis cælis interioribus Firmamento ſit tantum una ſtella, vel aliæ paucæ, hinc cenſentur ignobiliores Firmamento tot ſtellis dotato.

Alii dixerunt nobilitatem Firmamenti, vel cæli ſtellati deſumi debere ex nobilitate, & excellentia intelligentiæ, quæ illi aſsiſtit, quæ illud movet, & regit. Rationem deſumpſerunt ex Philoſopho, eò quod intelligentiæ motrices corporum cœleſtium ſint ordinatæ, ac deſtinatæ aſsiſtentiæ cælorum juxta horum conditionem, atqui cælum quo eſt ſuperius, ac altius altero, eò eſt nobilius, ac excellentius, adeoque & intelligentia aſsiſtens, ac movens cœlum ſuperius, erit nobilior intelligentiis aſsiſtentibus cælis inferioribus, cum ergo firmamentum juxta opinionem Philoſophorum ſit omnibus ſuperius, ac primum mobile, habebit conſequenter intelligentiam nobiliſsimam, cujus nobilitas cum redunder in Firmamentum, reddet illud nobilius aliis.

Sed necdum acquieſco, quia ulterius quæro, cur cælum, quò eſt altius, eo ſit nobilius, & illi idcirco aſsignetur intelligentia nobilior, maximè cum nobilitas cælorum dependeat, à nobilitate intelligentiarum, & non è contra. Hoc poſito.

Ariſtoteles advertit, & ſupponit res ſeparatas, à materiâ, hoc ordine eſſe diſpoſitas, ut una ſit tanto perfectior, ac nobilior alterâ, quò minus laborat ad perfectionem ſuam conſequendam. Hinc cum ſupremum Ens ſit ſummè in ſeipſo perfectum, nec indigeat ulla operatione ad conſequendam ſuam beatitudinem, & perfectionem, hinc eſt totaliter immobile. Unde ſequitur, quod intelligentiæ illo inferiores, quo fuerint ei viciniores, eò paucioribus operationibus indigeant, ut propriam conſequantur beatitudinem, & felicitatem. Hinc Philoſophus *nam ei quidem, quod optimè ſeſe habet in eſſe, ipſum bonum ſine actione videtur, & vero quod illi propinquiſſimum eſt per parvam, ac unam, Ab hiſce quo ſunt remotiſſima per plures.* Hoc ergo modo poſſumus diſcurrere. *Lib. 2. de cœlo cap. 12.*

Illud, quod paucioribus conſequitur ſuam perfectionem, felicitatem, ac beatitudinem, illud juxta Ariſtotelem eſt beatius, felicius, ac perfectius, atqui illud, quod propinquius eſt primo ac ſupremo enti (quod in ſeipſo eſt ipſa beatitudo, ac felicitas) illud ſe ita habet, ergo &c. Nunc ſic. Intelligentia motiva primi mobilis, & idem primum mobile conſequitur ſuam felicitatem, & operationem unico ſolum motu ab oriente in occidentem, & ſunt magis viciniora primo enti, qui eſt ipſa beatitudo, felicitas, & perfectio, ergo ob hanc vicinitatem tam Firmamentum, quam ejus intelligentia aſsiſtens erunt beatiores, feliciores, perfectiores, nobiliores omnibus aliis cœlis, ac intelligentiis aſsiſtentibus.

Appliſcatio.

XIII. Nunc ad B. Felicem, meo judicio Beatus Felix potuit vocari Firmamentum, cœlum ſtellatum, *Cœlum non errans.* Fir mamentum, in quo erat quædam nobilitas, quædam excellentia, puritas, ſanctitas, felici-

citas, perfectio præcellens virtutis reliquorum cœlorum, & ſervorum Dei ſui ævi. Cælum ſtellatum, in quo tam copioſè videbatur comparere lux divinæ gratiæ, clariſſima, & lucidiſſimæ ſtellæ virtutum, ac prærogativarum Cæleſtium, ut eum redderent admirabilem toti urbi Romæ, lociſque circumjacentibus, imo ipſi aulæ Cæleſti. *Cælum non errans*, quia non eſt viſus committere aliquem defectum etiam venialem. *Cælum non errans*, quod ſemper uniformiter ſuis gyris, & operationibus ſecutum eſt directiones, ac impulſus primi motoris, ſui Seraphici Patris, ac benedicti Dei. *Cælum non errans*, quod ſemper plenâ, exactiſſimâ perfectione obſervavit legem divinam, regulam, & ſtatuta ſuæ religionis, ita ut eſſet idea ipſiuſmet perfectionis. Firmamentum tantâ perfectione adornatum etiam à primo ingreſſu in ipſam religionem, ita ut teſtante Authore ipſius vitæ, quamvis eſſet incipiens, & novitius, tamen velut primum mobile fuerit regula, & norma ſenioribus in religione: *mirabantur maximè fratres, virum agricolam ex bobus, & aratro ad religionem aſſumptum, tot præclaris à Deo donis accumulatum, ut qui vix ad religionis diſcipulatum aceſſerat, jam regularis diſciplinæ magiſter eſſe poſſet cæteris.* Boverius.

O Nobiliſſimum Firmamentum! O beatiſſime Felix, & quomodo poterat fieri, ut homo adeo ſimplex ab aratro, & cultura camporum, à cuſtodia, & gubernatione boum, pecudumque amotus luceres inter tot ſervos Dei, tantâ nobilitate, perfectione, & ſanctitate ornatus, ut ſapientiores, & provectiores in ſanctitate raperes in admirationem: nil dubito, quin hæc incomparabilis eminentia dependeret à copia, & aggregatione omnium virtutum, quæ velut tot ſtellæ, & conſtellationes cæleſtes cum tanto ſtupore adornabant hoc nobiliſſimum Firmamentum, & cum tanto ſplendore rutilabant, ut oculos acutiores Lincium & ipſarum aquilarum obfuſcarent, uti plena fide teſtatur ipſa urbs Roma, & eminentiores purpuratorum patrum, quia magis Cæleſtis, quam humana videbatur tua converſatio. Sum præterea certiſſimus, quod hæc nobilitas adeo perfecta, & conſpicua ortum duxerit ab hac nobiliſſima intelligentia gratiæ divinæ, quæ hoc primum mobile regebat, gubernabat, ac movebat. Intelligentia infatigabilis, quæ in ſua perfectiſſima operatione ſe gratam teddendi, Deo & plures, ac perpetuos gyros magis altarum & ſublimium, ac virtuoſarum operationum ei præbendo, non ſolum non fatigabatur, ſed quotidie majores vires acquirebat.

Intelligentia adeo nobilis & perfecta, ut efficeret te totum gratioſum, & æqualem majoribus ſanctis, plenum gratia, & favoribus Cœleſtibus. Nihiloſecius adhuc certiſſimus ſum, meam devotionem non impingere ſi dicam, quod eminentia tuæ perfectionis, ſanctitatis, nobilitatis traxerit originem à vicinitate, quam habuiſti cum ſupremo Ente, quod eſt ipſamet perfectio, beatitudo, & felicitas à quo nec per momentum te ſequeſtraſtii ſed diu, noctuq; ante oculos mentis tuæ eum habuiſti, eique adeo aproximaſti, ut unicum, & ſimpliciſſimum verbum te ille totaliter immerſerit, ut ex omnibus rebus quantumvis remotis ſumpſeris anſam ſublevandi te ad amoroſiſſimos amplexus, & fruitiones cœleſtes tui amantiſſimi Jeſu; nam ex eo, quod ipſi pueri te nominarent fratrem Felicem, ad paradiſum te contuliſti, vinciniſſimus fuiſti ſupremo Deo, quem quotidie in Auguſtiſſimo Sacramento altaris devotiſſimè recepiſti. Viciniſſimus ſummo illi bono, ita ut ſæpius eum amplexatus fueris, ſæpe cum eo familiariter egeris, ſæpe cum illo tractaveris, & ab eo tractatus fueris tanta ſuavitate, ut tui ipſius obliviſceris, ac in ipſum rapereris; tam vicinus fuiſti illi ſuperno bono, ut illi ſemper unitus fueris unione tam perfecta, quam deſiderare potuerit anima Dei amore capta.

O feliciſſime Felix ſolum tuum nomen eſt ſufficiens, ut orbi manifeſtet tuam felicitatem, & perfectionem excedentem felicitates, & perfectiones tuorum contemporaneorum. Felicitas, & perfectio, quæ creſcens ab incunabilis feliciſſimum, ac perfectiſſimum te effecit uſque ad periodum tuæ vitæ, quia fuiſti ſemper vicinus, & unitus ſupremi Enti, quod eſt ipſa beatitudo, & felicitas. Dicamus ergo, quod toto tempore tuæ vitæ fueris inſtar Joſeph Patriarchæ benedictus à Moyſe Cæleſti benedictione illius, qui appatuit in rubo. *Benedictio illius qui apparuit in rubo veniat ſuper caput Ioſeph.* Addamus, quod fueris herba ſemper florida, ac virens meritis, & perfectione, quia fuiſti vicinus rubo Mariæ, in cujus ſinu accenſus eſt ignis divini amoris, qui venit

nit in mundum pro ſalute generis humani. Concludamus ergo, quod fueris vitis aurifera, quæ produxit aurum puriſſimum ſanctitatis & perfectionis. *Ex contactu aureæ glebæ*, ob vicinitatem, quam habuiſti cum pretioſiſſimis minetis auri Chriſti, & Mariæ.

Scriptura *Lucæ 1.*

XIV. Neſcio (NN.) an unquam illud obſervaveritis, quod evenit in viſitatione Mariæ. Jam ſcitis, quod virgo veniens ad Eliſabetham, hanc ſalutaverit oſculo pacis, & quod eodem tempore Baptiſta adhuc clauſus in utero ſubſilierit præ gaudio. *Vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in gaudio in utero meo.* Præterea ſcimus, quod juxtà ſacros Doctores, & ſpecialiter S. P. Auguſtinum S. Joannes Baptiſta prius ad præſentiam Chriſti ſanctificatus fuerit. *Ante adventum virginis Ioannes non fuit ſanctificatus, ſed ſalutatâ Eliſabethâ à virgine mox Ioannes ſanctificatus fuit in utero.*

Hoc ſuppoſito ſubintrat Origenes, & indagat, an Joannes præter remiſſionem peccati originalis a Deo receperit alios favores, & an toto illo trimeſtri, quo virgo ferens uterum commorata eſt in domo Eliſabeth ei ſerviendo, ac curam domus gerendo, contulerit alias gratias Joanni, cum de hoc Evangeliſta nil dicant? & Reſpondet Origenes quod ſic; nempè Joanni fuiſſe collatum augmentum gratiarum, ita ut quotidie ſapientiâ, gratiâ, ac donis paradiſi creverit. Sed unde ô excellentiſſime Doctor deducis hunc progreſſum virtutis, ſanctitatis, perfectionis, & gratiæ in aliqua perſona quæ adhuc clauditur ergaſtulo matris? ſi mater, quæ eum utero gerebat, nil certi de hoc potuerit affirmare, cum illud augmentum non cadat ſub objecto ſenſuum: ſi inquam ipſa Eliſabetha mater Joannis non potuit capere, ac cognoſcere illos progreſſus ſui filii, quomodo tu illos inferre poſſis, cum nullum veſtigium eorum habeas in ſacris Evangeliſtis?

Reſpondet divinè Origenes ſe ſic concludere ex vicinitate Joannis ad Chriſtum, & Mariam, eo quod Maria & Chriſtus per trimeſtre hæſerint in domo Joannis. Et Origenes quidem ſic ratiocinatur à minori ad majus. *Si eo, quod tantum venit Maria ad Eliſabeth, & ſalutavit eam, exultavit infans in gaudio, & Spiri S. plena Eliſabeth prophetavit, & in una hora tantos profectus habuit, noſtra conjectura relinquitur, quid in tribus menſibus Ioannes profecerit aſſiſtente Maria Eliſabeth, valdè quippe indignum eſt in puncto hora atque momento exultare infantem, per tres vero menſes Ioannem ex vicinia matris Domini & ipſius Salvatoris præſentia nihil profeciſſe*, quod ſi liceat argumentari à ſimili, vos ſic diſcurritis: Joannes fuit dotatus tot gratiis, & favoribus cœleſtibus donatus, eſt repletus gratiâ Spiritus ſancti, quia fuit adeò vicinus Chriſto ac Mariæ, nec aliter potuit fieri; Atqui ſimiliter B. Felix non ſolum fuit vicinus Chriſto, ac Mariæ, ſed etiam ſæpius teneriimè, ac familiariſſimè eum propriis ulnis amplexus, oſculatus eſt, ac cum eo luſit, & ſingulari affectu vice verſâ à Jeſu exceptus eſt, ergo ſine ſcrupulo poſſumus affirmare hunc ſervum Dei etiam eſſe dotatum favoribus, ac gratiis incomparabilibus perfectionis, & ſanctitatis cujuſdam eminentiſſimæ, ex vicina matris Domini, & Salvatoris præſentia; cur ergo etiam non dicemus, non infundatè hanc vitem Felicis produxiſſe aurum puriſſimum ſanctitatis *ex contactu aureæ glebæ.*

XV. Patres Theologi, vos inquiritis, an virgo concepta ſit ſine peccato originali, vel an tantum ſit ſanctificata, pro ut aliqui docent extra ſcholam ſubtiliſſimi: quæris inquam an in hac conceptione à Deo receperit plenitudinem gratiæ, pro ut ei dixit Angelus *gratia plena*, ita ut in illo inſtanti receperit majorem gratiam quam habuerit ſupremus angelus Paradiſi? Theologia.

Audaciſſimus, & impudentiſſimus Eraſmus in ſuis annotationibus auſus eſt taxare, & arguere ſacros Doctores, qui in tantum extollunt plenitudinem gratiæ Marianæ, eò quod in textu Græco legatur *Xexarytomeni* hoc eſt *gratioſa*, vel gratificata, non autem *gratia plena*, imò aſſerit quod quamvis in textu græco haberetur *gratiâ plena*, adhuc tamen exinde non poſſe inferri, quod gratia Mariæ, ſuperaverit gratiam ſupremi Angeli, vel quod illa plenitudo gratiæ fuerit aliquod ſpeciale privilegium Mariæ, cum & illud aliis ſit conceſſum, ſiquidem de Baptiſta legitur: *Spiritu ſancto replebitur, adhuc ex utero matris ſuæ*, ſimiliter de ejus matre. *Et repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth*, imò & de protomartyre S. Stephano. *Stephanus autem plenus gratia*, ergo infert impius Eraſmus, Mariæ gratia non ſuperavit gratiam ſupremi Angeli, imò *Supra c. 1. Lucæ.* *Lucæ 1. Act. 6.*

nec hominum aliorum. Sed relictâ Erasmi stultitiâ, è qua miser quamvis vellet, non potuit emergere, communis est sententia Theologorum tam positivorum, quam Scholasticorum, virginem sanctissimam per gratiam superasse omnes homines quamvis in gratiâ eminentissimos. Solus Cajetanus gratiam, quam Maria accepit in suâ conceptione, vel sanctificatione, noluit excedere gratiam Angelorum, nec de gratiâ Mariæ in ordine ad Angelos fuisse angelicum præceptorem locutum.

D. Thom. 3. p. qu. 27 a. 5. Attamen alii Thomistæ censent, quod Maria in suâ conceptione, vel sanctificatione acceperit majorem gratiam, quàm omnes homines, aut supremus angelus. Verùm quidem est, quod gratia infimi Angeli fuerit consummata, & gratia comprehensionis, gratia autem virginis viatrix, & hoc sensu gratiam Angelorum fuisse majorem, hoc tamen non obstante virginem fuisse Deo gratiorem, quam supremus Angelus, quia per solam gratiam, quam accepit à Deo in sua conceptione, fuit electa ab eodem ad sublimiorem gloriam paradisi, quàm fuerit sublimatus supremus Angelus, ita ut si Maria fuisset mortua in illo instanti, majorem gloriam quam supremus Angelus acquisivisset. *Medina ad hunc locum.* *Medina ibidem.* *Beata Virgo viatrix adhuc, & in utero matris diligebatur magis adeo, quàm supremus Angelus, & accepta erat ad majorem gloriam per gratiam, quam tunc habebat, unde si beata virgo in utero matris obiisset mortem, majori gloria potiretur in cœlis, quam supremus Angelus.*

Sed quo fundamento inniteris Medina, ut dicas gratiam Marianam excedere gratiam omnium non solum hominum, sed etiam Angelorum, dico Angelorum nam supremus Angelus superat omnes alios in gratiâ, nam *infimum supremi est supremum infimi*, cum ergo Mariæ gratia superet gratiam supremi Angeli, etiam superabit gratias aliorum inferiorum.

Tu bene Respondes, & dicis te inniti auctoritati D. Thomæ, qui dicit in omnibus rebus tam naturalibus, quam supernaturalibus debere aliquam assignari, quæ sit prima, & principium reliquarum, axioma verissimum, & petitum è visceribus Philosophiæ. Hoc supposito sic discurrit Thomas. *Quantò magis aliquid appropinquabat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principii*; sic enim quò aliquid est vicinius soli, eò amplius illustratur, & quo aliquid est vicinius igni, eò fortius calefit: nec hoc est mirum, cum & ipse Dionysius Areopagita dicat. *Angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis*, atqui certum est, quod Christus sit principium gratiæ, quâ Deus principaliter, qua homo instrumentaliter, juxta illud Joannis: *Gratia, & veritas per Iesum Christum facta sunt.* Ergo quò aliquis fuerit proximior huic principio gratiæ, eò majorem gratiam accipiet. Nunc sic: atqui nulla creatura fuit vicinior Christo, quàm Maria è quâ verbum divinum sumpsit carnem, ergo & dicendum est, quod acceperit majorem gratiam, quàm ulla creatura, & hæc majoritas nulli alteri innititur basi, quam vicinitati Mariæ ad Christum. Hinc Angelicus: *Beata Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundùm humanitatem, & ideò præ cæteris majorem debuit à Christo gratia plenitudinem obtinere.* *De cœlesti Hierarch. cap. 4.*

XVI. Nunc ad B. Felicem, gratiosissimum & plenum gratiâ possumus vocare hunc servum Dei, si enim velimus percurrere vitam ejus, & opera pia spatio septuaginta quatuor annorum facta, reperiemus eum adeò fuisse perfectum in omni genere virtutum, ut meritò possit vocari plenitudo, & expressa idea totius perfectionis. Omitto exactissimam obedientiam Felicis, per quam in cunctis quantumvis minimis hærebat à nutu superiorum, imò adeò delectabatur & desiderabat eorum voluntatem exequi, ut eorum jussiones non expectaret expressas, sed eorum nutus, & signa præveniret; pertranseo paupertatem tanti æstimatam à meo Seraphico Patre, qui in plurium annorum serie nullus fuit visus Felice pauperior, cui etiam fuit mortificatio usus arctissimus rerum quantumvis necessariarum, silo perfectam ejus castitatem, quam corpore, & mente illi Beatissimam, toto vitæ tempore servavit. Taceo humilitatem, per quam imitando suum Seraphicum patrem, se vocabat maximum peccatorem mundi, & asinum monasterii. Hinc dum se audiret vocari fratrem Felicem respondit. *Fratres non sum ego frater Felix, sed fratrum asellus.* Prætetmitto ejus mansuetudinem modestiam, patientiam, mortificationem, & reliquas virtutes; quæ magis illustra- Applicatio.

illustrabant animum hujus servi Dei, quàm pretiosissimæ gemmæ corpora maximorum monarcharum ornent; si enim minutæ ejus virtutes recenseri deberent, integer annus requireretur. Solum dicam, quod cum pater ejus vocatus sit Sanctus, & Mater etiam nominata Sancta, concludi nil aliud potest, quàm quod fuerit filius sanctissimus, ita ut isti, qui eum puerum adhuc contemplabantur, Felicem mirarentur, ejus virtutes, vitamque vocarent orbis prodigium, & capita conferentes cum incolis Judeæ dicebant: *Quis putas puer iste erit*; Hinc si liceat ex ungue inferre leonem, cum infans adhuc prædicatus sit orbis prodigium, divinare licet, qualis fuerit post Septuaginta quatuor annos impensos in servitio Dei, cum accremento quotidiano gratiarum, & virtutum.

Epilogus. O glorioſissime Felix, quàm gratiosa, plena gratiis, & favoribus cælestibus comparuit tua anima! Sed unde in te tanta plenitudo gratiæ? O prodigium paradisi! Quod si corpus quò magis est vicinum igni, eò etiam intensius calefiat, & quò aliquid magis approximatur soli, aut alii rei lucidæ, eò magis illustretur; quid mirì, quod anima tua videatur adeò plena omnibus gratiis, & compareat prodigium cæli, & terræ, cum tam sæpè ex gratiosissimis manibus Mariæ tibi porrectus sit puerulus Jesus, & cum eò tam familiariter, & amicè egeris, eumque strinxeris, amplexus & osculatus fueris? Jure meritò glorioſissime Felix ex hoc capite tibi debetur hæc eminentissima sanctitas, & plenitudo gratiæ. Quod si Baptista in utero matris existens: *Ex vicinia matris Domini, & Salvatoris præsentia*, tot gratiis, & donis cælestibus fuerit ornatus; etiam dicamus de te, quod ob eandem vicinitatem, quàm habuisti cum Christo & Maria, fueris omnibus gratiis & virtutibus donatus.

XVII. O glorioſissime Felix, revera felicissima fuit tua conditio, quam ab incunabulis, ne dicam utero materno spatio septuaginta quatuor annorum qualibet die, imò quolibet momento augmentasti. Verùm infelici sorte transiit per meas manus, imò à me infelicissimo orbi deprædicata est. Verum hoc non obstante me reputo felicissimum, cum ad hoc impulsus sim à reverendissimo affectu, & quod devenerim in cognitionem perfectam meæ debitæ observantiæ, quodque hoc onus mihi impositum sit, cui nec possum, nec debeo contravenire, quinimo teneat meam debilitatem impendere, non ut extollam tuas inenarrabiles perfectiones (adhoc enim insufficiens sum,) sed ut satisfaciam meo affectui, & obligationi. Sciat itaque totus Orbis, & specialiter tui devoti, quod meo sensu fueris tantâ sanctitate & perfectione dotatus, ut meritò dicaris esse vitis aurifera, & productrix auri purissimi.

Fuisti adeps, & quædam substantia purissima & candidissima, & quamvis traxeris originem à sanguine, tamen exanguem te semper servasti, quia nunquam *Acquievisti carni, aut sanguini, aut ejus oblectamentis*; Adeò enim perfectè mortificasti tuas passiones, ut verè dici possit tuam conditionem fuisse plus quam humanam, quilibet enim censet rem admiratione dignam, quod ex Cantalitio sanguinolento oriri potuerit. Adeps animatus, tam purus, & innocens, ut apparuerit esse exanguis.

Fuisti cælum, & quidem animatum, informatumque animâ nobilissimâ, & dignissimâ tui sæculi. Fuisti cælum, sed immateriale, ac si fuisses totus gratia divina. Cælum, & cælum firmamentum, cui ipsemet Deus indidit nomen, & quidem conveniens tuo statui, nomen expressivum tuæ perpetuæ & permanentis paupertatis, & ideò contra morem in religione non fuit tibi mutatum nomen.

Fuisti vitis productrix auri purissimi omnis sanctitatis *ex contactu aureæ glebæ*, ob vicinitatem cum pretiosissimis mineris auri Christi & Mariæ. Quod si herbæ vicinæ rubo, in cujus sinu comparuit Filius Dei in forma ignis ob vicinitatem cum illo rubo symbolo integritatis, & innocentiæ Marianæ manserunt virentes, illæsæ, & incontaminatæ: Cur non erit verissimum, tuam integritatem & innocentiam dependisse ab ipsamet vicinitate, quàm habuisti cum ipsamet rubo Mariæ, ejusque sanctissimo Filio, à quo tantis favoribus es affectus, ut in forma pueri reciperes cum tuis brachiis? Verè fuisti firmamentum & cælum stellatum, ornatum omnibus stellis, & virtutibus perfectionis Evangelicæ, nec hoc per capillum miror, quia fuisti adeò vicinus primo motori, qui sicut & intelligentia divinæ gratiæ, quæ te regebat,

bat, debebat efficere, ut ſupperares aliquos ſanctos.

Quod ſi magnus Baptiſta adhuc clauſus utero ob vicinitatem cum Maria ejuſque filio, à Deo tot gratiis, & favoribus Spiritus ſancti fuerit dotatus; ſi etiam ipſamet Virgo præ omnibus aliis creaturis fuerit totaliter gratiâ repleta, ex eo quod viciniſſima fuerit ipſi Chriſto fonti gratiæ; Cur totus mundus non confiteatur etiam te ſanctiſſimum Felicem fuiſſe repletum gratiâ, ſanctitate, perfectione Chriſtianâ, & Evangelicâ, idque ob eandem rationem? Aliud revera non poteſt dici, imò indubitanter affirmari, quod fueris vitis productrix auri puriſſimi perfectionis *ex contactu aureæ glebæ* ob vicinitatem cum mineris auri Mariæ, & Jeſu. Et huc uſque teneri meâ debilitate, idque potius ut ſatisfaciam meæ obligationi, quàm menſis ſubjecti, de quo ago. Et credo quod tua profundiſſima humilitas, & eminentiſſima perfectio, quæ nil amplius exigit ab eo, qui pluta non poteſt dare mihi ignoſcat. Interim rogo feliciſſime Felix, ut per tuam interceſſionem fiam particeps felicitatis, qua frueris in cælo cum Jeſu, & Maria, & ut per tuam vicinitatem poſſim producere aurum omnium virtutum. Amen.

ELOGIUM XI.

Pro Feſto Aſcenſionis Domini.

Et Dominus quidem Jeſus, poſtquam locutus eſt, aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei. Marci 16.

Aſtronomia. *Tract. 3. cap. 2.*

I. PTolomæus Volens docere Aſtronomum, quomodo poſſit agnoſcere alicujus Felicem nativitatem, & ex inde colligere, quid illi per decurſum vitæ ſit eventurum prout, ſuperſtitioſè ſolent ejuſmodi artis Profeſſores, monet obſervandum eſſe aſcendentem, in quo ille ſit gradu quando perſona naſcitur. *In prima re*, inquit Ptolomæus, *in qua magis conſideri debemus, eſt gradus aſcendens hora exitus Creaturarum*, nam à felici, vel infelici ſtatu aſcendentis prævidetur, quid nato eveniet.

Sed ut dictus aſcendens ſit fortunatus naſcenti, debet habere multas dignitates, & præcipuè proprias, quibus ſuccedant illæ quas habet Planeta Dominus aſcendentis, tunc valdè erit fortunatus. Portò inter dignitates illius, qui dominatur aſcendenti, principales ſunt, quod reperiatur in propria domo, in ſua exaltatione, Throno, & in propria triplicitate. *Sit Dominus domus, aut exaltationis, & triplicitatis.* Quod ſi præterea fuerit in ſuis terminis, vel in ſua propria facie, tunc major erit in dignitatibus eſſentialibus, & conſequenter erit potentior, & efficacior ad promittendos favores, & optimos effectus.

Quod ſi ab his quæras, an Petrus habens in aſcendente conſtellationem in ſigno Arietis, ſi in dicto ſigno tunc reperiatur Sol, an inquam Petrus habiturus ſit dictum aſcendentem ſibi favorabilem, & fortunatum? Reſpondebunt ſine dubio quod ſic; cum enim Sol tunc ſit Dominus aſcendentis, prima domus habebit quinque dignitates, nam Aries eſt altitudo, & Thronus Solis, ejuſque triplicitas, imò ipſe eſt Dominus illius, & præterea ipſi aſſignatur ſecunda facies Arietis. Et quia tali caſu Sol velut Dominus talis aſcendentis eſſet dotatus majoribus dignitatibus eſſentialibus, ideò futurus eſſet multum fœlix, & fortunatus.

Quod ſi præterea ab his quæras, qualia hic

felix

felix aſcendens Petro promittat. Reſpondebunt Petrum vilibus parentibus natum, ad honores maximos evehendum, eum obtenturum divitias, principatum, imò ipſum regnum. Hæc omnia promittit Sol, dum eſt in prima domo, ſpecialiter quando eſt Dominus aſcendentis.

Applicatio.

II. Video hoc mane Chriſtum reſuſcitatum à morte, & renatum ad non amplius moriendum, accingere ſe ad iter verſus cælum, ut fidelibus Spiritum Sanctum mittat. *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Scandit Salvator vertiecm cæli, ipſum cacumen Empyrei, comparet in hac cæleſti Hieruſalem, ſtipatus phalangibus, & exercitibus Angelorum, honoratus maximis applauſibus & triumphis. *Aſcendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ.* Videtur hodie ſedere ad dextram æterni Patris, ſublimatus ad majores excellentias, proclamatus Princeps univerſi, Rex, & ſummus Monarcha gloriæ. *Aſſumptus eſt in cælum, &c.* O quales ſunt hi honores, quales dignitates, quales eminentiæ, quales gloriæ, qualia imperia, quales Monarchi?

Joan. 16.

Quomodo poſſit fieri, ut è terra, è tam vili ſtirpe Salvator ſcandat ad ſublimiſſimam partem cæli, ad ſummos honores paradiſi? Quòd ſi velimus hærere in terra, non erit poſſibile, quòd repertamus cauſam tam glorioſorum ſucceſſuum. Neceſſe eſt nos ſublevari in cælum, & ab illo quærere, unde aſcendenti Jeſu exaltationes tam ſublimes, ſublimitates tam altæ, hi honores, hæc imperia, & Monarchiæ advenerint.

Et quis neſcit cælum reſponſurum, hæc ortum habuiſſe à felicitſſimo, & fortunatiſſimo aſcendente, & horoſcopo, quem habuit ſibi faventem noſter Salvator. Hic habuit ſibi propitiam ſupra modum conſtellationem Arietis, fortis, & promptæ obedientiæ, quæ extendit ſe uſque ad mortem. Planeta dominator hujus aſcendentis fuit Sol affectuoſæ charitatis, & exceſſivi amoris verſus genus humanum. Porro reperiebatur in ſuo maximo ſplendore, exaltatione, & throno, cùm non ſit major charitas, quàm innocentem mori pro nocente, juſtum pro peccatore. Dominatur præterea in ſua triplicitate crucis majori imperio & authoritate, quàm unquam aliàs.

Hinc Apoſtolus Paulus de hoc felicitſſimo aſcendente Chriſto: *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Quid ergo miri, quòd hodie Salvator ſcandens cælum, compareat tam glorioſus, adeo honoretur, & ſublimetur, ut ſedeat in æquali ſede cum Patre, in tantum ejus dextram? *Propter quod & Deus exaltavit illum, &c. Aſſumptus eſt in cælum, &c.* Siquidem glorioſior aſcendit Chriſtus ad cælum, quam deſcenderit è cælo in terram, & hoc per triplicitatem crucis, de quo hodie diſcurram.

Philipp. 2.

ASSUMPTUM.

Chriſtus aſcendens in cælum, glorioſior comparet per triplicitatem crucis, quàm dum ex eodem deſcendit.

III. REgius Pſaltes loquens de glorioſiſſima Aſcenſione Chriſti, narrat, Aulicos illos cæleſtes, ejus comites, quamprimum appulerunt ad portas Empyrei, mandaſſe jam toribus ſupernæ Hieruſalem, ſine mora portas tollerent, & aufferrent. *Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales.* Et rationem dederunt, appuliſſe Regem gloriæ. *Et introibit Rex gloriæ.* Obſervo hîc (N. N.) cum S. P. Hieronymo, & Nazianzeno, formam loquendi horum ſpirituum cæleſtium, dum primò dicunt *Attollite*, & poſteà, *Elevamini portæ*, &c. Cur non dicunt potiùs *Aperite portas*, quàm *Attollite*? Scio, quòd S. P. Hieronymus, & Nazianzenus, & quidem meritò velint hos terminos habere aliquam emphaſin, & majorem vim ſignificativam, eſſeque aptiores ad ſignificandum glorioſum ingreſſum Chriſti in cælum, quàm terminus *aperite*; quia hic terminus ſolùm ſignificat, quòd portæ manſerint in eodem ſtatu, quo ante, & quàm ſolùm aperiri debeant, ſed tò *Attollite* non ſolùm denotat, quòd fuerint totaliter apertæ, ſed præterea, quòd ipſi cardines & muri fuerint dejecti, ut amplior & ſublimior ingreſſus Chriſto pateret: hoc voluerunt ſignificare è mente horum Patrum per

Scriptura.

Pſal. 23.

hunc modum loquendi: *Pulchrè*, inquit Hieronymus, *levari jubentur porta, & in ſublime erigi.* Et Nazianzenus.

Portis ut attollantur, & ſublimiores fiant, imperat. Voluerunt ergo ſancti Angeli, juxta hos Doctores, dicere janitoribus cæli: Reſerate portas, removete eas, reddite eas ampliores, altiores, nam mox ingredi debet Rex gloriæ, qui non poterit intrare, niſi portæ ampliores fiant. Verùm ſi ego meam mentem aperire velim, non ſcio, cur illæ portæ amplificari debeant; nam aſſerere Regem gloriæ debere intrare, non ſufficit; Chriſtus enim fuit Rex gloriæ tam benè quando in nativitate deſcendit, quàm quando in aſcenſione aſcendit. Cur ergo in aſcenſione debeant amplificari, cùm commodè per eaſdem in nativitate deſcendit.

Ne hoc mireris, inquiunt prædicti Sancti, Chriſtus ſiquidem è terra cælum aſcendens toleraverat pœnas, tormenta, crucem, mortem, ex quibus maximam gloriam & eminentiam acquiſiverat: Ut ergo David Propheta oſtenderet Chriſtum glorioſiorem, opulentiorem, & pleniorem gloriâ & honore aſcendere, quàm quando è cælo deſcendit, ideo dixit: *Attollite, &c. Pulchrè jubentur levari, & in ſublime erigi. Siquidem juxta diſpenſationem carnis, & myſterium, & victoriam crucis, major regreditur ad cælos, quàm ad terram conſcenderet.* Et quidem Filius Dei, quando deſcendit ut humanaretur, & ideo etiam fuit Rex gloriæ, quâ dotatus fuit velut Filius Dei ab æterno, nec illa in ipſo potuit augeri; ſed quando ſcandit cælos, erat ſimul filius hominis, & ſic habuit alium titulum, & quia quatenus homo toleraverat cruces, & mortes, quibus debeatur gloria Paradiſi; ideo aſcendens comparuit tam conſpicuus per gloriam debitam ipſi ut filio Dei, & etiam per gloriam debitam ipſi ut filio hominis, qui tanta paſſus fuerat pro genere humano; ideo in ſua aſcenſione apparuit glorioſior, ita ut neceſſe fuerit dilatari portas cæli, ut paterent Chriſto glorioſè intranti. *Pulchrè levari, &c.*

Epiſt. 27. tom. 9 o rat. 24.

Hiſtoriæ. IV. Quantumvis omnes nationes ſolemniter celebraverint triumphos, tamen Romani præ omnibus ſolemniſſimè illos celebrarunt; nam præterquam quòd dies, quâ aliquis debebat triumphare, eſſet ſolemnis, (poterant autem tantùm triumphare, qui fuiſſent Conſules, Proconſules, Dictatores, defectu cujus non triumphavit Marcus Marcellus ob victoriam Syracuſanam, nec Scipio ob ſubjugatam Hiſpaniam) præterquam inquam, quòd dies eſſet ſolemnis, ad augendam pompam tota urbs, templa, domus, feneſtræ, portæ, plateæ ornabantur tapetibus aureis, ramis, floribus, & pictutis.

Senatus inſuper Romanus cum Flaminibus, & Nobilibus pretioſiſimè veſtiti exibant, recepturi triumphantem. Hic vehebatur curru aureo vecto quatuor equis albis, coopertis purpurâ, quâ & erat indutus triumphans, lauro ſerratus. Currum antecibant captivi in veſte ſervili, capitibus taſis, in ſignum libertatis amiſſæ. Exercitus ordinatim intrabat, laurum manibus geſtans. Currus onuſti erant ſpoliis. Reſonabant diverſa inſtrumenta, audiebantur cantica hymni, & panegyrici triumphantis. Hic intrabat portas, applaudente & acclamante toto populo. Imò ſæpè ad majorem pompam & gloriam, cùm portæ eſſent nimis anguſtæ, illæ vel amplificabantur, vel fiebant in muris foramina vaſta, ut majori gloriâ & pompâ victorioſus dux intraret, & hoc fiebat, quando victoria erat ſingularis. Applicatio.

V. Nunc ad Chriſtum: *Attollite portas, &c.* Prodit in campum Verbum Incarnatum die Veneris ſancto, ut retunderet audaciam Luciferi, ejuſque ſequacium, imò ipſiuſmet mortis. Et res ipſi adeò feliciter ſucceſſit, ut celeberrimam reportarit victoriam, prout cantat ſancta Eccleſia in Feſto Paſchatis: *Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo attulit. Dominus fortis & potens, Dominus potens in oralio.* Ob hanc victoriam adeò glorioſam Chriſto, cælo, & nobis utilem, debebat Salvator triumphare. Et en in ſenatu & conſiſtorio ſanctiſſimæ Trinitatis decretum fuit, triumphans maximis trophæis, honoribus, pompis, cæleſtem Hieruſalem intraret. Salvator incepit hunc triumphum in monte Oliveti, ſtipatus Apoſtolis & diſcipulis, ac ſanctiſſimâ ejus Matre, aliiſque fœminis. Angeli è cælo pretioſiſſimè ornati, veſtibus albis induti, ei obviam proceſſerunt. *Aſcendente Domino miſſi Angeli, in albis leguntur veſtibus apparuiſſe.* Ille vectus Applicatio. *Pſal. 23.* *Greg. hom. 29.*

vectus curru triumphali nubis levis, paſſu gravi, ſpectantibus amicis ad civitatem Paradiſi pergebat; *Et nubes ſuſcepit eum in cælum.* Audiebantur hymni, cantica, applauſus, acclamationes, & jubili: *Aſcendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ.* Conducebat ſpolia hoſti erepta, & captivos morti, & limbo ſubtractos. *Captivam duxit captivitatem.* Spargebat nummos, gratias, & favores. *Dedit dona hominibus*, incæceratos liberavit, & morte damnatis vitam. *Hodierna die*, inquit Gregorius, *deletum eſt chyrographum damnationis noſtræ.* O glorioſam pompam, ô ſolemnem triumphum! Nec hic gloriæ triumphatoris Jeſu ſtiterunt; nam Angeli eum comitantes, ut venerunt ad portas cæli, & viderunt eas nimis anguſtas, ad recipiendum eum, qui tanto comitatu, pompâ, & ſolemnitate volebat intrare, mandarunt, ut ſeſe dilatarent, & amplificarent; cùm enim reportaſſet victoriam adeò excellentem, quæ omnes alias ſuperavit, neceſſe fuit, ut & ipſe triumphus omnes alios anteiret. Quòd ſi aliis Sanctis victoriosis, & triumphatoribus hoſtium, intrantibus portæ cæli aperiuntur, triumphanti Jeſu velut magis victorioſo non ſolùm portæ, ſed & ipſi muri cælorum debebant reſerari, ut ſciremus, nullum ipſo glorioſiùs intraſſe, imò hunc ingreſſum fuiſſe glorioſiorem, quàm deſcenſus ejus è cælo. *Attollite portas, &c. Pulchrè levari jubentur, &c.*

Pſal 46.

Epheſ. 4.

Hom. 29

Scriptura. VI. S. Lucas in Actibus Apoſtolicis deſcribit hanc prodigioſiſſimam Aſcenſionem Salvatoris, & inter alia hæc habet: *Cùmque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt juxta illos in veſtibus albis.* S. P. Gregorius, & communiter Interpretes dicunt, illos duos viros fuiſſe duos Angelos, qui è cælo deſcenderant, ut Chriſto aſcendenti famularentur. Nec aliter poteſt dici; dicebat quippe, aulici cæleſtes eum comitarentur, qui aſtra ſcandebat, ut ad dextram Patris ſederet. Quòd ſi Angeli deſcenderunt è cælo, quando Verbum divinum incarnabatur, & quando naſcebatur, decens erat, ut è cælo deſcenderent, & ad ſolium, è quo deſcenderat, reducerent. Sed aliquid rari obſervat mecum S. P. Gregorius his verbis: *Quidnam eſt, quòd nato Domino apparuerunt Angeli, & tamen non leguntur in albis veſtibus apparuiſſe, aſcendente autem Domino, miſſi Angeli in albis leguntur veſtibus apparuiſſe?*

Actor. 1.

Præterea juxta eundem Gregorium: *In albis veſtibus gaudium, & ſolemnitas mentis oſtenditur.* Si itaque nativitas Chriſti tantum gaudium attulit toti univerſo, teſte Angelo: *Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Salvator mundi;* & Aſcenſio Chriſti potius mœrore affecit ſanctos Apoſtolos, quia manebant ſine patre, ſine matre, ſine duce; quomodo poterit dici, quòd Chriſto aſcendente apparuerint in veſtibus albis, & non potiùs in veſtibus ſimilibus, in quibus apparuerunt Chriſto nato? Si veſtes candidæ ſint ſignum lætitiæ, ergo majorem lætitiam oſtenderunt Angeli Chriſto aſcendente, quàm Chriſto nato? Ita; & ſic debet dici. Sed in quo fundatur illa major lætitia?

Luc. 2.

Divinè S. P. Gregorius: *Quia naſcente Domino videbatur Divinitas humiliata, aſcendente verò Domino eſt humanitas exaltata.* Valde bene. Majus gaudium præ ſe ferunt Angeli in aſcenſione Chriſti, quàm ex deſcenſione ejus è cælo, & nativitate ejus in Bethlehem, & hoc majus gaudium celebratur veſtibus albis ab Angelis Chriſto aſcendente, & non naſcente; nam majorem habuerunt anſam gaudendi in ejus aſcenſione, quàm nativitate; nam in nativitate Divinitas ob exceſſivum amorem videbatur quodam modo diminuere ſuum honorem, deſcendendo in terram, & induendo naturam contaminatam culpâ, (ſi ſto non aſſumpſerit ipſam culpam,) in aſcenſione tamen humanitas comparebat magis exaltata, honorata, & ſublimata. In nativitate competent depreſſiones, in aſcenſione exaltationes. In nativitate humilitas & vilitas, in aſcenſione ſublimitas & gloria; & ideo in aſcenſione Angeli apparent induti veſtibus albis, & non in nativitate, quia glorioſior apparuit Chriſtus aſcendendo, quàm deſcendendo. *Quia aſcendente Domino, &c.*

VII. Patres Theologi, nobiliſſima & valde difficilis eſt quæſtio à vobis agitata, an gloria, quâ fruitur anima beata, ſit ali- Theologia.

aliquandò augenda, putà poſt reſurrectionem communem, quando anima reunietur corpori, hoc eſt, loquendo ſcholaſticè, utrùm Beati proficere poſſint in beatitudine.

Communis eſt opinio Theologorum, beatitudinem extenſivè ſumptam poſſe creſcere; nam anima verbi gratia ſancti Franciſci modò non eſt unita corpori, adeoquè beatitudo illius reſtringitur ad ſolam animam; poſt reſurrectionem verò, quando anima benedicta illius reunita fuerit corpori, beatitudo illius redundabit, & diffundetur, in hoc corpus, & ſic beatitudo extenſivè augebitur. Verùm an beatitudo ſumpta intenſivè poſſit augeri, ut verum fatear, valde diſſident Theologi.

Paludanus in 4. diſt. 49. qu. 6. Durand. qu. 7. Mayro. q. 12. dub. ult.

Nonnulli, inter quos Paludanus, Durandus, Mayronius, Præceptor Angelicus, & Seraphicus, negarunt, per reunitionem animæ ad corpus augeri beatitudinem intenſivè. Et ratio evidens hæc eſt, beatitudo eſſentialis conſiſtit in viſione, & fruitione divina, atqui anima beata conjuncta non videt clariùs Deum, quàm ſeparata: nam nullam perfectionem recipit à corpore unito, nec acquirit majus lumen gloriæ, neque corpus eſt objectum viſionis beatificæ, nec hanc producit, neque etiam conjuncta corpori intenſiùs amat Deum, ergo, &c.

D. Tho. 1. 2 q. 4. art. 5. ad 5.

Marſilius in 4. q. 13. art. 3. D. Thomas ibid. diſt. 49 qu. 1.

E contra Marſilius, D. Thomas, S. P. Auguſtinus, abſolutè tradunt partem affirmativam, quam ſic efficaciter probant: Anima quantumvis beata appetit reuniri corpori, cùm appetitus ipſi naturaliſſimus, & quia eſt virtutis limitatæ, & finitæ, non poteſt omnimodâ intenſione tendere in objectum beatificum, & cùm juxta omnes Theologos beatitudo eſſentialis creſceret, ſi anima reunita corpori aliquid in Deo videret, quod ſeparata non videbat, cur non dicemus eam etiam augeri, quando per reunionem ad corpus ſatiatur ejus appetitus naturalis, qui illi debet uniri? Nam non eſt minus eſſentiale beatitudini videre Deum, & in Deo omnia ad ſtatum cujuſcunque Beati pertinentia, quàm adimpletio cujuſcunque deſiderii; nam ille eſt beatus, qui habet quod vult, nec vult aliquid quod ſit malum; cùm ergo anima per reunionem ad corpus adimpleat ſuum naturalem appetitum, debet dici, quòd ejus beatitudo eſſentialis creſcat etiam intenſivè.

Alii tandem volentes conciliare uttamque opinionem, dixerunt, per reunionem animæ ad corpus beatitudinem non creſcere quoad gratiam conſummatam, nec quoad charitatem, vel lumen gratiæ, aut viſionem, & delectationem Dei in ſe, ſed tamen creſcere intenſivè in ordine ad animam, quæ magis redditur apta per unionem ad corpus, quia unita ſine ulla retardatione operatur contemplando divinam eſſentiam, quæ operatio, quando erat ſeparata, retardabatur aliquantulum à naturali appetitu ad unionem.

VIII. Nunc redeamus ad Chriſtum aſcendentem. *Ecce duo viri, &c.* Quòd anima Chriſti in hac vita fuerit beata ratione unionis hypoſtaticæ, clarè docent omnes Theologi; ita ut naturaliter gloria, & beatitudo illius animæ ſanctiſſimæ debeat redundare in corpus ipſius Chriſti; ſed per ordinationem Dei, ut corpus Chriſti eſſet paſſibile, alterabile, mortale, ſubjectum paſſionibus, crucibus, mortibus, Deus impedivit illam redundationem, & hinc ſcimus, quòd Chriſtus fuerit ſimul viator & comprehenſor. Comprehenſor, & beatus quoad animam, Viator quoad animam & corpus. Fuit viator quoad corpus, quia paſſibilis erat, & mortalis, quoad animam, quia hæc etiam erat paſſibilis ratione corporis, ita ut Chriſtus in hac vita non eſſet perfectè beatus; nam perfecta beatitudo conſiſtit in beatitudine animæ, & corporis ſimul. Et quamvis anima Chriſti eſſet beata in inſtanti creationis, & unionis ad corpus, quatenus videbat & contemplabatur divinam eſſentiam, tamen cùm adhuc ipſa, & corpus eſſet paſſibilis, (ita exigente divinâ diſpoſitione, ut Chriſtus paſſione ſuâ redimeret genus humanum) non fuit adhuc perfectiſſimè beatus. Applicatio.

Mortuo Chriſto per triduum, antequam reſuſcitaretur, anima ejus ſanctiſſima fuit ſeparata à corpore, & cùm eſſet hujus nobiliſſima forma, ſummè appetebat huic reuniri, quæ unio cùm eſſet ſecuta, deſiderio ſuo ſatisfecit, & ſuam gloriam corpori ejuſdem Salvatoris communicavit, illudque reddidit impaſſibile, & immortale, nec ipſa amplius

plius ſubjecta fuit alicui paſſioni, ſicut Chriſtus reſurrexit beatior & glorioſior, quam fuerit ante mortem, quia ſuâ paſſione meruit ſibi ipſi gloriam ſui corporis, exaltationem ſui nominis, poteſtatem judiciariam ad dexteram Patris, unionem animæ ad corpus, per quæ multò glorioſior comparuit, quam unquam ante. Et quamvis hæc omnia ipſi deberentur ratione divinitatis, tamen voluit etiam illa ſibi deberi novo titulo. Hinc non eſt mirum, quod Angeli ſancti videntes eum aſcendentem adeò eſſe opimum gloriâ, imo glorioſiorem, quam quando deſcendit, veſtibus candidis celebratunt ejus aſcenſionem, quod non fecerunt in ejus incarnatione, nativitate, veluti minus glorioſis myſteriis. *Quia naſcente Domino &c.*

Scriptura. IX. Pſalmus vigeſimus tertius mihi denuò præbet anſam nobiliſſimi conceptus. Chriſtus glorioſus ſcandebat aſtra, & Angeli ſancti ejus comites antecurrerunt, janitoribuſque cæli mandarunt, portas tollerent, Regique gloriæ ingreſſum concederent. *Attollite portas &c.* Ac ſi voluiſſent dicere. Neceſſe eſt Janitores cæleſtes, ut modo inuſitato portas reſeretis, nam is qui ingreſſurus eſt, non eſt perſona ordinaria, ſed Rex gloriæ. Accurrerunt Janitores, ut viderent hunc Regem gloriæ, & quando viderunt eum adeò glorioſum, attoniti clamaverunt. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Quis ſit iſte, qui intrat cælum adeò glorioſus, adeo pompoſus, tantâ gloriâ ornatus? Sæpius aperuimus has portas, Angelis exeuntibus, & redeuntibus, nec unquam aliquem vidimus adeò glorioſum ſicut hunc. Sed urgeo ego an forte ignorabant eum eſſe filium Dei? Revera non poteſt eſſe quis Rex gloriæ, niſi qui eſt Deus. Si ergo Angeli Salvatoris comites inſinuarunt Janitoribus, eum eſſe Regem gloriæ, conſequenter ſignificarunt eum eſſe Deum. Cur ergo ita obſtupeſcunt, quam habuerunt anſam ſtuporis, ut adeò glorioſus intraret, cum eſſet filius Dei, & Rex gloriæ?

Ser. 178. Divinè S. Pater Auguſtinus: *Viderunt cœlites cuncti. ſpecioſum vulneribus Chriſtum, & admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla, talibus concrepant hymnis. Quis eſt iſte Rex gloriæ.*

Sciebant eum eſſe filium Dei, Regem gloriæ æqualiter cum Patre, & Spiritu ſancto, & ejus gloriam eſſe æqualem gloriæ aliarum perſonarum. Sed quia Chriſtus intrabat cælum poſt devictum infernum, paſſionem, & mortem, poſt toleratam crucem, videntes illam ſanctiſſimam humanitatem quinque vulneribus dotatam, quæ quaſi rubini & ſmaragdi humanitatem ejus adornabant, videntes trophæum crucis, & illam ſanctiſſimam humanitatem adeo glorioſam, & Chriſtum eſſe glorioſum tum per gloriam ipſi debitam velut à Deo tum per gloriam ipſi debitam qua homini, qui proſtraverat totum infernum, non potuerunt ſe continere, quin dicerent. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Verum quidem eſt, quod quatenus filius Dei ſit etiam Rex gloriæ, tamen adhuc in illo aliqua relucet gloria quæ non videtur in Patre, & Spiritu ſancto, nempe ſacratiſſimæ plagæ, quæ eum adeò exornant, & reddunt glorioſum, ut præ ſtupore nos exclamare cogant: *Quis eſt iſte Rex gloriæ? Viderunt cœlites &c.* Quia reipſa glorioſior comparuit Chriſtus in die aſcenſionis poſt tolerata flagella, cruces, mortem, quam quando è cælo deſcendit.

Meteora. X. Subinde Planeta Sol ſive dum occidit ad Antipodes, vel dum oritur ſupra noſtrum hemiſphærium videtur cinctus coronâ vocatâ à Meteorologiſtis *Alon*, quæ admodum eum ornat & illuſtrat, nam ſubinde hæc corona erit candidiſſima, aliâ vice apparebit tincta variis coloribus ſicut Iris, & hæc corona ſolem valdè illuſtrat. Hic ſcire cuperem, quid ſit iſta corona, & quid ſignificet.

Meteorologiſtæ volunt eam eſſe nubeculam rotundam æqualiter undequaque condenſatam circa radios ſolis, quamvis ſubinde compareat circa lunam. Porrò eam dicunt formari hoc modo. Quamdiu hæc nubecula eſt ſub radiis ſolaribus, ab his radiis verberatur, qui cum non poſſint tranſire propter denſitatem nubeculæ, dilatantur circa extremitates illius, & ita comparet hic circulus, & hæc corona ſub ſole. Alii porro volunt, quod radius percutiens & penetrans centrum dictæ nubeculæ, paret ſibi viam ut aperiat eandem nubeculam, reſtringat eandem, & condenſet extremitatem. Et quia radius ſolaris eſt rotundus, cum mittatur à corpore perfectè Spherico, hinc fit ut faciat dictam nubeculem rotundam, & efficiat ut compareat velut corona adornans ſolem.

Hæc corona ſi paulatim condenſetur, tunc juxta philoſophum indicat pluviam. Cum enim vapor continuo augeatur, tandem reducitur

citur in nubeculam, & resolvitur in pluviam, porro aliquando fit quod dicta corona nunc hac, nunc illac current, seu quod dissipetur, & tunc indicat ventos, vel ex hac, vel illa parte, cum talis dissipatio non nisi à vento procedere possit: aliis vicibus fit dictam nubeculam circumquaque resolvi, & tunc prædicit serenitatem, quia illa concretio, & conjunctio vaporum consumitur à calore solis, ex qua consumptione oritur serenitas, cum serenitas & dicta consumptio vaporum proveniant ab eadem causa nempe à calore dissolvente. Hæc de ista corona Meteorologistæ.

Applicatio. XI. Nunc ad Salvatorem: Quis est iste Rex gloriæ? Sol est filius Dei verbum æternum, & sapientia Patris. *Ego sum lux mundi, sol justitiæ Christus Deus noster.* Nubecula eum cingens est sacerrima ejus humanitas, quæ velut corona illum adornat & illustrat. *Venite & videte Filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater suæ.* Cant. 3. Nubecula fabricata ex puriſſimis vaporibus sanguinum innocentiſſimorum Mariæ. Nubecula assumpta à verbo divino, & unita hypostaticè ejus supposito. Nubecula candidissima ratione suæ innocentiæ, & puritatis. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Joan. 8. Nubecula quæ instar pulchertimi Iridis comparuit tincta tot variis coloribus virtutum & prærogativarum, ut eum summè ornarint. Nubecula quandoque condensata & resoluta in pluviam sanguinis. Aliis vicibus dissipata, & lacerata clavis, flagris, & ventis furiosorum Hebræorum. Nubecula tandem, quæ dissipata in morte Salvatoris, exinde indicavit serenitatem & tranquillitatem indicibilem inter cælum & genus humanum, prout & contigit. *Ipse enim est pax nostra qui facit utraque unum, & medium parietem materia solvens inimicitias in carne suâ.*

O pulchertima Iris, ô cælestis Alon, candidissima corona, ô sacertima humanitas, & quam pulchrè exornasti solem verbi æterni? Quàm venus tam glorioſum, & conſpicuum eum reddidisti? Hic Sol supremus in se erat pulcherrimus, cum esset fons lucis & gloriæ. Verum dum apparet cinctus pulchertimâ coronâ humanitatis, tunc in eo resplenduerunt maximè colores rubri, & purpurei sacratissimarum plagarum, quas suo corpori impressas cælo intulit, & per has adeo glorioſus, & conſpicuus est effectus, ut filiæ Sion admirantes tantum decorem & gloriam, sodales invitarent, ut contemplarentur & fruerentur conſpectu hujus superni Solis coronato Alono suæ pulchertimæ humanitatis. *Venite & videte &c.* Hinc Angelicus Thomas ex mente Sancti patris Augustini dicit: Ex vulneribus eum nequaquam deturbatum, sed magis conſpicuum & glorioſum redditum. *Cicatrices, quæ in corpore Christi permanserunt, non pertinent ad corruptionem, vel defectum, sed ad majorem cumulum gloriæ. Vt in perpetuum victoriæ suæ circumgerat triumphum.* D. Tho. 3. p. q. 54. a. 4.

Quid ergo miri, quod Angeli cælestes, Janitores Paradisi videntes auroram ascendentis solis illius cælestis Hierusalem cincti Alono ejus sacratissimæ humanitatis laceratæ, & rubentis propter plagas, & admirantes tantam venustatem & gloriam, quæ quamcunque aliam superat præ stupore extra se acti dixerit *Quis est iste Rex gloriæ?* Verissimum siquidem est, quod Christus cælos scandens glorioſior & lucidior apparuerit, quam descendens. *Viderunt cælites &c.*

Scriptura. XII Loquens magnus Salomon de illa matrona adeo insigni ab ipso descriptâ, ac iis prærogativis ornata, quæ in tali subjecto desiderari possunt, dicit eam habuisse maritum nobilissimum, qui in sede cinctus præcipuis senatoribus urbis sessurus erat: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.* Quæso vos (NN.) observate locum in quo nobilitas, splendor, excellentia hujus personæ eluceſcet *in portis* urbis, vel domus suæ. Hæc laus in tali appatitione mihi exotica videtur. Aula Regia cubile audientiæ, forum sunt loca aptiora veluti magis publica, & pluribus potentia ad notificandum splendorem, & dignitatem tanti subjecti. Hinc meo judicio dicere potius debuit *Nobilis in plateis vir ejus*, vel *Nobilis in aulâ*, & hoc *quando sederit cum senatoribus terræ.* Quod si in publicis locis, in aulis regiis magis eluceſcat nobilitas & splendor monarchatum, cut Salomon potius dicit nobilitatem matriti hujus magnæ domicellæ, & matronæ micaturam Prov. 31.

ram in publico, vel in conclavibus Regiis, ſed ſolum in portis, vel domus, vel Palatii, aut urbis *Nobilis in portis vir ejus*? Præterea, quis eſt iſte vir adeo conſpicuus, quæ hæc matrona adeo illuſtris? Quales ſunt hæ portæ, quæ domus, quæ urbs, qui ſenatores? Non me deſerit Sanctus Pater Gregorius in tantâ neceſſitate, qui per hanc matronam intelligit Eccleſiam triumphantem, per ejus ſponſum cælum. *Vir Eccleſiæ eſt Chriſtus Dominus, qui ſedebit cum Senatoribus hoc eſt cum ſanctis Eccleſiæ prædicatoribus. In portis hæc eſt in ingreſſu Regni.* Sed quæſo te Gregori ſanctiſſime amplius mihi ſuccurre. Salomon itaque vult dicere, Chriſtum ſponſum Eccleſiæ per portas Paradiſi intrantem in ſuum Regnum, comparaturum nobilitate, ſplendore, majeſtate conſpicuum. Optimè. Sed inſto, nonne Chriſtus diſtans longè à portis eâdem nobilitate, & decore ornatus fuit? Nonne Chriſtus per totam vitam fuit illuſtris, conſpicuus, nobilis, & glorioſus? Cum fuerit ſimul comprehenſor, nemo id poteſt negare. Cur ergo ſanctus tam ſignanter obſervat, locum in quo ejus nobilitas tam clare debebat elucere, nempe in portis cæli, in ingreſſu regni?

Lib. 6. moral. c. 5.

Divinè Sanctus Pater Gregorius: *Vir Eccleſiæ Chriſtus in portis ſe nobilem oſtendit, qui deſpectus prius in contumeliis extitit, ſed in ingreſſu regni ſublimis.* Non poterat dicere melius. Nullum eſt dubium, quin Chriſtus quamvis veſtitus noſtrâ carne ſemper fuerit nobiliſſimus, digniſſimus, illuſtriſſimus, conſpicuus, quia ſemper ab inſtanti incarnationis fuit glorioſus & comprehenſor, & quamvis in ita tectus humanitate, tamen gloriam quam in cælo cum Patre habuit ſecum ſemper tulit. Verum enimvero, quando ex mundo diſceſſit reverſurus in cælum, hoc ſacro die, ut portas cæli appulit, comparuit longe nobilior, clarior, illuſtrior, quam dum per eas aſcendit *Vir Eccleſiæ Chriſtus, &c.* Scitis cur? Quia diſcedebat è terra, in qua calumnias, irriſiones, flagra, tormenta, crucem, & mortem paſſus fuerat. Hæ afflictiones multò amplius illuſtriorem & clariorem eum reddiderunt, quam dum è ſinu Patris per eaſdem portas deſcendit in terram, ut totus mundus cognoſcat Chriſtum glorioſiſſimum comparuiſſe per triplicitatem crucis. *Vir Eccleſiæ &c.* Sublimitas tam alta & digna, ut nec in terra, nec in ipſo cælo major dari potuerit.

XIII. Domini Aſtronomi, vos obſervatis in cælo duas domus, unam altiſſimam, nempe decimam, quam vocatis *culmen cæli*, alteram imam, quartam ſcilicet quam vocatis *imum cæli*. Reperietur ſol. v. g. in altiſſima parte cæli, & decima domo, curſumque ſuum inſtituet verſus angulum occidentalem, quæ eſt ſeptima domus cæli, & proſequetur ſuum iter donec pertingat ad quartam domum vocatam imum cæli, à quo diſcedendo iterum tendit verſus angulum orientalem, proſequiturque ſuum curſum donec perveniat ad punctum altius, & decimam domum ex qua diſceſſit. Præterea duo alia puncta dantur in cælo, unum vocatur *Apogæus*, vel punctum *Augis*, & longiſſime diſtat à terra. Alterum dicitur *Perigæus*, ſeu punctum oppoſitum *Augi*, & hoc eſt viciniſſimum terræ. Hæc duo puncta non ſunt in Zodiaco, neque in primo mobili, prout ſunt decima, & quarta domus, & ſigna illis correſpondentia, ſed in propriis cælis Planetarum, illa ſolis in cælo ſimpliciter ex eccentrico, illa Planetarum in ſuis Epiciclis. Aſtrologia.

Nunc quærunt Aſtrologi, an ſol. v. g. habeat majores vires, quando diſcedit è decima domo, & ſuo Apogæo, tenditque verſus ſeptimam occidentalem, & quartam, quæ eſt *imum* cæli, & verſus ſuum Perigæum, an vero quando è Perigæo, & quarta domo pergit ad Apogæum, & decimam domum? Et dicunt ſolem habere majorem virtutem quando diſcedit è Perigeo & quarta domo verſus Apogæum, & decimam domum. Hinc ſol in Auge ſuo, & decima domo habet majorem vim & authori-

tatem, quam in quocunque alio loco cæli, & quo remotius declinat ab aliis, eò magis diminuuntur ejus vires & authoritas, ita ut in quarta domo & perigæo, ſit debilior & minoris authoritatis, quam in quocunque alio loco. Verum ſi rurſus ex his abeat, & redeat ad Augem & decimam domum, tunc recipit vires, quæ continuò augentur, donec redeat ad culmen cæli & Apogæum. Et hinc decima domus vocatur culmen cæli, in qua omnes planetæ tam boni, quam mali habent majorem virtutem, ſimiliter Apogæus vocatur *Aux* in quo planetæ habent majorem ſublimitatem, ſicut econtra quarta domus dicitur fovea planetarum & perigæus oppoſitum Augis, & imum illorum.

Hic ſcire percuperem, cur ſol diſcedens ex decima domo ad quartam, & ex Apogæo ad perigæum perdat ſuas vires & authoritatem, illas vero recipiat, dum ad Apogæum & decimam domum redit. Reſpondent planetam quo vicinior eſt ſuo loco, eo majores illum ab hoc recipere vires, nam locus eſt forma locati, hæc vero dat vires & virtutem operanti, nam quando planeta eſt in proprio loco, tunc eſt velut in ſua ſede & ſolio, adeoque & habet majores vires & authoritatem; quo autem ſunt remotiores ab eò loco, eò ſunt debiliores & infirmiores. Nunc ſubdamus: Firmamentum eſt locus communis planetarum, & hi quando ſunt in Apogæo ſunt ſuo firmamento viciniores, in perigæo autem ab eo remotiores, & ideo dum ex Apogæo tendunt ad Perigæum cum abeant è proprio loco, perdunt ſuas vires, eas autem recuperant ſi redeant ad augem velut proprium locum.

Similiter dicunt Aſtrologi, in cælo reperiri partem & aſpectum, dextrum & ſiniſtrum. Et ſicut in animali pars dextera eſt nobilior, fortior, dignior ſiniſtrâ, ita etiam dicendum eſt de parte, & aſpectu dextro in cælo. Addite: Sol diſcedens è decima domo abit ex parte dextera, & ſe confert ad ſiniſtram, econtra quando abit è quarta deſerit ſiniſtram, & appropinquat dexteræ, per quæ confirmant ſuperius dicta.

Applicatio. XIV. Nunc ad Salvatorem (N. N.) quod per decimam domum cæli, & Apogæum partem altiorem intelligatur ſinus Dei Patris per quartam vero & Perigæum terra, & natura humana totaliter oppoſita divina (cum inter hæc ſit infinita diſtantia, & primâ facie nil videatur magis opponi naturæ divinæ quam humana) nullum eſt dubium. Hinc ſinus Patris eſt dextera verbi. *Dextera Patris eſt ejus beatitudo. Dexteram Patris dicimus gloriam & honorem divinitatis.* Sic humanitas etiam dicitur pars ſiniſtra, cum omne illud dicatur ſiniſtrum, quod non eſt Deus. Quando Verbum erat in ſinu Patris, comparebat omnipotens, potentiâ & majeſtate prædictum, ſed quando diſceſſit à ſinu Patris, ex hac altiſſima parte cæli, ex decima domo regia, & pertexit ad quartam domum ad Perigæum, & partem inferiorem aſſumendo carnem humanam, tunc aſſumpſit noſtras infirmitates, debilitates, vilitates & ſic ſe fecit debilem, humilem & impotentem. Hinc ut advertit Sanctus Leo, Omnipotentia divina videbatur infirmata, & majeſtas humiliata. *Suſcipitur à virtute infirmitas, à Majeſtate humilitas.* Et hæc potentia divina: Majeſtas pompoſa hujus ſuperni ſolis videbatur continuò magis debilitari per afflictiones, tormenta, & mortem, donec pervenit ad quartam domum ſepulturæ, foveam illius ſolis divini, qui ad majorem debilitatem, & impotentiam non potuit venire quam ad mortem. Mortem totaliter contrariam Deo, ejuſque vitæ.

D. Thom. 3. part. q. 58. art. 1.

S. Luc. ſer. 1. de Paſſ.

An potuit verbum divinum pertingere ad majorem profunditatem quam ad ſepulchrum? An potuit magis omnipotentia minui, quam morte. Hucuſque pervenit Sol divinus verbi aſſumendo humanam naturam, factus humillimus & debiliſſimus. *Exinanivit ſemetipſum &c. Paſſus & ſepultus eſt*, cantat Eccleſia. Hoc non obſtante Chriſtus reſurgit ex tumulo, abit ex quarta domo ſepulchri, ex hoc Perigæo, loco tam humili & profundo, & iter aggreditur verſus Adogæum, & culmen ſinus paterni, & quantò propius ſuâ reſurrectione & aſcenſione illuc acceſſit, tantò amplius crevit ejus potentia, authoritas, hinc ut pervenit ad ſinum Patris, comparuit Omnipotentiſſimus & digniſſimus, Patri æqualis. Hinc S. Leo: *Poſt paſſionem ruptis vinculis mortis infirmitas in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia tranſivit in gloriam.*

Philip. 2.

Ser. 2. de ſer. ſerm. Do.

Sed dicetis, an forſan filius Dei deſcendens è cælo, habuit eandem gloriam, authoritatem, potentiam, quam habuit dum aſcendit? Quin-

Quinimo; ſed aſcendens juxta Theologos habuit novum titulum, quia aſcendens habuit illa quâ Deus & homo, & qua homo meruerat per paſſionem gloriam corporis, & deſcendens verò illa habuit quâ Deus. Hinc Apoſtolus: *Exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genuflectatur, cœleſtium terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.*

Chriſtus itaque aſcendens è terra in cœlum humanitatis glorificatæ comparuit habens majorem potentiam & majeſtatem, quam dum deſcendit è ſinu Patris in terram. Sic etiam glorioſior apparuit diſcedens ex Perigæo ſepulchri, & à quarta domo, ac foſsâ debilitatis & depreſſionis ſolis ad Apogæum, & decimam domum ſinus paterni, quàm quando ex hoc deſcendit in terram ibidem crucifixus, mortuus & ſepultus. Quia novum titulum habens aſcendit, quo caruit deſcendens.

Sed quænam fuit cauſa, quod ſol verbi divini abiens ex perigæo, & quarta domo ſepulchri, verſus Apogæum, & culmen ſinus paterni cum hoc novo titulo comparuerit ornatus majori potentia & majeſtate, quam quando deſcendit? Ratio eſt, quia diſcedens è ſinu Patris diſcedebat à dextra illius ad ſiniſtram humanitatis, & ſuo modo ſequeſtrabatur à firmamento, & hinc per incarnationem ejus omnipotentia videbatur infirmari & debilitari, ejuſque majeſtas deprimi & humiliari. Econtra diſcedens ex perigæo & Foſſa tumuli verſus ſinum paternum, pergebat ad dextram, & ideo authoritas potentiæ, &c. ob novum titulum hujus ſolis divini magis crevit. Hinc de hoc ſole aſcendente ſapiens, *Nobilis in portis, &c. Vir Eccleſiæ Chriſtus, &c.* En partem profundiorem, en Perigæum, en foſſam ſolis, en omnipotentiam debilitatam, en majeſtatem depreſſam. *Sed in ingreſſu regni ſublimis*, en partem altiorem, Apogæum ſinus paterni omnipotentiam magis auctam, en majeſtatem magis exaltatam, per novum titulum, per paſſionem ſuam meruit gloriam corporis, & ideo glorioſior aſcendit, quam deſcendit.

XV. Salvator glorioſiſſime, cur non debebas ſperare tantam gloriam in tua aſcenſione ſi dominus triplicitatis tuæ glorioſiſſimæ crucis tibi adeò fuit propitius, quomodo non crederemus tuam aſcenſionem eſſe glorioſiſſimam, cum debuerint auferri portæ, & muri Empyrei, ut paradiſus eſſet capax, & gauderet tuo triumpho. Epilogus.

Revera glorioſior fuit tua aſcenſio, quam deſcenſio è cælo, quia in hac videbatur deprimi tua divinitas, & in illo maxime ſublimari tua ſacra humanitas, ut oſtenderunt Angeli tibi obvii facti in veſtibus albis.

Quomodo non apparuiſti glorioſior in aſcenſione cum eſſes Rex gloriæ, & ſol ſupernus ornatus Alone tuæ carnis, quæ adeò conſpicuum te reddidit?

Ita, ita magis conſpicuus, & pompoſus fuiſti ad portas cæli quando aſcendiſti, quàm dum deſcendiſti, & fuiſti ſol vigoroſior, & pompoſior abiens ex foſſa ſepulchri, ex Perigæo terræ ad culmen cæli, & Apogæum ſinus paterni, quia à ſiniſtra perrexiſti ad dextram Patris, ab humiliationibus ad ſummitatem, & altitudinem gloriæ. Da ut cordibus te comitemur, & relictâ terrâ affectu tecum eamus in cælum, ibique fruamur tua majori gloriâ, & exaltatione. Amen.

ELOGIUM XII.

Pro feſto Pentecoſtes.

Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis. Act. 2.

Meteora. I. NOnnunquam cum ſtupore & admiratione etiam mediocriter verſatorum in arcanis naturæ, comparet in aëre imago & forma quædam ignea, quæ exhibet figuram columnæ pyramidalis, vel etiam perpendiculi. Præterea ſubinde ſuprà capita hominum valde inflammata videmus aliam flammam, quæ videtur velle abſumere illorum laſſorum ſubjectorum. Non eſt dubium (NN.) quin hi ignes ſint impreſſiones Meteorologicæ ignitæ, & quidem primam vocant ignem perpendicularem, ſecundâ ignem lambentem: hæ porrò impreſſiones dum apparent in aëre, movent animos curioſorum ad inveſtigandum, qualiter generentur in aëre.

Verſati in meteoris, affirmant ignem perpendiculatem, vel Pyramidalem, nil aliud eſſe, quam exhalationem viſcoſam & denſam, attamen diverſæ qualitatis, eum quaſdam habeat partes craſſiores, quaſdam ſubtiliores, partes craſſiores cum ſint ponderoſiores, ſunt in partibus inferioribus quaſi baſis & pes columnæ: partes autem ſubtiliores & tenuiores, juxta conditionem rerum ſubtilium occupant locum ſuperiorem; & quia præfata exhalatio directè aſcendit in aëre, & quò altius aſcendit, eò fit levior & ſubtilior, hinc fit, ut formet figuram pyramidalem aut perpendiculum.

Et ſi aveatis ſcire, à quo accendatur hæc impreſſio meteorologica, doctiores hujus artis reſpondent, quod cùm exhalatio illa in ſe ſit calida, ſicca & valde diſpoſita ad concipiendum ignem, hic vel dum cadit ex illo elemento, illam accendit ſi exhalatio ſit valdè ſublimata in aëre, vel ſi ſit propè terram, accenditur, vel per antiperiſtaſin frigoris, vel per colliſionem ad alias exhalationes & ſic videtis, quomodo generetur ignis perpendicularis.

Alia etiam impreſſio, vocata *Ignis lambens*, juxta eoſdem profeſſores eſt exhalatio rara & ſubtilis, diſperſa per aërem, adeò ſæpè depreſſa, ut videatur ſuprà capillos hominum: & quia eſt ex materia rara & ſubtili, ideò fit, ut tandem concipiat ignem, vel accenſa à calore ſpirituum prodeuntium è capite eorum, qui vehementi agitatione ſe movent, vel per antiperiſtaſin aëris frigidi ambientis exhalationem; nam dum calor à vi frigoris arctius conſtringitur, facillimè illa exhalatio incenditur, cum ſit facilis incenſionis. *Et en ignem habentem*, qui inſtar linguæ videtur lambere caput illius ſupra quod apparet.

II. Poſtquam Salvator noſter ſpectantibus ſuis diſcipulis, & duobus Angelis veſte albâ amictis ſubiiſſet in cælum videns Apoſtolos velut orphanos relictos in terra, juſſit illos redire Jeroſolymam, ac promiſit ſe illos nequaquam deſerturum: hac ſpe freti reverſi ad urbem aſcenderunt altiſſimum conclave cœnaculi, & dum ibi unanimiter vacarent orationi, en ſubitò ex improviſo vehementem & impetuoſum audierunt ventum, ac ſimul linguæ flammæque ignitæ ſupra capita eorum apparuerunt: *Factus eſt repente de cælo ſonus tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſuprà ſingulos eorum.* O ignis perpendicularis! ô ignis lambens! ignis perpendicularis & pyramidalis inſtar perpendiculi apparuit ſuprà Apoſtolos, ignis lambens inſtar linguarum linguæ pyramidales viſæ ſunt ſupra capita eorum: *Et apparuerunt, &c.* O quam illuſtres, quam ſtupendæ impreſſiones meteorologicæ fuerunt iſti ignes, qui infinitos mundos, ſi darentur, in ſtuporem raperent? nihilominus noſtrum miratur

Applicatio.

Act. 2.

ſæcu-

ſæculum, & ſtupor quotidie creſcit, dum noſcitur, qualis ſit & qualiter producatur iſte ignis.

Eccleſia. Ignis qui deſcendit ſuper Apoſtolos, eſt Spiritus S. *Apparuerunt illis ſedit q; ſupra ſingulos eorum Spiritus S.* canit S. Eccleſia hoc ſolemniſſimo die. Vapores & exhalationes, quæ è cordibus & pectoribus S. Apoſtolorum evolant, ſunt orationes Apoſtolorum: *Et erant unanimiter perſeverantes in oratione.* Exhalationes & ſubtiliores quò puriores fuerunt ab affectibus terrenis: eò ſubtiliores, quò magis cæleſtes; Vapores eò magis diſpoſiti ad concipiendum ignem Spiritus ſancti quò ardentiora ſecum habebant Apoſtoli deſideria, quibus flagrabant iterum videndi ſuum magiſtrum, ſicut Angeli iis promiſerant: *Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à* Act. 1. *vobis in cælum ſic veniet, quemadmodum &c.* Exhalationes tanto calidiores, quando corda eorum magis accenſa & fervida evolabant verſus cælum, ſpe certâ freti concipiendi illum ignem cæleſtem, quem ante aſcenſum Chriſtus iis promiſerat: *Accipietis virtutem ſuperveni-* Virtutem *entis Spiritus S. in vos.* O ſanctiſſimi Apoſtoli; ecquis neſcit, quod dum vos ſpiraretis è cordibus veſtris vapores adeò ſubtiles & ardentes amore Dei, & diſponeretis animas veſtras diſpoſitionibus adeò aptis ad recipiendos favores Spiritus ſancti in figura ignis perpendicularis & lambentis, delaberetur è cælo, & ſupra vos appareret? nam nulla eſt major diſpoſitio quæ alliciat, ne dicam neceſſitet, vel violentet Deum, ut deſcendat in corda humana plenitudine ſuarum divinarum gratiarum, quam aſcendere, & ſe abſtrahere à rebus terrenis, & mundanis affectibus, ac ſublimari ad contemplationem rerum cæleſtium & divinarum, ſicut vos aſcendiſtis ad ſublimiorem partem cœnaculi, ubi ſoli contemplationi cæleſtis paradiſi vos dediſtis ſemoti, & abſtracti ab omnibus rebus mundanis, quæ ſola impediunt copiam divinorum favorum, & plenitudinem gratiarum Act. 1. cœleſtium. *Et cum introiſſent, in cœnaculum aſcenderunt, ubi manebant Petrus & Ioannes, &c. Et hi omnes erant perſeverantes in oratione: & en tunc apparuerunt illis, &c.*

De hoc hodie diſcurram.

ASSUMPTUM.

Spiritus ſanctus inveniens Apoſtolos inanes, & ſeparatos ab effectibus terrenis, implevit eorum corda favoribus cæleſtibus.

Scriptura. III. SAlvator noſter, dum quadam die doctrinis tribueret cæleſtibus, ſuos diſcipulos inter alia documenta, ſic eos affatus eſt: diſcipuli mei dilectiſſimi, ſcire vos velim quod neceſſarium ſit, ut ego à vobis abeam, & ad patrem meum in cælum redeam: *Vado ad eum, qui* Ioan. 16. *miſit me;* & quia me non latet, vos ſummo mœrore his verbis meis afficiendos, ideo vobis ſincerè edico hunc abitum meum vobis valdè proficuum fore: *Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum; ſed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam,* & ne habeatis cauſam vos vexandi variis phantaſiis, & variis diſcurſibus inquirendi cur meus diſceſſus à vobis ſit pro bono veſtro neceſſarius, ſcitote Spiritum S. ad vos non venturum, niſi ego ad cælum abeam, *ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, ſi autem abiero, mittam ad vos.* Scripturiſtæ, dum lego hanc ſcripturam extra me rapior, ut contentari nequeam: Salvator decreverat Spiritum S. è cælo mittere, ut corda Apoſtolorum donis, favoribus & gratiis cæleſtibus adimpleret, & tam firmiter aſſeverat, ſi ipſe non abeat, Spiritum S. ad eos non venturum: *Si enim non abiero,* &c. & cur quæſo hoc nequeat fieri niſi Chriſtus abeat? quale potuit præſentia corporalis Chriſti ponere obſtaculum adventui Spiritus S.? memineris ô ſalvator mi, quod quadam vice inſufflando in Apoſtolos dixeris: *Accipite Spiritum* S. & c. Ioan. 20. Dic quæſo, nonne tunc Spiritus S. in corda Apoſtolorum deſcendit? quinimò, alias tua verba fuiſſent falſa, & nos fide credere debemus, Apoſtolos tunc recipere Spiritum S. Et tamen mi Salvator necdum aſcendens ad cælos, ſed erat corporaliter præſens tuis Apoſtolis, quomodo ergo nunc dicis: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos?* an forſan Spiritus S. eget legato, qui eum vocet, vel roget, ut dignetur è cælo deſcendere pro bono Apoſtolorum tuorum? vel an ita diſcors es à Spiritu S. conſolatore, ut cum eo apud diſcipulos morari non poſſis? qui horum aliquid affirmaret, temerarius foret, cur ergo Redemptor animarum noſtrarum

rum adeo amate à tuis discipulis, hoc tam triste, & infaustum illis refers nuntium, quod necesse sit te abire, alias Spiritum Sanctum non descensurum, nec eorum corda repleturum donis, favoribusque cælestibus?

Serm. 6. in Ascens. Valdè benè (N. N.) adhoc respondet S. P. Bernardus: quod Apostoli tam tenero & affectuoso amore prosecuti sint humanitatem Christi, ita ut nescio quid humani, & terreni habuerit, ex hoc quod tenderet & terminaretur in humanitatem Christi, quæ ex se dignissima illo amore erat. Hic igitur affectus, esto alias esset deputatus, & benè impensus, quia tamen quendam humanum saporem commixtum habebat. Hinc impediebat communicationem perfectam & totalem favorum & gratiarum Spiritus sancti. Et quia Salvator jam desierat infundere eorum cordibus plenè gratias cælestes, ideo existimabant, ad efficiendos eos perfectè capaces & dispositos, necessarium esse, quod suam iis subtraheret præsentiam corporalem; ut etiam ab hoc affectu abstracti, largâ manu, abundantiam & plenitudinem gratiarum donorumque cælestium reciperent. Divinè S. Bernardus: *nisi carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, Spiritualis gratiæ plenitudinem mens occupata non admittit, non recipit animus, non capit affectus. Ingressus Spiritus sanctus in animas Apostolicas cum plenitudine suorum donorum & favorum, exigit adeò perfectam dispositionem & abstractionem tam absolutam à rebus terrenis, ut Christus ipse non censuerit suos discipulos incapaces talium favorum ob solum tenerum affectum quo prosequebantur ejus sacratissimam humanitatem, quam vis eo dignissimam. Et ideò dum post discessum Christi ab eo essent purgati, Spiritus sanctus descendit, ut perfectissimè eorum corda suis donis repleret, nisi carnis, &c.*

Philosophia. IV. Philosophi, minus non possum, quam quod hunc locum Scripturæ quadam exquisitissimâ & subtilissimâ doctrinâ vestrâ illustrem. Vos scitis, & docetis, quod natura abhorreat vacuum tanquam suum capitalem hostem, adeò etiam ut res naturales (ne in orbe hæc pestis reperiatur quæ totum universum invertere potest) vim sibi inferant, & talia agant, quæ particularibus earum inclinationibus adversantur, & nocent: aqua quantumvis ex natura sua gravis, ponderosa, & ad descensum inclinata sæpius ascendit: aër ex se levis descendit, vorbo, omnes naturales res in confusionem agunt, & conjurant concordes esse cum cujusque particulari dispendio, contra hunc juratum hostem naturæ earum matris. Hoc supposito; quæso, vos Philosophi, resolvite mihi hoc dubium: Admisso, quod Deus ex suâ potentiâ, quâ creavit hæc quatuor elementa: aërem, ignem aquam & terram, ea annihilaret, prout sine dubio facere potest, & in eorum locum nullam rem de novo produceret, an loca occupata ab elementis destructis, manerent vacua?

Nonnulli Philosophi, qui tanti faciunt acumen ingenii sui, ut nec hilum curent si contradicant dogmatibus Aristotelis à præstantioribus Academiis admissis, tam nostri, quam prisci sæculi, asserunt certis quibusdam experientiis moti, quarum rationes non penetrant, vacuum sine ulla repugnantia posse dari in rebus naturalibus, hinc cum illud non contradicat rebus naturalibus, & posse dari, uti putant se demonstrasse, respondere debent destructis elementis loca ab iis antea occupata vacua futura: non advertunt tamen hi Philosophi, quod si vacuum foret dabile, tantas turbationes non successuras in rebus particularibus, prout & ipsi concedere tenentur: siquidem si vacuum sit possibile, cur aqua alias gravis ascendit, ut repleat locum vacuum relictum ab aëre, cum hoc sit contra inclinationem aquæ?

Ideo Philosophi adhærentes Peripateticorum magistro docent non posse, nec debere admitti ullum vacuum, prout tot experientiæ demonstrant, adeoque nec in casu posito dandum vacuum, sed illum locum replendum affirmant; quod si quæras, à quo, præstabunt, quod si aliud corpus non foret, cælos ipsos rarefiendos, & in tantum descensuros, quam tum necesse foret ad implenda loca ab elementis vacua relicta. Nec cæli aliud facere possunt, quia plus obligantur conservationi universi, quam proprio bono: quin imò descensus & rarefactio nec in minimo contrariaretur eorum naturæ, cum cuilibet parti universi connaturale sit se impendere bono universali, etiam cum præjudicio proinclinationis: sic enim videmus, quod manus se exponat percussioni sibi nocivæ ad tuendum caput. Et hæc à doctioribus verior censetur opinio.

V. Nunc

Applicatio.

V. Nunc redeamus ad Spiritum Sanctum, S. Apoſtolos. *Si enim non abiero*, &c. quid amabo (N N) cenſetis, quod ſit cor hominis mundani refertum & immerſum affectibus terrenis ? nil aliud, quàm locus repletus à quatuor elementis : ſi vos contemplaremini conditionem talis, inveniretis in eo elementum aquæ effrenis libidinis, terræ elementum arefactæ avaritiæ, elementum ignis, ignitæ concupiſcentiæ, elementum aëris vanæ ſuperbiæ, hæc ſunt quatuor vitia capitalia, à quorum combinatione dein omnia alia originem trahunt ; hæc ſunt illa elementa principalia, quæ occupant cor hominis mundani, & quamdiu hic locus refertus erit his mundanis affectibus, non erit capax, ut recipiat favores cæleſtes : cælum non deſcendit, ut locum illum repleat per favores
Gen. 6. Spiritus ſancti : *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt* : cæli, & elementa ſe non compatiuntur, affectus cæleſtes non ſtant ſimul. *Non permanebit Spiritus meus, &c.*

Vultis nunc, ut cælum rarefiat, & deſcendat ad replendum hunc locum & ſpatium cordis veſtri ? neceſſe eſt, ut elementa, ut affectus mundani, qui occupant cor, deſtruantur, & annihilentur, ejicite è corde veſtro affectus terrenos. Et ita illud evacuate, ut nullus remaneat, & ſic pro certo non remanebit vacuum, ſed Spiritus ſanctus, ipſum cælum rarefiet, & deſcendet, ut ſuis gratiis, & favoribus hunc locum occupet, vacuo enim nec in minimo contrariatur gratia, & Spiritus ſanctus, eſto illud abhorreat ipſa natura : hinc dicebat B. Laurentius juſtinianus loquens de corde humili, quod nullam
In ligno vitæ de humil. c. 3. appetit rem terrenam, ſed ab omnibus ſe evacuat, dicit : quod gratia cæli in tali caſu non poſſit minus, quàm ut deſcendat, & illud repleat : *Sicut natura abhorret vacuum, ita cor humiliatum quin illud impleat.* Et quo perfectius fuerit evacuatum cor : & deſtructa hæc elementa terreſtrium affectuum, eò facilius, & copioſius rarefiet cælum, & deſcendet Spiritus ſanctus, ut illud repleat ſuâ gratiâ cæleſti.

Chriſtus inceperat hæc elementa terrenorum affectuum deſtruere, & ab iis evacuare corda Apoſtolorum, eos ſeparaverat, & abſtraxerat à mundo, attrahendo eos ad ſui ſequelam, & ut ſe pauperem, & nudum imitarentur ; ejus inſtructioni paruerunt, ut ex eorum proprio teſtimonio ſcimus : *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Prætereà illos exhortatus erat, ut & iis ſe evacuarent, quæ omnes homines judicarit eſſe neceſſaria : *Nolite parare ſaccum, neque calceamenta, & neminem per viam ſalutaveritis*, & eo uſque illos diſpoſuit, ut cælum incideret rarefieri, & deſcendere Spiritus ſanctus, ut eorum corda repleret : *Et ſufflavit & dixit &c.* Veruntamen & totali plenitudine non poterat in eorum corda deſcendere cælum, quia reſtabat adhuc neſcio qualis affectus, qui quantumvis eſt & aliàs ſanctus, & pius, nihilominus participabat aliquid humani, affectus nempe, & amor, quo proſequebantur ſanctiſſimam humanitatem Chriſti, cujus præſentia corporalis erat cauſa illius teneri affectus. Chriſtus itaque ſummoperè deſiderans totalem plenitudinem favorum cæleſtium iis communicare, dum cognoſceret hunc quantumvis bonum affectum, hujus rei eſſe obſtaculum, dixit iis ſuum abitum eſſe neceſſarium, ut deſtructo hoc exiguo elemento affectus humani, cælum totaliter rarefieret, & Spiritus ſanctus ad replendum vacuum eorum cor deſcenderet. *Niſi carnis præſentia, &c.* Et vix Chriſtus diſceſſerat, & *repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto.*

Matth. 19.

Luc. 10.

Joann. 24.

Bern.

Act. 1.

VI. Magnum fuit portentum Rubus ille, quem Moyſes vidit ardere, nec tamen conſumi, vel in minimo lædi, ut in exodo refertur. Moyſes formam adeò ſtupendam admirans, ſe reſolvit rem indagare, & tentare, an non clarè poſſet cognoſcere, quomodo ille rubus arderet, nec tamen conſumeretur. *Vadam* inquit, *& videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Moyſes ei appropinquabat, & mox ſimilem vocem audiebat : *Ne appropies huc, ſolve calceamentum de pedibus tuis : locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* O Moyſes cave, nec calceatus accedas huc, viſurus hoc portentum, ſed ſi velis huc venire, pone calceos, non enim convenit terram adeò ſanctam pedibus calceatis calcare. *Solve calceamentum de pedibus tuis.* Moyſes calceatus non poterat fieri particeps tot favorum, quia terra illa erat ſancta ? quale eſt myſterium ? nonne ſanctum eſt templum Dei ? nonne ſanctum eſt altare

Scriptura *Exod.* 3.

altare? & tamen hoc non obſtante, nunquid nos calceati intramus templum, & adimus altare? Audite, & videte Patriarcham Abrahamum juſſu Dei ſubire montem, in quo offerre debebat Unigenitum filium ſuum Iſaac, montem, qui poſtea vocatus fuit *Dominus videt*, vel *Dominus videbit*, montem electum à Deo, & deſtinatum ædificationi templi, in quo debebat ab omnibus divina ſua Majeſtas adorari; ex quo jure meritiſſimo concludi debet, terram illius montis non ſolùm fuiſſe ſanctam, ſed ſanctiſſimam: & tamen non legimus Deum juſſiſſe Abrahæ, ut deponeret calceos, imò Abraham calceatus illum montem aſcendit, montem ſanctum, montem viſionum, & favorum divinorum, montem in quo ipſe Abraham debebat ædificare altare ad ſacrificandum Iſaac Deo: quale eſt hoc Myſterium? Verum eſt, quod Abraham fuerit ſanctus, & magnus amicus Dei, ſed & id verum eſt de Moyſe, qui dignus fuit eſſe Dux populi Dei, terra in qua ardebat rubus, erat ſancta & conſecrata Deo, & Mons quem debebat Abraham ſubire, etiam erat ſanctus, & conſecratus Deo, magna erat gratia, & privilegium maximum, quod Moyſes fieret particeps iſtius prodigii, quomodo arderet rubus, nec tamen combureretur: ſimiliter erat gratia ſingulariſſima à Deo conceſſa Abrahæ, ut aſcenderet montem divinarum viſionum, & ibi æterno Patri Unigenitum filium ſuum immolaret. Si hæc duo ſunt ſimilia, cur Abraham permittitur calceatus aſcendere montem, & Moyſes prohibetur calceatus adire rubum?

Orig. Pulcherrimè Origenes in hunc locum: *Moyſes non permittitur aſcendere, ſed ei ante dicitur: ſolve calceamentum de pedibus tuis: Abrahæ nihil horum dicitur, & Iſaac, ſed aſcendunt, & calceamenta non deponunt, illa forſan eſt ratio, quod Moyſes quamvis magnus eſſet, tamen de Ægypto veniebat, & erant aliqua mortalitatis vincula pedibus ejus annexa: Abraham autem nihil horum habet.* Valdè bene; certè gratia fuit maxima, quod hi duo magni ſervi, & amici Dei fuerint redditi digni à divina Majeſtate, unus ut videret grande oſtentum, & indicibile potentum cæli, alter ut ſubiret montem viſionum divinarum: nihilominus non permittitur Moyſi adire rubum & illum favorem Dei recipere calceatus, Abraham verò calceatus permittitur aſcendere montem viſionum. Sed ne miremini hanc differentiam, quia eſto ambo eſſent ſancti, tamen pedes Affectuum Moyſis erant infecti, albigati, & inquinati aliquo nævo, viſco, & laqueo terrenarum rerum; Abraham verò adeò expeditus erat à carnalibus & terrenis affectibus. Ut libentiſſimè filium ſuum Unigenitum Deo ſacrificare decreverit. *Illa forſan, &c.* Scimus quippè eum, qui vult recipere favores celeſtes, prius debere exuere affectus mundanos.

Et ideò ſanctiſſimi Apoſtoli, qui aliquo affectu, habente aliquid humanæ affectionis ergà Sacratiſſimam humanitatem Chriſti tenebantur, fuerunt æſtimati incapaces gratiæ Spiritus ſancti. Ut igitur hic in eorum corda deſcenderet, eaque favoribus ſuis impleret, neceſſe fuit Chriſtum corporaliter ab ipſis diſcedere, & in cælum aſcendere, ut ſic purgato illo affectu diſponeret eos ad recipiendum totalem plenitudinem Spiritus ſancti.

Meteora. VII. Nobiliſſima (N. N.) experientia quam ad fallendum tempus probant pueri, eſto cauſam illius indagare omittant; Accipiunt ovum crudum, & in ejus capite exiguum formant foramen, è quo quicquid eſt albuminis, & vitelli effundunt, & poſtquam totum effuſum eſt, implent illud rore cæli, claudunt que foramen benè, ne ros effluere poſſit, mox ovum exponunt ſoli, & ecce ſtatim ovum tanta velocitate verſus ſolem pergit, ut oculus (ſi loqui fas ſit) illud aſſequi non poſſit, ſed perdit illud, hoc ipſum ſæpè practicatum eſt à pueris, maximè in Liguria, de quo etiam teſtatur eminentiſſ. Card. Cuſanus. Hic N. N. curioſum me demonſtro ſciendi, quomodo illud ovum rore repletum poſſit ex ſe ſalire in altum, tanta velocitate è terra verſus cælum currere, cùm aliàs ſe è terra ſublevare nequeat. Profeſſores Meteororum dant hujus rei rationem ſanè nobilem ex ærario ſuæ artis natam, & dicunt id provenire à rore, & à ſole, à rore quidem, quia cùm hic ſit humor valdè ſubtilis, & tenuis, quando exponitur ſoli, cùm hic ardentior eſt, & aëre calidior, magis à ſole attenuatur, & vi hujus attenuationis fit ſubtilior, & redditur ſimilis aëri Et ſicut vapores, quia ſunt valdè tenues, & ſubtiles, facilè aſcendunt, & ſublevantur verſus cælum: Sic ros vi illius caloris magis attenuatus, & quaſi reſolutus in aërem, facillimè aſcen-

aſcendit. Sol etiam eſt hujus rei cauſa : habet enim in ſe quandam virtutem attractivam , prout experientia demonſtrat , per quam attrahit vapores , & exhalationes à terra & aqua , eoque facilius , quo fuerint ſubtiliores , & leviores. Cùm ergò ros ſit leviſſimus, & tenuiſſimus, hinc fit, ut per virtutem attractivam ſolis Ovum velociſſimè verſus cælum ſublevetur. Sed qui hoc practicant, obſervant , quod ſi ovum non ſit perfectè purgatum , exſiccatum , & evacuatum ab omni materia , licet ſoli exponatur , illud non tamen aſcendere : quia cùm illa materia ovi ſit craſſa , pinguis , & ponderoſa, impedit ſublevationem ovi. Optima Philoſophia.

Applicatio. VIII. Nunc ad Spiritum Sanctum , & Apoſtolos : *Solve calceamentum.* Ros cæleſtis eſt gratia divina, quam cælum pluit, & Chriſtus produxit : *Gratia , & veritas per Jeſum Chriſtum facta ſunt.* Ros è cælo lapſus ad irrigandos , & fœcundandos campos animarum Chriſtianarum , ros quidem coagulatus à Deo , ſed evaporatur à terra animæ rationalis : Siquidem , ut docent plures Theologi , *gratia educitur de potentia anima obedientialis.* Ros ſubtiliſſimus, & cæleſtis, quia eſt qualitas ſpiritualis, & conditionis divinæ, cùm faciat animam Deiformem docente Apoſtolo. *Joan.* 1. 2. *Pet.* 1. *Ut per hoc divinæ efficiamini conformes naturæ.* Ova , & quidem ſtruthionum fuerunt Apoſtoli , ut obſervat Abbas Guiſſolenſis. *Ova ſtruthionis fuerunt Apoſtoli ex Judæis orti.* Ova aliquando plena materia craſſa pingui , & terrea, velut illa ; qua degentes in mundo adhorebant rebus terreſtribus : Sed à Chriſto vocati ad Apoſtolatum mundo valedixerunt : hic enim reliquit piſcationem , ille rete , iſte telonium, omnes domum, parentes, fratres , ſorores reliquerunt. Hinc dicebant ad Chriſtum : *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Nec ſolùm evacuarunt corda à rebus magis materialibus , ſed etiam quod plus eſt, à deſideriis & affectibus mundanis , tam perfectè ejicerunt omne id , quod poterat ſapere aliquid humani, & terrei , ut & illo affectu ſe ſpoliarint, quo proſequebantur humanitatem Chriſti. *Matth.* 11.

O glorioſiſſimi Apoſtoli ! dicite poſt hanc totalem evacuationem rerum terrenarum quibus rebus eſtis repleti ? an forſan corda veſtra fuerunt cortex ſeu ovum omnino vacuum ? nequaquam , nam cælum non attrahit eos , qui affectibus terrenis evacuati non replentur rebus cæleſtibus. Fuiſtis, itaque repleti rore cæleſti gratiæ divinæ , & favoribus Spiritus ſancti. *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto*, & quidem tam plenè , & perfectè , ut expoſiti radiis ſolis benedicti Dei , attenuati, & ſubtiliſſimi redditi , attracti fueritis verſus cælum ad contemplationem Dei, & bonorum cæleſtium , tantaque velocitate iviſtis prædicatum per orbem , ut præſtupore comparati fueritis nubibus per cælum volantibus : *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant* ? hinc meritò dixit Cardin. Cuſanus : *Anima evacuatis omnibus mundanis deſideriis repletur rore gratiæ , ut poſſit per ſolem juſtitiæ ſurſum attrahi.* *Iſa.* 60.

Sed quomodo fuiſſet poſſibile vos repleri rore cæleſti divinæ gratiæ, & Spiritus ſancti, ſi remanſiſſet aliquis affectus terrenus in cordibus Veſtris, nec illa fuiſſent totaliter evacuata ? quomodo fuiſſet poſſibile , quod tanta velocitate , & facilitate ambulaſſetis verſus cælum, & favoribus divinis fuiſſetis affecti , ſi aliquis etiam exiguus affectus terrenus fuiſſet relictus in ovo cordis veſtri ? Si Moyſes non fuit dignus aſcendere, ut videret rubum , qui ardebat, non tamen comburebatur , niſi prius exueret calceos ſuos , qui corrigiâ Ægyptiacâ colligati erant, ſymbolo terreni affectus : quomodo vos potuiſſetis favores Spiritus ſancti recipere , niſi prius perfectè evacuati fuiſſetis ab omni affectu qui ſaperet aliquid humani, & terreni ? Dicamus ergò, quod Spiritus ſanctus promptè rore ſuæ gratiæ deſcenderit , ut ova veſtrorum cordium repleret , & quod ideo fuiſtis habilitati , ut tam celeriter ſaliretis ad cælum , ad contemplationem Dei, ad diſſeminandum ſemen doctrinæ Evangelicæ pro bono populorum : quia fuiſtis totaliter vacui , & ab affectibus terrenis evacuati. Diſpoſitio ſanè neceſſaria ad recipiendum rorem cæli , diſpoſitio , cui ſola plenitudine ſuorum favorum Spiritus ſanctus correſpondet. *Repleti ſunt omnes , &c. Anima, &c.*

Scriptura. IX. Dum coram diſcipulis in monte Thabor Salvator transfiguraretur , Petrus videns Chriſtum adeò glorioſum, motus deſiderio ſemper glorioſiſſimi facie ſui Magiſtri fruendi, facultatem petiit extruendi tres domunculas, in quibus ſemper commorari poſſet : *Domine bonum eſt nos hic eſſe, ſi vis faciamus hic tria tabernacula.* Subintrat hic (N. N.) S. *Matth.* 17.

Andreas Cretenſis, & hoc modo Petrum Apoſtolum interrogat: O bone Senicule, eccur perſuadere vis tuo Magiſtro, ut habitare velit in vertice illius montis? meo judicio potius ei perſuadere debuiſſes, ut è monte deſcenderet, ſicque glorioſus intraret Hieroſolymam, gloriamque ſuam manifeſtaret illis populis, qui forſan ad conſpectum adeò glorioſum converterentur? Quod ſi aliud non effeciſſet hoc deſcenſu, adminus oſtendiſſet, quod eſſet Deus, quia tantâ gratiâ, & majeſtate fulgentem ſe exhibuiſſet. Hoc non obſtante, Petrus magis motus proprio intereſſe, quàm utilitate Chriſti aliud vult, ut ſcilicet glorioſus in monte illo remaneat, ibique tria extruat domicilia: *Domine bonum eſt*, cur (inquit S. Andreas Cretenſis) hoc prætendis? Et vices agens Petri reſpondet: *Ut à turbulentâ hominum vexatione liberati, & animâ & ſenſu per ſeparationem à turbis purgati, inexplicabili tuæ Divinitatis apparitione hic fruatur ſine intermiſſione.* Quam divinè! nullam ob aliam cauſam, inquit Petrus, ego cum Chriſto glorioſo manere volo in hoc vertice montis, quàm ut frui poſſim ſine interruptione indicibili gloriâ mei transfigurati Magiſtri, qua reverâ non ita ſecurè frui poſſem, ſi degerem inter turbas, & tumultus hominum: Sed quamdiu ero corpore, & anima à turba ſeparatus, & ſemotus, ſecuriſſimè & facillimè ea gaudebo; quia optimè ſcio, Dei eſſe conditionem, ut non communicet gratias & favores ſuos, ac dona Spiritus ſancti, niſi iis, qui à terrenis abſtrahuntur, eaque vilipendunt. Ideo *bonum eſt nos, &c. ut à turbulentâ, &c.* Cautiſſimè Petre, providiſſimè Apoſtole, doctiſſimè diſcipule, qui ità benè penetras genium Dei.

Non abſimili modo poſt Aſcenſionem Salvatoris, diſcipuli reverſi in Jeruſalem, teſte Sacro textu, aſcenderunt ad altiſſimam partem cœnaculi, ibique in oratione perſeverantes expectabant adimpletionem promiſſi ſibi à Chriſto facti, quo promiſit eos repletos donis Spiritus ſancti: *Vos autem ſedete in Civitate, donec induamini virtute ex alto.* Aſcenderunt ad ſupremam partem domus, & non ſolum corpus, ſed & ſpiritum, hærendo in aſſidua contemplatione cœleſtium extra ſe acti avulſerunt à terra, & tumultibus mundi: & en in hoc modo diſpoſitos deſcendit Spiritus ſanctus, eoſque ſuis donis replevit, qui mundo, & ſeipſis erant evacuati. *Et repleti ſunt, &c.* Philoſophia & Theologia.

X. Illuſtremus quæſo vos, hunc locum ſcripturæ eruditione partim Theologicâ & Philoſophicâ; inquirunt Theologi, an Deus quandoque ſuſcitet ſomnia in dormientibus, ſic ut poſſit dici eorum author, & cauſa? prætereà quærunt: cur Deus ſua arcana potius revelet tempore ſomni quàm vigiliæ? Ariſtoteles omnino reprobat divina ſomnia. Ratio ejus hæc eſt, quia Deus ſomnia cauſaret potius in peritis, doctis, & ſapientibus viris, quàm in vilibus, plebeis, ac rudibus, quos tamen crebrius ſomniare, quàm ſapientiores experientia docet. Verum non advertit Philoſophus, Deum nulli ſorti perſonarum alligari, ſive ſint nobiles, ſive ignobiles: ita ut ſua oracula & arcana cui libuerit referare poſſit, & ut legitur in S. Scriptura, illa etiam ſapientioribus in ſomno ſæpè aperuit. *Cap. 25.*

Hinc Hugo Victorinus (*de ſpiritu, & anima*, ſi tamen ſit illius) dicit inter varias ſpecies ſomniorum etiam numerari oracula, & tunc ſomnum dici Oraculum, quando alicui dormienti aliqua perſona gravis & ſancta, vel ipſe Deus apertè manifeſtat, quod futurum ſit, vel non; *Oraculum eſt, cùm in ſomnis aliqua ſancta, graviſque perſona, vel etiam Deus aliquid aperte, vel venturum, vel non faciendum, vel evitandum denuntiat.* S. P. Gregorius etiam inter ſex ſpecies ſomniorum numerat illa, quæ fiunt ex revelatione Dei, & communiter Theologi tam poſitivi quàm ſcholaſtici admittunt has divinas revelationes factas dormientibus, uti S. literæ teſtantur de ſomnio Pharaonis, de Joſeph filio Jacob, de Joſeph ſponſo Mariæ, & aliis. Hippocrates etiam ſic aſſerit: *ſomnium duplex eſt, ſcilicet divinum, & naturale, divinum eſt, quod à Deo injicitur.* *l. 8. moral. c. 13. & l. 4. dial. c. 48.* *l. de ſomn.*

Hac veritate ſuppoſita, quod Deus ſua ſecreta hominibus pandat, inquirunt, cur crebrius ea revelet dormientibus, quàm vigilantibus? & reſpondet: Deum eligere tempus noctis, quia illud majorem excitat reverentiam erga res divinas. Prætereà Deus id facit, quia homo dormiens eſt magis diſpoſitus, & capacior ad recipiendas divinas illuminationes, quàm vigilans: etenim in ſomno anima eſt liberior ab impedimentis, quæ eam privant illa cognitione, eò quod tunc ſit ſolutior, & remotior à functionibus ſenſuum exteriorum, quæ mentem diſtrahunt à cognitione & contemplatione rerum cœleſtium, & divinarum! hinc Doctor

Luc. 24.

I.P.q.12. art.11. ctor Angelicus : *Anima noſtra quantò magis à corporalibus abſtrahitur, tantò intelligibilium abſtractorum ſit capacior. Unde in ſomniis, & alienationibus à ſenſibus corporis magis divinæ revelationes percipiuntur.* Et hinc fit, quod etſi Deus non aſtringatur ad ullum ptæciſè tempus in manifeſtandis ſuis revelationibus, nihilominus ex parte noſtrâ opportunius ei videtur tempus, dum ſomnus finitur, quàm dum profundè dormimus, quia tunc caput magis eſt purgatum à fumoritatibus, & evaporationibus inducentibus ſomnum, & ideo anima eſt liberior, magis diſpoſita, & capax divinarum revelationum.

Applicatio. XI. Nunc ad Spiritum Sanctum, & Apoſtolos : *Domine bonum eſt, &c.* ſomnus dulciſſimus, quies ſuaviſſima, & jucundiſſima animæ eſt Oratio, & contemplatio rerum cæleſtium, & elevatio mentis in Deum. Gen.2. hinc dixit Spiritus ſanctus : *immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam.* Volens Deus Evam creare ex coſta Adæ, huic immiſit ſoporem. Porrò de hoc ſopore Doctores loquentes dicunt, quod fuerit extaſis, contemplatio, elevatio ſingulariſſima Adæ in Deum, hinc alia translatio legit : *miſit Dominus Deus extaſin ſuper Adam. hoc eſt, mentis exceſſum.* Somnus eſt contemplatio, quia colligati ſunt ſenſus externi, & liberi, ac vigilantes interiores, particulariter potentiæ animæ, intellectus, membra, & voluntas; ita ut anima poſſit dicere cum ſponſa: Cant.5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Sopor, in quo Deus abditiſſima ſua myſteria, & ſecretiſſimas illuſtrationes, ac divina ſua oracula communicat animæ, ſicut protoparenti noſtro fecit, qui in ſomno illo extatico fuit illuſtratus, & ſublevatus ad penetrandum myſterium reconditum Incarnationis' juxta Auguſtinum. *Ad hoc extaſis miſſa eſt ſuper Adam, ut ipſius mens particeps fieret, tanquam Angelicæ curiæ, & intrans in ſanctuarium Dei, intelligeret noviſſima.* Sopor in quo Deus facilius & copioſius largitur ſuos favores, quia anima illo tempore eſt magis diſpoſita, & capax ad illos recipiendos, cùm tunc ſit magis libera à ſtrepitibus concupiſcentiarum, & appetitibus rerum terrenarum. Hinc S. P. Gregorius adducens verba ſponſæ : *ego dormio* ait, *ſanctæ mens* Lib. 5. *quòd ſe à ſtrepitu corporalis concupiſcentiæ com-* mor. c. 21. *primit, eò verius interna cognoſcit, & tantò alacrius ad intima vigilat, quantò ſe ab exteriori inquietudine occultat.*

Addite Sanctos Apoſtolos, poſtquam Chriſto ad cælos aſſumpto Hieroſolymam reverſi fuerunt, ſubiiſſe ad altiorem partem cænaculi, & ſuaviſſimo ſopori, ac dulciſſimæ quieti contemplationis ſeſe dediſſe. *hi omnes erant &c.* & en ad finem ſoporis hujus, qui duraverat decem diebus, manè Spiritus Sanctus deſcendit, eorumque animas divinis oraculis replevit. *Repleti ſunt omnes &c.* Cum plenitudine gratiæ fuerunt eis communicata omnia dona, & favores ſpiritus ejuſdem, & ſingulariter donum linguarum, *& cæperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* Intelligentia fuit illis data ſacrarum literarum, donum intellectus, ſapientiæ, conſilii, ſcientiæ cum aliis omnibus, & tunc fuit adimpleta promiſſio iis à Chriſto facta. Joan. 16. *Cùm autem venerit ſpiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

O Lux cæleſtis! ô lux illuminans! ô Spiritus ſancte, dator omnium Donorum! eccur volens manifeſtare tua divina oracula, & replere cæleſtibus cognitionibus Apoſtolos, expectas, quouſque ſe dent ſopori, & quieti contemplationis? an ſtatim poſt reditum in Jeruſalem non potes iis communicare hoſce favores? quinimò, quia non adſtringeris ad ullum tempus vel locum, aut conditionem aliquam perſonarum. Cur ergò prius illuſtras mentes Apoſtolorum, eoſque reddis participes ſuorum divinorum oraculorum, dum ſopore graviſſimo, & ſuaviſſimo contemplationis Dei immerſi erant? Certus ſum, quod mihi reſpondebis, animas eorum tunc fuiſſe magis diſpoſitas, & capaces, quàm aliàs. *Anima noſtra &c.* quia tunc magis erant alienatæ à rebus terrenis, occupationibus, & affectibus mundanis, quia erant in ſuprema parte domus : *Et cùm introirent in cænaculum, aſcenderunt* : aſcenderunt non ſolum corpore, ſed & ſpiritu, corde, affectu; hæc enim ſunt diſpoſitio neceſſaria ad recipiendas cæleſtes irradiationes, & favores Spiritus ſancti. Hinc Petrus caput Collegii Apoſtolici, dum à terra ſequeſtratus moraretur in vertice montis Thabor, volebat ibi manere, figere habitationem in illa ſummitate; ſciebat quippe non eſſe meliorem diſpoſitionem ad recipiendum divinos favores quàm ſequeſtrari, & ſeparari à rebus terrenis. *Ut à turbulenta hominum &c.*

Scriptura. XII. Vates David oſtendebat ſummo ſe deſiderio flagrare fruendi, & guſtandi Deũ; hinc Pſal. 41.

affirmabat non adeò anhelare cervum ad fontem, quantum ipſe cupiebat videre, guſtare, & frui rebus cæleſtibus: *quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Hoc deſiderium adeò ipſum angebat, ut neſcius, quid agere deberet, quòd deſiderio ſuo frui poſſet, diceret, ſe diſpoſitionem hanc adhiduiſſe, ſcilicet, propriam à ſe abjeciſſe animam, ſecurus quod ſic Deo potiretur in propria ejus domo, hoc eſt, quod ſic obtineret, quod vellet, ſcilicet ſic frueretur divinâ ejus Majeſtate, & particeps fieret hujus favoris cæleſtis, qui in ſe continet omnes favores paradiſi. *Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam, quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei.* Chaldæus legit: *effundam ſuper me cogitationem animæ meæ*; perinde ac ſi dixiſſet, video, ad hoc, ut potiar votis meis, hoc eſt, ut recipiam favorem à Deo ſingularem, neceſſe eſſe, ut me reddam capacem, itaque diſponam me profundendo me cogitationibus animæ, & cordis mei, effundam ſuper me cogitationem &c. Ut verum, ſcripturiſtæ non poſſum capere ſenſum horum verborum: nam effundam juxta Grammaticos, idem eſt ac extra fundo, ſicut aqua dicitur effundi è vaſe; quod ſi David loqueretur hoc ſenſu, poſſet ejus dictum tranſire, ſenſus ſiquidem foret, ut diſponerem, & redderem capax cor meum ad favores cæleſtes adeò à me exoptatos recipiendum, ego cor meum à me abjeci, & extra me fudi, hoc valdè congrueret dicto alterius Vatis docentis animam, quomodo ſe diſponere debeat ad gratiam divinam: *effunde ſicut aqua cor tuum ante conſpectum Domini.* Sed verba Davidis id non videntur ſignificare, propter illa quæ ſubdit: *effudi in me*, velut legit Chaldæus: *effudi ſuper me*: namſi adhuc ejus cogitationes ſint in illo, prout demonſtrat illud verbum *in me*, quomodo poteſt dicere, *effudi?* aqua effuſa extra vas, non dicitur amplius eſſe in vaſe, & eam effundens non dicitur, quod illam vaſi infundat, cùm hæc ſimul ſtare non poſſint; quomodo ergò dicit David: *effudi*? & cùm verum ſit, quod non poſſit cogitationes ſuas ſibi infundere, quomodo poterit perfundere ſe, ut hoc modo reddat ſe capacem favorum cæleſtium? & quomodo poterit ſubjungere: *quoniam tranſibo &c.*

Thren. 2.

S. P. Auguſtinus in hunc locum obſervat, illud *effudi* eſſe idem, ac abſtraxi; perinde ac ſi dixiſſet David. Ut reddam me capacem favorum divinorum, & queam pertingere uſque ad domum Dei, animam meam, & cogitationes meas ſupra me fudi, hoc eſt, abſtraxi animam meam, & cogitationes meas ſupra meipſum, nam adverti has cogitationes fuiſſe illas, quæ me impediebant, ne poſſem frui Deo meo, & aſcendere ad cæleſtem habitationem, nunc rem capio. Sed ulterius ſcire vellem, quænam fuerint illæ cogitationes, quæ ei fuerunt obſtaculo, quibus & ſublatis, abſtractiſque, redderetur aptus ad fruendum Deo, & intrandum in Dei domum, gratiam adeò ſingularem?

Reſpondet idem S. Pater, quod fuerint cogitationes carnales, & mundanæ, quæ ipſum affectum Davidis retrahebant. Videns ergò Vates, quod illa dum occuparent cor ejus, privarent eum gratiis divinis, ſic ſecum diſcurrebat, effundam cor meum, illud ejiciam, abſtraham, & ſeparabo me à cogitationibus illis, & hoc modo diſponam cor meum ad recipiendum illos favores. Scio quippè perbenè, quod ſicut nullum eſt majus obſtaculum ad recipiendos cæleſtes, & divinos favores, habitationis, & familiaritatis cum Deo, quàm cogitationes mundanæ, ſic non eſſe diſpoſitionem meliorem ad recipiendos illos, quàm abſtractionem, & alienationem ab eiſdem. Hinc *effudi, effundam ſuper me*, & ſic *tranſibo in locum* divinè Auguſtinus: *abſtrahens ſe ab omni ſtrepitu carnis, & ſanguinis pervenit uſque ad domum Dei.*

XIII. Erudita ingenia, hic conceptus Auguſtini præbet mihi anſam illuſtrandi hunc locum ſcripturæ doctrinâ belliſſimâ erutâ è medullis Metaphyſicæ. Si à Vobis quærerem, quæ inter ſpeculativas ſcientias naturali ratione acquiſibiles ſit nobiliſſima? Scio omiſſis rationibus inefficacibus vos reſponſuros, Metaphyſicam, nec malè, quia dignitas ſcientiæ principaliter ſumitur ab ejus objecto, atqui objectum Metaphyſicæ eſt nobilius objecto phyſices, & Matheſeos, cùm hæc tractet de quantitate, quæ eſt accidens; Metaphyſica autem tractet de ſubſtantia, quæ eſt multò nobilior accidente, ergò Metaphyſica eſt nobilior. Similiter cùm Phyſicus agat de ſubſtantiis materialibus, Metaphyſica

Metaphyſica.

taphyſica autem de ſubſtantiis ſeparatis, & abſtractis à materia, verbi g. de Deo, & intelligentiis, quæ ſunt nobiliores ſubſtantiis materialibus, ideò Metaphyſicam dicitis longè anteire alias ſpeculativas ſcientias, & multò magis practicas.

Sed ego hoc modo diſcurrerem, Cùm Metaphyſica ſit nobilior phyſicâ & Mathematicâ, unde provenit, quod in ſcholis, non doceatur prius Metaphyſica? vos dicetis, id meritò & prudenter fieri, quia intellectus tyronum necdum eſt capax percipiendæ Metaphyſicæ velut magis ſubtilis, hinc paulatim debet diſponi, & manuduci diſciplinis facilioribus, & magis ſubjectis ſenſui; (& ideò antiqui prius ſolebant tradere Matheſin, & poſteà cùm ingenium ſufficienter habilitatum fuerit, imbuitur ſcientiâ, quæ agit de rebus à ſenſu remotioribus, ſubſtantiis ſcilicet materialibus, & tandem cùm intellectus tyronum adhuc magis diſpoſitus eſt, tunc imbuitur Metaphyſicalibus, quæ magis difficiles ſunt quàm præcedentes.

Ego nihilominus diſtinctius ſcire percuperem, unde hoc procedat, an à difficultate materiarum, an verò ab indiſpoſitione tyronum, an ab utroque ſimul? non eſt dubium, quin ab utroque, & quidem à difficultate materiarum; quia hæ ſunt ſubſtantiæ abſtractæ & ſeparatæ à quavis materia, tam ſenſibili, quàm intelligibili, nam ideò habent aliquid divini, & Metaphyſica vocatur divina Philoſophia; & ſicut res divinæ ſunt remotiores ab imperfectionibus materiæ ſenſibilis, ſic difficilius capiuntur, id etiam procedit ab ingenio tyronum, quia objecta Metaphyſicæ requirunt ingenium ſublimatum, & abſtractum à cognitione habitâ per viam materiæ, & ſenſuum, cùm illa à materia & ſenſibus abſtracta, & ſeparata ſint, ſed intellectus tyronum dum primò imbuitur eſt materialis, & non capit niſi materias groſſas, materiales, & ſenſibus ſubjectas, ideò necdum eſt diſpoſitus, & capax, ut percipiat Metaphyſica & divina, in quorum cognitione juxta philoſophos conſiſtit felicitas, & beatitudo humana, quæ apud ipſos eſt ſummum bonum; neceſſè ergò eſt, ſi velis fieri capax ad cognoſcendum res divinas, & frui cognitione illarum, atque percipere ſubtiliſſimas ſubſtantias, ut te perficias, & diſponas abſtractione à rebus materialibus, & in intelligendo te facias immaterialem, ſicut illæ in ſeipſis immateriales ſunt. nam *immaterialitas eſt ratio & cognoſcendi ex parte potentiæ, & cognoſcitatis ex parte rei.*

Applicatio.

XIV. Nunc ad Spiritum ſanctum, & Apoſtolos, *Effudit in me*, gratiæ favores, dona Spiritus ſancti ſunt velut res Metaphyſicales, digniores, nobiliores, & perfectiores cunctis aliis, quia ſunt abſtracta, & ſeparata à materia Carnis, ſenſuum, & concupiſcentiæ, quæ eſt ſeminarium & radix omnis corruptionis, imperfectionis, & defectus. Sunt res Metaphyſicæ, quæ non niſi per accidens, & minùs principaliter ſpectant corpus, & ſanguinem, hinc Chriſtus Apoſtolos: *quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Ne tempus perdatis mei diſcipuli volendo addiſcere, quomodo debeatis providere corpori, & carni, ne annos inſumatis vilibus Philoſophiis, quæ agunt de ſubſtantiis materialibus, quid hodie comeſturi ſitis, quâ veſte induendi. *Nolite ſolliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur*, quia hæ viles materiæ ſpectant ad ingenia rudia, ad Philoſophos naturales, ad gentiles, *hæc enim omnia gentes inquirunt*, perſonæ, quæ totaliter immenſæ hærent rebus terrenis, hæc à Metaphyſicis, à viris ſpiritualibus non debent conſiderari, niſi per accidens, uti monet Apoſtolus: *qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* Gratiæ divinæ, & favores Spiritus ſancti ſunt res Metaphyſicæ, vilitas horum rudium, & craſſorum ingeniorum non habet proportionem cum illis, nec poteſt illa capere, *animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei*, quia res divinæ ſunt totaliter abſtractæ, & ſeparatæ à materia humana, & à rebus terrenis, caducis, & tranſitoriis.

Mat. 6.

1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

Sed quis intellectus, amabo, O Paule, ſit diſpoſitus, ut percipiat & recipiat has res Metaphyſicas Spiritus ſancti? quis erit capax, ut illas penetret? quis cum illis habeat debitam proportionem? facillimè video, me poſſe reſpondere. Intellectus dico elevatus, à ſenſibus abſtractus, & qui ſolet facere abſtractiones intellectus ſpiritualis, prout gratiæ ſpirituales ſunt. *quæ Dei ſunt nemo cognovit, niſi ſpiritus Dei.* Requiritur propriè intellectus Apoſtolicus, qui à ſuo magiſtro imbutus fuerit abſtractionibus à rebus ſenſibilibus. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Intellectus

1. Cor. 2.

ctus talis, factus totus ſpiritualis erit capax, ut recipiat, penetret, fruatur his donis cæleſtibus Spiritus ſancti. Hinc addidit Paulus: *Ibid.* *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Intellectus præterea Davidis valde fuit conveniens, quia iiſdem abſtractionibus ſe capacem reddidit: *Effudi*: & ideo *tranſibo in locum*. Quid ergò mirum, quod Apoſtoli è monte Oliveti poſt aſcenſionem Chriſti Jeroſolymam reverſi aſcenderint ſupremam partem cænaculi, & fervidiſſimis ſe applicuerint precibus, ut reciperent Spiritum Sanctum & gratias ejus? edocti quippe fuerunt à ſuo Magiſtro, ſciverunt ad capiendam Metaphyſicam Spiritus ſancti, ad penetrandas gratias ejus, & recipiendam ejus donain mentibus tanquam totaliter ſpiritualia, & à rebus terrenis abſtracta, neceſſarium eſſe habere diſpoſitionem conformem, & abſtractionem ab affectibus terrenis, & à ſeipſis, & hoc modo ſtatim fuerunt diſpoſiti, & capaces gratiarum cæli. *repleti ſunt &c.*

Epilogus. XV. O Spiritus ſancte conſolator & dator omnium gratiarum Paradiſi! bene videmus, quod veluti ſummum bonum ſis valdè inclinatus, ut communices teipſum, & diffundas tuas gratias in quemcunque, dummodò ritè diſpoſitus ſit. Tu hoc ſolemniſſimo die te exhibuiſti ignem, ignem perpendicularem, pyramidalem, & lambentem ſuper capita SS. Apoſtolorum: ſed quomodo deſcendiſſet ille ignis, niſi reperiſſes exhalationes orationum, & ſuſpiriorum calidorum, ac ferventium ſpirantium è cordibus Apoſtolorum?

Tu es cælum; ſed quommodò deſcendiſſes ad replendum corda Apoſtolorum, niſi inveniſſes illos evacuatos à quatuor elementis: igne concupiſcitiæ ardentis, aëre Vanæ ſuperbiæ, terrâ aridæ avaritiæ, aquâ effrænis luxuriæ; niſi inquam inveniſſes illos etiam purificatos ab illo affectu quo proſequebantur, & quidem meritò ſacratiſſimam humanitatem ſui Magiſtri!

Tu es ros ſuperne; ſed quomodo potuiſſes replere ova cordium Apoſtolicorum, quomodo potuiſſes illa verſus cælum ſublevare ad participationem divinorum myſteriorum, niſi illos reperiiſſes vacuos ab omni terreno affectu, & cum Moyſe depoſuiſſent calceos tenuiſſimorum affectuum, rerum tranſitoriarum, & caducarum?

Tu communicaſti oracula, & manifeſtaſti ſecreta cæleſtia, dando Apoſtolis ſopore graviſſimo deditis, tuum ſpiritum ſeptiformem, intellectum, ſcientiam, ſapientiam, conſilium, cum aliis tuis donis. Sed horum non fuiſſent facti participes, niſi ſuas animas purgaſſent per orationem à fumoſitatibus, & vaporibus rerum terrenarum, quæ occupatione ſuâ turbant cordâ; ipſum caput Collegii Apoſtolici Petrus hanc veritatem agnovit, quod ad recipiendum cæleſtia oracula, non deberet è monte deſcendere, ne vapores rerum terrenarum mentem ejus turbarent.

Tu es ſubſtantia nobiliſſima Methaphyſica totaliter ſpiritualis & abſtracta à quacunque materia; ſed quomodo potuiſſes penetrare corda Apoſtolorum, niſi illa feciſſent perfectiſſimam abſtractionem ab omni materia, affectu ſenſuali? Nam cùm & ipſe et David non potuerit eſſe capax illorum favorum, nempè ut perciperet res Metaphyſicas, & ſpirituales cæli, niſi prius abſtraheudo animam ſuam à rebus terrenis, reddidiſſet ſe ſufficienter diſpoſitum.

Cùm terra & cælum, ſpiritus & caro, non poſſint ſimul ſtare, ideò ſanctiſſime Spiritus tuâ efficaciâ diſpone corda noſtra, abſtrahe illâ à terra, ejice ex illis affectus inordinatos, qui in ipſis ſunt, ut hoc modo diſpoſita cum Apoſtolis poſſint in ſe recipere plenitudinem tuarum gratiarum, & ſpiritualium favorum, quod Deus concedat, Amen.

ELOGIUM

ELOGIUM XIII.

Pro die ſecundo Pentecoſtes:

Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Joan. 4.

Hiſtoriæ. *Lib.* 2. I. PEtrus Maffeius in ſua hiſtoria Indica, velut rem veriſſimam refert, nobilem quendam Indum vixiſſe trecentis annis, & intra illud tempus depoſitis qualitatibus quas ſolent habere Senes, tribus vicibus juventutem ejus renovatam eſſe. Caſum magis memorandum refert Torquemada contigiſſe in urbe Taruntina Anno 1531. nempe ſenis cujuſdam centum annorum etiam decrepitum, & cum morte colluctantis canitie, & cute rugosâ, omnibuſque qualitatibus ſenum depoſitis juventutem adeò perfectè renovatam, ut adhuc quinquaginta annis ſupervixerit, huic rei oportune accinit Ovidius:

7. *Metam.*

——— *Barba comæque,*
Canitie poſitâ nigrum rapuere colorem
Pulſa fugit macies, abeunt pallorque ſituſque,
Adjectoſque cavæ ſupplentur corpora ruga,
Membraq; luxuriant, Æſon moratur, & olim
Ante quater denos hanc ſe reminiſcitur annos.

Hi rari & miri caſus excitant ſubtilia & curioſa ingenia ad inveſtigandum, an talis mutatio naturaliter contingere poſſit? & ſcrupuloſorum, magiſque incredulorum opinione relictâ, qui ſcriptoribus alias veridicis fidem adhibere nolunt, ſed illos caſus putant eſſe fabulas, aut re ipſâ illos negant, vel ſi non negent, dicunt ope dæmonis factos, tranſeo ad opinionem magis expertorum, qui dicunt ſimilia naturaliter & arte medica fieri poſſe: Nam ſi videamus naturaliter fieri renovationem aquilæ, phœnicis, ſerpentis: quomodo hoc privilegium poſſumus negare naturæ? cur negemus id poſſe contingere naturæ humanæ? ad hæc, nonne refert Langius in Inſula Borica novi orbis reperiri fontem quendam cujus aqua vino generoſiſſimo mixta & potata ſenectutem transformat in vegetam juventutem? nonne idem perhibet Petrus Chiera de aqua cujuſdam fontis ſcaturientis in Luacia? cur ergo negabimus hanc prærogativam naturæ, ſi dicemus quod ſe novercam exhibeat homini? Ideo nonne eſt communis opinio Medicorum, declinationem hominis provenire à defectione humidi radicalis? poſito ergò quod quis hujuſmodi humidum recuperaret, nonne homo reſtitueretur juventuti? nec valet dicere, quod hucuſque medicina non reperierit ſecretum adeò nobile, quia necdum medici omnia ſecreta naturæ invenerunt.

Epiſt. med. 79.

p. 1. *hiſt. c.* 41.

Sed quid diceres, ſi olim Medici tale ſecretum inveniſſent? nonne in mentem tibi rediit illud *Elixir vitæ*, ſic vocatum ab Arabibus, quod tantæ fuit efficaciæ, ut ſicut tranſmutat metallum in aurum, ſic hominem in vegeta juventute conſervet, & ſi à ſene ſumatur, paulatim fiat juvenis? Nec benè loquitur, qui dicit, quod ſi homo vitam ſuam poſſet producere ad libitum, & ſenex juvenili ætati reſtitui, tunc poſſet perennare, & ſe ſubtrahere legi mortis, nam illatio deficit, poteſt homo producere ſuam vitam, ergo poteſt ſe reddere immortalem; illud enim libenter concedo, ſed hoc rotundè nego, quinimò illi Theologi, qui arbori vitæ attribuunt virtutem conſervandi hominem in juventute perfecta, ita ut illa virtus conveniat ei naturaliter, adhuc negant, quod poſſit hominem facere immortalem, eſto poſſit vitam ejus ad plurimos annos producere. Ideo concludunt hi Philoſophi, quod poſſit natura & ars perfecta ſenem transformare in perfectum juvenem.

Bignonii Sanctorale.

Applicatio. II. Homo favente Spiritu ſancto vivit in gratia Dei, vitâ ſpirituali, & cæleſti, & conſervatur in primo vere ætatis floridæ, in juventute ſemper vegeta, ita ut quò ſit annoſior, & corpus propius admovetur metæ mortis, eò majores accipiat anima vires, & tanto plus vigoretur, quo majori ſpiritu & fervore in bono proficit: Verum mox ut fræna laxat ſuis inordinatis paſſionibus, quis ignorat quod eodem momento incipiat declinare à juventute tam vegeta, ita ut paulatim, & inanimadvertenter morti ſpirituali animæ approximet: *quod enim* Hebr. 12. *ait Apoſtolus Antiquatur, & ſenuit, prope interitentum eſt.* O quam deformem, fœtidum, ſenem decrepitum, & vicinum morti æternæ ſe reddit homo deſtitutus gratia, robore, & virtute virtute Spiritus ſancti! S. Apoſtolus iis, qui ad terminos talis ſenectutis pervenerunt, inclamat: *Renovamini autem Spiritu mentis veſtræ.* Epheſ. 4. Quid vos agitis, qui non conamini renovare juventutem animæ veſtræ, & eam reſtituere juventuti amiſſæ? an ignoratis forſan, quod in manu veſtra ſit, cum adjutorio cæli illam recuperare, nec ſolum producere vitam uſque ad centenos, vel trecentenos annos, ſed etiam adhuc ultra, quod non poteſt facere natura, nec ars, nec homines, ut animam veſtram reducant ad ſtatum proſperum immortalitatis, & æternitatis ſpiritualis.

Elixir divinum eſt charitas Dei, medi-samen confectum à Spiritu ſancto. *Fructus autem Spiritus charitas eſt.* Elixir, quia ſic eam vocavit Emin: Cardinalis Cuſanus: *Charitas poteſt vocari elixir divinum:* Elixir quod non ſolum purgat animam & mutat eam in aurum puriſſimum, prout advertit hic Emin. Princeps: *perfecta charitas* Exercit. 5. *plumbeas, flammeas, & cupreas operationes tranſmutat in aureas:* Sed præterea tranſformat in juventutem adeò floridam, ut ubi antea videbatur decrepita, & rugoſa, hoc cæleſti medicamine à protomedico Spiritu ſancto confecto recepto, ita ejus juventus renovetur, ut non appareat in eo macula, quinimò hominem è filio Dæmonis, & peccati facit filium Dei, & vivere vita cæleſti, ſpirituali & divinâ. *Charitas tranſmittat filium hominis in filium Dei, faciendo de terreſtri cæleſtem.* Elixir, quod reſtaurat humidum radicale devotionis quò anima recreatur, & acquirit vitam continuam, perfectam, incorruptibilem & æternam, *Charitas eſt calor ſpiritualis habens pietatem humectantem, & continuè viviſicantem animam.*

Aqua fontis Boricæ eſt Spiritus ſanctus, ipſo Chriſto teſte, *qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aqua vivæ: hoc autem dicebat de Spiritu quem acceperuri erant credentes in eum.* Aqua Borica, quæ habet virtutem renovando juventutem animæ, & faciendi, ut vivat vitâ æternâ & incorruptibili. *Aqua, quam ego dabo.* O fons divine! ô elixir cæleſte! ô Spiritus ſancte prodigiorum operator! præbe animæ meæ guttam hujus aquæ, & unicam hujus medicinæ transformantis, ut reſtauratâ linguâ meâ poſſim dignè loqui, & auditoribus meis perſuadere tuam virtutem omnipotentem reformandi, & mutandi homines in melius. Hæc erit materia mei diſcurſus.

ASSUMPTUM.

Spiritus Sanctus viviſicando animam noſtram, facit Dei-formem & ſimilem ipſi Deo.

III. CReatis omnibus creaturis ſolo homine excepto, Deus ut comple- Scriptura. ret illam nobiliſſimam ſacturam, Gen. 1. decrevit illam obſignare quadam creaturâ, quæ eſſet epilogus & quinta eſſentia omnium reliquarum. Et en produxit hominem, ad cujus formationem convocavit totum conſiſtorium SS. Trinitatis: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Gen. 2. Quam digna, & nobilis fuit hæc ſactura eo ipſo quo formata ad imaginem & ſimilitudinem ipſius Dei! ſed quæſo, vos Scripturiſtæ pergite parumper, & nodum periculoſum

invo-

invenietis. Homine creato dicit facertextus: *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam ad imaginem Dei creavit illum.* Hæc ſunt verba quibus Chronologus creationem hominis, & opus creationis deſcribit, priora autem à me propoſita verba ſunt ipſiuſmet Dei creantis: *Faciamus &c.* Hic obſervo, quod Chronologus ſolum dicat hominem fuiſſe creatum ad imaginem Dei. *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam*, & ut majorem adderet emphaſin ſuis dictis, eadem ſequenti periodo repetit: *ad imaginem Dei creavit illum.* Hinc videmus hiſtoricum nullam facere mentionem de ſimilitudine Dei, de qua tamen ſingulariter meminit ipſe creator dicens: *Faciamus hominem* non ſolum *ad imaginem*, ſed etiam *ad ſimilitudinem noſtram.* Quomodo poſſumus credere chronologo, dum deſcribendo opus creationis omittit circumſtantiam tanti momenti: ſi ſimilitudo, & imago eſſent ſynonyma, brevitatis ergo potuiſſet unum verbum ex illis duobus omittere, cum autem ſecundum Theologos imago reſpiciat naturam, & ſimilitudo gratiam, quomodo id poſſit fieri? homo dicitur ad imaginem Dei creatus, quia in eo reſplendet Trinitas in eadem natura, quia dotatus eſt animâ rationali, in qua reſplendent tres potentiæ: memoria denotans Patrem, intellectus Filium, voluntas Spiritum ſanctum: & ob hæc tria homo dicitur factus ad imaginem Dei. Similitudo verò ſignificat gratiam & juſtitiam originalem, in qua fuit creatus Adam: ſi ergo ſimilitudo & imago non ſint idem, imò ſimilitudo ſit terminus fortior, quam imago, quia ille præſupponit iſtum, imò ſit præſtantior, cum non poſſit repetiri gratia Dei, niſi ubi eſt imago illius: nam ut advertit Doctor Angelicus, *ſimilitudo conſideratur etiam ut ſubſequens ad imaginem*, veluti illa, quæ imagini perfectionem dat. Cur ergo Chronologus in ſua hiſtoria non facit mentionem ſimilitudinis Dei, ad quam creator dicit ſe velle hominem creare: *Faciamus* dicit Deus. *Ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Et hiſtoricus tantum: *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum.*

Rupertus Abbas divinè advertit, quod creatio hominis, ẽſto fuerit opus omnium perſonatum, tamen ſub diverſo reſpectu poſſit appropiari Patri, Filio & Spiritui ſancto. Patris eſt proprium producere & creare hominem, Filii dare imaginem, Spiritus ſancti reducere ad ſimilitudinem. *Proprium Spiritus ſancti eſt illuminare, & ad ſimilitudinem Dei perducere.* Ab initio ergo, inquit Rupertus mundi, quando Deus creavit hominem, Pater ex parte ſua concurrit, nempe eum creando, Filius etiam ſuam adhibuit manum, quia creatus fuit ad imaginem Dei, quæ propriè ſpectat ad Filium; Homo etiam adeptus eſt perfectionem imaginis, quæ conſiſtit in ſimilitudine: Sed quia homo non eſt operatus, ſed præceptum Dei violando perdidit gratiam, & juſtitiam originalem, hinc etiam amiſit ſimilitudinem Dei, ideò cum defuerit Spiritus ſanctus, qui debebat opus Dei perficere & ad ſtatum perfectiſſimum reducere, manſit illud imperfectum. Cumergo Chronologus ſcripſerit hiſtoriam creationis poſt lapſum Adæ, per quem perdidit ſimilitudinem & perfectionem imaginis divinæ, quæ necdum erat reſtaurata, quia necdum deſcenderat Spiritus ſanctus, ideò fecit mentionem imaginis & non ſimilitudinis. *Non ergò*, inquit Rupertus, *ſic omnino, ut propoſuerat Deus facere hominem narrat eadem ſcriptura factum eſſe hominem. Et rectè, ac providè, nam illâ vice illo tempore non pervenit homo uſque ad perfectionem factus eſt ad imaginem Dei, quia factus eſt rationalis, non pervenit ad ſimilitudinem Dei. Memor igitur hic Spiritus ſanctus illius propoſiti, ecce venit ad partem ſuam operandam, ad facturam hominis perficiendam, ut perduceret hominem ad ſimilitudinem Dei, ad quam non pervenit homo, niſi participatione Spiritus ſancti.* Niſi verificet Spiritus ſanctus, homo manſiſſet imperfectus, quia non habuiſſet perfectam imaginem Dei, ad cujus perfectionem requiritur ſimilitudo, & hæc velut proprium opus Spiritus ſancti ab eodem dependet, qui perfectè hominem transformat in Deum.

Rup. de oper. 55. lib. c. 11.

IV. Semper curioſus fui, Domini Philoſophi, ſciendi, quomodo intelligatur illud dictum veſtri Ariſtotelis: *Homo prius vivit vitâ plantæ, poſt vitâ animalis, tandem vitâ hominis.* His verbis videtur ſignificare in homine eſſe tres animas: vegetativam, ſenſitivam, & rationalem, prout falsè docuit

Philoſophia. l. 2. de Gen. c. 3.

1. de anima, textu, 19 disp. de anima.

Philoſophus. Doctor Angelicus docet partum in utero primò vivere animâ vegetativâ, nam cum illa imperfecta ſit, paucæ ad illam diſpoſitiones requiruntur. Introductâ animâ vegetativâ acquiruntur aliæ diſpoſitiones, quibus ſufficientes habitis ſtatim introducitur anima ſenſitiva, quæ in illo corpuſculo proprias operationes exercet. Sed quia hæc non ſufficit, ut embrio dicatur homo, cum medium inducta ſit anima rationalis, hinc dicit Angelicus animam vegetativam tamdiu ibi manere, quamdiu non adſunt diſpoſitiones ſufficientes ad animam ſenſitivam; quæ cum ſit nobilior, & perfectior, etiam requirit nobiliores & perfectiores diſpoſitiones, & dum hæ ſufficienter diſpoſuerint materiam, inducitur anima ſenſitiva, & vegetativa corrumpitur, veluti illa, quæ ad nihil aliud deſervit, quam ut præparet embrionem ad recipiendum animam ſenſitivam. Hæc vero inquit Angelicus, quia non eſt forma ultimata, ideo eſt diſpoſitio, & præparat materiam quouſque ſit capax animæ rationalis, & materiâ ſufficienter præparatâ, Deus creat & infundit illi corpuſculo animam rationalem nobiliſſimam, & perfectiſſimam, & ſicut ad adventum animæ ſenſitivæ corrumpitur vegetativa, ſic ad rationalis ingreſſum ſenſitiva corrumpitur, tanquam illa, quæ non eſt neceſſaria, cum anima rationalis præter proprias etiam eliciat operationes animæ ſenſitivæ & vegetativæ.

Summa de homine.

Albertus Magnus cenſuit materiâ diſpoſitâ ſtatim induci animam rationalem, & non prius vegetativam, & ſenſitivam: Attamen illam adhuc non poſſe producere ſuas operationes, ſed illas ſolas, quas requirunt, & permittunt diſpoſitiones materiæ, & quia illa nondum eſt perfectè organizata, ut anima poſſit producere operationes ſenſitivas, ideo pro illo tempore ſolum producit vegetativas, & quando organa melius diſponuntur, operatur functiones animæ ſenſitivæ nobiliores prioribus, & poſtea adhuc materiâ melius diſpoſitâ producit operationes proprias, per quas differt à brutis, & ſic ſimilis Angelis, & ipſi Deo: hoc modo Albertus intelligit Ariſtotelem, &c.

V. Nunc ad Spiritum S. *Faciamus, &c. Creavit, &c.* Nobiliſſima forma non quidem ſubſtantialis, ſed accidentalis, ut docent Theologi, eſt gratia divina. Forma, quæ facit animam valde gratam Deo, & illam reducit ad arctam & plus quam vulgarem amicitiam cum Deo. Forma, quæ illuſtrat & exornat animam, & ipſi cælo ſpectabilem reddit. *Quam pulchra es amica mea, formoſa mea?* Forma, quia juxta Theologos, eſt qualitas, in quo convenit cum anima, quæ etiam eſt forma, porrò loquor de habituali & juſtificante, & non de actuali, quæ juxta Angelicum eſt *auxilium ſpeciale:* Hæc eſt motio quædam divina, illa qualitas ſpiritualis; hæc eſto ſit qualitas, tamen longè ſuperat ſubſtantias naturales, prout docet idem Angelicus: *bonum gratiæ unius, ſuperat bonum totius univerſi:* Cum enim ſit ſupernaturalis, ſuperat cuncta naturalia. Hæc nobiliſſima forma ſupernaturalis eſt etiam animæ noſtræ juxta eundem ſanctum. *Gratia Dei eſt vita animæ, quæ ſine gratia eſt deformior:* monſtruoſior, abominabilior cadavere & vermibus. Hæc anima nobiliſſima non poteſt infundi animæ noſtræ, niſi præmiſſis diſpoſitionibus, quæ eſſentialiter conſiſtunt in excluſione peccati mortalis per illius deteſtationem, quo ſeparato & deſtructo ſtatim in inſtanti informatur anima hac formâ ſupernaturali! *Juſtificatio impii eſt in inſtanti, gratia infunditur in inſtanti* docent Theologi. Hæc anima nobiliſſima, hæc forma ſupernaturalis habet tres gradus valdè conformes illis, quos habet anima. Primò gratia vivificat animam & dat ei vitam ſpiritualem, primò vegetativam, dein ſenſitivam & motivam, poſtea rationalem, non quod hæ ſint tres animæ in anima noſtra, quarum primâ adveniente, ſecunda corrumpatur, & ſecundâ adveniente tertia, ſed eſt anima una quæ in ſe habet tres gradus, & quæ producit tres effectus, quorum prior eſt diſpoſitio in ordine ad alios: quia primò intelligitur anima vivificata ab anima, ex primum gradum vegetativum, ſecundo videtur, quod benè operetur, & moveatur ad virtutes, & ex gradum ſenſitivum & gradum nobiliorem primo: dein intelligitur fieri rationalis & intellectiva, hoc eſt Dei formis & ſimillima Deo, quæ ſimilitudo & Dei formitas, ſingulariter relucet in gradu intellectivo, prout teſtatur Angelicus. *Eſſe ad imaginem Dei pertinet ſolum ad mentem.*

Cant. 2.

1. 2. quæſt. 110.

1. p. q. 93. art. 6.

O ani-

O anima nobiliſſima, ô forma ſupra cæleſtis, ô gratia divina! Et quis te introduxit in materiam animæ noſtræ? revera ſicut anima noſtra deforis advenit creata, inducta & infuſa à Deo, eodem modo tu crearis, & infunderis à Deo materiæ primæ animæ noſtræ, quæ teſte eminentiſſimo Cardinale Cuſano, *Nomen materiæ ſortitur, ſicut & gratiæ formæ.* Verum cum inſtar animæ ſis unica tantum, ſed habeas tres gradus, & tres effectus ordinatè producas in anima noſtra, & Deus non ſolum ſit unus, ſed etiam trinus, an infunderis cum illis tribus gradibus à Deo quâ unus, an quâ trinus? Abſque dubio à Deo uno eſſentialiter, & à Deo trino per appropriationem ſed quis effectus appropriatur Patri, quis Filio, quis Spiritui ſancto? non eſt dubium, quin gradus vegetativus tanquam primus attribuatur Patri velut primo principio, & fonti vitæ: ſecundus motivus & cenſitivus Filio, cum dicat Seraphicus Bonaventura: *Chriſtus eſt qui præſtat nobis beneficium gratiæ Spiritus per quæ fit ſenſus, & motus in ſpiritualibus*; tertius intellectivus, qui facit animam propriè Deiformem, attribuitur Spiritui Sancto. *Proprium* (inquit Rupertus) *Spiritus ſancti eſt ad ſimilitudinem Dei hominem perducere.* de oper. Sp. S. lib. 2. c. 2.

O Spiritus ſancte operator effectuum mirificorum, ſi verum ſit & quidem veriſſimum & ab omnibus habeatur pro indubitato, quod gratia divina velut anima animæ noſtræ transformet hunc embrionem, detque ei vitam ſpiritualem & intellectivam; ſi verum etiam ſit, quod quoad vitam intellectualem anima noſtra fiat Deiformis, & perfectiſſimè ſimilis Deo: ſi verum ſit, quod hic gradus vitæ intellectualis, & Deiformis attribuatur vobis, cur non dicamus, quod transformare animam noſtram in Deum ſit abſque omni dubio operatio Spiritus ſancti? *proprium Spiritus &c.* quid ergo mirum, quod facer Chronologus poſt peccatum Adæ dicat: *creavit Deus &c.* nec faciat mentionem ſimilitudinis, quæ eſt complementum & perfectio imaginis, quia hanc ſimilitudinem per peccatum amiſerat, non debebat reſtitui homini, niſi operâ Spiritus ſancti, cur proprium eſt facere animam Deiformem eamque transformare in Deum? *Non ergo ſic omnino &c.*

Scriptura. Gen. 2. VI. Deus in principio creationis mundi creavit cælum & terram, & quidem utrumque imperfectum, quia cælum non erat ornatum luce & ſtellis, nec terra habebat virtutem producendi aliquem effectum, imo tota erat immerſa aquis, & ſuper has aquas dicit facer hiſtoricus, Spiritus ambulabat: *Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas*, quæſo vos ponderate hunc textum ſcripturæ: quis fuit ille ſpiritus, qui ferebatur ſuper aquas? Plato teſte Ruperto hæc legens attonitus hæſit, ſufficiens aliter explicare hæc verba, cenſuit hunc ſpiritum fuiſſe ſpiritum mundi, puta aërem, qui cum ſit levior aquis à natura, eſt collocatus ſuper aquas; & hinc cum legeret priora verba: *In principio &c.* credidit per cælum intelligi ignem, & inde collegit Plato numerum quaternarium elementorum: ignem & terram, aerem & aquam; ſed non eſt mirum, quod tam craſsè errarit, per ſpiritum intelligendo aerem, quia non habuit ſpiritū Dei. Hinc Rupertus affirmat illum ſpiritum fuiſſe tertiam perſonam: *quid autem putamus hunc ſpiritum, niſi benitatem, amoremq; Dei, amorem non affectuum ſed ſubſtantialem, qui eſt Spiritus ſanctus.* Idem affirmat S. Baſilius: *à majoribus probatum eſt, quod ſpiritus ille ſpiritus Dei ſanctus dictus eſt.* Idem confirmat S. P. Hieronymus, & omnes ſacri expoſitores. Hic quæro quid faciebat Spiritus ſanctus? cur ambulabat ſuper aquas? Eucherius dixit, hunc ſpiritum inſtar venti flaſſe ſuper aquas, ut illo flatu collectis in unum aquis, terra diſcooperiretur, & appareret: *Ille ſpiritus* de quo dictum eſt, *ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas, tunc enim ferebatur, ut congregatis in unum locum aquis terra merachephet appareret.* Sed S. P. Hieronymus obſervans vocem Hebræam, quod in latino idem eſt ac incubabat, confovebat, vult quod Spiritus ſanctus curſitarit per aquas inſtar avis ſuo calore excoquentis aquas, ita quod ſicut avis fovet ova, ſic ipſe confoverit aquas: *Pro eo quod in noſtris cordibus ſcriptum eſt ferebatur, in hebræo habetur merachephet, quod nos appellare poſſumus incubabat ſeu confovebat, in ſimilitudinem volucris ova animantis.* Hom. 2. Hexam. li. q. heb. in gen.

Sed cur à principio orbis inducitur Spiritus ſanctus incubuiſſe aquis ſicut avis incubans ovis? Reſpondet idem S. Pater quod Spirit. S. in ſe habeat virtutem vivificantem transformativam, per quam transformat inanimata & vitâ carentia in animata & vitalia, hoc voluit facer hiſtoricus ſignificare dicens, Spiritum ſanctum à creatione mundi curſitaſſe per aquas inſtar

gallinæ, aut columbæ incubantis ovis & pullos excludentis. *Ex quo intelligimus non de ſpiritu mundi dici ut nonnulli arbitrantur, ſed de Spiritu ſancto, & ipſe vivificator omnium à principio dicitur.* Nec ab hac opinione diſcrepat S. P. Baſilius, qui commentans illa verba, & ex hebræa lectione afferens expoſitionem Ephrem Syri, qui etiam legit *confovebat*, ſic ait: *talem tunc is prædicabat eâ voce* ſenſum ſignati, *ſuper aquas inquam ſpiritum Dei ferri, id eſt ad fœcunditatem vitalem aquæ naturam ipſum Spiritum ſanctum præparaſſe.* Nec eſt mirum, quod Spiritus ſanctus habuerit hanc virtutem vivificantem, quia cum Pater & filius ſint vita, & Spiritus ſanctus ab utroque procedat, ſequitur neceſſario, quod etiam ſit vivificus & transformet inanimata in animata.

Philoſophia. *Bel. l. 16. nat. hiſt. Majol. col. 40.*

VII. Vincentius Belluacenſis, Simon Majolus & alii, inter quos præcipuus eſt Eminentiſſimus Jacobus Anconenſis in naturali ſua hiſtoria anſam mihi præbent hunc locum inſignitet illuſtrandi, dicunt hi docti in Scotia reperiri quaſdam aves latinè vocaras *Barliathes*, quas vulgò vocant *Berneches*, portentoſè dicunt illas generari juxta ripam maris, ubi conſitæ ſunt plures abietes, quæ cum fiunt annoſæ & incipiunt areſcere, humorem ex corticibus emittunt pinguem & craſſum, qui cum paulatim condenſatur, producit quaſdam aviculas non majores aluadis, hæ primum ſunt nudæ, deinde maturæ plumeſcunt, ac roſtris ad lignum pendentes per mare fluitant & huc illucque agitantur, donec creſcant & roborentur uſque ad debitam formam, tunc ſe avellunt ab arbore & in aquam decidentes, veluti anates in aqua natant & volant, *roſtris* inquit Belluacenſis *ad lignum pendentes per mare fluitant uſque ad maturitatem, donec ſe commoventes abrumpant, ſicque creſcant & roborentur uſque ad debitam formam.*

Hic (N. N.) ſubintrant ſubtilia ingenia, & quærunt quomodo aquæ marinæ poſſint dare vitam illis avibus, cum vita conſiſtat in calido & humido bene attemperatis, & aquæ ſint in ſummo gradu frigidæ? quod hæ aves a mari vitam recipiant teſtatur Anconenſis: *Veruntamen niſi decidentes cito aquas invenerint, vivere non poſſunt*, quia in aquis eſt nutrimentum earum &c. vivunt. Hinc ſi in terram cadunt, ſtatim moriuntur. Sed quomodo aquæ frigidiſſimæ poſſunt dare vitam quæ conſiſtit in calido illis avibus? Quidam dixerunt has aves habere quidem aliquem calorem naturalem, ſed non talem, qui poſſit iis dare vitam motivam & ſenſitivam, aquæ ergo maris, dum commovent & agitant illa corpuſcula, motu hoc & calore, qui iis communicatur a ſalſedine maris & auxilio caloris ſolis, qui major eſt in mari quam in terra & reflexione ejuſdem caloris ſolis ad vitam, ad ripam maris reducunt hos embriones ad vitam. Alii dixerunt, quod aqua vivificet has aves, non ideò quod iis ſubminiſtret calorem ſed quod iis porrigat humidum. Alii voluerunt hoc provenire a frigore aquæ non directè, ſed indirectè, cum enim frigus per antiperiſtaſin ex iis corporibus expellat calorem, coadunantur calores & viribus reſumptis vim habent illas vivificandi. Hæc opinio aliis exemplis confirmatur, quia juxta Ariſtotelem in Sicilia eſt fons quidam cui ſi immergantur quædam aves, & beſtiolæ ſeminortuæ illæ reviviſcunt & reſtaurantur, quia frigus aquæ tollit obſtructionem ſpirituum vitalium, ſicut contingit in muſcis & veſpis, quæ dum cecidetunt in oleum, quod illas reddit ſtupidas, aſperſæ aquâ frigidâ reviviſcunt, & quaſi vitam amiſſam recipiunt. *de animal. c. 28.*

VIII. Nunc ad applicationem. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Ex aridis & annoſis abietibus, ex truncis aridis & putridis hominum peccatorum, videmus quotidiè naſci aves, viventes quidem vitâ naturali, quia habent animam rationalem, propriam formam corporis, ſed tamen vitâ ſpirituali & divinâ privatos; quia *omnes naſcuntur filii iræ*, & ideò ſunt abſque motu & ſenſu in rebus divinis, & ſpiritualibus mare & aqua eſt ſanctum Baptiſma, ſed aqua vitalis, vivifica, dans illis avibus ſpiritum & vitam, motum & ſenſum, aliſque eorum dans pennas, & vigorem volandi verſus cælum. Applicatio.

Extructo uteri materni prodit avicula, infans ſcilicet ſuo malo cadit in terram infidelium aridam & ſiccam, diſſitam ab aquis S. Baptiſmi & ea eam ſine ſpiritu, ſine anima, ſine vita, ſine Deo, ſed cum peccato originali ſeminatio omnis corruptionis peccati actualis. Suo bono cadit in aquam & mare Baptiſmi & ea ſtatim vivificatur, animatur & fit

avis

avis habens pennas, ut volet versus cælum, hinc Euchetius: *quantâ die facta sunt in aquis reposilia animarum vivarum, id est, homines renati in vitam per Baptismi Sacramentum & volatilia, id est animæ sanctæ ad superna volantes*

O prodigium cæli! & quomodo poterit hæc aqua frigidissima, simplex hoc & purum elementum adeo vigorari, ut animæ det vitam spiritualem, quæ consistit in gratia & gloria? *vita*, inquit Angelicus, *anima est per charitatem, sicut & gratia est vita animæ.*

Dicetis forsan quod hæc aqua frigidissima, sine virtute vitali, per antiperistasin congreget illum calorem, illos spiritus illam vitam, quæ non erat extincta; cum anima nunquam fuerit antea in gratia Dei? dicetis forsan, has aquas subministrare vitam animæ quia illi conferunt humidum devotionis, cum in se habeant calorem, qui est sufficiens ad vitam. Si hæc vita animæ consistat in humido devotionis (prout advertit Cardinalis Cusanus) & tunc calorem non possint hæ aviculæ habere sine aqua Baptismi, esto avulsæ & laplæ à truncis parentum charitate inflammato um, cum filius Christianorum non sit Christianus nisi ableatur aquâ S. Baptismi.

O Spiritus vivificans, quantâ polles virtute quod tam portentosas metamorphoses producas? aqua purum elementum, materia S. Baptismi, ex se frigidissima res, infæcundissima & sterilissima, utpote ignobilior vitâ animæ, tantum non potest, ut sua ablutione conferat vitam animæ; sed quando accedit caset virtutis tuæ, quis nescit, quod fiat aqua vitalis, vivifica, transformata & adeo transformans, ut dum aves inanimatæ nostratum animarum in illum decidunt, ab illâ laventur, accipiant calorem, Spiritum & vitam, mutentur in aves alatas, quæ velocissimè versus cælum evolant. Hinc *l. 6. in Ioan. c. 11.* S. Cyrillus Alexand. *in baptizatis non simpliciter aqua operatur, sed cum Spiritus sancti acceperit gratiam*, & tunc optimè verificatur illud dictum Euchatii: *quinta die &c.* & hoc voluisti significare, quando à principio mundi curvitasti per aquas instar avis illas fovendo, animando, subministrando iis calorem, spiritum & vitam has aves animarum nostrarum inanimatarum & sine vita transformes in viventia & animata animâ spirituali & divinâ. *Spiritus Dei ferebatur super aquas &c.*

IX. Refert Hugo Cardinalis apud Apostolos moris fuisse ut dum foras egressi redibant, à Christo benedictionem peterent, ejusque fronti osculum pacis infigerent. *Consuetudo erat apud Apostolos ut undecunque venirent, accederent ad Dominum cum osculo pacis.* Nec ullum est dubium, quin vice versâ quemlibet Christus osculo pacis exceperit: hoc etiam practicavit Judas, imo frequentius, quam alii Apostoli, qui sicut erat constitutus œconomus collegii Apostolici, sic solebat sæpius exire. Quem etiam scimus tempore passionis commisisse sacrilegium nefandum cum osculo pacis, Christum tradendo: *Iuda osculo filium hominis tradis?* nec desunt, qui censent quod tunc Christus Judam etiam viceversa osculatus fuerit: *Amice ad quid venisti?* hic quæro quomodo potuerit fieri, ut Judas venderet Christum? videtur mihi impossibile, quod eousque devenerit Apostolus aliquis qui à Christo tot osculis exceptus fuerat, etiam sub ipsa proditione. Et stupor, quem ego credo impossibilitatem, fundatur in quodam dicto Bernardi, qui dicit: *Osculum* Christi *perfectò fuit Spiritus sanctus.* Dum ergo Judam osculatus est, communicavit ei Spiritum sanctũ; hoc ergo suppositio tanquam verissimo, quomodo Judas, qui toties ab ore suavissimo sui magistri acceperat Spiritum sanctum, & specialiter adhuc in horto, sub ipsa perditione potuit eousque devenire? Verissimum est quod ubi Spiritus sanctus est, non possit reperiri peccatum nec esse prava voluntas; hinc dicebat David: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Et S. Bernard. *Spiritus sanctus affectum purgat.* Hinc non quæro capere, quomodo Judas, qui receperat Spirit. S. adhuc in ipso horto potuerit prodere Christum.

Luc. 22.

Psal. 103.

Possetis mihi dicere ad satisfaciendum curiositati meæ, quod Christus quantum est ex se osculo Judæ communicarit Spiritum S. sed Judam eum non recepisse. Et hæc duo optimè consistere possunt, quod ego alicui dem aliquid, sed ille nolit illud recipere, vel quia non vult, vel alia ex causâ. Et hoc posito verissimè dicitur, quod ego illud dederim & alter illud non receperit, simili modo Christus osculo pacis dedit Judæ Spiritum S. sed ille tamen non recepit illum ob indispositionem suam. Sed qualis fuit hæc indispositio? Indispositio Judæ, quæ impediebat ingressum Spiritus sancti,

Scriptura.

cti in ejus animam, erat affectus inordinatus erga res terrenas, Judas erat dispensator, & œconomus domus, assiduè occupabatur, & tenaciter adhærebat terrenis facultatibus, & ideo ipse fuit ille, qui adeò execrabatur illud pium officium Magdalenæ, quando unguentum supra pedes Christi effudit: *ut quid perditio hæc?* clamabat avarus discipulus, *poterat enim unguentum istud venundari plusquam trecentis denariis, & dari pauperibus.* Scimus quod hoc non dixerit ex compassione erga pauperes, sed ex tenaci affectu, quo adhærebat facultatibus terrenis. Et quia Spiritus S. per suam gratiam non operatur in cordibus occupatis affectu mundano, ideo Judas non recepit Spiritum sanctum; esto Christus illum ei dedisset, & osculo infudisset illum, hinc S. P. Bernardus: *errat omninò, si quis cælestem illam dulcedinem charismata illa spiritus misceri posse hujusmodi illecebris arbitratur*: spiritus Dei, spiritus S affectus, dona, gratiæ & favores non possunt simul stare cum appetitibus, & affectibus terrenis, hæc impediunt transformationem hominis in Deum, & efficiunt hominem cælestem, & è terra transferunt ad cælum, ac ineffabili modo mutant in cælum nobilissimum & supercæleste.

Mat. 26.

Ep. 6. in Asc.

Philosophia.

X. Philosophi in libris de cælis curiosissimâ, & vix solubilem proponunt quæstionem, an nostra materia inferior, & sublunaris possit informari intrinsecè materiâ cælesti, & transformari in materiâ cælestem? ut verum fatear negotium hoc non potest tã facile decidi, illi Philosophi, qui putant materiam sublunarem & cælestem essentialiter differre, consequenter negativam partem defendunt, sicut & docent materiam cælestem non posse recipere formã sublunarem & suppositâ diversitate illâ specificâ, ratio eorum ingeniis ipsorum dignissima est: dicunt itaq; non quamlibet materiam & formã posse uniri, & constituere unum compositum, sed solum illas materias & formas, quæ habent aliquem ordinem inter se, & convenientiam; alias sequerentur mille convenientiæ, nec esset certa determinatio in rebus: atqui inter materiam sublunarem, & formam cælestem & materiam cælestem, & formam sublunarem nulla est convenientia, quia materia cælestis appetit formã a qua separari non potest, & materia sublunaris formam à qua per naturam sejungi potest ergo &c. Sic discurrunt isti philosophi.

D. Tho. 1. p. q. 66. art. 2 Alens. 2. p. q. 44. mẽ 2. Henr. quod l. 4. q. 26.

Alii Philosophi Aristotele antiquiores ut refert Theodoretus & Plutarchus, docuerunt materiam cælestem & sublunarem esse ejusdem speciei, prout etiam tradunt Occã, Ægidius, & meus seraphicus Bonavent. doctrina verissima, si sanè intelligatur. Pro quo advertit Seraphicus, dupliciter nos posse loqui de duabus materiis cælestibus & sublunaribus: Primo de iis in principio mundi antequam Deus distinxisset creaturas tam cælestes, quam inferiores, tam corruptibiles, quam incorruptibiles; vel possunt considerari post productionem & distinctionem rerum creatarum; si hoc modo spectentur, non est dubium, quin secundum esse completum essentialiter differant, adeoque forma cælestis, non possit recipi in materia sublunari & sic verissimum est, quod Deus indiderit materiæ cælesti appetitum & inclinationem ad formam ab illa inseparabilem, & materiæ sublunari appetitum ad formam ab ea separabilem; sed si spectemus has duas materias priusquam fuerint creaturæ productæ in suo esse completo & perfecto, non est absurdum dicere, quod non differant specie, quia tunc necdum materia sublunaris habebat illum appetitum & inclinationem grossam, impuram & imperfectam ad formam ab illa separabilem, ita ut si materia spoliata esset hoc appetitu imperfecto, & reduceretur ad locum, in quo fuit ante productionem rerum & distinctionem earundem, illa capax esset formæ cælestis, & in illo casu materia terrestris fieret cælestis.

Theod. l. de met. & mundo oc. in 2 di. 12. Ægid. 14. Bon. d. 12. q. 14.

Applicatio.

XI. Nunc introgrediamur ad Spiritum S. & Apostolos. *Anima*, inquit Card. Cusanus, *non immerito nomen materiæ sortitur, sicut & oratio formæ &c.* Ob hanc ergo causam animæ sanctorum Apostolorum possunt vocari quædam prima materia respectu formæ divinæ gratiæ. Hæc anima ex se nec est cælestis, nec terrena, hoc est determinatè non inclinatur nec ad res cælestes, nec ad terrenas, quia cum sit dotata libero arbitrio, non potest objectum amplecti quod vult; *Deus ab initio constituit hominem & reliquit illum in manu consilii sui.* Verum quidem est, quod talis fiat qualia amplectitur, juxta illud Doctoris Angelici: *Anima terrenis dedita fit terrena, cælestibus dedita fit cælestis.* Affectus, appetitus, inclinationes erga res mundi sunt conditiones quædam impuræ, grossæ & imperfectæ, quæ solent comitari animam

mam in hac vita, & reddunt eam incapacem tanquam materiam terrenam, ut recipiat formâ cæleſtem divinæ gratiæ, vel ſaltem ejus ſimilitudinem; cum veriſſimum ſit illud Apoſtoli: 1. Cor. 2. *animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei*, adeò ut ſi velit recipere nobiliſſimam formam divinæ gratiæ; neceſſe ſit, ut purgetur ab illis conditionibus terrenis, ab illis affectibus, & appetitibus terum terrenarum, & fiat materia cæleſtis, & tunc virtute Spiritus Sancti terra transformatur in cælum.

Animæ SS. Apoſtolorum ante apoſtolatum erant materiæ terreſtres, appetitus eorum inhærebant rebus terrenis, ſed cum ſequelæ Chriſti ſe addixerunt, has impunitates & imperfectiones bonâ ex parte depoſuerunt. *Ecce nos reliquimus omnia.* Matt. 19. Hinc necdum erant capaces plenitudinis formæ cæleſtis Spiritus ſancti, ideò illis dicebat magiſter eorum: *multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.* Ioan. 16. At poſtquam magiſter eorum ſubiit aſtra, à quacunque quantumvis levi impuritate mundati ſunt, & acquiſierunt conditionem cæleſtem, & perfectiſſimè capaces, ac diſpoſiti fuerunt ad recipiendum formam cœleſtem divinæ gratiæ, & favorem Spiritus ſancti, prout reipsâ recepe runt, *repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto*, & mutati fuerunt in nobiliſſimos cælos, ita Chryſoſtomus: Serm. in pent. *Hodiè nobis terra factum eſt cælum, non ſtellis de cælo in terram deſcendentibus, ſed Apoſtolis ad cælum aſcendentibus, quia effuſa eſt copioſa gratia Spiritus ſancti, & univerſum orbem operata eſt cælum, non immutans naturam, ſed voluntatem emendans.*

O forma nobiliſſima! ô forma perfectiſſima! ô forma ſupra cæleſtis! ô purgantiſſime Spiritus ſancte; jam videmus, quam purus, & purgatus ſis, quia non potes uniri niſi animabus totaliter purgatis, & cæleſtibus. Hinc non miror, quod non ſis unitus animæ Judæ, eamque non transformaveris in cæleſtem, quia erat materia plane terreſtris, impura, appetens formam ſibi ſimilem, terrenam, & mundanam, nimis diſtantem, improportionatum, adeòque incapacem hujus nobiliſſimæ formæ, & cæleſtium metamorphoſum: nec miror, quod Chriſtus ſuam corporalem præſentiam voluerit ſubtrahere ſuis Apoſtolis, ad hoc ut plenitudine tuæ gratiæ, tuâ formâ cæleſti, divinâ, & perfectiſſimâ poſſet plenè animas eorum informare, eaſque transformare in nobiliſſimos, & perfectiſſimos cælos, ut reipsâ contigit: *hodie nobis terra.* Hac gratiâ fuit privatus Judas, quia materiam primam animæ ſuæ non purgavit à conditionibus impuris, & terrenis affectuum terreſtrium, qui non conſiſtunt cum cælo, *erras omnino &c.* & ideò miſer non potuit frui, aut virtutē transformativam Spiritus Sancti in ſeipſo probare.

XII. Volens Salvator in S. Matthæo docere diſcipulos & ſuam divinitatem iis manifeſtare, interrogavit eos, quid de ſe ſentirent: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* alii credunt, quod ſim Joannes, alii quod ſim Elias, Jeremias, vel Prophetarum quidam; ſed quem vos me eſſe exiſtimatis? & Petrus reſpondit, ego dico te eſſe filium Dei, hoc ego ſentio, & Chriſtus: *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi.* O Petre, ob hanc confeſſionem tuam adeò promptam, & candidam tibi, & tuis condiſcipulis ſignifico, quod ſis beatus, *beatus es Simon Bariona.* Hic ſcripturiſtæ ſiſto, & obſervo titulum inuſitatum, & rarum, quo Chriſtus Petrum affecit: *beatus es Simon Bar Iona*, dicunt docti in lingua hebræa, quod *Bar* ſit idem ac filius, & *Iona* idem ac columba, ita ut *Bar Iona* idem ſignificet quod filius columbæ; igitur tu Simon beatus es, & filius columbæ; nova filiatio, peregriniſſima, deſcendentia Petri, cur miſervator Petrus filius columbæ? non recordaris, quod Petrus tibi interroganti, num te amaret? & reſpondenti, quod ſic, dixeris, & quidem triplicatâ vice id conteſtando, quod ſit filius Joannis: *Simon Ioannis diligis me plus his?* & nonne Ioan. 21. reipſa verum eſt, quod pater ejus nominatus fuerit Joannes? imò, cur ergo cum præjudicio parentis Petri, imò ipſius Petri, vocas eum filium columbæ? an forſan mater Petri vocabatur columba? non quia nihil de hoc legimus? cur ergò mi Salvator Petrum vocas *Bar Iona*, filium columbæ? & tuus modus loquendi adhuc magis me torquet, quia valdè benè ſcio, quod tua ſimplicia verba ſint operativa, & dum dicis aliquid, eo ipſo illud facis, & facere apud te idem eſt, quod dicere: *ipſe dixit, & facta ſunt, & fiat lux, & facta eſt lux*, & hoc modo omnia Pſal. 148. Gen. 1. produxiſti. Unde dum Petrum vocas *Bar Iona*, id eſt, filium columbæ, facis, ut ipſe talis fiat, & non ſit amplius *filius Ioannis*. S. Anſelmus hoc dubium ſolvit ex parte tuâ dicens: *ego cujus dicere eſt, facere, ego dico tibi O Simon, beatus es*

Scriptura. Matt. 16.

Simon, dico Bar Iona, id eſt, qui vocari debes filius columbæ, an quæſo Petrus ſit filius columbæ? & qualis eſt hæc columba, cujus filius Petrus non ſolum vocatus, ſed etiam realiter factus eſt? Opinatur S. Anſelmus; quod dum Petrus Chriſto quærenti. *Vos autem &c.* confitendo, & atteſtando reſpondit: *Tu es Chriſtus &c.* deſcenderit quædam columba ſuper caput Petri, ſcil. Spiritus ſanctus, valdè benè notus Chriſto, hic illuſtravit intellectum Petri, ut cognoſcere poſſet hanc veritatem: & quia illa cognitio, & confeſſio Petri erat effectus, & partus Spiritus ſancti, ideò Chriſtus Petrum vocavit, & fecit eſſe *Bar Iona*, id eſt, filium columbæ, & non amplius filiũ Joannis piſcatoris, ſed filium Joannis, id eſt gratiæ, & Spiritus S. qui Petrũ transformarat è filio Joannis piſcatoris in ſui ipſius filium. Mirè Anſelmus: *quandoquidem tam perfecta fidei confeſſione polles, ego cujus dicere facere eſt, dico tibi. O Simon beatus es, Simon dico Bar Iona, id eſt, qui tali confeſſione, ac piâ ſimplicitate vocari debes filius columbæ, vel filius divinæ gratiæ, & Spiritus qui in ſpecie columbæ dicitur ſuper ipſum deſcendiſſe.* Et paulò poſt: *filius quidem Spiritus S. fuit ab illo tempore, quo ab ipſo illuminatus gratiam divinæ cognitionis accepit*, antea Petrus erat filius Joannis piſcatoris, à quo erat genitus, & talis manſit uſque ad tempus hujus mirabilis confeſſionis: at poſtquam confeſſus eſt Chriſtum eſſe filium Dei, effectus eſt filius Spiritus ſancti, & ejuſdem cum illo conditionis.

Anſel. in eundem locum.

Lex Civilis.

XIII. Domini Juriſtæ vellem à vobis ſcire, an pater, qui non habet filios, poſſit tamen illos habere, & verè vocari legitimus pater, ita ut habeat poteſtatem in illos, ac ſi eos genuiſſet, & illi poſſint prætendere hæreditatem, & vocare eum legitimum patrem? Vos in veſtris legibus numeratis ſex ſpecies filiorum: in prima ſpecie collocatis filios naturales, & ſimul legitimos; in ſecundâ ſolos legitimos, ſed non naturales; in tertia ſolos naturales, ſed non legitimos, cum aliis tribus ſpeciebus filiorum, miſsâ hac ultimâ ſpecie tranſeo ad duas priores. Vos docetis, quod filius naturalis, & filius legitimus ſit ille, qui ex thoro legitimo eſt procreatus, naturalis eſt, quia eſt genitus ſecundum naturam ex conjunctione matris, & fœminæ; eſt legitimus, quia genitus ex legitimo thoro, qui approbatur à lege expreſsè, filius porro legitimus ſed non naturalis eſt ille, qui agnoſcit eum pro patre, à quo non eſt genitus *ſecundum naturam*, ſed ſolum *authoritate juris civilis efficitur ejus filius*, & bono ſenſu dicitur filius adoptivus, adoptio enim eſt actus legitimus, & gratuita electio, quâ quis ex non patre fit pater, quo modo Julius Cæſar adoptando Auguſtum factus eſt ejus pater, & Tiberius per adoptionem utriuſque. Authoritas itaque juris civilis eſt tanta, ut faciat patrem, & filios legitimos illos, qui ex naturâ non erant patres, aut filii.

Porrò aſſeritis, quod adoptio ſit duplex: una ſpecialis, alia arrogatio. *Arrogatio eſt actus legitimus, per quem homo ſui juris, authoritate Principis in alterius familiam & poteſtatem tranſit, ejuſque filius legitimus efficitur.* Additis, quod arrogatio ſit efficacior adoptione, quia per adoptionem filius eſt alieni juris, ſed per arrogationem arrogatus eſt ſui juris ſicut paterfamilias, præterea adoptivus ſi adoptetur ab extraneo, non tranſit in poteſtatem adoptantis, ſed manet ſub poteſtate ſui patris naturalis; at arrogatus tranſit in poteſtatem arrogantis cum omnibus ſuis bonis, etiam filiis, præterea adoptivus ſuccedit adoptato ab inteſtato tantùm, nec adoptans ei aliquid legare tenetur, at arrogatus non poteſt excludi à teſtamento abſque legitima cauſa, ſed competit ei actio contra arrogantem, ad minus quoad quartam partem, quæ eſt ejus legitima. Hinc videmus, quod pater, & filius adoptivus intrant in locum patrum, & filiorum naturalium. Ars itaque & lex civilis iis dedit filios, qui non habent tales naturaliter, eſto alias poſſint eſſe patres, imò facit illos eſſe patres, qui non quidem ex natura, ſed aliunde non poſſunt eſſe patres, & filios habere. *Spado licet generare non poſſit, adoptare tamen non prohibetur*, præterea ſi ſervus in judicio à ſuo Domino vocetur filius, eo ipſo ſit liber, & præſumptivè acquirit filiationem adoptivam, donec contrarium probetur. Ita Juriſtæ tit. de adoptionibus. Magna vis legis civilis.

De adoptione, ff. ſed & illud. L. non nudis eſt non epiſtolis. c. de probat.

XIV. Nunc ad ſpiritum ſanctum. *Beatus es Simon Bar Iona*, Patres Theologi, ego à vobis quæro, an Spiritus ſanctus poſſit habere filios? ſcio quod ſimpliciter de filiis naturalibus negabitis, eò quod ſit implicantia, in divinis dari plures filios, Magiſter tamen Sententiarum affirmat in Spiritu ſancto etiam reperiri potentiam generativam, quæ eſt in Patre, quia formaliter loquendo eſt ipſa divina eſſentia, quæ indiviſim eſt in omnibus tribus perſonis; eſto implicet, quod per eam Spiritus ſanctus, & Filius

Applicatio. *1. Sent. diſtinct. 7.*

lius posſit generare, quia in divinis non posſunt esſe plures filii, quam unus: habetur itaque, quod in divinis non posſint esſe plures filii naturales: quod si loquamur de legitimis, quamvis non naturalibus, sed adoptivis, dico Spiritū sanctum habere, & posſe habere, imò de facto habere plurimos filios, puta omnes fideles ab
Rom. 8. ipso in aquâ Baptismi adoptatos. Hinc dicebat Apostolus: *ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod simus filii Dei.* Itaque Spiritus sanctus, quia ex natura non potest esſe Pater, non quidem defectu potentiæ, sed ob implicantiam in adjecto, potest tamen esſe verus pater, & legitimus adoptivus, similiter homo, qui non potest esſe filius Spiritus sancti secundū naturam; virtute divinæ gratiæ potest fieri filius legitimus adoptivus, adoptatus, & arrogatus à
l. de spir. san. c. 15. Spiritu sancto. *Per Spiritum sanctum* (ait S. Basilius) *datur reversio in adoptionem filiorum Dei, datur fiducia appellandi Deum patrem suum*, fit filius, & per hanc filiationem, esto sit alieni juris quoad naturam, tamen transit in potestatem patris, & ex filio hominis transformatur in filium Dei, & esto sit suī juris, quia præditus est libero arbitrio, tamen cū sit à Spiritu sancto arrogatus, transit sub potestatem arrogantis; & pater naturalis perdit omnem jurisdictionē non solùm in illum, sed & in ejus bona, ac filios, & in omnibus, & per omnia subjicitur spiritui S. cum fortior sit adoptio Dei, quam naturæ: Filius arrogatus à Spiritu S. est homo qui per hanc filiationem fit hæres bonorum paternorum: *si autē filii, & hæredes*, & fit cohæres cum ipso Filio Dei: *hæredes quidem Dei, cohæredes autē Christi*; adeo etiam, ut sine causa à Deo non posſit exhæreditari, cum illa hæreditas ei debeatur ex justitia, qui Deo fidelis est, licet ab intitio merè gratuito, & liberaliter ei sit data, & quod si per impossibile fuisſet exclusus ab hac hæreditate absque ullo demerito tanquam legitimus filius, qui se totaliter subjecit spiritui S. illique semper patuit, tunc posſet se sistere tribunali SS. Trinitatis, & juridicè hæreditatem paternam, & regnum cælorum prætendere. Hinc Apost. *quicunq; spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. nō enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater.* Filius adoptatus, & arrogatus à spiritu S. est homo, licet alias servus; & per hanc arrogationem è servo fit filius, & libet *in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

Rom. 8.

Ibidem.

Pater adoptans est Spiritus sanctus, qui assumit, & transformat illos in filios, qui vivendo in peccato erant facti alieni juris, & filii Diaboli, *& erit in loco ubi dictum est eis: non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei.* Pater adoptans, qui intrat in locum patris naturalis, & qui infinities majori amore adoptatos, & arrogatos filios prosequitur, quàm patres naturales prosequuntur filios suos naturales, pater adoptans, qui suis filiis dat esſe spirituale nobilius & melius, quam sit esſe, quod dant patres naturales, cum esſe gratiæ sit infinities nobilius, quam sit esſe naturæ: pater adoptans, qui filios carnales transformat in spirituales, & sibi similes facit, puta spirituales, quia est Spiritus S. quia est sanctus. Ideo Origenes: *sicut participatione Dei quis in filium adoptatur, ita & participatione Spiritus sancti efficitur sanctus, & spiritualis.* *Lib. 3. Periarchon.*

O Pater cælestis! ô pater divine! ô Spiritus S. quam es inventor novarum rerum, & efficax in tuis operibus! tu non solùm imitaris, sed superas naturā parentum naturalium, qui filios naturales reddunt sibi similes non solum in specie, sed etiam quoad conditiones individuantes, tu autē tuos filios adoptivos facis similes Deo, dum imprimis iis divinā imaginē, sed & eos similes tibi in specie efficis reddendo eos spirituales, & sanctos, sicut tu es, qui es Spiritus, & S. Hinc non miror, quod Petrus vocatus fuerit *Bar Iona, filius columbæ*, spiritus S. & non filius Joannis patris sui naturalis, quia cum tu eum arrogaveris, & adoptaveris in filium, subtraxeris que eum potestati patris naturalis, & tuæ subjeceris, fecisti eū hæredem tuorum bonorum cælestium, & modo superante totam potentiam creatam, eum transformasti in te, & per gratiam specialem eum Deo, & tibi assimilasti, sicut & reddis similes omnes illos qui volunt eligi in tuos filios.

XV. O metamorphoses divinas! ô transformationes omnē vim superantes! benè, & rationabiliter dixi in principio, quod reddas animas tuas Deiformes, & transferas eas ab esſe earum vili, & ignobili, conditionemque earum augeas, ita ut simillimas reddas illas tibi, an non forsan verum est, quod sis divinum illud *elixir*, illa aqua Borica, quæ scaturit è fonte æterni Patris, qui amorosè respicit suum filium? *elixir*, & aqua tam potens, ut sumpta ab anima licet sit in malo inveterata, & ætate decrepita, depositâ senectute à peccato, introducta adeò perfectè ejus juventutem renovas, ut fiat

Epilogus.

immortalis, & incorruptibilis pro cælo. Tu es illud agens ſupernaturale, quod inducit in materiam primam animæ noſtræ formam divinæ gratiæ, & ei donat eſſe intellectuale, & operationes conformes, & ex imperfectiſſimo embrione eam mutas in animam veré intellectualem quæ habet perfectam imaginem, & ſimilitudinem Dei amiſſam per peccatum. Tu es ille Spiritus Dei, qui à principio mundi fœcundando aquas, iis dediſti virtutem regenerandi animas Deo, & dandi ſpiritum, motum, & vitam *Barziathibus* animatum, quæ ſine vita, & motu paulo ante pendebant annoſæ, & aridæ ex truncis parentum.

Tu es illa forma cæleſtis nobiliſſima, quæ inveniens materiam terrenam animæ purificatam ab illis conditionibus indignis, & peccaminoſis, informaſti, & transformaſti illam in materiam cæleſtem, ita ut jam ſit cæleſtis, & digna manſio Dei. Tu tandem es illa columba, quæ incubans animabus noſtris, non ſolum illis reddis vitam, ſed præterea vis, ut ſint & vocentur tui filii naturales, & legitimi; & videns quod non potueris ad intrà eſſe pater naturalis, inveniſti modum quo ad extrà poſſes eſſe pater, legitimus, & adoptivus, ſupplendo per artem illud, quod non potuit natura, & transformaſti filios naturales, imò & tuos ſervos in filios ſuos adoptivos.

O metamorphoſes divinæ! ô transformationes cæleſtes! quæ non poſſunt fieri niſi ab ipſo ſpiritu ſancto. tu itaquè Spiritus Paraclete, conſolare etiam animam meam, cum ſit annoſa, renova ejus juventutem, & ex imperfecto imbrione fac illam intellectualem, & humanam. Da ei animam, & vitam, ex terrenâ fac illam cæleſtem, ex ſerva adopta eam in filiam, ut in te transformata poſſit frui illâ hæreditate, quam ei in cælo præparaſti. Et Deus vobis benedicat.

ELOGIUM. XIV.

Pro tertia die Pentecoſtes.

Emitte Spiritum tuum, & creabuntur: & renovabis faciem terræ.
Pſal. 103.

Magia. I. MIra, quæ viſi ſunt operati magi, & venefici concurrente dæmone, & quæ recenſentur tam à prophanis, quam à ſacris hiſtoriis, quæ ſpecialiter referunt magos Phataonis, ipſo Moyſe ſpectante virgas converſiſſe in ſerpentes, ſæpè anſam mihi dederunt inquirendi, an illi Spiritus tenebrarum habeant virtutem patrandi miracula? quæſitum hoc Theologi proponunt. Gentiles quidem Empedocles, Soſiphanes, Apollonius, Virgilius, & alii cenſuerunt, Magos per virtutem ſibi à dæmonibus communicatam poſſe patrare illa portenta, quæ continentur intrà Sphæram activitatis naturalis, imò etiam, ea quæ virtutem naturalem excedunt. Hinc gloriantur, quod poſſint ſiſtere curſum cæli, pro libitu ſolem, & lunam obfuſcare, ſuſcitare ventos ſolo motu capillorum, aquas maris elevare, & deprimere, fontes & flumina exſiccare, terram reddere ſterilem, & fœcundam, eam motibus vehementibus concutere, ſanare infirmos, & ſanis immittere morbos, animos hominum diſcordes concordare, & concordes diſcordare, reſuſcitare mortuos, & vivis adimere vitam, & quod majus eſt, animas ad teterrimos inferni carceres ablegatas revocare, & alia prodigia ex ſeipſis patrare, quibus multos ſimplices decipiunt, & ſapientibus ſtuporem incutiunt, qui licet ſint certi, quod decipiant, tamen non advertunt ad modum quo illa faciunt. *Mare, terra, cælum, tartarus ſervit mihi, nihilque leges ad meos cantus tenent.*

Attamen

Theologia.

Attamen Theologi concorditer docent, quod licet Magi poſſint multa patrare portenta, quæ non excedunt vires naturæ, non tamen poſſint patrare vera, & realia miracula, ſed tantum apparentia & Sophiſtica. Quod ſi nos velimus penetrare fundamenta Theologiæ, clare videbimus, ea eſſe mera mendacia, & impoſturas. Doctor Angelicus, cui tota ſchola quoad hoc conſenſit, ſic definit miraculum: *miraculum propriè dicitur, cum aliquid fit præter ordinem naturæ.* Nec hoc ſufficit, ut opus quoddam dicatur miraculoſum, ſed præterea requiritur, ut excedat omnem virtutem creatam: nam ſi ſuperaret aliquam virtutem creatam in particulari tantum, non diceretur miraculoſum, aliàs homo projicens lapidem verſus cælum, diceretur operari miraculum, quia aſcenſus lapidis verſus cælum ſuperat conditionem lapidis, quâ ex ſe tendit deorſum; *ex hoc ergò* (inquit S. Thomas) *aliquid miraculum dicitur, quia fit præter ordinem totius naturæ*, Urgeo; Magi præſtant talia, vel virtute propriâ, vel virtute dæmonum magiſtrorum ſuorum. Si ſecundum, ergò illa opera non excedunt virtutem totius naturæ, imo continentur ſub illa; ſi primum, idem dicam, ergo non poſſunt vera miracula patrare, ſed tantum falſa, & apparentia, hinc concludit S. Thomas: *Solus Deus miracula facere poteſt.*

1. *par q. 110. art. 4.*

Applicatio.

II. Ferventiſſimis precibus Apoſtoli in cænaculo vacabant, & expectabant adimplerionem promiſſionum ab Angelis, & à Magiſtro ſuo ſibi factarum, quod eſſent repleudi ſpiritu ſancto: *& convescens præcepit eis, ab Ieroſolomis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem patris*; ſcilicet *Vos autem baptizabimini ſpiritu S.* & iterum: *Accipietis virtutem ſpiritus ſancti in vos*; & ecce ventus ſuſcitatur vehemens, & impetuoſus, qui totam domum in qua morabantur replevit, cum tanto ſtupore omnium, ut benè potuerit quis dicere, quod hoc fuerit opus miraculoſum, & captum hominum excedens, quodque ſolum ij capiunt, qui tali ſpiritu fuerint repleti. *Et factus eſt repente de cælo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes.* O quale fuit hoc miraculum in aëre factum! Eodem tempore viſæ ſunt linguæ igneæ ſuprà capita Apoſtolorum, & aliorum præſentium relucere: *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum.* Et en aliud prodigium in deſcenſu ignis, ſpiritus ſanctus ingreditur corda eorum, & adeò ea replet, ut nec angulus vacuus remanſerit: *Et repleti ſunt omnes ſpiritu S.* Et ecce tertium prodigium factum in cælo, & in terra, cælum ſupernum deſcendit in terram, & terra ſublevata in cælum factum eſt conditionis cæleſtis. Sic notavit S. P. Chryſoſtomus: *hodie nobis terra facta eſt cælum, quia effuſa eſt copioſa gratia ſpiritu ſancti.* Sed hic deſinunt miracula, nec finiuntur prodigia: Apoſtoli deſcendunt è cænaculo, prodeunt in plateas Jeroſolymis, inſinuant ſe majoribus conventibus populorum linguâ à ſe invicem differentium, qui è regionibus procul diſſitis ad illam urbem convenerant; & ecce prodigium inauditum: dum prædicant Apoſtoli, quilibet è quacunque eſſet natione, audiebat illos ſuâ propriâ & nativâ loquentes. *Et cæperunt loqui variis linguis, & audiebat unuſquiſque illos linguâ ſuâ loquentes.* Sed an hic ceſſarunt miracula? pauperes piſcatores, homines idiotæ, indocti, imperiti, rudes, ſimplices audiuntur ſubtiliſſimè proferre in ſcænam myſteria profundiſſima tam liberè, & audacter, ac ſi totam vitam in libris inſumpſiſſent: *Cæperunt loqui variis linguis magnalia Dei*, & portenta, quæ excedunt omnia portenta veneficorum! vos ſancti Apoſtoli benè potuiſtis vocari patratores miraculorum, *mare terra, &c.* Vos ſtellas è cælo ad terram trahitis, & terram transfertis ad cælum, dum animabus gratiam divinam communicatis, nam hoc modo animas ab inferno liberatis; verbo vobis omnes creaturæ ſine ullâ contradictione ſubjiciuntur.

Act. 1.

Act. 2.

O Apoſtoli ſancti, an forſan patratis hæc prodigia, & miracula per aliquam virtutem, quæ eſt in vobis, & quæ à vobis manat? non: hæc prodigia excedunt omnem virtutem creatam, ita ut debeant produci ab aliquo, qui ſit ſuperior ipſâ naturâ, nec hic eſt alius, quam ipſe Deus, quam ejus Spiritus ſanctus, vere thaumaturgus, & patrator prodigiorum ſingulariter in animabus, quas poſſidet, prout notavit S. Apoſtolus ad Corinthios ſcribens *Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu, alteri gratia ſanita-*

Serm. de Pentecoſt.

1. Cor. 2.

tum in eodem ſpiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum, hæc autem omnia operatur unus, atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult: ipſe ſiquidem ſolus eſt patrator prodigiorum, uti hodie videbimus.

ASSUMPTUM.

Spiritus ſanctus in animabus noſtris tanta prodigia patrat, ut clare oſtendat ſe eſſe Thaumaturgum.

Scriptura. III. PRopheta Jeremias loquens in perſona divinæ Majeſtatis aſſerit tempus futurum, quo nullus anſam habeat ſe defatigandi in
Ier. 31. proximo ſuo inſtruendo, cum ipſe Deus ſuam divinam legem in viſceribus, & corde cujuſcunque ſcripturus ſit, ita ut non ſolum adulti, ſed & infantes perfectè Deum ſint cogniturí: *Omnes enim cognoſcent me, à minimo uſque ad maximum.* Hæc verba S. P. Chryſoſtomus hoc modo legit: *intelligent me à parvo eorum, uſque ad maximum* & addit. *omnis lingua confitebitur Deo vero.* Non ſolum me cognoſcent & intelligent perfectè mea profundiſſima myſteria, ſed & proprio ore me confitebuntur, prædicabunt, & mundo annuntiabunt, *& omnis lingua*, &c. Adverto hic expoſitores, Os aureum ponderare hunc locum, & illum ad ſuum propoſitum applicare (in 2. homilia) S. Romano mart. cui juſſu tyranni lingua quamvis fuiſſet exſecta, ſanctus tamen cantabat & laudabat Deum; & addit, quod hic ſanctus meritò ſibi
Pſal. 44. potuerit applicare illa verba Pſalt is. *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Lingua mea adeò eſt ſoluta, & expedita, & tam celeriter à me mota, ac ſi ſubtiliſſima & optima eſſet penna à manu velociſſimâ peritiſſimi ſcriptoris mota. *Lingua mea, &c.* duo in hoc paſſu me torquent: primum, cur Os aureum laudans S. Martyrem Romanum, cui per vim eſt extracta & exſecta lingua, adducat illum textum Jeremiæ, quod tempore ſuo omnium linguæ tam adultorum, quam puerorum confeſſuræ, & prædicaturæ ſint Deum, ſi Romanus jam erat elinguis? & Reſpondet dictus Sanctus; ne miretis, quod adducam illa verba Vatis, dum vitam & martyrium S. Romani Martyris deſcribo, cui juſſu tyranni fuit extracta lingua: quia majus vobis prodigium oſtendere volo in Romano elingui, quam in illis, qui linguâ præditi juxta ſenſum vatis, Deum confitebuntur, & laudabunt. *Et omnis lingua, &c.* eſto etiam foret lingua infantis; Quia majus eſt portentum, quod ille loquatur qui eſt elinguis, quam quod infans vagiens, & inhabilis ad loquendum ob defectum linguæ loquatur, ut legimus accidiſſe tempore Sergii Papæ, cui adverſarii culpam inceſtus attribuerant; infans enim novem dierum interrogatus à S. Anſelmo Epiſcopo, an Sergius, & alius quis eſſet ejus pater: clarâ voce reſpondit: Sergius eſt innocens. Similiter legimus Danielem, & Brictium Epiſcopum ab infante fuiſſe declaratos innocentes. Sed quod elinguis articulatè, & diſtinctè loquatur, cum lingua ſit inſtrumentum neceſſarium ad loquendum, magis admirandum eſt. Hinc os aureum: *Propheta quidem Ieremias linguam omnem cognitionis Dei rectè concludit, nos vero hodiernâ die etiam elinguem oratorem pietati patrocinantem audimus; velut enim cithara quædam plectro deſtituta creatorem collaudat. Dicat igitur S Romanus: lingua mea, &c.* Et quamvis eſſet elinguis, tamen poterat dicere: *lingua mea, &c.*

Sed hic oritur alia difficultas: ſi Romanus erat elinguis, quomodo poterat loqui? ſi lingua ſit inſtrumentum neceſſarium ad loquendum, quomodo poterat formare voces ſine lingua? ſi dicatur, quod hoc fuerit prodigium omnipotentiæ Dei, qui poteſt ſupplere defectum cauſæ efficientis; replicabo: quomodo potuit dicere Romanus, quod illa lingua eſſet ſua? *lingua mea*, qualis ergò eſt hæc lingua? *Hom. 2. de S. Romano.*

Reſpondet S. Chryſoſtomus: *non ea quam ferrum eripuit, ſed quam ſpiritus ſancti gratia fecit: lingua quippe evulſa, gratia ſpiritus in ejus locum ſuffecta eſt.* Verum quidem eſt, quod lingua ſit inſtrumentum neceſſarium ad loquendum, ſed hæc evulſa eſt Romano; ſpiritus itaque ſanctus gratia ſua linguæ defectum ſupplevit, & lingua à ſpiritu S. fabricata fecit loqui Romanum, qui ſicut deſcendit ſupra Apoſtolos in figura linguarum ignearum, ut linguis eorum infacundis daret energiam; ſic etiam dat linguam eis, qui ſunt elin-

elingues. Eſto igitur Romanus non habuerit linguam materialem, tamen ſpiritus S. per ſuam gratiam fecit eum loqui, ita ut Romanus poſſit meritò dicere, quod lingua quâ loquebatur erat ſua. *Lingua mea non ea quam ferrum, &c.* Dicam igitur Romano acciditſſe, id quod finxerunt Poëtæ de Eunomio citharœdo, hic dum ſuaviter digitis peterraret lyræ fides & luderet, caſu una fides diſrupta eſt, ſed cicada quædam advolavit, & ſupplevit defectum, prout advertit illud ingenium Academicum, quod pro ſymbolo formavit lyram, cum fracta chorda, cujus defectum ſupplevit cicada, additò lemmate *Muſica*. Et quia agimus de Muſica, faciam contrapunctum ad firmum cantum hujus ſcripturæ.

Pierius lib. 26.

Ars Mechanica.

IV. Aulus Gellius in ſuis noctibus Atticis meminit portentoſæ columbæ ligneæ, tam induſtriè ab Archita Tarentino fabricatæ, ut ex ſe per aerem volaret; teſte Phanorino priſco Philoſopho celebri, qui de illa ſic loquitur: *Architas Tarentinus Philoſophus pariter, & mechanicus vir, columbam ligneam fecit volantem, quæ ſi unquam ſubſediſſet, non exurgebat amplius.*

Magis prodigioſæ fuerunt aves aureæ Leonis Imperatoris, quæ ſuaviſſimè cantillabant, ſicut & illi boves ænei, qui & cantabant, & volabant, & illi ſerpentes qui ſibilabant inſtar vivorum ſerpentum. Verùm ad ſtuporem omnia illa opera ſuperat illa ſtatua humana, quam Albertus Magnus tam artificioſè fabricarat per 30. annos: hæc articulatiter loquebatur, uti ipſemet Doctor Angelicus audivit, dum ab Alberto miſſus eſt ad locum in quo erat illa ſtatua, ad cujus articulatas voces dum metu percelleretur S. Thomas, ſtatuam percuſſit & fregit. Cui Albertus dicebat: *Opus triginta annorum confregiſti.*

Dubitant hic ingenia docta, & inquirunt, an hæc opera, quæ humanum videntur ſupetare captum, poſſint abſque concurſu dæmonis fabricari ab arte thaumaturgica? vel an debeamus credere ea ope diaboli conſtrui? fuit qui diceret non difficulter poſſe perſuaderi, à ſola arte columbam illam ab Archita factam, uti & aves cantantes, ſerpentes ſibilantes, ſed quod illa ſtatua Alberti M. fuerit opus naturale, non poſſe credi. Cauſam hujus dixit eſſe, eo quod formatio vocum articulatarum, & diſtinctarum ſupponat vitam & reſpirationem, ac organorum diſpoſitionem valdè perfectam, imo etiam diſcurſum in loquente: ſed certum eſt, quod hæc non potuerint competere ſtatuæ Alberti, ergo fuit opus dæmonis. *Si loquebatur ſtatua, ille loquebatur in capite, qui in ſtatuis idolorum oracula fundebat, qui ſolus erat dæmon:* ſimulachra ſiquidem illa carebant voce teſte pſalmiſta: *ſimulachra gentium argentum & aurum, os habent & non loquentur, neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum.* *Pſal. 134.*

His non obſtantibus Guilielmus Pariſienſis, Medina, & alii Philoſophi ſapientiſſimi pariter, & optimi Catholici, affirmant omnia enarrata portenta, etiam ſtatuam illam Alberti poſſe ſine ſcrupulo adſcribi Magiæ Thaumaturgicæ aliàs licitæ, utpote naturali, & artificiali, in qua dæmon nullam habet partem. Quoad columbam nullum eſt dubium, quia ars per rotas & pondera poteſt facere, ut columba volet, quia facit ambulare inſtrumenta etiam metallica, naviculas, & ſimilia. Quod etiam poſſit facere, ut aves cantillent ex metallo fabricatæ, non ſuperat vires hujus artis: & eſto verum ſit ad hoc neceſſarium eſſe aerem, nonne poteſt ille intra hæc animalcula recludi, & juxta temporis diſpoſitionem debitâ proportione ſervata diſtribui, ut è faucibus egrediens imitetur cantum avium? quod ſi præfatus Doctor admittat hoc non excedere vires naturæ, cur vult dicere ſtatuam Alberti excedere vires? & hoc à fortiori, dum non reſpondebat ad libitum ei, qui eam alloquebatur, ſed tantum proferebat illa verba, quæ per artem formabat. Ideo concludunt, quod fuerit inanimata, & per artem, mediante aere incluſo potuerit voces articulatas formare: *aura ſpiritus incluſâ & occultâ.* Hic aer etiam fuit neceſſarius ad cantum avium ex aere.

Applicatio.

V. Nunc ad ſpiritum S. *omnes enim cognoſcent me, &c.* Columbæ inanimatæ, aves, ſtatuæ erant animæ SS. Apoſtolorum, antequam reciperent ſpiritum ſanctum, columbæ: *eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*, aves inanimatæ eſto aureæ ob earum dignitatem: *nunquid avis diſcolor hæreditas mea?* ſtatuæ ſimiles humanis prodigioſiſſimo artificio fabricatæ ab artifice Deo: *formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*, ita ut totus mundus obſtu- *Mart. 10. Ier. 12. Gen. 2.*

obſtupuerit. Columbæ quæ non movebantur, quia plene timore; aves, quæ non cantabant, quia ſine vita; ſtatuæ mutæ, quia ſine ſpiritu, nihilominus inopinatò videntur hæ columbæ extendere, & excutere alas, ac per aërem verſus cælum volare; *in media pericula proſilierunt*, hæ aves! ſuaviſſimos audiuntur edere concentus, cum ſummâ ſupremi Monarchæ delectatione, illiterati & idiotæ auſenter diſputabant; hæ ſtatuæ audiuntur articulatè loqui etiam coram crudeliſſimis, & Doctiſſimis tyrannis. *Loquebantur variis linguis magnalia Dei.*

Chryſ. hom. 47. in Ioan.

O Columbæ! ô aves! ô ſtatuæ! ô Apoſtoli, qui paulo ante videbamini eſſe ſine motu, abditi & timentes, elingues & muti! unde provenit, quod nunc, & quidem ſubito humeros, & pedes habentes alatos, videamini volare per vicos Jeruſalem & totius mundi? quæ eſt cauſa, quod tam ſuaviter, & gratioſè canteris excellentias Dei? unde oritur, quod linguis adeo diverſis, & facundis propaletis abſcondita myſteria Dei? O ſtupores paradiſi! ô artem, & portenta ſpiritus ſancti! *Aura ſpiritus incluſa, & occultâ.* Hic ſupernus artifex intra viſcera, & cor veſtrum concluſit auram ſuæ divinæ gratiæ, ita ut vigore accepto magnâ cum audaciâ exieritis è cænaculo, mediis turbis vos ingeſſeritis, linguis ſolutis cantaveritis, prædicaveritis, diſputaveritis, & perſuaſeritis cunctis nationibus cum ſtupore omnium, quæ non advertentes hos eſſe effectus artis Thaumaturgicæ Spiritus ſancti virtute auræ ſuæ, illos tribuebant vino, phrèneſi. *Aura ſpiritus incluſa, & occultâ, &c.* Hinc S. Gregorius conſiderans hanc artem cæleſtem hujus cæleſtis Thaumaturgi, qui vi auræ ſuæ producebat effectus tam portentoſos dicebat: *Videte Spiritus ſanctus qualis ſit artifex, implet citharœdum puerum, & pſalmiſtam facit, implet paſtorum armentarium ſycomoros vellicantem, & prophetam facit. Implet abſtinentem puerum & judicem ſenum facit; implet piſcatorem, & prædicatorem facit.* O qualis artifex producat effectus adeo portentoſos & excedentes fidem Romanam non indiget magnâ induſtriâ. Aura *ſpiritus incluſa, atq; e occulta.* Exiguo aere, quem inſpiravit his machinis, alias ad opera adeo prodigioſa ineptis, efficit, ut illa producant etiam obſtupeſcentibus ipſis ſapientioribus. *O qualis artifex eſt iſte ſpiritus*, fateatur itaque Jeremias jam advenuiſſe tempus, quo adulti & infantes, viri & fœminæ perfectè debebant cognoſcere Deum, & omnes linguæ eum confiteri, & prædicare; quia etiam linguæ ineptæ, & inhabiles ad has functiones, ſi ab hac aura cæleſti tangantur, ſolvuntur, & habilitantur ad decantandum & magnificandum excellentias Dei: *cognoſcent enim, &c. & illa quidem lingua, quam ſpiritus S. gratia fabricata eſt.* Spiritus ſanctus vere eſt thaumaturgus, & patrator miraculorum.

Hom. 30. in Evangel.

VI David propheta volens indicare, à quo fabricatæ ſint hæ machinæ cæli, cum omni ornatu ſuo, & nobiliſſimis qualitatibus, dicit totum conſiſtorium SS. Trinitatis operi adeo portentoſo manum applicuiſſe: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Hinc videmus, quod Pater ſit artifex; dum dicitur *Domini*, quod ſignificat perſonam Patris: videmus etiam, quod Filius concurrat, dum dicitur *Verbo*, tertium etiam adeſt, dum dicitur: *& Spiritu.* Hinc S. P. Gregorius ait, *Vt tota ſimul ſancta Trinitas oſtendatur operata.* Idem ſanctus affirmat per illos cælos intelligi Apoſtolos. Et quamvis veriſſimum ſit, quod omnia opera Dei ad extra ſint indiviſa, & communia juxtà Theologos, tamen per appropriationem una res attribuitur uni perſonæ, alia alteri, prout inter alios teſtatur S. Thomas. Hoc clarè videmus à S. Gregorio confirmatum, dum in præſenti loquitur de cælis SS. Apoſtolorum, quorum ornamenta, & ſtellæ ſunt dona, & gratiæ ſapientiæ, ſcientiæ, prophetiæ, linguarum, & aliorum quæ recenſet Apoſtolus: *alii datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, &c.* Hæ gratiæ, quæ ſunt quaſi tot ſtellæ, quæ ornant hos cælos, appropriantur Spiritui S. veluti authori illarum, ideo dixit etiam S. Job *Spiritus Domini ornavit cælos.* Simili modo fabrica illa attribuitur Patri per verbum uti vult pſaltes: *Verbo Domini, &c.* Sed virtutes illorum attribuuntur quidem Patri, ſed mediante Spiritu S. *& ſpiritu oris ejus.*

Scriptura. *Pſal. 32.* *Hom. 30. in Evang.* *Ioh. 26.*

Hic ſcire percuperem, qualis ſit illa virtus, quâ donati ſunt Apoſtoli à Spiritu S. in hoc loco, dum pſaltes ait; *& ſpiritu oris, &c.* Meus Seraphicus Doctor S. P. Bonaventura reſpondet; quod ſit virilitas conſtans, & conſtantia virilis, robur forte procedens à Spiritu S. *à Spiritu ſancto* (inquit) *procedit vigor virilis in pent.*

Serm. 9.

is, constantia roborans. Sed quomodo hoc facero die Pentecostes Apostoli fuerunt ornati hac virilitate? an non ante adventum Spiritus sancti illam ostenderunt? nonne fuit actio virilis eorum, despicere mundum, Christum sequi, cui infensos esse Phariſæos, & scribas videbant? nonne fuit virile factum, cum Petrus ad defendendum suum Magistrum, gladio abscidit auriculam servo? quis de hoc dubitet? quomodò ergò inquit S. Gregorius, quod post adventum Spiritus in Apostolos, Spiritus oris ejus dederit hanc virilitatem, robur, constantiam iisdem Apostolis? *Et Spiritu oris ejus.*

Vbi supra. Divinè S. Gregorius: *Calorum ergò virtus de Spiritu sumpta est, quia mundi hujus potestatibus contrarire non præsumerent, nisi cor Spiritus sancti fortitudo solidasset: quales namque Doctores sancta Ecclesia ante adventum hujus Spiritus fuerint scimus, & post adventum illius, tujus fortitudinis facti sint conspicimus.* Verùm est, quod ante adventum Spiritus sancti Apostoli ostenderint aliquem effectum virilitatis, dum scilicet secuti sunt Christum, dum despexerunt mundum, & similia patrarunt: sed tamen aliis vicibus etiam ostenderunt se valdè debiles, & fragiles, dum tempore passionis in maxima necessitate fugerunt à Christo, dum unus eorum negavit, quod Christum nosset, ejusque discipulus esset, dum ob metum Judæorum latebant; in his actionibus demonstratunt animum & cor valde debile, & magis muliebre, quam virile. Sed post adventum Spiritus sancti intrepidi, & constanter coram Tyrannis confitebantur, & prædicabant Christum. Petrus singulariter pro omnibus quadam vice respondit principibus Sacerdotum: *Oportet nos obedire magis Deo, quam hominibus.* Et ille, qui timore mortis quasi meticulosa puella ad interrogationem unius ancillæ negaverat vitam, confortatus est à robore recepto à Spiritu S. factus virilis, & generosus pro defensione ipsius vitæ quam negaret, in vili propiam habuit mortem. Dicit siquidem S. Gregorius eos à Spiritu Dei recipere vigorem, robur, virtutem, & constantiam: *Ex eo ergò acceperunt ornamenta virtutis, quos immensa ante possederat fœditas timoris;* Prodigiosissima, & thaumaturga operatio Spiritus sancti.

Act 5.

Lib. 13. mor. c. 19.

Historiæ. *Lib. 42.* VII. Refert Titus Livius Anamisiam uxorem Gorgippi post plures annos, quibus in matrimonio cum ipso vixerat, inopinato in virum esse mutatum. Idem Jovinianus Pontanus in historia Neapolitana testatur, de Æmilia matrimonio juncta cuidam civi Eubolo, vocato Antonio Sponza, postquam duodecim annis in connubio transegerat & dissoluto matrimonio dicit Pontanus, Æmiliam alteri fœminæ nupsisse, ex qua postea proles plures genuit, & licet non negamus de Æmilia, quod ex Antonio susceperit proles, tamen dicit Pontanus, quod alia quædam prolem habuerit, post cujus partum in marem mutata, alteri dein nupsit, ex qua plures etiam habuit proles. Similes plures casus recensent Antonius Torquemada Hispanus & Plinius dicens: *Ex fœminis mutari in mares non est fabulosum.* His consensit Hippocrates, Hic ego NN. scire percuperem, an talis mutatio sit naturalis, an supernaturalis.

Sabell. l. 9.

Plin. lib. 9. cap. 4. li. 6. Epid.

Nonnulli hanc mutationem rejecerunt, ut fictam, ad cujus confirmationem adducunt illum casum Hipperministri venditæ pro fœmina & ex compassione à Deis mutatæ in virum. Idem contigit Spireræ Cretensi, quæ in marem mutata est, dum vidit Minervam lavantem filiam Galateæ. Alios etiam recensent Poetæ, ob quod non possunt sibi persuadere tales casus re ipsa contigisse.

Poesis.

His non obstantibus omnium Philosophorum, & Medicorum opinio est, hunc casum naturaliter posse contingere. Ita Galenus Avicenna, Rasis & alii, qui dicunt fœminam esse monstrum naturæ: cum enim hæc semper conetur producere effectus perfectiores, & mas in omnibus speciebus sit perfectior, quàm fœmina, ideò dicunt fœminam nasci præter intentionem naturæ, adeoque fœminam esse partum portentorum, & monstrorum. Addunt fœminam esse hominem imperfectum editam defectu caloris convenientis ad productionem hominis, sicque dum postea supervenit calor & ex quadam causa augetur, nihil sit mirum, quod fœmina in marem mutetur, cum corpus à calore excessivo sit optimè dispositum, ut mutet conditionem, & fiat virile. Hæc dicunt Medici cum Philosophis.

Gal. de usu part. & li. de anat. administr.

Astrologi, qui omnibus se volunt immiscere negotiis, hunc prodigiosum effectum adscribunt cælo. Hinc dicunt, quod si una constellatio inclinans, & disponens materiam formatricem partus in generatione corporis fœminei, jungatur alteri, quæ disponit ad sexum masculinum, & tunc prævaleat virtus [illegible], posse fieri

Astrologia.

ut habeat ſuum intentum ſi non in utero, vel ſtatim poſt nativitatem, ſaltem ſucceſſu temporis faventibus influentiis maſculinis cæli.

VIII. Nunc redeamus ad Spiritum S. *Verbo Domini.* Calor valdè intenſus, & efficax ſignum ac planeta cæli vigoroſus maſculinus eſt Spiritus S. calor adeò intenſus, ut in ſe ipſo ſit ignis. *Deut. 4.* *Dominus Deus tuus ignis conſumens.* Eſt calor cæli vigoroſus & maſculinus, qui dat animabus noſtris robur & vigorem adeò copioſum, & efficacem, ut faciat nos viriliter amplecti res magis arduas, & difficiles, imò impoſſibiles æſtimatas, uti obſervavit S. P. Bernardus: *Serm. 2. Pent.* *Spiritus S. dat robur vitæ, ut quod per naturam tibi eſt impoſſibile, per gratiam ejus non ſolum poſſibile, ſed & facilè fiat.* Calor cæleſtis, & maſculinus, qui efficit animam ex fœminea, puſillanimi, & debili, virilem, robuſtam, & generoſam; *à Spiritu S.* *Serm. 9. Pent. ad Rom. 5.* inquit Doctor Seraphicus, *procedit vigor virilis conſtantiæ, roborantis affectum, calor cæleſtis à cælo communicatus animabus noſtris. Charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis.*

Antequam è cælo deſcenderet cum tota ſua plenitudine, robore, & vigore hic calor maſculinus, erant SS. Apoſtoli adeò fœminei & debiles, adeò imperfecti, ne dicam monſtroſi, ut ad minimam occaſionem animo caderent, & quaſi mulierculæ pericula fugerent, ſeq; abſconderẽt: *Matth. 26* *Et relicto eo omnes fugerunt.* Et quod pejus eſt, magiſtrum ſuum negarunt. O quam mulièbres, quam imperfecti, quam debiles, quam inopes virilitatis erant Apoſtoli! O prodigium cæli! inopinato è fœminis videntur mutati in viros, è puſillanimibus animoſi, è debilibus valdè robuſti & vigoroſi facti, ita ut quæcunq; ardua aggrederentur; ſiſtebant ſe principibus mundi, animo intrepido, & virili confitebantur, & prædicabant Chriſtum ejuſq; ſanctã legem: *Act. 5.* *Obedire nos oportet magis Deo, quam hominibus.* Et licet iis id prohiberetur minis, tamen flocci faciebant minas, virgas, carceres, tormenta, & ipſam mortem, ſed viriliter & intrepidè ſuum proſequebantur munus *Verberibus, minis,* dicit de S. Apoſtolo Petro Dᵗ Gregorius *Lib. 13. mor. c. 19.* *prohibetur, ne prædicet Chriſtum, nec tamen compeſcitur.* Idem contigit etiam aliis, qui è fœminis mutati ſunt in viros valdè robuſtos & virtiles, ita ut dixerit S. Bern. *de tanta puſillanimitate Spiritus venerunt in tantam conſtantiam.* O glorioſiſſimi Apoſtoli! quomodò potuit fieri, ut tam ſubitò, & inopinato deponeretis illas qualitates, & proprietates muliebres, illam debilitatem, puſillanimitatem, metum? & compareretis homines viriles, robuſti, animoſi, & è fœminis mutati ſitis in viros perfectos? Ah ſi ad cælum me convertam, & contempler virtutem hujus planetæ maſculini Spiritus S. qui è cælo influxit animabus veſtris ſuum vigoroſum robur, & virtutem cum tanta copia charitatis, devenio in perfectam cognitionem, quod ipſe hujus miraculoſi ſit author effectus, qui totum mundum rapit in ſtuporem. Hinc dixit S. Bern. *Serm. 1. Pent.* *Induti ſunt Apoſtoli virtute ex alto* (en virtutem caloris cæleſtis) *qui de tanta puſillanimitate Spiritus ad tantam devenere conſtantiam* (en muatos è fœminis in viros) *quis dubitet advenire Spiritum vehementem, qui mentes eorum inviſibili illuſtraret præſentia?* En efficaciam illius, qui intrinſecus operabatur, *à quo* (inquit S. Bonaventura) *procedit vigor virilis conſtantiæ.* Dicat ergo Pſaltes Regius: *Verbo Domini.* Dicat præterea S. Greg. *Calorum virtus de Spiritu ſumpta eſt.* Addat: *Ex eo acceperunt ornamenta virtutum, quos immenſa antè poſſederat fœditas timoris;* ſubjungar: *quales Doctores S. Eccleſia ante adventum hujus Spiritus fuerint, ſcimus* (en fœminas meticuloſas, & puſillanimes! *Et poſt adventum illius, cujus fortitudinis facti ſint conſpicimus.* En viros perfectos, virtiles & generoſos. Vigoroſiſſimus calor, thaumaturgus Spiritus ſanctus.

XIX. Obſervavi N. N. locum ſcripturæ ex Jobo, ut verum fatear, non minus curioſum quàm difficilem: *Interoga jumenta, & docebunte, & volatilia cæli, & indicabunt tibi; loquere terræ, & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces.* Non ſcio, quod in ſacris litteris legerim aliquid magis ridiculum, ut ita loquar. An ad annos pervenimus, quibus beſtiæ loquantur! jumenta, aves cæli, piſces maris, beſtiæ irrationales loquantur licet ſint elingues; reſpondeant, licet ſint rationis experres, doceant licet non ſint diſcurſivæ ut verum fatear, non inveni nodum arctiorem, nec ſcripturam difficiliorem, & eo magis ſtupor creſcit, cum obſervante hic Ruperto Abate factum contigerit, & ſæculis præteritis beſtiæ, aves, piſces viſi ſint loqui: *Iumenta terræ & volatilia cæli ac piſces maris ſic illuſtravit, ut ſciant docere, indicare, & enarrare poſſint magnalia Dei.* Scio Pſaltem alia vice dixiſſe: *Cæli enarrant gloriam Dei & opera manuum* *Pſal. 17.* *ejus.* Scriptura. *De oper. S. Script. l. 2. cap. 12.*

ejus annuntiant firmamentum. Sed hæc enarratio, & manifestatio potuit fieri sine verbis, quia ipsum cælũ & speciositas cæli, ac pulchritudo firmamenti magnificant excellentiam artificis, qui opus adeò magnificum fabricavit. Sed hoc loco juxta Rupertum loqui, respondere, erudire non intelliguntur metaphoricè, sed in sensu proprio, ita ut ad illa requiratur lingua, sensus, & intellectus. Quomodò ergò dicere potuit S Job tempus fore, quo jumenta aves, & pisces loquentur, responsa dabunt, & docebunt? *interroga jumenta &c.* Præterea qualia sunt hæc jumenta aves & pisces? & quando fuit illud tempus, quo locuta sunt?

Mirè respondet Rupert. Ab. per jumenta, aves & pisces illos (qui in hoc omninò conveniunt quod careant lingua, ratione & discursu) intelligi homines, qui multo tempore fuerunt bruta irrationalia privata cognitione Dei, bruta, quæ non potuerunt illud proferre, quod nesciebant, nec intelligebant: *Quæ jumenta ista, quæ volatilia cæli, qui pisces maris, nisi homines quondam bruti, qui non habebant notitiam Dei? omnes pro hac parte muti eramus, & bruti: nunc autem sapientia Spiritus os nostrum aperuit & linguas nostras fecit disertas.* Nos, inquit Rupertus, sumus potius illa animalia muta, privata loquelâ, & cognitione Dei, sed modò per sapientiam divinam, & Deum cognoscimus, & de Deo ejusque factis mitis loqui possumus & scimus. *Nunc autem hinc &c.* Sed quando quæso incepit sapientia divina aperire ora nostra ante clausa, & mentes nostras illustrare cognitione Dei? quando dedit illis jumentis linguam, discursũ, & rationem? Respondet Rupert. *cum ascendisset super cælos, sedissetq; ad dexterã Patris, resplenduit magnificè, & emisit dispertitas linguas tanquam ignem, imò verè ignem Spiritus S.* Ignis Spiritus S quando delapsus est in figura linguarũ, tunc nostras mentes imbuit cognitione divinâ, & è jumentis insipientibus fecit creaturas rationales, & doctas è mutis, & elinguibus facundas, & eloquẽtes, ita ut deinceps possimus intelligere, & deprædicare magnalia Dei. *Ille ignis*, inquit Rupert. *Invisibilis de paucis Apostolis excandescens, omnem terram illuminavit, prædictaque jumenta terræ, volatilia cæli, & pisces maris sic illustravit, ut sciant docere, indicare & enarrare possint magnalia Dei.* Videte itaque an Spiritus S. non sit thaumaturgus, an non patret portenta, dum animalibus brutis, & irrationalibus confert linguam, rationem, & discursum.

Philosophia.

V. Vos Domini Philosophi mihi datis insignem occasionem illustrandi hanc scripturam pulcherrimâ quæstione à vobis propositâ & ventilatâ: An animantia bruta sint dotata ratione, & an animalia ejusdem speciei sese mutuo intelligant, prout de hominibus notum est?

Porphyrius opinatus est, aves se mutuò intelligere, ita ut voces & cantus mutuò percipiant, ab hoc non procul distant Plato & Opianus, qui de elephantibus narrãt, quod si elephas cadat in foveam, & ejus clamor ab alia elephante audiatur, hic plures accersat, quibus stipatus veniat, ut lapsum è fovea extrahant. Similiter si è reti piscatoris evadat pisces, ista die piscator similem specie piscem nullam capiet. Unde deducit Porphyrius, & similes, hoc provenire ex eo, quod elephas suam necessitatem aliis notificet, qui hoc percipientes accurrunt, ut captivo subveniant: similiter alios pisces præmonitos ab illo pisce, qui evasit, cavere sibi ne capiantur. Addit, quod Apollonius tyrannus, dum audiret cantillantem hirundinem vel passerem, dixerit cantillantem ad se vocare alios, eò quod asinus tritico onustus ad portas urbis cecidisset & grana effudisset. Non ergò solum sibi mutuò loquuntur, sed etiam se invicem intelligunt, & quod plus est, non desunt homines qui eorum voces intelligant: quod animantia etiam sint prædita ratione, tradunt Porphyrius, Plutarchus, & expresse tradit Galenus, homines, & bruta non differre quoad ratiocinationem, nisi quod illi sciant suos conceptus manifestare per verba, bruta minimè. Omitto Quintilianum, Antonium Ciltadinum, Laurentium Vallam, qui cum fuerint è numero bestiarum, non est mirum quod dixerint bestias loqui, & intelligere, eas esse præditas prudentiâ, & providentia.

Porph. l. 3. de sacrif. Plut. 1. quod bruta utantur ratione.

His non obstantibus Aristoteles, Philoponus, Albertus M. Doctor Angelicus, & omnes Theologi, licet in bestiis concedant aliquod vestigium, imaginem, vel simulachrum prudentiæ, quia multa in iis videmus, quæ simplices credunt esse facta discursu, vel ratione, tamen absolutè negant, quod ratione sint prædiræ, & illos effectus tribuunt instinctui naturali iis à Deo indito. Hinc Hieron Fracastorus adducit similitudinem caloris naturalis, qui calefacit, attrahit, expellit, dat figura membris, situm, dispositionem, & tandem ipsam animam introducit in materiam, cujus operationes licèt

sint multæ & variæ, tamen ab ipso omnes sunt sanatæ, ita ut aliquis diceret, cum esse dotatum ratione, quod tamen non est: sic etiam bestiæ irrationales tam mira operantur, ut crederet illas esse ratione præditas, cùm tamen illa faciant virtute instinctus naturalis, quem iis indidit Deus. Hinc licèt iliæ non cognoscant suum finem, ob quem operantur, tamen Deus cognoscit illum, qui suâ infinitâ sapientiâ dirigit animalia, ut media oportuna ad finem consequendum eligant, nec ideo debent censeri rationabilia, cùm id afferere non solùm contrarietur fidei, sed etiam bonæ Philosophiæ.

Applicatio. XI. Nunc ad Spiritum Sanctum: *Interroga jumenta, &c.* Animalia bruta sine ratione sine discursu in rebus divinis sunt homines destituti gratiâ Spiritus Sancti: *Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientib. & similis factus est illis.* Jumenta sunt, pisces & aves non valentes loqui: *Os habent, & non loquentur.* S. Apostolus Judas vocat eos *muta animalia.* Jumenta valde aggravata à propriis culpis, aves semper volantes per aërem vanum suorum superbortum conceptuũ, pisces semper natantes in aquis propriarum concupiscentiarum. Verbo, animalia sine ratione, & sine discursu, *Omnes,* (inquit Rupertus,) *pro hac parte muti eramus, & bruti* Animalia bruta, quæ non cognoscunt verum finem Deum, & ex hoc capite vetis bestiis deteriores, quæ non deviant à fine, quẽ iis instinctus naturalis præfixit Attamen dixit Deus, aliquando tempus futurum, quo istis animantibus sit lingua solvenda, adeo ut sint locutura: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, & aperta erit lingua mutorum.* Et quod plus est, enarrabunt magnalia Dei, & vox eorum ab aliis, qui sunt ejusdem conditionis, intelligetur.

Psal. 48.

Vbi suprà.

Sed quomodo mi Domine poterunt loqui & intelligi animalia privata ratione & discursu? quis aptabit linguas ad loquendũ ineptas, ut possent formare voces, quibus exprimant magnalia tuorum mysteriorum? memini Joburn aliquando dixisse, sibi semel aliquod verbum dictũ, quod non intellexit: *Porro ad me dictum est verbum absconditũ.* Similiter observo, quòd S. Gregorius per illud verbum intelligat inspirationem internam, quâ Spiritus S. animam erudit & illustrat in rebus divinis; *Potest* (inquit) *per illud verbum absconditum allocutio intima spirationis intelligi,* & sanè illud idioma à nullo potest intelligi, nisi ab eo, qui sit edoctus ab illo Spiritus S. ideo dixit Christus: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.* Hinc quando anima recepit istum spiritum, licèt aliàs fuerit jumentum insipiens, privatum ratione & discursu, tamen statim fit sapiens, intelligens, loquens, imò flumen sapientiæ, oceanus intelligentiæ & sapientiæ. Ideo Chrysostomus loquens de hoc spiritu, ait: *Invenit Publicanum, & Evangelistam effecit; invenit persecutorem, & Apostolum reddidit:* itaque non spiritus dæmonis, sed Dei facit loqui jumenta; aves, & pisces irrationales. Spiritus S. est, qui iis instillat intellectum, rationem, discursum, sapientiam, providentiam. Spiritus S. est, qui facit, ut consequantur finem, quem non cognoverunt, nec intenderunt. Quid ergo mirũ, quòd Jobus remiserit nos ad illa jumenta, ut ab iis instrueremur, ad illas aves, ut nos edocerent, ad pisces illos, ut nobis edicerent magnalia Dei? *Interroga jumenta, &c.* Spiritus S. efficit, *ut prædicta jumenta, &c* ut suprà, dicamus ergò, quòd Spiritus S. sit verè Thaumaturgus, & patrator tantorum portentorum.

Iob. 4.

Lib. mor. c. 14.

Ioan. 14. serm. de Pent.

Scriptura. XII. Loquens quidam vice S. Jobus de potentia & sapientia Dei, dixit, quòd si cohiberet aquas, totam terram cum damno suo, & nostro exsiccandam fore, sed si aquas, quas cohibet, effluere permitteret, totam terram susque deque vertendam: *Si continuerit aquas omnia siccabuntur, & si emiserit eas, subvertent terram.* Deus immortalis! nimis dira pœna imminet terræ, quia ex omni parte summo versatur in discrimine, si Deus pluat, terra invertitur, si non pluat, exsiccatur, & tamen utrumque fieri debet. In quantis angustiis esset terra, si capax esset sensationum, & videret se à Deo Creatore expositam esse utrique extremo tam pernitioso? tu creasti terram non solùm pro ornatu, & proportionata dispositione & ordine universi, quòd sine terra esset imperfectum, utpote cui tunc deficeret elementum adeò necessarium, sed pro sustentatione, & necessitate hominis, qui sine terra nec vivere, nec habitare posset, terra autẽ, ut sustentet hominem, indiget aqua: quomodo ergo eam objicit exsiccationi, si non pluat, & commotioni ac inversioni si pluat? si dixisset, quòd cohibitis aquis cresceret terra, & emissis illis floreret, vireret, & frugifera esset, benè foret, & tuam divinam sapientiam satis

Iob. 12.

clarè

clarè oſtenderes, providendo neceſſitati illius, dum arce factâ ad aliud non confugit medium, quàm aquas cæli, quæ illam irrigent; ſed dum ex defectu pluviæ videmus terram exſiccatam, & quòd ad ſe recurrat, ut ei provideas, & ipſa tua proviſio totalis ejus inverſionis ſit cauſa, & totaliter advertetur fini, ob quem producta eſt, videtur mihi omnino abſurdū; quomodo ergo tuus ſapientiſſimus Secretarius Job dixit: *Si cōtinuerit, &c.* Adverto, quòd S. Pater Gregorius dicat, Jobum loqui non de aquis materialibus, ſed de pluvia cæleſti & ſpirituali, quæ nihil aliud eſt, quàm gratiæ favores, & dona Spiritūs Sancti. *Aqua nomine, Spiritus Sancti gratia deſignatur.* Per terram etiam intelligitur homo, cui dictum eſt: *Terra es, & in terram ibis.* Quis ergo neſcit, inquit S. Gregorius, quòd ſi terra hominis non ſit irrigata, & madefacta à copioſiſſima pluvia Spiritus Sancti, tunc eam arefieri, ſterilem virtutum & bonorum operum reddi; econtra ſi illa irrigetur, tunc illam virefcere, florere, & fertilem reddi: *Si continuerit, &c. quia* (inquit S. Gregorius) *ſi Sancti Spiritus gratia ab audientis mente ſubtrahatur, arefcit protinus intellectus, qui jam per ſpem virefcere in audiente videbatur.* Et hinc ut oſtenderet, S. Jobum loqui de iſtis aquis, obſervat Gregorius, quòd dicat *aquas*, & non *aquam*, ac ſi vellet deſignare ſeptem dona Spiritus Sancti: *Quòd autem non aquam, ſed aquas memorat, pluralitatis appellatione ad ſeptiformem donorum ſpiritualium gratiam recurrit, quia quaſi tot aquas quiſque infunditur, quot donis replatur.*

Lib. 2. mor. c 6.

Gen. 3.

Verùm ego replico, beatiſſime Pater, ſi his aquis deſignentur gratiæ Spiritus Sancti, quæ emiſſæ è cælo, & communicatæ terræ homini efficiunt eam floridam & virentem, quomodo potuit ſubjungere Job: *Si emiſerit eas, ſubvertent terram*, quòd irrigata, & inundata floreat, & virefcat, eſt propria operatio Spiritus Sancti, & quidem appetibile: ſed quòd ſubvertatur, & commoveatur, eſt res horrida, & diſconveniens, imò contraria Spiritui Sancto, cui ordo rerum tribuitur, ut obſervat Angelicus Thomas, quomodo ergo terra hominis irrigata à pluvia Spiritus Sancti poteſt ſubverti? *Si emiſerit &c.*

Reſpondet optimè S. Pontifex: in hoc conſiſtit virtus Spiritus Sancti, terra purà homo creatus eſt à Deo facie reſpiciens cælum, & pedibus verſus terram, ut calcaret & deſpiceret caduca, & tranſitoria, at capite verſaret cæleſtia & ſpiritualia: ſed circumventus à dæmone, qui invertit ordinem à Deo præſcriptum, faciem convertit in terram, & pedes invertit, poſuitque eos verſus cælum, conculcando cæleſtia, & immergendo ſe totum rebus terrenis: pluvia porrò Spiritus S. dum rigat hanc terram hominis, mutat hunc ordinem inordinatum, commovet hanc terram, eamque reducit ad ordinem primum, efficiendo, ut homo volvat caput verſus cælum, & pedes verſus terram, ſicut eum Deus creavit, ita ut faciat eum reſpicere cælum, & calcare pedibus terram, hanc vilipendere, & anxiè deſiderare cælum. Mirabiliter Gregorius: *Cùm igitur mens humana divino munere infuſa contra hoc quod conſueverat, agere coperit, terra ſubverſa eſt. Quia deorſum miſſa eſt, quæ prius eminebat, & ſurſum levata eſt facies, quæ prius in profunda premebatur.*

XII. Profeſſores meteororum, curioſum eſt quæſitum, quod proponitis: An terræ motus poſſit naturaliter adeo eſſe vehemens, & univerſalis, ut totum elementum terræ commoveat, an verò particulariter tantùm commoveant unam inſulam, vel urbem aut partem modò majorem, modò minorem? Meteora.

Nonnulli volunt hunc terræ motum naturaliter poſſe contingere per totum orbem eodem tempore, & talem rem ſub Valentino Imperatore contigiſſe, narrat Oroſius. Qui præterea addit, in tantū fuiſſe ſublevatas aquas maris, ut ſupernatantes terræ, ſubmerſerint plures Inſulas. Credo tamen illum terræ motū non fuiſſe adeo univerſalem. Hinc alii Philoſophi cenſuerunt, hoc naturaliter non poſſe fieri, & hæc opinio non eſt parum fundata, quia terræ motus cauſatur à ſpiritibus reclufis intra viſcera terræ, qui cùm intra terram contineri nequeant, egreſſum tentantes hùc illucque diſcurrant, & agitantur, & hac agitatione commovetur terra nunc ſurſum, nunc deorſum, nunc ad dexteram, nunc ad ſiniſtram; cùm ergo non ſint tot cavernæ, nec tam vaſtæ in terra, quæ totum hoc elementum adæquent, hinc nequit fieri, ut ille terræ motus ſit univerſalis, nec ullibi legitur, quòd aliquis fuerit univerſalis, ſed tantùm quòd fuerint particulares, in hac ſcilicet vel illa Provincia, neque hoc in tota. Hinc ait Didymus, prout legimus in catena græca: *Terræ motus ſæpè fiunt in terris: verùm qui ante vel poſt Chriſtum exiterunt, partem quandam terræ occuparunt, mei autem Chriſti tempore non pri-*

vatus fuit aliquis terræ motus; ſed tota ipſa terra conquaſſata eſt, & centro convulſa.

Theologia. Inſuper addunt hi Doctores, quòd nec ope dæmonis, vel magorũ, qui verè & falsò jactant, quòd poſſint ſiſtere cælum, ſtellas è cælo trahere, terram ponere in loco cæli, commovere pro libitu totam hanc machinam, (uti ſibi perſuadebat Atchimedes magno ſuo ingenio, & arti ſuæ innixus) queant: nam ſicut dixi, nec Angeli boni, nec mali poſſunt hunc terræ motum univerſalem cauſare. Ratio Doctoris Angelici hæc eſt, univerſum ſicut dependet totaliter à Deo, qui illud creavit, ſic ordo ipſius eſt etiam à ſolo Deo, ita ut dæmon non poſsit illum ordinem invertere, non ſolùm quoad totum, ſed nec quoad partem ejus eſſentialem, ideoq; eſto venefici poſſint turbare aërem, illum reddere ſerenũ, impedire, ne ignis agat, excitare ventos & turbines, cõmovere partem terræ, tamen non poſſunt has alterationes inducere in hæc elementa univerſaliter: quia unius totalis perturbatio totum deſtrueret ordinẽ univerſi. Solùm ergo poteſt ille diſordo induci in partẽ elementi. Hinc cõſequenter affirmant, quòd nec Angeli boni, nec mali poſſint totam terram cõmovere.

Applicatio. XIV. Nunc redeamus ad Spiritum S. *Si continuerit, &c.* Spiritus & ventus vocatur dæmon; ſimiliter Spiritus S. vocatur ſpiritus, & ventus. *Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine Surde, & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, attuli ad te filium meum, habentẽ ſpiritum mutum,* & alibi paſſim; idem dicitur de Spiritu S. ut ejus nomen demonſtrat. *Factus eſt repente de cælo ſonus, tanquam advenientis ſpiritus vehementis.* Act. 2. Terra dicitur homo: *terra es, & in terram ibis.* Terra eſt immobilis & inconcuſſa, quamdiu animoſus eſt in obſervantia divinorum præceptorum uſque ad finem vitæ, cui tunc metitò hæc affigitur inſcriptio: *Terra in æternum ſtat.* Lib. 2. mor. ad c. 6. Et hoc verum eſt, licèt maneat finaliter impœnitens, & in malo obſtinatus. Sic Greg. M. *Manet terra immobilis, cùm divinis præceptis obedire contemnit.* Terra in qua ſunt multimeatus, & venæ, & cavernæ, quæ non ſunt aliud, quàm ſenſus interiores, & exteriores, & etiam iſtæ potentiæ ſpirituales, intellectus ſcilicet, memoria, & voluntas. Terra producta à Deo, & ordinata duabus partibus, ſuperiori & interiori, corpore ſcilicet & animâ. Terra à Deo producta, & ita diſpoſita, ut portio inferior ſubjiciatur ſuperiori, prout bonus ordo requirit. *Fecit Deus hominem rectum.* Terra, cujus cavernas & ſenſus intrat dæmon, & ab initio cauſat aliquam conquaſſationem, & cõmotionem illam in parte inferiori ſenſuum externorum, & internorum agitando, dum illos faſcinat, & mentitis objectis decipit: nam ut docet Angelicus Doctor, cùm Angelus ſit ſubſtantia ſpiritualis, poteſt non ſolùm efficaciter movere ſenſus corporeos exteriores, ſed etiam imaginativam, & ſenſus interiores; & hoc modo turbat portionem inferiorem. *Angelus poteſt immutare ſenſum hominis ſuâ naturali virtute.* L. 8. q. 3. art. 4. Angelus tam bonus quàm malus virtute naturæ ſuæ poteſt movere imaginationem: terra, quæ eſto non poſſit ab eodem Angelo commoveri totaliter, & quoad omnes ſui partes directè, quia non poteſt intrare cavernam ſuperiorem, ſpecialiter voluntatis, quæ non poteſt motu interiori moveri, niſi à Deo, nec motu aliquo exteriori efficaciter, à dæmone verò tantùm per modum ſimplicis perſuaſionis, allectionis, dum commovet paſſiones corporis per indirectam tractionem voluntatis ad ſua propoſita, & ideo dixit S. Thomas: *Immutare voluntatem ab interiori, eſt proprium Dei*, ſicut & ab exteriori efficaciter, tantùm tamen efficaciter perturbatione, & commotione noſtrarum paſſionum, ut cauſet terræ motum in tota terra hominis univerſalem, præficiendo partem inferiorem ſuperiori, & ſuperiorem ſubjiciendo: ita ut breviſſimo tempore hæc terra videatur commota & perturbata. Homo ambulat capite deorſum, & pedibus ſurſum, & hinc calcat cælum, quod antea facie reſpiciebat. Hinc ille offenſum ob injurias ſe demonſtrat, qui à cælo edoctus, illas debebat remittere. Hinc alteri ſurripit, quod debebat dare propria aliis, ſubeſt concupiſcentiis, quas debebat refrænare, rebellis eſt Deo, cui debebat parere. O commotiones! ô concuſſiones totales! terræ motus, qui agitant totam terram hominis!

O miſera terra humana! aquæ tuarum concupiſcentiarum, quibus habenas laxaſti, fluctuoſæ te inundant, te conſumunt, te reddunt ſterilem, & pejorem omni malo. Et illa terra, quæ debebat eſſe hortus delitiarum, facta eſt campus ſterilis, horridum deſertum, putrida cloaca. O cælum! nonne vides infelicem ſtatum, ad quem redacta eſt hæc terra ab horrenda hac commotione & terræ motu, cauſato à dæmone?

O ſpi-

O ſpiritus cæleſtis! ô Spiritus S. tu ſolus potes terram turbatam reſtituere ſtatui primævo, tu ſolus tuo ingreſſu in has cavernas potes terræ motum univerſalem producere; cùm ſis Deus, potes non ſolùm movere ſenſus exteriores, & interiores hujus animatæ terræ corporalis, ſed & potentias ſpirituales terræ ſpiritualis animæ. Tu ſolus potes immediatè intrare potentias ſpirituales, & eas efficaciter commovere, & cùm ſis Thaumaturgus, & patrator verorum miraculorum, & portentorum cæleſtium, illicò exurget terræ motus vehemens, & univerſalis, ita ut portionem ſuperiorem reſtituat in locum ſuperiorem verſus cælum, pro quo eſt creata, & portionem inferiorem moveat à centro ſuperiore, ac reponat in locum inferiorem, in quo ſit ſubjecta ſuperiori: & ſic homo habebit caput verſus cælum, & pedes verſus terram; ſic ille, qui conculcabat præcepta Dei, & in capite ponderabat lucra terrena, calcabit hæc, & reverebitur illa; ſic ille, qui offenſum ſe oſtendebat ob injurias illatas, non rogatus promptè remittet. Verbo, illa terra, quæ per terræ motum à dæmone cauſatũ, erat effecta horridum deſertum, ad commotionem Spiritus S. videbitur eſſe hortus delitioſus virtutum. Hinc dicebat S. P. Gregorius: *Terra humani cordis, aquâ divini muneris infusâ, libenter injurias tolerat, quas priùs vehementer irrigabat, poſt etiam ſua tribuat, quæ priùs etiam aliena rapiebat: poſt carnem abſtinendo cruciet, quæ priùs ſatietate carnis per mortifera turpitudinum oblectamenta defluebat. Cùm igitur mens humana divino munere infuſa extra hoc, quod conſueverat, agere caperit, terra ſubverſa eſt.* Quid ergo mirum, quòd S. Job dicat, totam terram hominis commovendam, cùm è cælo Deus miſerit in terram hunc ſpiritum thaumaturgum? *Si emiſerit, &c.* Spiritus quippe divinus cauſabit terræ motum adeò univerſalem, ut omnia invertenda ſint, & primævo ſtatui reſtituenda. *Terra ſubverſa eſt, &c.* Terra ſubverſa, quæ deorſum miſſa eſt, quæ priùs eminebat, & rurſum levata eſt facies, quæ priùs in profunda premebatur, &c. Operatio thaumaturga! quia univerſalis, thaumaturga, quia efficax, thaumaturga, quia à nullo, præterquam à Spiritu S. produci poteſt.

Ubi ſuprà.

Epilogus. XV. O Spiritus Sancte! quàm bene dixi, quòd in te ſola poteſtas patrandi opera mira, & ſimul miraculoſa reperiatur! ſileant itaque magi à dæmone edocti, & confundantur ſimul cum eorum magiſtris, quia nec miracula, nec opera varia, aut ſimpliciter miraculoſa operari poſſunt: eſto ſimpliciores ea talia eſſe credant. Tibi ſoli hoc attributum convenit: tu enim ſolus es, qui patras vera miracula, & prodigia, velut ille, qui es ſuperintendens ſupra omnem creaturam, & quia ad te ſpectat reprimere conatus ſpirituum infernalium, qui ſuis impoſturis decipiunt homines.

Nonne plus quàm notum eſt, quòd tu diſponas linguas infantium ad loquendum, imò reddas elingues loquentes, & quod plus eſt, ipſas ſtatuas, infundendo iis auram tui ſpiritus, ut ſileam, quòd tu iis etiam des cauſam, & motum? nonne tu fuiſte ille, qui ornando cælos SS. Apoſtolorum, inter alias prærogativas iis dediſti conſtantiam virilem, animoſitatem, & generoſitatem, ſupra quam credi poteſt, & vigorando illos calore tuo ardentiſſimæ charitatis, è fœminis, & meticuloſis mulierculis feciſti eos viros intrepidos, ita ut violentam vim, & potentem crudelitatem tyrannorum non timerent? Nonne tu feciſti per tuum robur, ut jumenta terræ, aves, & piſces maris, quibus contuliſti diſcurſum, & rationem in tam excellenti gradu, ut non tantùm loquerentur & perciperent illud, quod loquebantur, ſed etiam poſſint alios imbuere myſterioſiſſimis ſecretis, & ſtuporibus cæli? Nonne verum eſt id, quod valde extollit tuam potentiam, quòd poſſis commovere totam terram hominis à dæmone perturbatam, & tranſeundo per omnes illius cavernas, cauſare terræ motum univerſalem, ut illam evertas è centro uſque ad circumferentiam, vertendo ad partem ſuperiorem cum capite illam, quæ anteà terram calcabat, faciendo ut totum contrarium operetur, quod faciebat, dum à dæmone poſſidebatur? ſi tam prodigioſa operaris in homine, ut illum reſtituendo rationi, requiratur manus omnipotentis Dei, cur non dicam, quòd tu ſis unicus, & verus thaumaturgus? ita firmiter credo, & intrepidè confiteor. Supplex te rogo Spiritus S. mihi præſtes gratiam probandi finali perſeverantiâ efficaciam tuæ omnipotentiæ, quod mihi & vobis præſtet Deus.

Amen.

ELOGIUM XV.

Pro Feſto Sanctiſsimæ Trinitatis.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Matth. 28.

Litt. human.

HErodianus loquens de exequiis habitis in funere Severi Imperatoris, narrat, apud Priſcos morem fuiſſe, ut Imperatori defuncto inter alias funebres pompas etigerent pyram, cui injiciebant cadaver defuncti, huic poſtea ſupponebant ignem, & comburebant cadaver. Hinc obſervat Alexander ab Alexandro, pyram non fuiſſe in omnibus æquè dignam, ſed ampliorem, vel minorem, juxta dignitatem & honores, quos in vita geſſerant defuncti, *Erectam eam pyram pro honoribus, quibus in vita functus erat, & prout ampliſſima officia, & imperia geſſerat, modò majorem, modò minorem extruxére*; hinc pyra, quæ extruebatur Imperatoribus, erat alta, & magnificè exornata, & ſpecialiter tribus gradibus fabricata, quorum primus & infimus erat latior & major, medius anguſtior & minor, tertius ſecundò minor erat, ita ut terminaretur in formam pyramidis, diſtinctam tamen in tres ordines, in ſupremo veluti tumulo collocabant cadaver, & aquilam, quæ ſemper fuit inſigne Imperatorum: ad pedem autem pyræ accendebant ignem, qui paulatim ſerpendo aſcendebat, illudque cadaver Imperatoris in cineres redigebat: poſtquam verò flamma attigiſſet ſupremum gradum, aquila evolabat verſus cælum, quo facto ſignificabant, animam Imperatoris triumphatricem mortis, & ipſius ignis evolaſſe in cælum. Hinc Pierius ex Herodiano ait: *Aquila ſimul ac ignis pyræ ſubjectus eſſet, ex intimo ſuggeſtus tabernaculo emittebatur, quæ Principis animam in cælum referre videretur.* Sic Pierius refert ſe in multis antiquis monetis inciſum vidiſſe.

L. 16. dierum gen. c. 7.

L. 9

II. Aquila (N. N.) eſt anima noſtra, prout dicit Eucherius in illa verba Matthæi: *Ubicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Aquila, quæ quotidie renovatur, dum deponendo mores veteris hominis, rurſus ſe veſtit floridâ juventute hominis novi, & ſponte aſſumit mores Chriſtiani hominis. *Renovabitur ut aquilæ juventus tua.* Aquila, quæ reinduit pennas cõtemplationis, & conſiderationis rerum divinarum, & quæ verſus cælũ tendit tanquam triumphatrix mortis, & vitiorum. *Aſſument pennas, ut aquilæ volabunt, & non deficient.* Aquila à Deo creata, non terræ, ſed cælo, & quæ oculos intellectus ſemper fixos in lucidiſſimum Solem divinæ ſapientiæ habet: *Feciſti nos Deus ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Aquila, quæ in vinculis naturæ, & unione præſentis vitæ, alligata eſt noſtro corpori, à quo non diſcedit, niſi illud redactum ſit in cineres, & mortem. Aquila, quæ generoſa non timet ignem, præſentiam adverſitatum, quem ignem dæmon accẽdit, ut non ſolùm corpus, ſed etiam animam cõburat. Aquila, quæ debellatrix mortis, ac totius inferni, evolat verſus cælum, & pectori inciſam inſcriptionem Pauli habet: *Noſtra autem converſatio in cælis eſt.* Tabernaculum & pyra tribus gradibus diſtincta, quaſi eſſet Divinitas ipſa in tres perſonas ſecta. Pyra, in qua degit homo, qui eſt Imp. & Dominus omnium creaturarum, quia nemo pertingit ad agnitionem myſterii Trinitatis, niſi Chriſtianus, qui illud ſimpliciter credendo, quieſcit. Pyra, quæ diſtincta eſt in tres ordines, quorum primus velut fundamentum aliorum eſt Pater innaſcibilis, & generans; ſecundus Filius

Applicatio.

Matt. 24.

Pſal. 102.

Iſa. 40.

Aug. l. 1. c. 1.

Philipp. 3.

Filius veluti procedens, ac genitus à Patre, tertius Spiritus ſanctus produ&ctus à Patre, & Filio, & quamvis primus ſit Pater, non tamen prior, nec major eſt aliis duobus, ſed omnes tres ſunt æquales, immenſi, æterni, omnipotentes. Sed unde fit ô Aquila volans, ô anima creata pro cælo, quod in periodo tuæ mortis, adeò te exhibeas generoſam, ut nec ignem nec totum infernum, nec ipſam mortem timeas, imò his omnibus ſuperatis ovans voles verſus cælum ſolutis vinculis unionis tui corporis? nil hoc eſt mirum, quia video te ſubire pyram SS. Trinitatis; quia te comitatur, tibique favet SS. Trinitas; quia conquieſcis in myſterio SS. Trinitatis; quia illud ſimpliciter credidiſti, hinc adjuta à SS. Trinitate, acquiſiviſti vires ſuperandi ignem, mortem & infernum; nam aquila animæ non habet majores vires, & robur ad devincendum hoſtes viſibiles, & inviſibiles, quàm adjutorium SS. Trinitatis, de quo hodie diſcurram:

ASSUMPTUM.

Virtute SS. Trinitatis debellamus hoſtes noſtros, imò mortem ipſam.

Scriptura. *Gen. 22.*

III. DEus præcepit Patriarchæ Abrahæ, ut chariſſimum & unicum Filium Iſaac tot precibus obtentum ſibi offerat: *tolle Filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum.* Abraham ut promptè pareret juſſis Dei, ſurgit è lecto, & omnibus ad holocauſtum neceſſariis aſſumptis, ducit ſecum filium ſuum dilectum, & duos famulos, ſeque committens viæ, iter trium dierum egit. Tertio die oculis ſublevatis vidit locum à Deo deſignatum, in quo debebat filium offerre. *Die autem tertio elevatis oculis vidit locum procul.* Ibi converſus ad ſervos dixit: *expectate hic cum aſino, ego & puer poſt quam adoraverimus ad vos revertemur.*

Obſervate quæſo mecum Scripturiſtæ, modum loquendi hujus Patriarchæ: *poſtquam adoraverimus, &c.* O Patriarcha ſancte, quomodo dicis: *ad vos revertemur?* quis redibit è monte? ſine dubio nullus præter te, nullum ſiquidem alium tecum habes præter Iſaac, ſed quomodo ille tecum redibit, ſi jubente Deo illum debeas offerre in monte? nonnè ideò illum tecum ducis, quomodo ergò aſſeris, quod cum eo poſtea ſis reverſurus? an forſan doles quod debes Deo parere, & filium tuum ei offerre? nequaquam: quia ligaſti eum inſtar victimæ, intrepidè ictum tentaſti, ut eum occideres, & niſi Angelus à Deo miſſus illum impediviſſet, voluntatem Dei executioni mandaſſes: *extenditq; manum, & arripuit gladium ut immolaret filium ſuum: & ecce Angelus Domini de cælo clamavit: non extendas manum tuam in puerum.* Quomodo ergò ante tam audacter dixiſti ad ſervos: *poſtquam adoraverimus revertemur ad vos?* Cùm nemo tibi revelârit Deum liberaturum eum? Divinè Os aureum: Obſervate, Abrahamum non dixiſſe ſe reverſurum cum filio ſuo, niſi poſt iter trium dierũ: *die autem tertio elevatis &c.* non ſine magno myſterio: nam eſto quilibet dies ſit Dei, tamen triduum deſignat myſterium SS. Trinitatis, & ideò poſtquam S. Patriarcha itineratus fuiſſet ſpatio trium dierum, antequam aſcenderit montem, firmiter ſibi perſuſum habuit, quod licet Deus mandaſſet immolari filium, eundem tamen virtute myſterii SS. Trinitatis à morte præſervandum: *Omnes dies Dei ſunt, & tres ſerviunt myſterio. Ambulavit Abraham tres dies & tres noctes, ut ſimul myſterium monſtraret: ſic enim quaſi à morte viventem accepit Iſaac:* ac ſi diceret Chryſoſtomus: verum quidem eſt quod Deus juſſerit ei, ut immolaret Iſaac, verum etiam eſt, quod Abraham promptè obedierit; verum inſuper eſt, à nemine fuiſſe Abrahæ revelatum, quod filius à morte eſſet præſervandus, imò etiam veriſſimum eſt eum toto itinere nil aliud cogitaſſe, quàm qualiter obediret: veriſſimum tamen etiam eſt, quod confidens in SS. Trinitate, quæ per illud triduum figurabatur, certiſſimè crediderit ab illa Trinitate filium innocentem à periculo mortis liberandum: ſciebat quippè benè, quod ad Trinitatem fugiat omne periculum, & quod Trinitatis virtute mortem ipſam ſuperemus. *Ambulavit Abraham, &c.* quaſi Abraham ſic ſecum diſcurreret: Deo jubenti, ut immolem Iſaac debeo obedire: at quia mors unici, & proprii filii erit dura, hoc aſtu utar; tribus diebus iter agam; cùm enim numerus ternarius ſit figura Trinitatis, & cùm ſciam nos degere in periculo mortis, nec aliud affulgeat auxilium, quam illud SS. Trinitatis, ideò poſt tres dies cum filio meo ad vos redibo. *Poſtquam adoraverimus &c. ambulavit tres dies, &c.*

to. 5. in illud Paulicum autem ſubjecta.

Aſtronomia.

IV. Sed quæſo vos, recurramus ad cælum, ut nobis auxilium præſtet declarandi hunc locum ſcripturæ: Obſervant Aſtronomi, illos qui in ſua nativitate habent Solem, vel Martem conjunctum cum illa conſtellatione, quam vocant caput *Gorgonis*, vel *Meduſa*, vel ut vocant Aſtronomi Babylonici *Algol*, de qua Meduſa fingunt Poëtæ, quod ei caput truncaverit Perſeus; obſervant inquam, illos morte violentâ perituros, vel decapitandos, aut alio modo occidendos. *Meduſa caput cum luminaribus capite truncandos ſignificat.* Sic etiam perhibet Ptolomæus: *Sol ubi repertus fuerit cum capite Gorgonis, ei qui natus eſt, caput truncabitur.* Chaldæi tamen id non de Sole, ſed Marte aſſerunt. Si tamen, inquit Ptolomæus, Sol (ut minans fuerit in medio cæli talis vulnerabitur, & idem dicunt de Marte conjuncto cum capite Meduſæ, & dant rationem: quia ſi hæc peſſima conſtellatio aſcendit in cælo, dum aliquis naſcitur, cùm nativitas ſit caput, & principium vitæ, præcedit truncationem capitis, quod eſt pars principalis corporalis corporis, & hæc eſt mors violenta, quia Mars eſt author mortis violentæ. Verum ratio de Sole aſcendente cum capite Meduſæ hæc eſt, quia Sol eſt dator vitæ, & aſcendens ſignificat eandem, hinc ſi Sol fuerit in aſcendente cum capite Gorgonis conſtellatione maleficâ, quæ minatur decapitationem, Sol non poterit ſuccurrere illi perſonæ ſauciatæ, & læſæ ab illâ maleficâ conſtellatione. Idem effectus mortis violentæ ſequetur, ſi Sol culminabit in medio cœlo, quia reſpicit aſcendentem ſignificatorem vitæ aſpectu quadrato, qui eſt maleficus.

In centiloquio prop. 73.

Hoc non obſtante, percuperem ego ſcire ab Aſtronomis, an cælum poſſit impedire hanc mortem? Et dicunt quod ſic, tunc ſcil. quando illi perſonæ favebit aliqua ſtella benefica puta Jupiter, vel Venus. Hinc ſi talis reperiatur aliquando in domo mortis, & reſpiciatur aſpectu triangulari, qui eſt magis beneficus, quàm alii aſpectus; adeò auxiliabuntur ei, ut eam à dicta morte præſervent. Hinc dicit Ptolomæus ſuprà, quod Sol & Mars cum capite Meduſæ tunc inferant has mortes violentas, quando non mitigantur ab aliqua ſtella benefica, nec benefica loco octavo præeſt, quia juxtà Pontanum ſtella benefica; *integras vires retinens benefaciendi, etiam naturam retinet, & jura ſua, ſineſque ſuos ſtrenuè tuetur.* Hinc cùm ſit ſummè benefica, & favens, vel ejus aſſiſtantiâ corporali, vel aſpectu trino, qui eſt ſummè beneficus, illa perſona liberabitur à morte violenta: ita Aſtronimi, quamvis falsè.

Application.

V. Sed ſine aliquo ſcrupulo tranſeundo à cælo materiali ad ſpirituale, inveniemus maximo cum fundamento verificari omnia hæc *die autem tertio, &c.* ſtella Jovis, & ſtella ſemper benefica eſt Deus, qui cùm eſt ſummum bonum, non poteſt facere aliter, quàm quod in omnes diffundat & communicet ſuis benignis influentiis ſuas gratias. Deus juxta Theologiam eſt ſummum bonum, adeoque eſt ſummè diffuſivum ſui. Hæc ſtella benefica Jovis ſemper reſpicit aſpectu trino trium perſonarum, cùm ab iis non diſtinguatur realiter, ſed per ſolam rationem ratiocinatam. Et hic aſpectus SS. Trinitatis adeò eſt favorabilis, ut promittat omne bonum, omnem favorem & gratiam, hinc dicebat S. Ephrem; *gratia Trinitatis remiſſionem ex nimia ſua benignitate præbet.* O quam benignus eſt hic aſpectus SS. Trinitatis! ô quam benignis irradiationibus verberat hominem! ô quam proſperas & fortunatas influentias illi communicat! toto decurſu vitæ tuæ noli timere ô Chriſtiane, & peculiariter in duello, & conflictu mortis, & beligeres cum inferno, quia fotus & adjutus ab hoc aſpectu trium perſonarum vinces, & triumphabis contra omnes hoſtes tuos: quia *gratia Trinitatis, &c.*

Serm. de pœnit.

Quid aliud dæmon niſi Gorgon, & Meduſa, cui Perſeus filius Dei ſuâ Incarnatione detruncavit caput? Meduſa conſtellatio malefica homini, conſtellatio infauſta, quæ à principio illius vitæ, imò ab inſtanti conceptionis ejus, in utero materno, prædicit ei, minatur, promittit mortem violentam decapitationem capitis, hoc eſt, rationis, mutilationem manuum, & pedum, hoc eſt, operum bonorum, & mille fatalia, & ſanguinea vulnera peccatorum, ut eum deturbet in feretrum inferni, maximè ſi habeat ſecum Martem iratum divinæ juſtitiæ. O miſere Chriſtiane! quomodo poteris effugere hos malignos influxus hujus infernalis Meduſæ? quomodo poteris evadere, quia cælum tibi dedit ſtellam Jovis divini, qui te è vertice Paradiſi aſpectu trino divinarum perſonarum ſemper benefico & favorabili reſpicit, illa perſonæ ſemper figunt aſpectus in domum &, articulum tuæ mortis. *Integras vires, &c.* illæ mitigabunt

& do-

& deſtruent maleficos influxus Sathanæ, illæ te liberabunt à morte violenta, imò dabunt gloriam & victoriam contra tuos hoſtes, & ipſam mortem: quia *gratia Trinitatis*, &c.

An non clarè hoc vides in Iſaac, qui ligatur à patre expectans ictum, liberatus fuit per hunc aſpectum benevolum Trinitatis? *Ambulavit Abraham*, &c. vide annon ſit efficaciſſimus hic aſpectus trinus divinarum perſorum, ut te libereret à malignis influxibus Gorgonis dæmonis, ac ipſius mortis.

Scriptura. VI. Dux exercitus valoroſiſſimus Joſue volens in ſuam poteſtatem redigere urbem Hierichuntinam, locum maximæ importantiæ, & valdè munitum, inſtar experti Ducis prius immiſit ſpeculatores, qui animum, & mentem civium explorarent, Hos exploratores domo ſuâ excepit meretrix quædam nomine Rahab, & eos in periculo mortis defendit, uti ſacer textus commemorat. Scimus porrò hanc fæminam, ejuſque familiam poſtea urbe capta à Joſue fuiſſe præſervatam, reliquis omnibus juſſu divino deletis. *Sit civitas hæc anathema & omnia, quæ in ea ſunt domino, ſola Rahab meretrix vivat cum omnibus, qui cum ea in domo ſunt.* Maximum mihi ingerit ſtuporem, quod huic fæminæ vili ſcorto & meretrici, prout à ſacris litteris vocatur, ex omnibus, qui illo die funeſto reliquis Hierechuntinis, ad domum ejus confugerant, vita ſit donata, cæteris omnibus ſive civibus, ſive fæminis, imò & omnibus pueris innocentibus, ac nobilibus enſe deletis. Quid meruerat illud ſcortum, ut populus Hebræus illi vitam donaret? forſan dicetis illam promeruiſſe hoc, ob exploratores hoſpitio receptos, nec proditos, imò occultatos dum ad necem quærerentur, & hanc rationem etiam afferri à ſacro textu. *Abſcondit enim nuncios, quos direximus*? Verum eſt, quod eos occultarit, ſed an hoc fuit ſufficiens motivum ei vitam donandi? Quod ſi Dux quidam generalis exercitus paganus & infidelis expugnaret civitatem, quæ profiteretur aliam religionem, eum ego prudenter facturum dicerem, ſi reliquis interemptis, profeſſores tantum ſuæ religionis ſalvaret; Sed quod Capitaneus Dei, populus Dei electus occupet urbem totam infidelem, deleat omnes alios, & parcat uni fæminæ non ſolùm infideli, ſed & ſcorto, imò juxtà ſanctum Irenæum omnium peccatorum reæ, & conſequenter inimicæ Dei maximæ, non poſſum capere.

S.P. Irenæus divinè ad propoſitum meum reſpondet. Dicit itaque Irenæus, ei fuiſſe vitam donatam, non quod domo ſuâ admiſerit exploratores populi Dei, ſed quia excepit tales, & tantos puta Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Nil ergò miri, quod reliquis deletis, ipſa ſalvata fuerit; Nam in maximis periculis, & adverſitatibus non poſſumus habere efficacius remedium, quàm recurrere ad SS. Trinitatem: Quamvis itaque Rahab eſſet gentilis, ſcortum, & meretrix, quamvis rea omnium peccatorum, & inimica Dei, tamen, quia ſe agnoſcens ream, & dignam morte, hoſpitium præbuit in corde ſuo ſanctiſſimæ Trinitati, quæ exploravit totam urbem ejus animæ, meruit à trinitate liberari à morte, & ſalvari cum tota ſua familia, in tanta neceſſitate, & periculo mortis evidentiſſimo. Mirè Irenæus *ſic autem & Rahab fornicariam ſemetipſam condemnans, quoniam eſſet gentilis, & omnium peccatorum rea, ſuſcepit autem ſpeculatores, qui ſpeculabantur univerſam terram, & apud ſe abſcondit, Patrem ſcilicet, Filium, & Spiritum ſanctum; & cùm univerſa civitas, in qua habitabat concidiſſet in ruinam, Rahab fornicaria conſervata eſt.* Vide ô Chriſtiane an SS. Trinitas hoſpitio animæ tuæ excepta, non ſit tibi propitia futura in articulo mortis.

Lib. 4. adverſ. hæreſes. c. 37.

Hiſtoria. VII. In annalibus urbis Nanceianæ caſum memorandum ad hoc propoſitum lego. Refert Sigibertus, & Vincentius, urbem abjuraſſe hæreſim Arrianam, quâ negaverat conſubſtantialitatem filii Dei. Et quia malum ſemper ſuos habet aſſeclas, multi civium ſe oppoſuerunt, quibus defendendis Arriani, cum ingenti exercitu Nancejum advolarunt. Verum Deus irritavit & eliſit hæreticorum conatus; nam Nancejani in hoſtes irruperunt, eoſque glorioſè proſtraverunt. Hac victoriâ obtentâ Catholici ad Eccleſiam ſe contulerunt, Deo ob tantam victoriam grates reddituri; Interim dum laudibus Dei vacarent, è fornice Eccleſiæ viderunt delabi tres lucidiſſimos globos, ejuſdem ſplendoris, pulchritudinis, & quantitatis cum ſtupore & gaudio totius populi. Sed ô rem prodigioſam! Dum hi tres globi Epiſcopo divina operanti præſentati fuiſſent, tam intimè & inſeparabiliter ſeſe invicem penetrarunt, ut viderentur eſſe unica, & ſimpliciſſima margarita. Epiſcopus ſummâ devotione & admiratione, eam recondit in pectore pretioſiſſimæ

Lib. 12. cap. 39.

crucis totæ aureæ, & gemmis pretioſiſſimis ornatæ, & en hæc Margarita cruci adhæſit, reliquis omnibus gemmis decidentibus. Sed videte magnum prodigium, hæc Margarita virtutem & efficaciam divinam huic cruci contulit, ita ut omnes qui à ſe ſignarentur, vel qui eam venerarentur, in ſuis neceſſitatibus auxilium ſentirent. Morbi curabantur, vulnerati ſanabantur. Hæc Margarita dabat pluviam, ſerenitatem, mortui ſuſcitabantur, & videbatur eſſe pancarpius cæli, ità ut tota urbs, & omnia loca vicina in cunctis neceſſitatibus ad hanc crucem confugerent, & votorum compotes fierent. Tantam videbatur hæc crux conſecuta virtutem ex adhærentia illius cæleſtis globi, & pretioſiſſimæ Margaritæ quæ ex tribus una facta erat.

Applicatio. VIII. Nunc ad ſanctiſſimam Trinitatem, *Sic civitas hæc, &c.* Quod per globum & figuram ſphæricam ſignificetur Deus, communiter docent ſymbolici. Et quamvis Deus, utpote expers cujuſcunque quantitatis & dimenſionis, nullam habet figuram; tamen ſi aliqua illi attribui deberet nulla, ei meliùs conveniret, quàm ſphærica, rotunda. Hinc Triſmegiſtus: *Deus eſt ſphæra, cujus centrum ubique eſt, & circumferentia nuſquam.* Cùm ergò Deus ſphæra, conſequenter quælibet perſona divina erit ſphæra, adeoque erunt tres ſphæræ, & tres globi. Hi tres globi cæleſtes ſunt ejuſdem magnitudinis, quia ſunt conſubſtantiales in eadem natura & eſſentia, ſunt ejuſdem magnitudinis, quia perſonæ divinæ ſunt æternæ, & æquales omnibus proprietatibus abſolutis. Sunt tres globi luciditſſimi, quia lux, ſapientia, & inflammatio omnium trium eſt æqualis. Hæ tres perſonæ ſunt tres globi æqualis ponderis, quia una perſona eſt æquè omnipotens, ac altera. Verbo; ſunt ita æquales & ſimiles in omnibus perfectionibus, ut nec minima ſit inter illas differentia. Tandem tres globi & ſphæræ, quæ coaleſcunt in unum, quia eſto ſint tres perſonæ realiter diſtinctæ ratione proprietatum relativarum, & perſonalium; tamen cum eadem omnino natura reperiatur in omnibus, ſiunt unicus globus & unica ſphæra. Hinc Nazianzenus. *Crede Trinitatem margaritam eſſe unam, undique ſimilem, & æqualiter ſplendentem.* Sunt tres globi coadunati in unum per circuminſeſſionem; nam Pater eſt in filio, & Spiritu ſancto, Filius in patre, & Spiritu ſancto, hic in patre & filio. O perfectiſſimi globi cæleſtes, ô ſphæræ æternæ, ô Trinitas ſanctiſſima, & quid præominamini dum comparetis in templo ſpirituali animæ noſtræ. Nil aliud, quàm decorem per infuſionem gratiæ, claritatem ejuſdem, per deletionem peccatorum, gravitatem ejuſdem per perſeverantiam in bono. Quid prognoſticatis, dum comparetis in hoc templo, niſi fideles in ſacro Baptiſmate renovari. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti?* Quid exigitis à Chriſtianis, niſi ut ſe affigant cruci, & dum ſe ſignant *in nomine Patris, &c.* referant ſalutem in infirmitatibus, ſanitatem in vulneribus, abundantiam in neceſſitatibus, vitam in periculis mortis, victoriam contra hoſtes, & totum infernum.

O fidelis, en, quomodo habeas ad manum ſuccurſum in omnibus tuis miſeriis, ſublevationem in caſibus, victoriam in omnibus pugnis. Arripe crucem, cui tres globi in unum coagulati videntur affixi; ſigna te ſigno ſanctæ crucis, invocando Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, qui ſunt unicus tantum globus, & unicus tantum Deus, neque metuas; nam hic Deus unus & trinus à te invocatus, ſuccurret tibi in tuis miſeriis, ſublevabit te è præcipitiis, conferet tibi victoriam in conflictu contra tuos hoſtes, imò & in duello mortis, *In nomine Patris, &c.* Excipe domo animæ tuæ hos tres globos coadunatos in unum, ſicut fecit Rahab; nam experieris tibi faventem manum cæli, & ſicut Rahab reliquis exterminatis & deletis fuit ſalvata, ſic tu in maximis periculis mortis præſervaberis, & in altera vita glorioſus ſalvaberis.

Scriptura. IX. Legimus in Jona, qualiter hic Propheta, poſtquam juſſu divino intravit Ninive, inceperit altâ voce illi urbi ſuam deſtructionem & ruinam minari, quæ ineffabiliter elapſis quadraginta diebus ſecuta fuiſſet, niſi pœnitentiam egiſſet. Adhuc *Quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur.* Septuaginta, quos ſequitur, & ſpecialiter ponderat ſanctus Ephren, legunt. *Adhuc tres dies, &c.* Ni mentiri velim, hæc translatio à quadraginta ad tres mihi magnum videtur facere tranſitum. Res poſſet tranſire ſi tranſtuliſſet *Adhuc trigintà dies, adhuc viginti dies,* ſed quod dicatur adhuc tres dies, non video quomodo poſſit dici. His non obſtantibus, ſanctus

Jonæ 3.

Serm. de pœnit.

ſanctus Ephrem pro defenſione hujus translationis dicit. *Tres dies lex, & Evangelium peccatoribus ad pœnitentiam prædicat.* Quid? Ergonè actum ſit de peccatore, niſi intra tres dies convertatur à morte peccati ad vitam gratiæ? Si Deus promittat gratiam peccatori omni horâ, tempore, & die, quo ſe converterit, quomodo ſeptuaginta illos quadraginta dies præſcriptos Ninivitis reducant ad tres? Quomodo præterea ſanctus Ephrem exiſtimet præſcriptionem hanc trium dierum valdè conſonare legi, & Evangelio? Cur neceſſarii ſint tres dies, ſi ab omni horâ & momento poſſit peccator per pœnitentiam obtinere remiſſionem peccatorum?

Reſpondet benè ſanctus Ephrem. Veriſſimum quidem eſſe peccatorem qualibet die, qualibet horâ poſſe pœnitere, & obtinere remiſſionem culparum, ſed tamen adhuc tres dies ſunt neceſſarii, & quamvis quolibet momento ſe converteret peccator, tamen ſemper concurrunt tres dies, nempè tres perſonæ SS. Trinitas, ſine qua non condonatur peccatum, ſine qua peccator non poteſt mutare propoſitum, conteri, dolere, recipere divinam gratiam, & remiſſionem peccatorum. Hinc meritò ſeptuaginta reſtringunt numerum quadragenarium ad ternarium, ut oſtenderent neminem poſſe reſurgere à morte peccati ad vitam gratiæ, niſi favore SS. Trinitatis; nam hæc eſt illa, quæ nobis dat victoriam contra peccatum, quæ ſpecialiter in duello pœnitentiæ contra culpas nobis aſſiſtit. *Tres dies* inquit ſanctus Ephrem *ex præſcripto conceduntur pœnitentibus, quoniam per conſubſtantialem Trinitatem humanitas mortis reatum exuit.* O quam efficax eſt præſentia & auxilium Trinitatis ad obtinendam victoriam contra peccatum, quod eſt mors animæ.

Hiſtoriæ. *Plin. l. 2. c 31. Palmer. Anno 1466. Surius Anno 1514. & 1528. Eutrop. lib. 17.*

X. Tres Soles ſæpiùs in Cælo viſos plures teſtantur ſcriptores. Et ſingulariter Eutropius affirmat ipſo die natali Salvatoris, tres lucidiſſimos Soles viſos, qui tandem cum ſtupore omnium in unum coaluerunt, ſicut teſtatur Bergomenſis in Octavianum.

Intrant hic erudita ingenia, & quærunt an quilibet horum trium Solum fuerit ejuſdem naturæ ſpecificæ cum noſtro ſole, & an fuerint ſituari in quartâ ſphærâ, loco propriq ſolis, vel potiùs an fuerint quædam impreſſiones Meteorologicæ, quæ vocantur Parelii, vel Paralleli. Quærunt ulteriùs, quid ſignificent hi tres Soles.

Profeſſores Meteororum, volunt illos fuiſſe quaſdam impreſſiones, & apparentias accidentales in aëre. & nubibus; ita ut ſit unicus tantum Sol in propria ſphera, alii autem duo ſint imagines accidentales impreſſæ à vero ſole duabus roridis nubibus partim transparentibus, & partim opacis, exhibentibus verum corpus Solis verſus auſtrum & aquilonem, adeoque hos tres Soles non eſſe ejuſdem naturæ ſpecificæ.

Applicatio.

Alii nihilominus volunt, quod eſto hi Soles ſint impreſſiones Meteorologicæ, & diverſæ ſpeciei à vero Sole, non tamen ſequi, quin quandoque non ſint tres ſoles in eadem ſphæra cæleſti, & ejuſdem naturæ ſpecificæ producti à Deo in quarta ſphæra cæleſti; & ſic Surius Anno 1514. refert Wittenbergæ in Germania tres ſoles eodem tempore apparuiſſe, in quorum quolibet cernebatur enſis ſanguineus; Si enim illi Soles fuiſſent impreſſiones Meteorologicæ apparentes in aëre, tunc enſes fuiſſent tantum viſi in illis duobus Solibus, qui à nubibus formati fuiſſent. Cùm autem etiam in vero Sole fuerit viſus enſis, nil eſt miri, quod fuerint ejuſdem conditionis, & in eadem ſphæra. Idem poteſt dici, de illis tribus, qui viſi ſunt die natali Salvatoris: Si enim Deus quandoque produxit novas ſtellas in firmamento, uti tradunt multi docti de illâ conſtellatione Caſſiopeiæ viſâ Anno 1572. Cur non potuiſſet producere aliosduos ſoles in ſphærâ propriâ ſolis?

De ſignificato horum Solum dicunt profeſſores Meteororum, Parelios, cùm comparent poſt magnam ſiccitatem eſſe ſigna copioſæ pluviæ; quod ſi ſint ejuſdem conditionis cum Sole, dicunt Theologi, eos produci à Deo ob plures fines ſibi tantum manifeſtos. Qui tamen diceret eos produci ad ſignificandos favores & gratias, quas Deus vult tibi conferre, non erraret; nam in nativitate Salvatoris illi tres ſoles ſignificârunt maximum beneficium quod potuit conferri; ſic etiam illi tres ſoles Wittenbergæ præominabantur Deum gladium arrepturum pro defenſione fidei contra Hæreticos.

XI. Nunc ad SS. Trinitatem *Adhuc tres dies &c.* Quod ſol ſit ſymbolum Dei, & hic per ſolem ſignificetur, teſtantur omnes ſymbolici tam ſacri, quàm profani. Hinc dicebat Gregorius Nazianzenus: *Id eſt Deus inter intellectua-*

tellectuales creaturas, quod Sol inter ſenſibiles

Quod ſi Sol ſic vocetur, quia eſt unus, & ſolus habet propriam lucem, quam diffundit in ſtellas; ſic Deus eſt *lux lucis, & fons luminis*, à quo omnes creaturæ lumen participant: Hic Sol divinus oculis mentis cernitur diſtinctus in tres Soles pulcherrimos, lucidiſſimos, & ſummæ claritatis, quia Pater æternus eſt ſol, qui velut fons diffundit hanc lucem
Joann. 8. aliis, ut dicit Baſilius. Filius eſt Sol, uti ipſemet de ſe teſtatur. *Ego ſum lux mundi.* Spiritus ſanctus eſt Sol, qui calefacit, & inflammat corda noſtra. Tres Soles ſunt divinæ perſonæ; nam ſi Deus ſit Sol, & quælibet perſona ſit Deus, ſequitur, quod quælibet perſona Sol ſit. Tres Soles realiter inter ſe diſtincti, quia Pater eſt innaſcibilis, quod non competit Filio, nec Spiritui ſancto. Pater eſt generans, quod etiam aliis non competit. Filius eſt genitus à Patre, quod nec huic, nec Spiritui ſancto competit. Spiritus ſanctus per amorem ſpiratur à Patre, & Filio, cùm hi tamen activè ſpirent, nec ſpirentur. Tres Soles, in quibus videtur quidam gladius ſanguineus. *Gladius Domini* inquit Iſaias *repletus eſt ſanguine.* In quolibet Sole ex his tribus apparet gladius ſanguineus, quia omnes operationes ad extra ſunt indiviſæ, & competunt omnibus perſonis. Tres Soles, qui coaleſcunt in unum; nam eſto ſint tres perſonæ realiter diſtinctæ, & quælibet earum ſit Deus, non tamen ſunt tres Dii, ſed unus Deus. Tres Soles & tamen unus ſolus Deus, quia in iis eadem inacceſſabilis lux unius ſolius divinæ eſſentiæ relucet. Tres Soles in unum tantum redacti, quia eadem virtus omnipotens, eadem immenſitas, æternitas, immutabilitas, quæ competit uni competit & aliis.

O Soles ſacroſancti, ô Soles cœleſtes, ô Soles non imagines accidentales, & impreſſiones Meteorologicæ, apparentes in aëre vano noſtræ imaginationis, ſed Soles veri & reales ejuſdem conſubſtantialitatis. Soles apparentes in eadem ſphæra divinæ eſſentiæ. Et quid præominamini, dum orimini? Certus ſum, quod promittatis favores grandiſſimos, pluvias inexhauſtas gratiarum cœleſtium Verum ille gladius ſanguineus me terret, *Gladius Domini, &c.*

Verum enimvero mihi imaginor, & meritò, vos hunc gladium non exerere ad meam deſtructionem, & meum damnum, (ſiquidem in homine ſunt veſtræ delitiæ, & in eo voluiſtis exprimere imaginem Trinitatis) ſed ad meum bonum, ad meam defenſionem, ut metuamini contra hoſtes, ut deſtruatis meas culpas, ut contra peccata, & dæmones, qui animam occidere tentant, mihi victoriam conferatis. Soles cum tribus gladiis ſanguineis; nam vos divinæ perſonæ, tu Trinitas ſanctiſſima, in duello & prælio periculoſo, quod mihi gerendum eſt contra mortem ſpiritualem & corporalem: me vis efficere victorem. Hinc Ambroſius *Trinitas eſt, quæ peccata condonat.* Et idcircò voluit tres dies præſcribi pœnitentiæ Ninivitarum, ut oſtenderet tres ſoles cum gladio ſanguineo debuiſſe venire in eorum ſuccurſum, ut deſtruerent eorum inimicos, ſcilicet peccata, & redderent illos glorioſos & victores culparum & totius inferni *Tres dies ex præſcripto, &c.* *Lib. 5. in Lucam.*

Cur ergò timeas ô Chriſtiane, ſi habeas tibi faventes hos tres Soles Trinitatis. Si te invadant tuæ paſſiones, ut animam tuam morti dent, dimica generosè, nec deſpera, quia hi tres Soles gladio armati, tibi ſuccurrunt, ut deſtruant tua peccata. *Trinitas eſt, quæ peccata condonat.* Quod ſi in articulo mortis ſcelera tua te terreant, & tuam deſtructionem intendant, velintque te deſtinare ad ſiniſtram judicis, imò & ipſum infernum ne timeas, ſed confide in his tribus ſolibus Trinitatis, & eorum tutelæ te committe, nam ut ait ſanctus Zeno: *Inter agnos venturo tempore, non inter hædas deputatur, qui pignus Trinitatis accepit*, Quod ſi tres pueri fuerunt liberati ab igne fornacis Babyloniæ *Sacramento Trinitatis*, Cur tu deſperes liberari ab igne æterno, defenſus ab his potentiſſimis Solibus divinarum perſonarum? Quod ſi tibi pugnandum ſit contra totum infernum, arripe enſem crucis, quæ in his tribus Solibus comparet, ſigna te ſigno crucis invocando ſanctiſſimam Trinitatem dicendo *in nomine Patris &c.* & ſis ſecurus, te in hoc conflictu victoriam obtenturum; nam ut ait Ambroſius, *Quid potentius, quàm confeſſio Trinitatis?* *In cap. 20. Geneſ. Idē ſerm. 4. de tribus pueris.*

XII. Poſtquam Salvator noſter in deſerto finem impoſuiſſet illi longiſſimo, & rigidiſſimo jejunio quadraginta dierum & noctuum, dæmon illi ſe præſentat tentaturus, an eſſet Deus, & primo eum aggreditur tentatione ruinæ, & præcipitationis ex altiſſimo vertice montis dicens: *Si filius Dei es mitte te deorſum (ſcriptum eſt enim, quia Angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Obſervat hic S. P. Gregorius Nazianzenus, diabolum, omittere verba, quæ *Lib. 5. Epiſt. 31. Scriptura.* *Matth. 4.*

pſal-

Pſaltes, ex quo deſumpta eſt illa ſcripturas ſubjunxit nempè: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Cur diabolus illa verba omiſit? Meo judicio multum faciebant ad ejus propoſitum, nam ſic ejus perſuaſio habuiſſet majorem efficaciam, ſi ſubjunxiſſet, Deum illi aſſignaſſe Angelos, qui non ſolùm eum illæſum ſervarent à quocunque offendiculo, ſed etiam quod iis protegentibus calcaturus eſſet baſiliſcos & aſpides; imò & quamvis eſſet pugnaturus cum leonibus & draconibus, tamen eum futurum victorem, ſic inquam facilius Chriſto perſuaſiſſet præcipitium. Cur ergò prolatis illis verbis Pſalmi *Angelis ſuis &c.* omittit ſequentia *ſuper aſpidem &c.* cùm illa tamen à Deo Chriſto dicta ſint.

S. P. Gregorius advertit in verbis illis ſequentibus fieri aliquam mentionem numeri ternarii, qui eſt figura SS. Trinitatis, quia ergò optimè tentator ſciebat quantæ ſit efficaciæ, & virtutis, etiam figura Trinitatis, ad defendendū contra pericula mortis, hinc præſcidit verba pſalmiſtæ, & omiſit, eum victoriam reportaturum contra tres ſpecies animalium, puta aſpides, ſeu Baſiliſcos, Leones & Dracones. Hinc S. P. Gregorius in perſona Chriſti tentatori hanc omiſſionem exprobrat. *Id ſuppreſſiſti, nimirum quod ſuper aſpidem & baſiliſcum aſcendam, & conculcabo ſerpentes & ſcorpiones.* Videte aſtutiam dœmonis, optimè ſciebat verba ſequentia ſibi nocitura fuiſſe, hinc ſecum ſic diſcurrebat: ſine dubio ei præcipitium ſuadebo, ſi ei propoſuero verba Davidis, eum aſſecurando, juſſu divino infallibiliter ab Angelis eum cuſtodiendum, cavendum tamen mihi eſt ne pergam, & dicam ab eo ſuperandos aſpides, ſerpentes, ſcorpiones, cùm enim hic ſit numerus ternarius, qui eſt umbra veritatis, ipſemet mihi præjudicabo, & tentationem fruſtrabo, nec præcipitium ei ſuadebo, hinc omittenda eſt mentio de umbrâ Trinitatis adeò efficaci in majoribus periculis mortis. *Id ſuppreſſiſti &c.*

Orat. in ſanct. Baptiſma.

XIII. Quod apud antiquos accipiter ſemper fuerit ſymbolum victoriæ teſtatur Valerianus. Hinc Antiochus, qui in omnibus ſuis ſemper ſibi habuit fortunam faventem, quiq; plures debellaverat populos, munitiſſimas ſibi ſubjecerat arces, & tot victoriis ſibi gloriam per totum orbem pararat, ſummopere deſiderabat cognominari accipiter. *Accipitris* inquit Valerianus *cognomine vocari geſtiebat*, etiam in militiis Romanorum erant duo ordines militum, primus *ſagittariorum venatorum*, & alter *Launorū*, qui geſtabant in ſcuto accipitrem coloris fulvi, ad denotandum, illos in bello ſemper victoriam reportaturos. Sed mihi ſingularius videtur inventio Darii Regis Perſiæ. Hic ſubjugatâ Aſiâ, & Europâ, ſperans totum orbem ſuo Imperio ſubigendeum, ſuo pallio auro contexto tres accipitres hac formâ incidi curavit. Omnes tres roſtris ſeſe invicem notabant alis expanſis, cincti circulo aureo, cum nonnullis characteribus in caudis alis accipitrum exaratis. Antiqui porrò hanc avem ſymbolum victoriæ eſſe voluerunt, nam accipitres non ſolum velocitate ſuperant reliquas aves, ſed & dum noctua pugnat cum ſuis inimicis, & à copia horum jam ſuperanda eſt & occidenda, accipiter in tanto periculo inſtar plumbi ex aëre decidit, & velociſſimè advolat ſuppetias laturus, noctuamque defendit, & à periculo mortis eripit.

Literæ humaniores. *Lib. 21. hieroglyph.*

Applicatio.

XIV. Nunc ad Trinitatem *Mitte te deorſum &c.* Accipiter apud antiquos Ægyptios ſemper fuit ſymbolum Dei. Hinc refert Euſebius Zoronaſtem inter reliqua attributa etiam Deo tribuiſſe caput accipitris. Et idcircò Ægyptii volentes deſcribere Deum, depingebant hominem cum pallio longo inſtar religioſorum manibus junctis, caput habentem accipitris, forſan ad denotandum acutum Dei viſum, quem nil latet: *Omnia enim nuda, & aperta ſunt oculis ejus.* Ut ſignificarent deſiderium, celeritatem, promptitudinem, quâ advolat ad noſtram defenſionem, ſingulariter quando oppugnamur ab hoſtibus. Hinc S. Cæſarius, *Adverſatur quotidie Diabolus, ſed præſto eſt Chriſtus. Plus valet ad erigendum Chriſtus, quàm ad deprimendum Diabolus.* Deus eſt accipiter habens fronti inciſâ hanc inſcriptionem, *victoria perpetua*; nam milites Chriſtiani ejus favore poſſunt ſibi polliceri omnem felicem ſucceſſum & glorioſum triumphum contra ſuos hoſtes. Accipiter, qui in majoribus neceſſitatibus & periculis mortis, ſeſe præcipitat è cœlo, & nobis ſuccurrit, necnon pro nobis pugnans diſſipat, & proſternit noſtros hoſtes.

Applicatio.

Hebræ. 2.

Hom. 19.

Cùm itaque noſter Deus ſit accipiter, quis neſcit, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum eſſe etiam accipitrem, & potiori jure, quam Antiochum trui tali titulo? Divinæ perſonæ ſunt tres accipitres facie ſeſe invicem reſpicientes; nam Pater oculo ſui fœcundiſſimi intellectus intuens ſeipſum, producit Filium, ſimiliter Pa-

ter,

ter, & filius ſeſe recipientes oculo amoris producunt tertium Accipitrem Spiritum ſanctum. Tres Accipitres, qui ſemper ſeſe reſpiciunt; nam in omnibus ſunt maximè concordes, & quidquid vult una perſona, volunt, etiam ſemper reliquæ Tres Accipitres concluſi in uno, & eodem circulo, puta divinâ eſſentiâ, quæ eadem numero in omnibus tribus eſt. Tres Accipitres, quos homo geſtat in ſua anima, cui imago Trinitatis inſculpta eſt. Tres Accipitres inciſi animæ Chriſtianæ, utpote baptizatæ in nomine trium perſonarum. Tres Accipitres majori pompâ geſtati à fidelibus, quàm eos geſtavit Darius in ſuo pallio, quorum favore certiùs, quàm Darius ſibi poſſunt polliceri victoriam contra totum infernum. Et quamvis omnes ſpiritus barbari viribus omnibus te invaderent, nullatenus tamen debes timere, quia ex Empyreo ad tuam defenſionem advolabunt, tibi ſubvenient, te protegent, proſternent, & fugabunt invaſores, & victoriam tibi conferent; Et ideò infernus nil aliud timet, nil aliud metuunt dœmones quàm aſſiſtentiam SS. Trinitatis, ita ut ſola umbra hujus, illo terrefaciat? nec Dœmon tentans Chriſtum, eique volens perſuadere præcipitium è monte, auſus fuiſſet addere, Deum Chriſto dediſſe virtutem conculcandi aſpides, ſerpentes, ſcorpiones, quia viderat illo numero ternario adumbrari Trinitatem horum accipitrum, divinarum perſonarum, quarum fronti inciſa eſt inſcriptio. *Victoria perpetua* pro bono hominis. *Id ſuppreſſiſti &c.*

In omnibus itaque neceſſitatibus valdè favet homini ſanctiſſima Trinitas. Sed cave ô Chriſtiane, ne tuâ pravâ vitâ offendas has divinas perſonas, cave inquam; nam ſicut omninò ſunt concordes, ut te juvent, ſic offenſâ unâ, omnes offenduntur,

Ad Philip. 3. Hinc Balduinus in illla verba Pauli *Inimicus crucis Chriſti. Vita carnalis Dei injuria eſt, & in totius Trinitatis contumeliam redundat.* An forſan credis non offendi patrem, dum flocci facis ejus filium, & conculcas ſanguinem, quem tui amore ſparſit? An forſan æſtimas non offendi filium, dum eum ſpernis, qui ſummo amore tanta pro te eſt paſſus? Credis forſan eodem tempore non offendi Spiritum ſanctum dum gratiam illam contemnis, quam tibi attulit è cœlo? *Injuria patris* eſt inquit idem Balduinus *quod filius conculcatur. Injuria filii, quod ſanguis ejus quaſi polluitur. Injuria ſancti Spiritus, quando gratia contemnitur.* Et offenſis his tribus à te perſonis, quomodo poteris ſperare earum ſuccurſum in articulo tuæ mortis?

Epilogus. XV. Si itaque deſideres earum ſuccurſum tempore tantæ neceſſitatis, & volare ad cœlum, vide ut anima tua habeat qualitates Aquilæ.

Si cupias protegi ab hoc Jove cœleſti, ſuo trino & propitio aſpectu, & defendi à malignis influentiis, quas tibi minatur Gorgon dœmonis, & liberari inſtar Iſaac à periculo mortis violentæ, ſcias te non debere admittere congreſſum alicujus ſtellæ maleficæ Saturni acediofi, aut Martis iracundi

Si optes, ut hi tres globi Cœleſtes redacti in unam pretioſiſſimam Margaritam in maximis tuis neceſſitatibus tibi ſuccurrant, teque liberent inſtar Rahab à periculo mortis, debes hanc Margaritam affigere cruci, & in anima ac corde tuo accipere exploratores divinarum perſonarum.

Si deſideres ut hi tres ſoles in unam coadunati tibi è cœlo communicent pluvias gratiarum divinarum, & arripiant enſem pro tuo bono, debes cum Ninivitis intra triduum pœnitere, & eſſe devotus Trinitati.

Neque tibi perſuadeas, hos tres accipitres Cœleſtes deſcenſuros de cœlo, ut te defendant, virtutemque tibi donent proſternendi aſpides, ſerpentes, & dracones infernales, niſi in anima tua eorum imaginem & ſimilitudinem Trinitatis illibatam habeas. Stude ergò, ne offendas aliquam ex his tribus perſonis, ſic enim earum auxilium, toto tempore vitæ, & ſpecialiter in articulo mortis tibi promittere poteris, cùm habeas pro ſymbolo ſanctiſſimam Trinitatem, imò & in duello, ac conflictu cum morte glorioſus, & victor comparebis, quod tibi Deus concedat

Amen.

ELOGIUM

ELOGIVM XVI.

Pro feſto Corporis Chriſti.

Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus omnes, qui tribulant me, Pſal. 22.

Philoſophia.

I. QUod leo omnium animalium ſit generoſiſſimus, & ſimul fortiſſimus, eſt communis opinio, tam Plinii, quam aliorum, qui tractant de animalibus. Quod ſi quæres à quo procedat hæc generoſitas, & robur, non eſt dubium quin reſponderent, quod à corde hujus animalis, nam clara eſt ſententia philoſophorum vivens eò eſſe generoſius, quo minus habet cor reſpectu corporis; ſic enim in ſe concipit majorem copiam ſpirituum vitalium; cum ergo leo cor habeat minimum, ſequitur quod omnium animalium ſit generoſiſſimus, & robuſtiſſimus.

Litera humaniores. Hinc ſymbolici volentes alicujus demonſtrare robur & generoſitatem, ita ut ſolo aſpectu terreat, depingebant leonem. Hinc refert Pauſanias Agamemnonem, in ſcutis, quibus utebatur in bello, terrefaciendis hoſtibus depinxiſſe leonem. Hoc ſcutum diu aſſervatum eſt cum hoc lemmate.

Terror hic eſt hominum, quique hunc gerit eſt Agamemnon.

Advertunt porro hi ſymbolici generoſitatem, & robur ſignificari partibus anterioribus dedicatis ſoli, ſed partibus poſterioribus tertam. Hinc Pierius Valerianus. *Ipſa leonis effigies anterioribus partibus ſolem exſcribit, poſterioribus autem terram.* Et cum non ſit credibile, quod fundaverint ſymbolum in aere, dicunt partem anteriorem leonis ſignificare generoſitatem & robur, eò quod cor leonis, à quo provenit hoc robur, ſpectet ad partem anteriorem hujus animalis. Pars porrò poſterior, non ſit magis temperatè calida, & valde humida, ſignificat fertilitatem terræ, quæ etiam provenit ab humido, & calido temperato.

Lib. I.

Hinc Aſtrologi, qui inter duodecim ſigna Zodiaci annumerant leonem, quem fortiorem, & robuſtiorem cenſent, obſervant hoc ſignum à primis gradibus, uſque ad pectus, quod eſt pars anterior, eſſe calidiſſimum, & ferventiſſimum, in aliis vero gradibus, & parte poſteriori magis temperatum. Obſervant iidem Aſtrologi, eum, qui naſcitur ſub aſcendente ſigno leonis habiturum ſpiritum generoſum, & audacem animum regium, dominantem, conſtantem, magnanimum; cum enim hoc ſignum ſit domus ſolis, cui tanquam triangulus jungitur Jupiter, hic favore horum duorum planetarum influit iis, qui naſcuntur ſub eo, majeſtatem, & generoſitatem. *Leo regium ſignum eſt, quo ſit, ut ſi à ſole, ac Iove feliciter irradietur, regios ſpiritus in natis excitet, regiamque generoſitatem, militarium honorum appetentiam, magnum, invictumque animum.* Præter hoc robur, & hanc generoſitatem promittit, quamvis cum labore, & difficultatibus maximas opes. *Rem familiarem tantam ſibi comparabunt, ut alienos opibus ſuis paſcant.*

Aſtrologia.

Pontanus lib. 5. de rebus cæleſt.

II. Quod Deus ſit ſol non materialis, ſed cæleſtis, ac divinus, haud eget probatione. Quod Chriſtus ſit leo, qui in parte anteriori habet robur & generoſitatem, facillimè mihi perſuadet ejus divinitas generoſiſſima, & fortiſſima à nullo vincibilis. *Vicit Leo de tribu Iuda.* Quod pars poſterior ſignificet terram à ſole fœcundatam, & omni genere fructuum ditatam,

Applicatio.

tatam, oſtendit ejus benigniſſima ſuavitas, homini ſemper addicta. Quod Chriſtus Deus, & homo, reſtrictus ad anguſtias immenſiſſimas Sacramenti Altaris ſit ſignum leonis nullatenus dubito, cum utraque natura ibi ſit. Leo geſtatus à Chriſtiano in Scuto fidei, quaſi ab altero Agamemnone; hinc vocatur *myſterium fidei.* Leo, qui ſolo aſpectu conſternat totum infernum, & ſummè fœcundat terram ſanctæ Eccleſiæ. Leo totus ignitus & ardens, quia totus amor. *Deus charitas eſt.* Leo totus temperatus, quia benigniſſimus & gratioſiſſimus, ipſa ſuavitas & dulcedo. *Dulcedo ineffabilis inquit Bernardus.* O Leo generoſiſſime, ô leo benigniſſime, ô Sacramentum ſanctiſſimum, & quas non influentias ſpondes iis, qui te eligunt pro ſuo aſcendente, & qui reverenter communicando in hoſpitio proprii cordis, te ſæpè recipiunt? Poſſum, & ſecurè debeo dicere, te cum ſis leo, in quo habitatio, & Jupiter divinitatis, animabus, noſtris largiri ſpiritus generoſos, robur & vires, quibus reddamur invincibiles omnibus noſtris hoſtibus, & toti inferno. *Regios ſpiritus, invictumque animum, rem familiarem copioſam præmittis.*

Invictum animum, quia *ſignum regium.* Abundantiam opum tam temporalium, quam ſpiritualium, quia *ſignum laborioſum.* Invictum animum. *Accipe ſanctum gladium munus à Deo, in quo dejicies adverſarios populi mei.* Ubertatem omnium bonorum, quia pretioſiſſimum manna, in quo anima reperit *omnem ſaporem ſuavitatis.* Tu da robur ſpiritus, & copiam verborum, ut dignè diſcurram.

1. Mach. 15.

ASSUMPTUM.

Sanctiſſimum Sacramentum Altaris, eſt robur Chriſtianorum, & Pancarpius Cœli.

Scriptura. *Pſal.* 147.

III. REgius pſaltes invitans quadam vice Jeruſalem ad laudandum Deum, & debitas reddendas gratias pro infinitis beneficiis à ſua divina majeſtate receptis, unum ſingulariter recenſet, metaphoris non minus ſubtilibus & propriis, quam ænigmatibus, & obſcuris. *Lauda* inquit *Ieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion*, & incipit numerare divina beneficia. *Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te.* Verum quodnam ſingulare beneficium tibi contulit Deus, pro quo ſpecialiter ei debet eſſe gratus, nempè. *Mittit Cryſtallum ſuam ſicut buccellas*, vel ut alii legunt *ſicut fruſta panis.* Verba revera recondita, & ideo obſervatu digna.

Scio plures expoſitores affirmare Davidem à ſpiritu ſancto motum ſpectaſſe inſtitutionem ſanctiſſimi Sacramenti, quod latet ſub figurâ fruſti panis, quodque etiam comparatur Cryſtallo. Hinc Os aureum: *Hodie proteſſit panis in veritate, qui ſicut cryſtallum mittebatur; Clamat enim David in voce pſalmi dicens. Mittit cryſtallum ſuam ſicut fruſta panis.* Serm. 44

Hic ſcire vellem, cur Spiritus ſanctus regens intellectum, verba, & calamum Davidis, comparet hunc panem cœleſtem cryſtallo. *Mittit cryſtallum &c.* Panis, & cryſtallum non videntur poſſe ſimul ſtare. Panis eſt mollis, & tener, Cryſtallus maximè montana, eſt ſolida, & dura, ita ut ſolo adamante elaborati poſſit. Sacramentum fuit inſtitutum ſub ſpeciebus panis, ad oſtendendum illud nutrire, & dare vitam ſpiritualem & æternam. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Cryſtallus econtra ob nimium frigus eſt fatalis. Hinc ſubdit David *Ante faciem frigoris ejus, quis ſuſtinebit?* Quomodo ergo poteſt dicere David, quod Deus inſtituerit hoc Sacramentum, ut eſſet homini velut buccella Cryſtalli *Mittit Cryſtallum &c.* Ioan. 6.

IV. Inter plures illuſtriſſimos modos accendendi ignem ad radios ſolares, unus eminet, quem in meis operibus ſæpè obſervavi. Porro ignis hoc modo elicitur, objice ſpeculum concavum radiis ſolaribus, & inter ſpeculum, ac ſolem ſuper quendam palum bene fixum, pone globum Cryſtallinum, aut vitreum, ita ut iſte globus diſtet à ſpeculo medio, vel integro palmo. In ſpatio interjacente ſpeculum inter & globum, pone rem quam vis accendere, ſic tamen ut oculus ſolis directè petat globum & ſpeculum, & videbis radios ſolares inter ſpeculum, & globum futuros tam vehementes, ut non ſolum accenſuri ſint chartam, ſtupam, pannum, vel aliud quodlibet potens faciliter concipere ignem, ſed & accendet denſiſſima ligna, imo ipſum ferrum, inſuper videbis liquefcere laminas, non ſolum plumbeas, ſtanneas, ſed etiam cupreas, argenteas, aureas. Ex his Mathematica.

hic est efficacior, & insignior modus eliciendi ignem huc usque inventus: Nam aliis modis puta speculo concavo sine globo, vel globo sine speculo elicitur quidem ignis, sed hoc solum fit in materia faciliter accendibili, & non in materia durâ & solidâ, velut ferrum, argentum, & aurum. Sed speculo cum globo non solum accenduntur ferrum, argentum, & aurum, sed & liquescunt, ad quod profectò requiritur major vis in radiis solaribus. Hic scire percuperem, unde radiis solaribus tanta virtus?

Optica. Necesse est recurrere ad opticam. Advertunt professores hujus artis, radios solares, dum uniuntur, fieri fortiores, juxta illud axioma *Virtus unita fortior.* Hæc unio dupliciter fieri potest, primo per retractionem & divisionem ipsorum radiorum, secundo per repercussionem eorundem. Dum sol penetrat globum Crystallinum, radii solares uniuntur & franguntur, & ideo retro globum accenditur ignis, ita ut in hoc casu inter solem & objectum quod accenditur interiaceat globus, quando autem sol per suos radios petit speculum concavum, tum radii uniuntur, & repercutiuntur, & inter solem & speculum est objectum accendibile. Hinc in primo casu ignis accenditur ab unione, & fractione radiorum solarium, sed in secundo casu ab unione, & repercussione eorundem. Ex quo videmus in dictis modis unicam tantum rationem concurrere. Verum in modo à nobis assignato concurrunt ambæ rationes, hoc est unio, & refractio radiorum solarium unitorum, & fractorum in globo Crystallino, & etiam unio & repercussio eorundem radiorum unitorum in centro speculi, & repercussorum, & ideo hoc modo facilius elicitur ignis, quam quocunque alio. Optima & ingeniosissima inventio.

Applicatio. V. Nunc ad Sacramentum: *Mittit crystallum &c.* Speculum concavum est nostra anima, dum humiliter accedit ad communionem. Speculum valde tersum & mundum per puritatem conscientiæ, quæ requiritur ad dignè communicandum. Hinc Apostolus. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Sed præterea anima nostra debet esse speculum curvum per humilitatem, si velit dignè communicare. Idcirco dicebat illa anima sancta: *Humiliata est in pulvere anima mea*, vel ut alia legit versio: *Incurvata est in pulvere.* Rursus globus rotundus, & purissimum Crystallum est sanctissimum Sacramentum. Globus rotundus; sic enim ostendit ejus figura sphærica. Globus purissimus, & candidissimus tum per humanitatem semper innocentissimam, tum per divinitatem, quæ nullius est maculæ capax. Deinde verbum divinum est sol. Ego sum lux mundi. Hic sol divinus antequam instituisset sanctissimum Sacramentum, & hunc globum crystallinum, vibrabat radios suæ omnipotentiæ, & ardentissimi amoris non unitos, sed sparsos, quia quò ad effectus non communicabat se per totam suam virtutem ulli sacrificio veteris legis, sed uni hanc, alteri aliam dedit prærogativam, ita ut non viderentur habere sufficientes vires ad comburendas maculas nobis inustas à Diabolo infernali.

1. Cor. 11.

Psal. 43.

Sed quid contingit? En peritissimus mathematicus filius Dei in ultima cœna fabricat hunc globum crystallinum Sacramenti ex sanctissima sua carne, & purissimis sanguinibus, in hoc restringit omnes radios suæ infinitæ omnipotentiæ, & ardentissimæ charitatis. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Hi radii per unionem facti sunt potentiores, & vegetiores, & penetrando centrum speculi concavi animæ humilitatæ, quæ se agnoscit indignam tanto beneficio, & favore, & ab ipso speculo repercussi contra adversarios, accendunt ignem amoris divini tam vehementem, ut comburant & annihilent omnes hostium incursus & animæ dent gloriosissimam victoriam contra totum infernum. Hoc volebat dicere spiritus sanctus per Davidem: *Mittit crystallum &c.* Nempè hostias consecratas esse quosdam globos crystallinos, qui restringentes radios solares divinæ omnipotentiæ, dant animæ victoriam contra dœmones inferni. Hinc S. P. Irenæus: *Verbum caro factum est, ut in carnem Domini occurrat paterna lux, & à carne ejus rutila veniat in nos, & sic homo deveniat in incorruptelam circumdatus paterno lumine.* Clarius quidam gravissimus author. *Divinitas recepta in speciebus panis tanquam in crystallo, ardentes jaculatur virtutis suæ radios, quos miretur, & paveat adversarius.*

Psal. 11.

Lib. 4. cap. 37.

Quid ergo ô Chriſtiane ulterius velis timere potentiam Dæmonis, inſultus totius infernì, rebellionem carnis, inſolentiam tuarum paſſionum, bellum tuorum vitiorum, cum habeas ſpeculum concavum animæ tuæ humilitatæ, vicinæ huic cryſtallino globo, adeo ſplendido pro tui defenſione, & ſtrage tuorum hoſtium, cum habeas radios ardentiſſimos, & fortiſſimos divini amoris.

Scriptura. *Cap.* 12.

VI. Volens Deus in nocte illâ adeo memorandâ caſtigare Pharaonem, ejuſque populum, occidendo omnes primogenitos illius regni, incipiendo à primogenito Pharaonis, uſque ad primogenitum ex infima plebe, præcepit divina majeſtas Moyſi, ut veſperi antecedente illam ſtragem, cum populo Hebræo comedat agnum paſchalem, & azymos panes. *Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes.* Et en: *In noctis medio percuſſit Dominus omnem primogenitum in terra Ægypti.* Subintrat hic S. P. Ambroſius, & ponderans factum tam celebre, inquirit cur Deus voluerit ſuum populum epulari, convivari, exultare eo tempore, quo tantam ſtragem Ægypto inferre volebat? Nocte tam funeſtâ, truculentâ, quâ torrentes inundari debebant ſanguine puerorum Ægyptiorum innocentum, Hebræi tam opiparè epulentur? Meo judicio potius Hebræi debebant timere, ne & ipſi involverentur ſtrage Dei irati, cum ſcirent ſe ſæpius ſuis murmurationibus, & ingratitudinibus iram Dei meruiſſe. Quomodo ergo, inquit Ambroſius, vult Deus à populo comedi agnum paſchalem nocte adeo funeſta?

Reſpondet mire ſanctus. *Ne inermes & vacuos Spiritualis alimenti, nocturna ſpecula tenebroſi hoſtis opprimerent.* O quam benè. *Ne inermes, &c.* Quia Deus, vel Angelus ejus juſſu, illa nocte debebat edere ſtragem adeo feram, & ſanguinolentam, quæ integrum mundum examinare poſſet, imo & ipſe populus timore nimio fuiſſet correptus; ne ergò hic populus conſternaretur, ſed potius eſſet fortis, conſtans, immotus, voluit eum Deus munire agno paſchali, & pane azymo, vero typo ſanctiſſimi Sacramenti, ad ſignificandum hunc cibum tantum robur conferre animabus, ut nec timeant exercitus infernales, imo nec exercitus Angelorum bonorum, dum juſſu Dei caſtigant mundum *Ne inermes &c.*

n *Pſ.* 118.

VII. Græci antiquitus pugnaturi, vel ludos exercituri, in quibus robur, & vires corporis valde utiles ſunt, ſolebant ſe munire quodam pane, ab ipſis vocato *Coliphion*, hoc eſt *panis Athletarum*, & ita vocabatur ab effectu, quia, qui illo veſcebantur, reddebantur invincibiles. Hinc nominabatur *Coliphion quaſi fortificans membra.* Erat autem quædam paſta coacta ſub cineribus, coagulata ex variis ingredientibus corroborativis. Literæ humaniores.

Srmiliter narrat Belloni, Turcas, dum pugnare, vel duellare debebant, ſolitos fuiſſe bibere in magna copia ſuccum Oppii, vel Papaveris coagulati, quo valde animabantur. Hinc audito claſsico, hoc ſucco prius muniti, intrepidi quamcunque pugnam aggrediebantur, certi ſe victoriam obtenturos. Et ideo hæc Barbara gens tanti fecit hunc ſuccum, ut eum inter pretioſiſsima fercula numerarit.

VIII. Sed ceſſent Græci extollere ſuum coliphionem, & Turcæ ſuum ſuccum Oppii, & Papaveris, quia nos Chriſtiani habemus cibum & potum aptiorem, ut animas animet & corroboret, nempè ſanctiſsimum Sacramentum, verus Coliphion, & longè præſtantior Coliphione Græcorum. Quod ſi Græci tanti faciebant ſuum Coliphionem, ut eum vocarent neceſſariam manducationem, hic etiam panis in tanto pretio fuit habitus apud primos Chriſtianos, & tam neceſſarius, ut quotidie illo veſcerentur. Ille Græcorum fuit vocatus panis athletarum, & hic à Chriſtianis vocatur panis fortium. Ille corroborabat membra corporis, hic autem panis cœleſtis confert vires majores ad pugnandum non ſolum contra homines, ſed & contra Deum. Hinc dicebat David. *Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus omnes, qui tribulant me. Reſpexit Elias, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, qui cum ſurrexiſſet, comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius uſque ad montem Dei.* Applicatio. *Pſal.* 22. 3 *Reg.* 6. 19.

Deſinat barbarus Turca celebrare virtutem ſui Oppii, & Papaveris in quo fidebat, eoque animatus audacter quodlibet prælium inibat, & valoroſè proſequebatur, faciliter ſuperabat, & victoriam conſequebatur; nam nos Chriſtiani quotidie habemus ad manus ſuccum coagulatum carnis, & ſanguinis

guinis filii Dei, qui animam noſtram reddit animoſam, audacem, invincibilem & victorioſam contra totum infernum. Hinc Chryſoſtomus. *Tanquam leones ignem ſpirantes ab hac menſa recedamus, facti diabolo terribiles.*

Hom. 61. ad popul.

Ut hoc Deus ſignificaret, voluit populum nocte illâ antecedente cladem Ægypti, imò & liberationem ejus ex Ægypto, & ſervitute Pharaonis muniti & roborati agno paſchali, & pane azymo.

Locus ſcripturæ. *Matth. 26*

IX. Salvator noſter, dum in horto Olivarum orationi vacans, ad mortem ſe præpararet, tanto mœrore obtutus, convertit ſe ad æternum patrem, ut ſufficiens fuiſſet privare Chriſtum vitâ, niſi ſuum divinum robur eum corroboraſſet, ut ad prælia majora reſervaretur. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Quando inquam ſic ad patrem ſe convertit, & oculos in cœlum conjecit, vidit Angelum è cœlo deſcendere, qui eum in hac agonia debebat confortare. *Deſcendit Angelus de cœlo confortans eum.*

Hic uti obſervant contemplativi, habuit in manibus calicem, quem cum vidit ſalvator, ſtatim exclamavit! *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.*

O Salvator animarum noſtrarum, & qualis eſt iſte calix, quem tam inſtanter petis ſeponi? Si ſit calix paſſionis, quomodò tam illubenter illum bibis pro nobis, ſi ideò præcisè ſis incarnatus, & eum à teneris annis in circumciſione ceperis bibere? Quomodo inquam, cùm eum jam habeas ad manum, & ille tibi è cœlo propinetur, tam ferventer rogas æternum patrem, ut ſubducatur oculis tuis, *Pater mi ſi poſſibile eſt, &c.* Ego reverà credo, quod hoc non flagitaveris, quia nimis libenter pro nobis calicem bibiſti. Quid ergò hâc oratione prætendiſti?

S. P. Cæſarius frater Nazianzeni cenſet calicem, de quo loquitur Chriſtus, non eſſe alium, quàm calicem conſecratum, plenum pretioſiſſimo Chriſti ſanguine, qui bibentem corroborat ac animat, ac ſi voluiſſet dicere Chriſtus. O pater æterne, ego non ampliùs indigeo hoc calice in ultima cœna conſecrato, ad hoc, ut generosè hunc conflictum ineam, & hoſtes meos, imò & infernum ſuperem. Sed bene illo indigebunt mei filii, mei dilecti diſcipuli omnes Chriſtiani, dum à Dœmone & aliis hoſtibus oppugnabuntur, hinc rogo Pater, ut hic calix tranſeat ad meos fideles, illis reſervetur, illis propinetur, illi eum in his occaſionibus potent, & ſuperiores evadant toto inferno. Hinc mirè S. Cæſarius. *Illudit Incarnatus Pharaoni cum toto exercitu Ægyptiorum Dæmonum inviſibiliter ſubmerſo per id, quod inquit: Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. O poculum Diabolum vulnerans, Dæmones fugans, peccata ventilans, æternam vitam operans.*

Ad nos dilectiſſimi debebat transferri hic calix, nos eum debemus bibere ad ſatietatem uſq; nos eo debebamus muniti & roborati, ad devincendos noſtros hoſtes; Nam quando Chriſtianus bibit hunc ſacroſanctum calicem, tunc ſe diſponit ad aciem, certus de victoria obtinenda contra Diabolum.

Aſtrologia.

X. Hipparchus inter aſtrologos celeberrimus obſervat, inter quadraginta & octo conſtellationes cœli reperiri unam, quæ vocatur *Ara.* Hinc illi, qui depingunt globum cœleſtem cum omnibus imaginibus cœli, depingunt Aram in forma altaris, in cujus ſummitate cernitur flamma ignis; nam ſtellæ hujus conſtellationis exhibent hanc figuram. Non procul ab hac eſt alia referens formam calicis, & vocatur ab Aſtronomis *crater.*

Notat præterea Hipparchus, quod dum in cœlo oritur hæc conſtellatio crater, ſimul etiam oriatur conſtellatio Leonis, ſicut & oriente Ara, oriri etiam ſagittarium, ſtellæ quæ ſunt à quinto decimo gradu, uſque ad vigeſimum tertium. Obſervatio reverà illuſtris & apta ad propoſitum noſtrum.

Applicatio.

XI. Nunc ad Sacramentum: *Pater ſi poſſibile eſt &c.* Neſcio an poſſit dari aliquid, quod dignius & magis ad vivum exprimat Sacramentum cum ſuis effectibus, quàm hæ cœleſtes conſtellationes; Nam in Eccleſia Dei eſt Ara & calix, quibus utimur in ſacrificio. Super Aram offertur Deo ſanctiſſimum Chriſti corpus, ſub ſpecie panis, & vinum in calice ſui pretioſiſſimi ſanguinis. *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum. Bibite ex eo omnes.*

Nunc obſervate fideles portentum cœli, quod oriente Arâ oriatur ſagittarius, & quod oriente calice oriatur Leo. O Deus animatum noſtrarum, & quid vis per hoc ſignificare, niſi quod dum anima communicat, quod dum Ara,

calix, ſpecies panis & vini oriuntur in anima noſtra, dum tu prodis ſupet horizontem illius, dum compares in noſtris pectoribus nos effici leones & ſagittarios. Leones generoſi & audaces. Leones ignem ſpirantes, qui ſolo rugitu poſſunt exanimare crudeliſſimas feras infernas. Sagittarii, facti Diabolo terribiles, qui ejaculando ſagittas ſuſpiriorum & orationum jaculatoriarum ferimus, & ſauciamus valoroſiores milites ſathanæ, ejuſque exercitus numeroſiores & potentiores fugamus.

Nonne ergò ô fideles! habemus cauſam reddendi infinitas gratias Salvatori, quod tempore ſuæ acerbiſſimæ paſſionis ita noſtri ſit recordatus, & tam inſtanter rogârit patrem, ut ad nos transferret, & in horizonte animarum noſtrarum illas felices conſtellationes Aræ & calicis produceret, *Pater mi, &c.* ut roborati velut leones & ſagittarii, fugaremus phalanges Pharaonum infernalium, & reportaremus glorioſam victoriam? Reverâ nimis eſſemus ingrati & maximè arguendi ſi non continuas pro tanto beneficio gratias agamus. Eja ergò anima fidelis, grata ſis Deo tuo. *Lauda Deum tuum* Sion, qui pretioſiſſimum ſuum corpus & ſanguinem in hoc auguſtiſſimo ſacramento communicavit. Gratias age, quòd dederit tibi hunc cœleſtem leonem ita corroborativum. Nec hic ſiſte, ſed proſequere tuas gratias, quia tibi ſimul dat Pancarpium cœli, optimum quod in cœlo reperitur.

Scriptura. Gen. 27.

XII. Poſtquam Eſau per aſtum ſui fratris Jacobi & Matris, privatus eſſet benedictione paternâ, ſibi velut primogenito debita, recurrit ad Iſaac ſnum patrem, eumque ſupplex rogavit, ſibi ſaltem aliam aliquam benedictionem impetriretur. *Benedic etiam mihi pater mi.* Cui reſpondit ſenex & languidus pater: *Frumento & vino ſtabilivi eum, & tibi poſthac fili mi ultrà quid faciam?* Catiſſime fili, reverâ neſcio, quid tibi dem; cùm enim fratri tuo minori dederim panem & vinum, nil mihi amplius reſtat, undè patientiam habeat neceſſe eſt. *Frumento & vino, &c.* Sed quomodo ô ſanctiſſime Patriarcha, cum confitearis te Jacobo nil dediſſe præter panem & vinum, ſubjungis nil tibi reſtare pro Eſau tuo primogenito. *Frumento & vino &c.* Jacobum inſtituiſti hæredem agrorum tantum & vinearum, quæ producunt panem & vinum, nec aliquid amplius ei dediſti. ubi ergò ſunt tot armenta, tot greges, tot pecora, tot cameli, quibus abundaſti? Ubi optima illa ſpolia, quæ tuus Pater Abraham à tot Regibus ſubjugatis retulit: Si hæc legares tuo filio Eſau, credo quod contentaretur, quomodo ergò dicis, quod nil amplius tibi pro illo reſtet? *Frumento & vino, &c.*

S. P. Paſchaſius tranſiens ad moralitatem, divinè aſſerit in ſenſu myſtico hic eſſe ſermonem de ſanctiſſimo Sacramento, & quod panis & vinum, quibus donatus eſt Jacob, fuerint ſymbolum hujus panis angelici & vini cæleſtis. Nam hæc ſunt conſummatio omnium bonorum, compendium, Epilogus, quinta eſſentia omnia bona continens; unde qui hæc tantùm habet, omnia habet, & qui his caret, quantumvis aliis quibuſcunque abunder, omnibus caret. Quamvis habeat omnia bona fortunæ, tamen nihil poſſideret. Cùm panis & vinum Euchariſticum omnia bona contineant. Hinc non eſt mirum, quod Iſaac, quamvis plurimis bonis abundaret, tamen dixerit ſibi nil reſtare pro Eſau. *Frumento & vino, &c.* Mirè Paſchaſius. *Hoc eſt apertè dicere, firmavi eum pane corporis Chriſti & vino ſanguinis, tibi autem fili ultrà quid faciam? Putaſne ſi fueris indignus tantâ gratiâ, ullis quod polleas bonis, ultra quam nihil amplius in hac vita præſtatur.* Cui deeſt hic panis & vinum, eſto ſit Dominus univerſi, ei omnia deſunt, & qui hæc ſolum habet, eſto omnibus aliis careat, tamen eſt ditiſſimus, quia fruitur quintâ eſſentiâ omnium bonorum. *Vltrà quam nihil, &c.*

De Corpore Chriſti c. 12.

Lex civilis

XIII. Non poſſum melius illuſtrare hanc ſcripturâ, quàm quadam illuſtratione Jutiſconſultorum. Quærunt hi, quid ſit cenſus? & unanimiter reſpondent. *Cenſus eſt æſtimatio bonorũ & rerum facta ſecundum quam tributa pendebantur*, ita ut cenſere, vel cenſum agere nihil aliud ſit, quàm recenſere hominum facultates, & quorum facultates ſic cenſebantur, illi vocabantur Cenſi.

Sed advertunt, quod cenſus hodiernus multum differat à cenſu antiquo Romanorum; nam

nam Romani ſolos cenſebant Romanos, qui comparebant coram magiſtratu particulari ad eum finem deputato, coram quo fideliter omnia ſua bona recenſebant, ita ut nulli Romano aliquid liceret poſſidere, niſi eſſet annotatum in libro cenſorum, & in illo libro velut in compendio continerentur omnia, quæ poſſidebant antiqui Romani. Hodie autem omnes cenſentur, qui aliqua bona habent.

Applicatio. XIV. Nunc parumper redeamus ad Iſaac. *Frumento & vino, &c.* Verbum increatum & incarnatum, filius Dei eſt civis, non Romanus, ſed cœleſtis urbis imperialis ſanctiſſimæ Trinitatis, civis ditiſſimus, gratiis, favoribus, & omnibus bonis abundans. *In quo ſunt theſauri ſapientiæ Dei.* Coloſſ. 2. Quod ſi hic civis cœli velit cenſeri omnem ſuam ſubſtantiam, reverà nullus eſſet codex, qui poſſet continere, nullum tempus quo poſſet numerari, nullus intellectus qui poſſet comprehendere immenſitatem divitiarum ejus.

Quid fecit ergò filius Dei? Omnes ſuas opes, omnem ſuam ſubſtantiam, totam immenſitatem pulchri & boni, quod habet, concluſit in auguſtiſſimo Sacramento Altaris, ita ut nihil pulchri, boni vel pretioſi reſtet. Hinc antiquus & myſterioſus Tertullianus alludens ad cenſum Romanorum, divinè dicit: *Corpus Chriſti in pane cenſetur.* O quàm benè! Deus cenſuit omnia ſua bona & infinitas ſuas opes, eaſque ſub ſpeciebus panis & vini in hoc auguſtiſſimo Sacramento conſecratis, velut in epilogo & compendio concluſit, ut anima in ſe ipſa recipere poſſet hunc cenſum, in quo omnes excellentiæ & immenſitates paradiſi continentur. *Corpus Chriſti in pane cenſetur.* Et hinc Iſaac, poſtquam dediſſet benedictionem panis & vini Jacobo, dicit nil pulchri vel boni ſibi remanſiſſe pro Eſau. *Ultra quam nihil amplius in hac vita præſtatur. Corpus Chriſti in pane cenſetur.*

Locus ſcripturæ. Cap. 9. XV. Loquens Propheta Zacharias de multis favoribus & beneficiis à Deo populo ſuo præſtitis, tandem concludit à Deo homini, nil pulchrius vel melius poſſe conferri, quam frumentum electorum, & vinum germinans virgines. *Quid bonum ejus, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* O Propheta Dei! & quid tuo ore excidit? Ergone totum pulchrum & bonum cœli reſtringatur ad pauxillum panis & vini? Ergone nil aliud pulchri vel boni ſit in cœlo? Sic reverà paradiſus pauper erit.

Scio bene S. Paſchaſium velle per hunc panem & vinum ſignificari ſacramentum altaris, ſed non acquieſco. Nam præter hoc ſacramentum ſunt etiam alia ſacramenta, eſt baptiſmus janua reliquorum, eſt pœnitentia quæ dimittit actualia, ſicut baptiſmus originalia in infantibus, in adultis verò actuale & originale ſimul, eſt gratia divina, & reliquæ virtutes, & tandem datur beatitudo æterna. An hæc non ſint pulchra & bona? Quinimò. Quomodò ergò dicis, quod totum pulchrum & bonum Dei contineantur in hoc ſacramento, ac ſi nil aliud eſſet pulchrum vel bonum? Præterea cur Vates ſacramento dat hos duos titulos, pulchrum ſcilicet & bonum? Meo judicio ſufficiebat dicere, quid bonum vel quid pulchrum, quia illud quod eſt bonum, eſt etiam pulchrum, & è contrà; nam juxtà Mtaphyſicos *pulchrum & bonum convertuntur.*

Scio quidem Doctorem Angelicum velle *pulchrum & bonum* eſſe idem *entitativè & materialiter*, ſed *formaliter* diſtingui; nam eſto eadem res poſſit eſſe pulchra & bona, hoc tamen non poteſt eſſe per eandem formam; nam res eſt bona, quatenus eſt objectum appetitus ſenſitivi vel intellectivi, pulchra verò quatenus eſt objectum oculi vel intellectus, ſed cur quæſo Propheta tam expreſsè obſervat ſacramentum eſſe pulchertimum & optimum, quod Deus habet in theſauro ſuarum divitiarum? *Quod bonum ejus, &c.*

Medicina XVI. Pro intellectu hujus ſcripturæ, neceſſariò debemus obſervare id, quod docent Medici, & ſingulariter inter eos excellentiſſimus Duretus, in materia de otio noſtrorum corporum. Dicunt ergò ex otio naſci plures, eoſque graves morbos; cùm enim corpus reprehenſibiliter quieſcit, coadunantur plures humores, qui in ventriculo, vel meſenterio defectu motus & agitationis corporis, ac ſi eſſent aqua mortua alicujus paludis, vel ſtagni putrefiunt, corrumpuntur, & ex abundantia & colluvie illorum pravorum humorum generantur, poſtea morbi & infirmitates valdè prolixæ, & ſubinde fatales, ſpecialiter lethargus, vel morbus dictus *Caros*, hoc eſt, *ſengelatio cerebri, & muſculorum temporalium*, ſopor & ſomnus profun-

fundiſſimus, qui reddit patientem velut mortuum; & quamvis bene videat, audiat, ſentiat, non tamen poteſt movere oculos, ſed illi manent immobiles velut attoniti, cum ſint congelati muſculi temporales? verbo, ob abundantiam pituitæ vitreæ & lentorum humorum occupantium caput, videtur quaſi mortuus, & facies tota eſt pallida inſtar cadaveris.

Nunc quæſo vos ſitis attenti. Medici hunc infirmum docent debere curari per *Epichreſim*, hoc eſt lente & quaſi inſciâ naturâ, porrò ad hanc curam utiliſſimæ ſunt pillulæ aureæ, quæ conficiuntur ex aloë, colocynthide, roſis rubicundis, croco, & ſunt adeò ſalubres, ut ab eo effectu prodigioſo vocentur pillulæ aureæ, & hæ lethargo mortifero oppreſſum reſuſcitant, quaſi à morte ad vitam, vultuique colorem vivaciſſimum inducunt & pellendo colluviem humorum putridorum, ratione quorum ita erat infirmus & pallidus, eum intus & extus ſanant; ſunt enim pulchræ & bonæ pillulæ aureæ.

Applicatio. XVII. Nunc capietis mentem Prophetæ. *Quid bonum ejus, &c.* Peccator quandoque jacet ſopitus lethargo profundiſſimo vitiorum & peccatorum, adeò deſtitutus ſenſibus & vivo colore divinæ gratiæ, ut videatur quaſi mortuus & cadaver, non videat, non olfaciat, non loquatur, non ambulet, nec ullum opus animæ ſalutiferum producat. Non audit vocem Dei, non videt fœditatem animæ propriæ & præcipitium in quod ruit, non olfacit fœtorem criminum, non loquitur ut confiteatur, non ambulat ut retrahat pedem à malo, verbo, in ſpiritualibus motu & ſenſibus deſtitutus eſt, uti dicebat David: *Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt, manus habent & non palpabunt,* Correptus eſt lethargo mortifero, pallidus inſtar cadaveris, privatus calore divinæ gratiæ, ob abundantiam humorum peccatorum ſuorum, qui occupant caput rationis. *Pſal. 113.*

O miſer infirme, ab omnibus derelictus & habitus quaſi mortuus! vis liberari ab hoc lethargo, & ab ipſa morte excitari ad vitam immortalem? Vis conſumere hos humores putridos tuarum culparum, & quidem abſque difficultate, nauſea faſtidio, ſeu ſuaviter & quaſi inſciâ naturâ? Vis recuperare pulcherrimum colorem divinæ gratiæ & immortalitatis? ſume cum appetitu hanc pillulam auream ſacramenti, rotundam quidem exteriùs, ſed auream propter divinitatem, quæ ſubtùs latet. Pillula aurea non confecta ex rubicundis roſis, ſed ex rubeo ſanguine Chriſti, non ex croco materiali, ſed ex divinitate Chriſti ibi relucente, quæ temperat amaritudinem aloes & colocynthidis paſſionis Chriſti in hoc ſacramento repræſentatæ. Pillula aurea, quæ corroborat cor & affectus animæ, ita ut brevi viſurus ſis effectus mirabiles illius, nempe quod te excitabit à lethargo, & animæ tuæ conferat vitam immortalem & incorruptibilem. Hinc S. Ignatius eam vocat: *Pharmacum immortalitatis, & medicamentum purgans vitia & omnia pellens mala.* Imò & in ſumptuoſiſſimo & pretioſiſſimo pharmacopolio paradiſi non eſt medicamen nobilius, efficacius, generoſius ad dandam ſalutem lethargico peccatori, eumque reſuſcitandum, ei pulcherrimum colorem glorioſæ immortalitatis dandum, eum intus & extus reſtaurandum, quam hæc pillula aurea ſacramenti, medicina omnium pulcherrima & optima. Hoc volebat dicere Zacharias. *Quid bonum ejus, &c.* In quæ verba divinè Paſchaſius Abbas: *Bonum quippe, ut ad vitam proficiamus æternam, pulchrum verò, dum immortalitatis gloriâ veſtimur, ut interius fruamur vitæ dulcedine & exterius fulgeamus nitidius de tanti beneficii gratia.* *Vbi ſuprà.*

Epilogus. XVIII. Quid ergò facis anima fidelis, quod non recurras ad hanc pharmacopoliam Eccleſiæ, cur tot lethargis ſpiritualibus oppreſſa, non ſumis hanc pillulam auream, quæ ſola te poteſt curare, dare vitam æternam, & te reſtituere decori immortalitatis?

Quod ſi anima tua adhuc ſit in tam miſero ſtatu, tibi culpa debet attribui, & non illi cœleſti medicinæ, quæ omnium pulcherrima & optima eſt. Sume ergò libenter hoc pretioſiſſimum pharmacum, & cùm in eo contineatur omne pulchrum & bonum paradiſi, cum cenſus ſit in quo concluſit ſuas divitias Deus, ita ut nil ipſi reſtet, quod tibi det, videbis hunc mirabilem effectum, & mil-

lios

lies Deo gratias ages. Recurre libenter ad ſacrum Altare ſi indigeas viribus contra hoſtes, quia hic panis eſt globus cryſtallinus, in quo ſol divinus recluſit omnes ſuos radios omnipotentiæ & amoris, ita ut ſi cooperetur ſpeculum concavum tuæ animæ humiliatæ, poſſit comburere & redigere in cineres omnes machinas infernales contra te ſtructas. Hic eſt agnus paſchalis, panis azymus, Colophion, panis athletarum, qui te roborabit contra Dæmones; Hic eſt calix & Ara cœleſtis, qui te efficiet leonem & ſagittarium contra totum infernum. Hic eſt leo generoſiſſimus & robuſtiſſimus, qui è cœlo influit generoſitatem, robur animi & copiam ubertimam omnium bonorum. Ad hunc recurre Chriſtiane, & experieris ejus miros effectus, quod tibi donet Deus. Amen.

ELOGIUM XVII.

Pro Feſto S. Antonii de Padua.

Optavi & datus eſt mihi ſenſus, & invocavi, & venit in me Spiritus ſapientiæ, & præpoſui illam regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Sapient. cap. 7.

Aſtrologia.

I. MEo judicio nobiliſſima & digniſſima amphitheatro eſt illa quæſtio curioſa Philoſophorum, an omnes cœli & ſphæræ cœleſtes habeant pro centro ſuo centrum terræ & mundi, circa quod inceſſanter moventur.

Averroes Dux Arabum cum tota ſchola Græcorum, cenſuit cœlos nullum aliud habere centrum, quàm centrum mundi, circà quod illæ grandiſſimæ & indefatigabiles rotæ moventur, cùm enim proprium ſit cœlis rotari *circa medium mundi*, ſi aliqui haberent aliud centrum, ſequeretur manifeſtè, quod agerent contra ſuam naturalem inclinationem, quod nullo modo debet admitti.

Hoc non obſtante exactiſſimus Anatomiſta ſphærarum cœleſtium Ptolomæus docet dari aliquos cœlos ſcilicet Eccentricos & Epicyclos, quæ non agnoſcant centrum mundi. Pro quo inquit Ptolomæus debetis advertere, quodlibet cœlum ad minus dividi in tres cœlos, quorum ſuperius & inferius vocatur Eccentricum, porrò illud per ſuam ſuperficiem convexam, recognoſcit centrum mundi. Inferius autem ſuperficie concavâ, medium verò cœlum, nec convexâ, nec concavâ illud centrũ agnoſcit, & hinc vocatur *ſimpliciter* eccentricũ.

Quod ſi hujus velitis ſcire cauſam; reſpondeo inquit Ptolomæus, cœlum eccentricum eſſe illud, quod *defert corpus planetæ*. Hinc cum aliquando corpus illud planetæ debeat, prout neceſſitas exigit, à terra elongari, & aliquando ei approximari, ratio poſtulat, ut habeat centrũ diverſum à centro mundi.

Applicatio. II. Cœlum & quidem nobiliſſimum in Eccleſia militante & religione ſeraphica fuit glorioſiſſimus ſanctus Antonius à Padua. Cœlum per eminentiam ſuæ perfectionis, in qua brevi ſpatio tantùm profecit, ut ipſis perfectioribus ſtuporem injiceret, qui eum habebant pro idea & exemplari ipſius perfectionis. Cœlum per puriſſimam virginitatem uſque ad mortem illibatam; Cœlum per claritatem incomparabilis ſapientiæ, & per lucem divinæ gratiæ inextinguibilem. Cœlum expers qualiſcunque corruptionis culpæ & defectus, etiam levis, imò perfectiſſimum per omnes virtutes, & virtuoſiſſimum per quamlibet perfectionem.

Sed quale cœlum? An forſan cœlum concentricum, quod recognoſcit centrum terræ & mundi; Minime, ſed cœlum *ſimpliciter eccentricum*, quod aliud non agnoſcit centrũ, quàm Deum, circà quem ſemper gyravit ſuas operationes.

tiones cœlum eccentricum, quod nunquàm nec per portionem inferiorem, nec per ſuperiorem communicavit cum centro terræ & mundi, quem non ſolùm corpore, ſed & ſpiritu deſpexit, hinc dignus effectus eſt, qui cordi, pectori animæ ſemper affixum haberet nobiliſſimum Planetam ſolis ſapientiæ increatæ, quæ ſummè delectabatur in eo morari, eumq; dotare tot favoribus & gratiis. Cœlum eccentricum cui ſpecialiter incubuit lucem portare doctrinæ Evangelicæ, eamque iis communicare, qui in tenebris hæreſum & peccatorum jacebant.

O cœlum perfectiſſimum! ô cœlum eccentricum! ô cœlum ſequeſtratum à terra & mundo, ô cœlum portans lucem cœleſtem! ô glorioſiſſime Antoni! cùm dignus fueris in corde tuo portare hunc nobiliſſimum planetã æternæ ſapientiæ, quin inſtar cœli eccentrici nunquam communicas: ſi cum centro mundi, illuſtra meum intellectum, ut dignè tuo devotiſſimo populo poſſit manifeſtare, quod per totalem contemptum mundi meruerit omninò repleri Deo ejuſque gratiis, de quo hodie diſcurram.

ASSUMPTUM.

Antonius tantis gratiis & favoribus cœleſtibus fuit dotatus, ut non ſolum Angelus, ſed & Deus per ſapientiam apparuerit, & hoc quia perfectè contempſit mundum.

Locus Scripturæ. Cap. 14.

III. DUm in S. Matthæo Salvator cum Petro, Jacobo & Joanne Jeroſolymam tenderet pro peccatis hominum morituru, converſus ad Apoſtolos dixit: *Ecce aſcendimus Ieroſolymam.* En ô diſcipuli mei, nos aſcendimus in Jeruſalem. Verùm N.N.me valde torquet illud *Aſcendimus*, quod oſtendit, Chriſtum jam perveniſſe ad radicem montis in quo erat ſita Jeruſalem, & quod jam inceperit ſcandere ejus clivum. Hoc non obſtante in Apocalypſi, lego Jeroſolymam deſcendiſſe inſtar ſponſæ obviam eunti ſuo ſponſo. *Vidi civitatẽ* Cap. 21. *ſanctam Ieruſalem, novam deſcendentem de cœlo à Deo paratam ſicut ſponſam, ornatam viro ſuo.* Cur Chriſtus aſcendit Jeroſolymam, ſi hæc ad nos deſcendat? Hic aſcenſus Chriſti mihi videtur ſuperfluus & inutilis, nam ſine laborioſo aſcenſu poterat pervenire Jeroſolymam. Quod ſi in ſenſu myſtico per urbem Jeruſalem ſignificetur paradiſus, viſio pacis, cornucopia divinorum favorum, cur Chriſtus hanc urbem aſcendit, ſi ipſa ad nos deſcendat? *Ecce aſcendimus &c. Vidi civitatem &c.*

Lib. 3. Mirè S.P. Ambroſius: *Aſcendamus ergò ſpiritu, quia caro aſcendere non poteſt, aſcendamus nos interim ad cœlum, ut ad nos poſtea illa deſcendat de cœlo!* O quàm bene *Aſcendamus nos interim ad cœlum, ut ad nos poſtea illa deſcendat de cœlo!* Non fuit inutile iter Chriſti, nec ejus aſcenſus in Jeroſolymam, viſionem pacis, fruitionem æternarum delitiarum, copiam divinarum gratiarum, imò ille aſcenſus fuit valde neceſſarius; nam Jeroſolyma nunquàm deſcendiſſet, niſi prius vidiſſet Chriſtum deſertâ terrâ & radice montis ad ſe aſcendere; volebat ſiquidem Chriſtus ſignificare, Deum tunc nobis favores cœleſtes conferre, quando nos videt à mundanis & terrenis affectibus alienatos. *Aſcendamus nos, &c.*

Talem ſe exhibuit Antonius ab ipſis incunabulis; nam deſiderans totaliter ſervire Deo & acquirere divinam ſapientiam, ſcienſque tanquàm prudens, hanc non dari iis, qui adhærent carni, ſenſibus & affectibus terrenis, contempto mundo factus eſt canonicus regularis; Verùm dum ſe videret turbari viſitatione ſæcularium, & cognoſceret eas ſibi eſſe obſtaculo ad acquirendam perfectam cognitionem Dei rerumque cæleſtium, ſeceſſit ad aliud monaſterium, in quo expeditius ſublevabatur ad contemplationem Dei, & perfectiùs deſerendo terreſtria, tantum profecit, ut civitas Jeruſalem, copia & ubertas divinorum favorum & gratiarum cœleſtium in eum deſcenderit, ſicut legimus in ejus vita. *Non multò poſt vir Dei ſapientia plenus effectus eſt.*

Meteorã. IV. Quærunt Domini Meteorologiſtæ, ex qua materia compoſiti ſint cometæ, qui quandoque cum tanta admiratione mundi in aëre à nobis videntur, tantâ luce circumfuſi, ut videantur quaſi lucidiſſimæ ſtellæ, cum & ideò ſæpius ſtellæ vocentur.

Theleſius in nobiliſſimo tractatu de cometis & via lactea, adhærentibus ei multis modernis, aſſerit cometas nil aliud eſſe, quàm quendam vaporem condenſatum & purificatum, ſublevatum è terra verſus cœlum, & hunc vaporem nolebat accendi ab igne ſupremæ ſphæræ, ſed eum illuminari à ſole, poſtquàm ſuperato concavo lunæ, & prætergreſſis ſeptem cœlis, quieſcit in octavo, puta firmamento, & cum ſit denſus

reflectit ſuum lumen in terram, ſicut & faciunt ſtellæ.

Omitto opiniones varias antiquorum circa hoc ſpecialiter ſententiam Democriti, & Anaxagoræ volentium, cometam eſſe ſeriem ordinatam ſtellarum errantium, vel eos nil aliud eſſe, quàm planetas, uti voluerunt Pythagorici vel ut alii volunt, eos habere materiam partim cœleſtem, partim ſublunarem. His inquam opinionibus omiſſis, adduco opinionem Peripateticorum valde illuſtrem.

Hi docent communiter cometam nil aliud eſſe, quam quandam exhalationem calidam & & ſiccam è terra ſublevatam ad ſupremam regionem aëris, & cum ad illam perveniens ſit proximè diſpoſitus ad concipiendum ignem, hic è ſua ſphæra cadens, ita eum inflammat & accendit, ut videatur pulcherrima & maxima ſtella, quæ ſuo ortu obſtupefacit totum orbem. Optima opinio.

Applicatio. V. Nunc ad Antonium. Vapor & exhalatio terræ, quoad conditionem humanã fuit hic glorioſiſſimus ſanctus. *Vapor ad modicum parens.* Vapor, qui ſi fuiſſet conjunctus terræ, ſemper fuiſſet tenebroſus & obſcurus, privatus luce, ſplendore, claritate, illâ inquam claritate, quam ſolã æſtimat cœlum, & quæ ſecum trahit favores divinos, & gratiam Spiritus ſancti.

Vapor à ſe & ab aliis quidem habitus pro viliſſimo, nihilo & luto, attamen tam luminoſus & reſplendens in Eccleſia Dei, ut inſtar clariſſimi cometæ illuſtrarit totam Italiam & totum univerſum, tanto cum ſplendore & ſtupore, ut videretur certare cum ipſo ſole. Hinc Eccleſia Franciſcana tota admirabunda, & quaſi extra ſe acta canit. *O ſydus Hiſpaniæ, nova lux Italiæ, ut ſol nites Paduæ ſignis claritatis.*

O glorioſiſſime Antoni, ô chariſſime cometa cœli, quam micans, fulgens, irradians factus es tam exiguo ſpatio temporis! non miror, nam quamvis fueris vapor terreus, tamen omnes qualitates terræ exuiſti & contemnendo terrena à terra te alienaſti, & velociſſimo volatu aſcendiſti in cœlum, & ad contemplationem cœleſtium tam perfectè, ut lux divinæ ſapientiæ, inveniens eum ita bene diſpoſitum & capacem ſuæ claritatis, deſcenderit ſuper eum, eumque replerit tanto ſplendore & claritate divinâ tam abundanter, ut eum fecerit comparere in hemiſpærio militantis Eccleſiæ inſtar pulcherrimi cometæ. Hinc S. P. Baſilius *Qui conculcant terrena, iiſque ſuperiores evaſerunt, digni prædicati ſunt dono Spiritus ſancti.* Optimè intelleriſti doctrinam Chriſti & Ambroſii, dicentis: *Aſcendamus nos &c.* Clariſſimè cometa, glorioſiſſime Antoni!

Scriptura. VI. In Geneſi à Deo hoc mandatum Abrahamo datum legimus. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrabo tibi, faciamque te in gentem magnam, & magnificabo nomen tuum.* Magnæ quidem ſunt hæ promiſſiones, ſed æque grandes & miræ conditiones, quas Deus ab Abrahamo poſtulat. Et cur amabo vult Dominus Abrahamum ſecedere ex propria domo, habitatione, aſylo ipſarummet aviũ, imò quod procul diſcedat à parentibus, quorum amor inſertus ab ipſa natura appetit eorum præſentiã, imò ut etiam deſerat patriam, cujus amor eſt tam ſuavis & grandis? Nonne Deus poterat exaltare & magnificare Abrahamum, eſto manſiſſet domi, ſicut magnificavit Davidem & alios? Imò quid habuit Abraham præ reliquis, ut tale præceptum ei daretur? Reſpondet S. P. Ambroſ. Levitas debuiſſe deſcendere ex ſtirpe Abrahæ. Deus itaque voluit omnes poſteros Abrahæ eſſe Levitas, uti legimus in lib. Numer. *Ego tuli Levitas à filiis Iſrael, eruntque Levitæ mei.* Cum itaque eſſent toti Dei, debebant eſſe alienati ab omnibus terrenis & mundanis affectibus, & ideo Deus Abrahæ patri Levitarum dedit tale præceptum, ut mediante tali ſequeſtratione fieret grandis, illuſtris, conſpicuus ſuper terram. Mirè Ambroſ. *Quia Levitæ fugitantes ſunt mundi, ut placeant Deo, relinquat parentes filios, omnemque cognationem, ut uni Deo adhæreant. Denique & Abrahæ dictum eſt. Exi de terra tua, & de cognatione tua faciamque te in gentem magnam.* Valdè divinè: ſicut juſſione divinâ Levitæ debebant eſſe totaliter abſtracti à mundo; ſic Abraham, dum debebat à Deo exaltari & magnificari, debuit deſerere domum & patriam, nam qui vult divinis favoribus & gratiis repleri, debet totaliter ſe privare omni affectu mundano.

Gen. 12.

Cap. 8.

Ambroſ. lib. de fug. ſæc. c. 2.

Idem conſilium S. Antonius ſpontè amplexus eſt, dum mundũ, parentes, opes, patriam, & commoditates corporis, quantumvis licitas deſeruit. Imò cum licentia Prælatorũ ex priori religione, quantumvis ſanctiſſima, perfectiſſimâ & omni veneratione digna exivit, & Franciſcũ

pauperem & mendicum secutus est; nec aliud spectavit, quàm quomodo effusione sanguinis & profusione propriæ vitæ posset reddi conspicuus in cœlo & in terra. Et quamvis Deo aliter disponente martyrium non subierit, tamen per ardentissimũ desiderium, quod apud Deum idem est ac ipsum opus, Martyr fuit, & ideò promissionibus Abrahæ factis à Deo, dotatus est. *Faciam te in gentem, &c.* Uti patet ex reverentia & devotione, quâ eum veneratur totus orbis, ob infinita ejus miracula.

Astronomia. VII. Domini Astronomi, vos docetis leonẽ esse signum sterile & infœcundum, quodque reddit steriles eos, qui sub tali signo nascuntur. Et quamvis aliquos fœcundet per favorẽ planetarum, tamen proles paucæ nascentur & quæ non diu vivent: Nam cum in primis gradibus sit consecratus Saturno, qui cum in his sit potens & etiam sterilis ob frigiditissimam naturã, hinc est malignus & fatalis, & ideò fit, quod partus cui prædominatur, sit sterilis & infœcundus. Et esto accipiat proles per favorem planetarum beneficorum, tamen illæ non diu vivent. Hinc Astrologi. *Leo steriles reddit natos, quia primi sex gradus Saturno sunt dicati.*

Addunt tamen eum, qui nascitur sub dicto signo, futurum valde grandem & fortunatum, & acceptum magnis Principibus, Regibus & Monarchis. Similiter eum animum habiturũ regium & generosum, maximè si in eo reperiatur Jupiter benefícus & gratiosus, quia tunc *Fortunatum efficit natum & reipublicæ præsidem.*

Portò ratio hæc est; Cum enim leo sit domus solis, qui præsidet Regibus, Dominis & Monarchis, & Jupiter etiam faveat Magnatibus, & leo sit signum regium & nobile, hinc si feliciter à sole & Jove irradietur, regios spiritus in nato excitat & regiam dignitatem.

Applicatio. VIII. Nunc ad Antonium: Nullũ est dubiũ, quin per leonẽ sterilem & infœcundum significetur contemptio mundi, & despectus rerum terrenarum vilium & transitoriarũ. Dicit itaq; Astrologus mundanus, is qui nascitur sub hoc signo, erit quidem sterilis & infœcundus, sed tamen grandis, clarus & illustris, gubernabit imperia, moderabitur sceptra, insulas conformiter ad statum & conditionem suam. Hinc nos etiam transeundo à corpore ad spiritum, à terra ad cœlum dicamus sine ullo periculo erroris, vel falsitatis, eum qui in sua nativitate spirituali habuerit hoc signum contemptus mundi, in spiritualibus & cœlestibus, clarum, nobilem & reipublicæ præsidem futurum.

Hujus rei pulcherrimũ habemus testimoniũ in sacro Evangelio: nam Apostoli quadã vice Salvatori dixerunt: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergò erit nobis?* Nos Domine in nativitate nostra spirituali habuimus in ascendente constellationẽ leonis sterilis & infœcundi, quia mundum sprevimus cum omnibus suis & ejus effectibus etiam nos exuimus. *Ecce nos reliquimus omnia.* Agedum, tu qui es versatissimus in spiritualibus, quid nobis prædicis. *Quid ergò erit nobis?* & statim subjunxit petitissimus Astrologus. *Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Quantum colligere possum ex mea spirituali Astrologia, promitto & vobis juro, quod magni sitis futuri in regno cœlorum, consecuturi maximos honores & dignitates, quæ ibi possunt conferri. *Sedebitis supra, &c.* Et hoc, quia *reliquistis omnia*, quia habuistis in ascendente hanc constellationem leonis contemptus mundi. *Matt. 19.*

O fortunatissime Antoni, quam propitiam configurationẽ stellarũ habuisti in tua nativitate spirituali? Quam bella & fortunata fuit tua constellatio? In ascendente habuisti signũ leonis sterile & infœcundum, quia reliquisti opes, parentes, patriam & omnia illa, quæ tibi vel à parentibus, vel à tuis bonis qualitatibus obvenire poterant, & intrasti religionem Francisci pauperẽ & mendicam. *Spretis mundi & carnis illecebris ad religionem confugisti.*

Hic reperiebatur sol æternæ sapientiæ, ob cujus amorem renuntiasti mundo, omnibus ejus bonis promissis, adeptis vel adipiscendis. Hic reperiebatur Jupiter propitius tuæ benignitatis, clementiæ, mansuetudinis, affabilitatis indicibilis, quâ etiam tractâsti cum hominibus ferocissimis, barbaris, & in peccato obstinatis. Cur ergò non dicamus, quod debueris esse magnus in Ecclesia Dei tam triumphante, quàm militante? Quod si Abraham sublimatus & magnificatus est præ omnibus Patriarchis antiquis, quia in ascendente habuit hoc signum, leonis contemptus & desertionis propriæ domus, patriæ & parentum. *Egredere de terra &c.* Curidem non divinemus de te, cum re ipsâ viderimus te à magnis in hac vita fuisse habitum in honore & veneratione, ut

etiam

etiam inter alios ostendit Tyrannus Ezellinus. Video etiam te in militante Ecclesia adorari, ut doctorem, & in triumphante cum Apostolis: *Reipublicæ præsidem sedentem super sedem judicantem duodecim tribus Israel.* Deceus est quippe, cum à Deo, & mundo honorati, qui totaliter se à mundo alienavit.

Sed quomodo me possim coarctare tam arctis confinibus, si tuam sequestrationem à mundo videam esse tam perfectam, ut supergrediendo terram, cælum, & quidquid subjicitur nostris sensibus exterioribus, te adeò evehat ut faciat comparere Angelum cœli.

Scriptura. IX. Volens Salvator apud divum Matthæum, & Lucam discipulis suis præscribere normam in itinere observandam, ajebat: *Nolite portare sacculum, neq; peram, neq; calceamenta, neq; duas tunicas habeatis; nolite possidere aurum; neque argentum neq; pecuniam in zonis vestris.* O Domine, quid agis? Discipuli tui profecturi erant ad nationes extraneas, regiones remotas, & horridas, ad populum summè infensum tuo nomini, & maximè abhorrentem ab hoc tuo modo vivendi, & tu nihilominus omnium provisionem eis adimis? Mundani credent, quòd hoc sit tentare Deum. Fateor tamen hoc adeo severum præceptum non carere speciali mysterio. Sed quid prætendis per jussionem tam rigidam, quæ etiam nulla necessaria Apostolis permittit?

Hom. 33. in Matth. Divinè Os aureum. *Ipsos ad universi magisterium missurus, ad Angelicam ut ita dixerim disciplinam ex humana vita traduxit.* O quam bene *ad Angelicam, &c.* Desiderabat Salvator, ut discipuli sui velut Angeli cœlestes in mundo comparerent; Et quia Angeli sunt sequestrati à rebus terrenis, necesse fuit Apostolos, omni provisione carentes itinerari per mundum, nec ob hoc eos debere dejici, nam qui deserit, & relinquit terrena, ab esse humano transit ad Angelicum, & fit Angelus paradisi; *ad Angelicam, &c.* Quasi voluisset dicere Christus cum Chrisostomo: æstiment illi res transitorias, & terrenas, qui humanam conditionem earum tanti faciunt, nec curant eas perficere: verum illi, qui ulterius ascendendo volunt fieri Angeli, illi non debent similibus vilibus rebus inhærere, sed eas spernere, vilipendere, conculcare, abominari, deserere, sic ex hominibus migrabunt in Angelos. *Ad Angelicam, &c.*

Quod si ergo sancti Apostoli fuerunt habiti pro Angelis, quia velut Angeli toti spirituales sequestrarant se à rebus mundi, quomodo etiã S. Antonius non sit Angelus, qui tam parvi ducens opes mundi, quantumvis pretiosissimas, & summè necessarias vitæ sustentandæ, raptus ad cælum fuit, ac si esset corporis ergastulo solutus, & transformatus est in unum ex supremis Angelis? sed quomodo quæso gloriosissime Antoni potuisti comparere Angelus Cœli?

Theologia. X. Patres Theologi, nobilissima est prout scitis controversia inter duos sanctissimos Doctores, & doctissimos sanctos Angelicum, & Seraphicum, an Angeli sint compositi ex materia, & forma Physica, an vero omnem compositionem physicam excludant.

1. part. q. 50. art. 2. Angelicus cum omnibus suis semper tutatus est partem negativam, admittens eos solum esse compositos ex actu, & potentia, esse & existentia, genere & differentia; nam alias sequeretur, eos esse corruptibiles & generabiles, quod non debet dici.

in 2. sent. dist. 3. q. 2 His non obstantibus, meus seraphicus Bonaventura opinatur, Angelos verè componi ex materia physica, nec inde sequi quod sint generabiles, & corruptibiles, sicut nos, quia eorum materia est magis purificata, imo totaliter libera ab omni imperfectione, & singulariter illis, quæ reperiuntur in materiis sublunaribus, & cœlestibus.

Pro quo scire debitis inquit Seraphicus (sed attenti (NN.) materiam ex qua componuntur omnia visibilia, & invisibilia esse materiam physicam & secundum essentiam suam generalissimam, & ejusdem omninò naturæ; Eam autem diversificari per diversas inclinationes specificas, quas Deus dedit in divisione creaturarum, quia tunc materiæ, ex qua componuntur sublunaria, dedit certas proprietates grossas, & impuras; materiæ vero ex qua conflati sint cœli, dedit proprietates perfectiores, & nobiliores, tandem autem materiæ angelicæ donavit prærogativas perfectissimas, purissimas, & nobilissimas. Ex quo sequitur inquit Seraphicus, Angelos non solum non esse generabiles, & corruptibiles, sed & ipsam materiam, ex qua componitur, v.g. homo si spoliaretur suis conditionibus, quæ ipsi conveniunt velut materiæ sublunari, & retineret illas tantum quæ conveniũt materiæ secundum se, eam inquam sic purificatam, & spoliatam primævis qualitatibus capacẽ

fore formæ Angelicæ, ita ut homo hoc ſenſu poſsit dici fieri Angelus: optima opinio Seraphici.

Applicatio. XI. Nunc ad applicationem. Nullum eſt dubium, quin anima noſtra poſsit vocari materia. Sic eam vocat Cardinalis Cuſanus. *Anima non immeritò nomen materiæ ſortitur.* Hæc porro materia ſecundùm ſe conſiderata eſt indifferens ad res terrenas, vel cœleſtes; cum enim ſit prædita libero arbitrio, poteſt amplecti quod talis fiat, quales ſunt res, quas appetit, unde ſi appetat terrena, fit materia terreſtris & ſublunaris, quia dicebat eminentiſsimus cum Angelico, *Anima terrenis dedita, ſit terrena.*

Quod ſi ergo contingat animam per contemptum mundi deponere affectus mundanos, ô mi Deus adeò purificatur, & perficitur, ut ex terrena fiat cœleſtis, ex carnali ſpiritualis, ex humanâ Angelica, & reddatur capax Angelicæ formæ, ſic ut homo compareat eſſe Angelus paradiſi. Et ideo juxta Chryſoſtomum magnus Baptiſta à Salvatore fuit vocatus Angelus *ecce ego mitto Angelum meum*, quia in nihilo habuit terrena, ſed purificando materiam primam animæ cum abſtractione affectuum à terrenis eam reddidit capacem Angelicæ formæ. *Neque enim vel lecto indiguit ille, vel tecto, non menſam, vel alia hujuſmodi requiſivit, ſed Angelicâ quadam vitâ mortali in carne reſplenduit.* hom. 16. in c. 3. Matt.

O Sanctiſsime Antoni, ô purgatiſsime Spiritus Seraphice, cur non dicam, quod hos etiam terminos attigeris. Revera credo te Angelum, ut talem te cognoſco, ut talem te confiteor, ut talem te mundo prædico, & ſingulatiter tuæ chariſsimæ urbi Paduanæ; nam ſi æqualiter cum ipſis Apoſtolis deſtinatus fis à Deo, ut portares lucem, & facem evangelicam per totum orbem; ut expeditius, & promptius id poſſes facere, *Ad Angelicam diſciplinam, &c.*

Quod ſi Angelus ex ſuâ naturâ ſpatio temporis imperceptibili poſſit de uno loco ad alium tranſire quantumvis diſtantem, tu etiam cum ſæpius liberando innocenti Patri te contuleris Padua Ulyſſiponam, & è pulpito ad chorum, ut officium cantoris perageres, cur non dicemus quod fueris Angelus Paradiſi.

Sed non miror, quod Deus ad tantam dignitatem te evexerit, cum tu materiam animæ tuæ mediante perfectiſsimo contemptu mundano tam perfectè purgaveris ab effectibus, & conditionibus terrenis, ita ut ſolius Angelicæ formæ fueris tam capax. Hinc ſine dubio de te poteſt dici, quod dictum eſt de Baptiſta. *Nihil carnis in te erat, niſi viſio ſola, ſed Angelicâ quadam vitâ mortali in carne reſplenduiſti.*

O ſanctiſsime Antoni, ô purgatiſsime ſpiritus Seraphice, ô puriſsime Angele cœli, quis non celebraret tuas laudes? quis non miretur tuas eminentias? ſi non hominis ordinarii manifeſtare conditiones hominis ſancti, neque erit hominis celebrare prærogativas An geli qualis tu fuiſti in religione ſeraphica. Hinc meritò deberem ſilere, ne injurius ſim excellentiæ, quam præ manibus habeo. Sed ô Angele Paradiſi, tantum eſt debitum meæ devotionis, & reverentis affectus erga te, ut non poſſim terminare meum ineptum, & inſufficientem diſcurſum, niſi addam, quod ſuperatâ conditione Angelicâ tam perfectè mundaveris animam tuam à terrenis affectibus, ut ſis ſimilis factus ipſi Deo.

Scriptura cap. 32. XII. Nec permittit me mentiri Spiritus S. Legimus in Geneſi, quod Patriarcha Jacob volens placare iram ſui fratris Eſau, ſecum ſumpſerit nonnulla munuſcula & donaria; & ſecum aſſumens uxores, ancillas, & proles, ut appulit ad vadũ Jordani trajecit omnia, quæ ſecum habuit, & dum ſolus remaneret aggreſſus eſt eum quidam cum quo totâ nocte pugnavit. *Traductis omnibus, quæ ad ſe pertinebant remanſit ſolus, & ecce vir luctabatur cum eo uſque mane* Hic vir, ut advertunt nonnulli expoſitores, & ſigillatim Sanctus Pater Ambroſius fuit ipſe Deus in ſpecie humana. Hic ſummoperè ſcire vellem, quomodo Jacob tam temeratius fuerit, ut auderet ſe opponere Deo & ei quaſi ſe comparare. Potius eum proſtratus, tanquam Dominum ſuum debebat adorare, & non adeò ſe familiarem illi reddere. Unde ergo hi ſpiritus Jacobo, ut audeat certare cum Deo, ſeque illi æquare, & pectus pectori, caput capiti, uti ſolent duellatores ſiſtere. Valde bene S. P. Ambr.

Poſtquam Iacob præmiſit omnia ſua ſolus remanſit, & luctatus cum Deo, quicunque enim ſæcularia negligit, adimaginem, ſimilitudinemque Dei propius accedit. O quam Divine! S. Patriarcha Jacob abſtraxerat ſe ab omnibus rebus temporalibus, ſolus ibi manſerat, & hinc non eſt mirum, quod redderetur dignus, qui cum Deo pugnaret, qui Deo æquaretur, & ſimilis fieret; Lib. 3. de Iacob, c. 6.

nam

ram nil facilius hominem transfert à conditione humanâ ad Angelicam & divinam, quam perfectus & totalis contemptus mundanorum. *Quicunque enim, &c.*

Quod si ergo juxta exemplum Jacob mundum tam perfectè deſpexeris, cur non dicam, te etiam pugnaſſe cum Deo, imò & ſimilem fuiſſe ipſi Deo. Verum ſi inter finitum & infinitum nulla poſſit eſſe proportio, multò minus inter ipſum infinitum & nihilum talis intercedere poterit; atqui tu glorioſiſſime Antoni reſpectu Dei fuiſti nihil, quomodo poterit ergo dici, quod fueris ſimilis Deo & factus alter Deus. Theologia rem declaret.

Theologia.

XIII. Scire percuperem Patres Theologi, an in Deo ſit ſcientia rerum, & an Deus tam perfectè cognoſcat ſe ipſum, quàm perfectè cognoſcit omnes creaturas? Et reſpondetis communiter in Deo non ſolùm reperiri ſcientiam, ſed & ſcientiam perfectiſſimam, prout etiam eſt de fide, & docuerunt antiqui Philoſophi ſolo lumine naturali inſtructi. Sed ego ſcire vellem, quænam ſit radix ſcientiæ tam perfectæ.

1.p.q.14. art. 2.

Præceptor Angelicus reſpondet naturam intellectivam in tantum differre à naturâ non intellectivâ, in quantum natura non intellectiva non eſt capax alterius formæ niſi propriæ; natura autem intellectiva poteſt recipere formas rerum non intellectivarum, puta ſpecierum, imaginum ſimilitudinum ſenſibilium, & intelligibilium, quia *ſpecies cognitæ ſunt in cognoſcente.* Ex quo ſequitur quod res eatenus eſt magis cognoſcitiva, quatenus eſt capax pluriũ ſpecierum, quod ſi non poſſit habere niſi propriam, non poteſt dici apta ad cognoſcendum.

Quod ſi interroges ſanctum Doctorem, unde proveniat quod una natura poſſit plures formas in ſe recipere, reſponderet id provenire, quia eſt totaliter à materialitate ſeparata, unde res quæ eſt immerſa materialitati, non poteſt recipere aliam formam, quam propriam; hinc philoſophus *Planetæ non cognoſcunt propter ſuam materialitatem.* Et quo res eſt purior a materialitate, eò eſt magis intellectiva. Ideo rurſus Philoſophus. *Senſus cognoſcitivus eſt, quia eſt receptivus ſpecierum ſine materia, & intellectus adhuc magis cognoſcitivus Quia magis ſeparatus eſt à materia.* Hinc concludit Angelicus, *immaterialitas eſt ratio cognoſcendi.* Hoc poſito argumentatur Thomas; Deus eſt ſummè immaterialis, expers cujuſcunque materiæ, etiam metaphyſicæ, cum ſit actus puriſſimus, & ſimpliciſſimus, ergo non ſolum omnia cognoſcit, ſed etiam perfectiſſimè. Optima ratio.

Lib.7. de Anima.

XIV. Nunc ad Antonium. Pulcherrima, & nobiliſſima forma intellectiva fuit anima hujus doctiſſimi ſancti, & ſanctiſſimi Doctoris, capaciſſima cujuſcunque cognitionis, idque tam perfectè, ut videretur eſſe ipſamet ſapientia. Hinc meus S. P. Bonaventura pleno ore dicit de eo, quod fuerit *Dono ſapientiæ plenus*: Et hoc conciones, diſputationes contra hæreticos, teſtimonia minus Doctorum, & ſtupor doctiorum demonſtrarunt, ita ut claritas ejus intellectus poſſit certo modo æquari intellectui divino. Hinc Seraphicus *Lumen quod es ſimilas hunc tibi, qui lumine fruitur quo vivit.*

Applicatio.

Quanta fuit perſpicacitas Antonii, qui tam faciliter, tamque citò reconditiſſima terræ, & cæli penetravit? Quæ ſubtilitas viſus intellectualis in penetrandis profundiſſimis objectis omnium potentiarũ? Quæ facilitas in difficillimis, & obſcuriſſimis capiendis? ſcio meum Seraphicum Bonaventuram admirantem hanc profundiſſimam ſapientiam, eam comparaſſe ſapientiæ Angelicæ; ſed ego non ero præſumptuoſus, ſi non acquieſcam ſed reverenter eam præferam Angelis, & comparem eam ſapientiæ divinæ, imò ulterius dicam, quod quodam modo velut Deus dotatus fuerit ſummâ cognitione, & fuerit ſummè cognoſcitivus.

Sed unde tibi ô ſapientiſsime Pater tanta ſapientia æmulatrix divinæ? niſi hæc magna lux me obnubiler, pluſquam clarè video eam à nullo alio ortum duxiſſe, quàm à tuâ ſummâ immaterialitate, & perfectiſsimâ tuâ abſtractione à rebus materialibus, & viſibilibus, quas contempſiſti, vilipendiſti, cõculcaſti tam perfectè, ut potueris dici totaliter immaterialis. Quod ſi immaterialitas ſit ratio cognoſcendi, & Deus ſit ſummè cognoſcens, quia ſummè immaterialis, exigebat ipſa paritas, ut Deus te ſuâ ſapientiâ, imò ſeipſo repleret, cum tu perfectè jam evacuaveris omnem conditionem materialem, & terrenam, & ideo ſicut ille te fecit tibi ſimillimum in immaterialitate, & contemptu mundi, ſic & te ſibi reddidit parem in cognitione, & ſapientia, *Dono ſapientiæ plenus. Lumẽ quod es, &c.*

O ſapientiſsime Antoni, ô ſtupor mundi, ô prodigium cœli, Epilogus Paradiſi, Idea increatæ ſapientiæ, quomodo

ego

ego minimus pigmæus posſim metiri vastiſſimam molem tuarum eminentiſſimarum excellentiarum? veritatem dico, quoties cogito de tua eminentia, deficiunt mihi verba, lingua ingraveſcit, vox rauceſcit, conceptus confunduntur, intellectus obnubilatur, facundia mea minuitur, flumen verborum exſiccatur, Oceanus meorum conceptuum exhauritur, nec aliud dicere posſum quam quod nimis temerarius fuerim aggrediendo rem longè ſupetiorem meis viribus.

Verum nemo miretur, nam tua eminentia adeò excedit limites linguæ, & intellectus creati, ut non posſit dignè laudari, nec ſufficienter cognoſci, niſi ab illo, qui ſupergrediendo omnem eloquentiam, & capacitatem humanam, ac Angelicam, omnia incomprehenſibiliter comprehendit, in intelligibiliter cognoſcit, ineffabiliter manifeſtat. Hinc ego concluſus inter anguſtias meæ parvitatis, in immenſitate meæ inſipientiæ, ſterilitate meæ eloquentiæ, aliud dicere nequeo, quam duobus verbis aſſerendo, quod Deus te omnibus perfectionibus repleverit, quia terrenis omninò vacuus fuiſti.

Epilogus. XV. Nam eſto dicam, quod fueris quoddam cælum, & quidem perfectiſsimum cœlum ſimpliciter eccentricũ, quod quia nunquam communicavit cum centro terræ & mundi, ideo meruerit in pectore corde & animâ portare nobiliſsimum planetam ſolis tui amantiſsimi Jeſu, à quo repletus omnibus favoribus cœleſtibus, tamen adhuc credo me nimium gloriam tuam obfuſcaſſe, & encomium tuarum excellentiarum contaminaſſe.

Quod ſi velut alter Icarus confiſus alis meæ devotionis, tam alte volavero, & dixero tunc urbem Jeruſalem cum copia divinarum gratiarum deſcendiſſe, & ſuper te lapſam fuiſſe, quando vidit, quod abſtractus à mundo, & verſus cœlum tendens inſtar ſubtiliſsimi corporis à terra ſublevati, & ad ſphæram ignis appulſi, ab illo inflammatus comparueris cometa clariſsimus Italiæ, & mundi totius, formido ne ab exceſsivo tuo calore alis meis accenſis experiar cum Icaro miſerum lapſum, & ſolvam meam magnam temeritatem.

Si ulterius ſtimulatus à meo devoto affectu dederim me vaſtiſsimo campo cœli, & formare voluerio tuam figuram, & videro maximo cum gaudio, quod habueris in tua nativitate ſpeciali valde propitium ſignum Leonis ſotũ à benignis planetis Solis & Jovis, & quod ſterilitas Leonis fœcundata à favore Jovis & Solis, prædixerit culmen tuorum cœleſtium honorum, qui inſtar Abrahami tuum nomen debebant magnificare ſuper terram, pluſquam certus ſum, quod velut imperitus nec primum gradum tuarum eminentiarum ſciverim prognoſticare.

Quod ſi adhuc ulterius calcaria meæ debitæ obſervantiæ pungant acrius latus meum, & omnia viſibilia traſcendero, videroque oculis non hominis, ſed Cherubini, quod à teneris annis imitando Apoſtolos ſpoliaveris primam materiam animæ tuæ conditionibus terrenis, eamque ita mundaris, ut inſtar animarum Apoſtolorum non fuerit capax niſi formæ Angelicæ, & quod in cælo religionis ſeraphicæ comparueris velut Angelus paradiſi, an forſan me acum attigiſſe, & numerum tuarum laudum me tetigiſſe credam?

Ah non poſſum quieſcere, niſi dedero me in exceſſum non temerarium, ſed devotum, non nimis præſumptuoſum, ſed pium, non arrogantem, ſed reverentem, & exclamem, ac dicam eminentiam tui contemptus mundanorum, cum non cognoſcat terminum in creatis, te in tantum omnibus creaturis prætuliſſe, ut effecerit te velut alterum Jacobum duellantem cum Deo, eique æqualem, tequeæque Deificatum transformaſſe in ipſum Deum, eique perfectiſſimè te aſſimilaſſe. Et videns quod eouſque pertigeris contentor: non quod meus devotus affectus credat ſe attigiſſe terminos tuorum meritorum, nam hæc creſcendo plus ultra diſtenduntur, ſed quia velut imperitus nauclerus amiſsâ ſtellâ Dianâ meæ navigationis, neſcio quo ultra dirigam proram meæ navis. Hinc omni ſpe humanâ deſtitutus, & deſertus à clavo, gubernaculo, velis, malis, proſtratus ad tuos pedes veniam rogo, quod opus tam arduum, & humeris meis impar aggreſſus ſim, rogans te glorioſiſſime Antoni, quod dum gloriaris te eſſe inventorem rerum amiſſarum, gratiam præſtes, ut in alia occaſione viam invenire poſſim, quæ me ducat ad terminum tuarum laudum, ut poſſim ſatisfacere debito meæ devotionis, & obligationi te dignè laudandi.

Amen.

ELO-

ELOGIUM XVIII.

Pro Feſto Sancti Joannis Baptiſtæ.

Tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis, præibis ante Dominum parare vias ejus. Lucæ 1.

Pontanus in propoſ. 37. centit. Ptolom.

1. QUod à felici conſtitutione horoſcopi, & puncto aſcendentis Aſtrologus prædicat felices ſucceſſus partus per totam periodum ſuæ vitæ, doctiores illius profeſſionis docent. *Omnem ſecum explicationis ſeriem, motus ille natalis trahit :* dixit Pontanus. Cum enim corpora inferiora, & ſublunaria dependeant ab influentiis corporum cæleſtium, & præcipuè ſtellarum fixarum, & errantium, quæ ſunt operativæ in cœlo moderatorum, & rectorum hujus noſtri mundi, ſequitur talem fore diſpoſitionem corporis, qualis fuerit conſtitutio cœli, & ſpecialiter aſcendentis. Et quia homines crebriùs ſequuntur appetitus, & inclinationes partis inferioris. Hinc fit quod indirectè, & per accidens influat in portionem ſuperiorem. *Sciendum eſt,* inquit Sanctus Thomas, *quod indirectè, & per accidens impreſſiones corporum cæleſtium ad intellectum, & voluntatem pertinere poſſunt, in quantum ſcilicet tam Intellectus, quam voluntas aliquo modo ab inferioribus vires accipiunt, quæ organis corporeis alligantur.* Hoc tamen non obſtante veriſſimum eſt, ac de fide, quod actibus liberis nullam inferant neceſſitatem ; *quia ſapiens dominabitur aſtris.*

1 p. q. 115. art. 4.

Hinc Ptolomæus dixit eum, qui dum naſcitur, habet feliciter collocatam in aſcendente conſtellationem Virginis, habiturum progreſſum in ſuis valde felicem, & fortunatum, obtenturum munera, ac officia adeo excellentia, ut fotus, & adjutus à conſtellatione Virginis, ſtellâ nobiliſſimâ, feliciſſimâ, ac regiâ, è vili proſapia deventurus ſit ad ſolium regale, moderaturus ſit ſceptrum, portaturus coronam, & verbo, æquandus ſit ſummis monarchis. *Qui Virginem Horoſcopum habent* inquit Ptolomæus, *ii poteſtatis ſuæ cauſa erunt.*

Quod ſi hujuſce rei cauſam ſcire velis ; quouſque ſcientia hujus artis pertingit, id inde provenit, inquit Aſtrologus, tum quod hæc conſtellatio ſit ſignum humanum, ac beneficum, tum quod cum ſit in aſcendente, habeat ſibi propitiam conſtellationem Geminorum, etiam ex ſe valde propitiam in cardine ejus medio ſupremi cœli, & Mercurium dominatorem utriuſque. Hinc cum hic ſit feliciter collocatus, & fotus ab aſpectibus planetarum beneficorum, nec offenſus à maleficis, & ditis, non poteſt aliter fieri, quin maximè faveat nato, eumque reddat felicem, fortunatum, honoratum, conſpicuum, ac eximium, dignum ſolio, ſceptro, ac coronâ, patrem Regibus, & Monarchis. *Nato illi,* inquit Aſtronomus *honores, dignitates, & Magiſtratus confert, & felices actiones promittit,* & eo majores, ſi in cuſpide ſpica Virginis reperiatur, quæ ſemper *maximas, & ſummas felicitates protendit.* Applicatio.

Prodit in lucem hoc ſolemniſſimo, & celeberrimo in Eccleſia Dei die glorioſiſſimus filius Joannes Baptiſta. Naſcitur, & ſtatim ad ejus ortum videtur in aſcendente feliciſſima & fortunatiſſima conſtellatio Virginis Dominæ noſtræ,

ſtræ, & Matris filii Dei, quæ in Nativitate Joannis aderat, prout communiter docent Sancti Patres. Conſtellatio adeo felix & propitia, ita ut pro bono filii nati non potuerint ex parte illius exſpectari niſi eminentiæ, honores, dignitates incomparabiles, excedentes conditionem naturalem pueri. Hinc in illius nativitate cœlum & terra viſa ſunt agere feſtum ſolemniſſimum, & gaudia inſtituere feſtiva; prout Angelus ejus parenti decrepito prædixit. *Et in nativitate ejus multi gaudebunt.* Quinimo illi, qui præſentes aderant, moti à nullo alio, niſi à cœlo, ſummo ſtupore quaſi præſcii futurorum replicatis vocibus intonarunt. *Quis putas puer iſte erit?* Videbantur inſinuare ex nativitate, Joannem illuſtrem, grandem, conſpicuum reddendum ſupra modum fuiſſe. *Quis putas, puer iſte erit?*

Sed unde amabo, ô Sancte Joannes, poterant concludi tot felicitates, & eminentiæ ex tua Nativitate, mox ut prodiiſti ex utero Sanctæ Elizabethæ tuæ Matris? Non ſine magna ratione mihi reſpondebitur. Annon fortan vides, qualiter cœlum ſit meæ Nativitati propitium? Non vides, quod habeam in aſcendente feliciſſimam conſtellationem Virginis Matris Dei opibus ditatæ, abundantis honoribus, largitricis ſceptrorum, ac imperiorum: *Per me Reges regnant, per me Principes imperant?* Nonne vides, quod in medio hujus cœli ſuperni, in utero Mariæ ſit feliciſſima conſtellatio Geminorum, ob duplicem naturam Verbi incarnati? Conſtellatio hæc ideo comparuit, ut faveret meæ nativitati, ac ortui; Annon cernis, quomodo Mercurius cœleſtis legatus Dei, nuntius totius cœleſtis conſiſtorii, Archangelus Gabriel tam feliciter compareat, ut ſolvat linguam parentis mei muti: *Apertum eſt os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum?* Quomodo ergo me nato non obſtupeat tota Judæa? Quomodo non prædicantur mei feliciſſimi ſucceſſus, grandiſſimi honores, incomparabiles dignitates, eminentiſſimæ meæ excellentiæ, quibus eo uſque proceſſi, ac ſi vellem æquari ipſi filio Dei, ita etiam, ut ſenex meus parens, edoctus à Spiritu Sancto prædixerit, has meas excellentias æmulatrices excellentiarum Filii Dei. *Tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Imò adeo me evexerunt meæ excellentiæ, ut multi putarunt me eſſe Meſſiam in lege promiſſum. *Die nobis, ſi tu es Chriſtus.* O glorioſiſſimè puer, quia in tua Nativitate ſolviſti linguas mutorum, ſolve, & fac diſertam linguam meam, ut dignè deprædicare poſſim hoc ſolemniſſimo die tua elogia, quibus adeo grandis, ac eminens fuiſti, ut ſimilis Filio Dei eſſe videreris.

Prov. 8.

ASSUMPTUM.

Joannes adeo magnus orbi comparuit, ut potuerit æſtimari idea Verbi, ac ſimilis Chriſto.

III. ARchangelus Gabriel declarans Zachariæ gaudium immenſum, quo nativitas Joannis, quem Deus illi donare decreverat, quamvis ipſe, & ejus uxor eſſet ſenex, ſterilis, totum orbem affecturus erat, dixit: *Multi in nativitate ejus gaudebunt*, & aſſignans hujuſce rei cauſam ait: *Erit enim magnus coram Domino.* Vere Baptiſta ſingulariſſimam habuit gratiam, quod fuerit magnus, ac grandis coram Domino. Sed duo in hoc paſſu me rapiunt in admirationem. Primum, quod Joannes dicatur grandis, dum ab Angelo promittebatur, ſecundum quod etiam dicatur magnus coram Domino; Si Joannes vix natus fuerit puerulus, qui prius inceperat eſſe; quomodo potuit eſſe magnus? Moles augetur cum ætate, ac annis, ideo vix natus, non poteſt habere molem, quæ acquiritur annis, conſequenter ab Angelo non potuit vocari grandis. Aliud, quod me magis torquet, eſt illud *coram Domino*, ac ſi dicere voluiſſet Gabriel; hic infans eatenus erit magnus, quatenus erit coram Domino, adeo ut ab hac præſentia, illa moles quæ cum reddere debebat ſpectabilem mundo, dependere debuerit. Sed quomodo præſentia Dei poterat reddere magnum Joannem, ut Angelus dicat. *Erit enim magnus coram Domino?* Reſpectu præſentiæ divinæ debebat vocari valde parvus, imò purum nihil; nam ante Deum omnia ſunt, ac ſi nihil eſſent. Quomodo ergo dicitur de Joanne: Magnus coram Domino?

Scriptura. *Lucæ 1.*

Divi-

Serm. 63. qui eſt de hodierna feſtivitate.

Divine S.P. Ambroſius; *Minus autem mirari debemus quod tantam Ioannes Gratiam in naſcendo meruerit, debuit enim præcurſor, & prævius Chriſti habere aliquid ſimile nativitati Domini Salvatoris.*

O quam benè! Nullus miretur, quod Joannes quamvis infantulus, & recens natus, adeo magnus compareat, & quod ideo tam magnus ſit, quia eſt præſens Salvatori, quia Baptiſta recenter genitus, imò antequam naſceretur, & adhuc clauderetur in ergaſtulo Eliſabethæ naturaliter ſterili, erat electus prodromus, & præ-
Luc. 1. curſor Chriſti. Et ſicut Chriſtus natus, imo antequam naſceretur fuit magnus: *quod enim ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei,* ſic ejus Præcurſor etiam debebat eſſe magnus, ut ejus nativitas eſſet ſimilis nativitati Salvatoris. *Debuit enim Præcurſor & prævius Chriſti habere aliquid ſimile nativitati Salvatoris Domini.*

Sed ut melius & clarius mentem percipiamus Angeli, fas mihi ſit eruditionem adducere
Optica. ex Optica.

IV. Profeſſores opticæ, vos habetis in veſtra ſchola quandam propoſitionem, quam quotidiana experientia confirmat. Vos dicitis corpus opacum, quo eſt grandius, eo etiam grandiorem ſecum ducere umbram, & ratio hujus revera illuſtris eſt.

Vos dicitis umbram nihil aliud eſſe, quàm privationem diffuſionis luminis. Hinc quo plures radii intercipiuntur, & prohibentur à corpore opaco, eo etiam majorem progignat umbram, quia cum umbra & lumen opponatur, ſimul habitus & privatio, ſequitur quod totum contrarium, quod lumini accidit, accidat umbræ: atqui certum eſt, quod lumen eò eſt majus, quò plures radios continet, & corpus oppoſitum lumini eo eſt clarius, ac luminoſius, quò plures radios recipit, ergo & à contrario umbra erit major, quo habuerit plures radios umbroſos: atqui umbra habet tot radios umbroſos, quot prohibet lumen corporis opaci, quod interjacet inter lumen & umbram, ergo ſicut prohibitio unius radii luminis producit unum tantum radium umbræ, ſic plures prohibitiones luminis, cauſabunt majorem umbram; quodſi ergo corpus opacum quo eſt majus, eo plures radios prohibet, ne tranſeant, & diffundantur, ſequitur corpus opacum quo eſt majus, eo etiam majorem formare umbram, eſto hæc aliàs ſit privatio, & nihil. En ergo propoſitionem probatam.

V. Nunc ad Baptiſtam: *Erit enim magnus.* Jure meritiſſimo Sanctus Joannes poteſt vocari umbra Chriſti: Nam ſicut umbra oriente ſole præcedit corpus opacum, à quo producitur, ſic Baptiſta ad ortum Divinæ lucis in mundo præcedit corpus Chriſti, Salvatoris, & hinc vocatur Præcurſor Chriſti. *Præcurſor Domini venit; ipſe enim præibit ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ, parare Domino plebem perfectam.* Chriſtus benedictus, quamvis quoad Divinitatem totus fuerit illuminoſus, & totus lux. *Ego ſum lux mundi:* Nihiloſecius aſſumendo noſtram naturam humanam ex ſe tenebroſam, ac obfuſcatam, ſe fecit totum opacum. *Infirmitates noſtras ipſe tulit.* Hoc corpus opacum Chriſti fuit valde magnum, quia fuit filius Altiſſimi, conceptus opera Spiritus Sancti: *Quod enim ex te naſcetur ſanctum vocabitur Filius Dei;* Ergo *Luc. 2.* umbra, quæ debuit præire hoc corpus Filii Dei, ab eoque produci, debuit etiam eſſe valde grande, & ſimilo ſuo efficienti: *Majus corpus opacum.* *Matth. 8.*

O glorioſiſſime Baptiſta, quomodo non debuiſſet hæc umbra eſſe grandis, cum præceſſerit illud corpus, quod tot radios lucis prohibuit in propria perſona? prohibuit in ſemetipſo radios divinæ Majeſtatis, *quando ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens.* Vetuit radios divinæ cunctipotentiæ, quando *Infirmitates noſtras ipſe tulit.* Recuſavit radium Divinæ ſapientiæ, dum factum eſt *Verbum infans,* quod verba formare non potuit; *Invenietis infantem,* en Sa- *Philipp. 2.*
pientiam factam ignorantem, *pannis involutum,* en omnipotentiam debilitatam, faſciis lineis illigatam. *Poſitum in præſepio,* en Divinam Majeſtatem in infinitum depreſſam. Quomodo ergo Chriſtus, qui in ſe recuſaverat tot radios luminoſos gloriæ, non produxiſſet, & præmiſiſſet umbram valde ingentem, & ferme ſibi ſimilem? Ratio idipſum evincit. Hinc non

eſt mirum ô Joannes, quod mox, ut es natus, ab Archangelo Gabriele fueris vocatus magnus, & quidem coram Domino. *Erit enim magnus coram Domino, debuit enim &c.* ſed melius.

Locus ſcripturæ. *Cap. 2.*

VI. Tractans Sanctus Lucas de nativitate hujus grandiſſimi præcurſoris, dicit quod Elizabetha, dum attigit illud tempus, quod debebat mundo dare illam lucem, quæ inſtar Luciferi & ſtellæ cujuſdam matutinæ debebat eſſe prodroma ſolis, pepererit filium. *Elizabeth impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium.* Sanctus Pater Chryſoſtomus ex Hebræo legit *Genuit.* Hæc nova lectio Chryſoſtomi mihi anſam præbet novi conceptus. Cur quæſo dicit os aureum Elizabetham genuiſſe Baptiſtam, ſi Evangeliſta dicat *Peperit filium*? Patere proprium eſt fœminatum, generare non. Hinc dicit Angelicus cum aliis pluribus, fœminam non concurrere ad generationem active. Parere itaque convenit Matri, quatenus patitur, generare convenit patri, quatenus agit. Parere dicuntur omnes matres excepta Maria, quia ſupra ordinem naturæ, concepit de Spiritu Sancto. Hinc de Maria dicitur *Genuit puerpera Regem*; Si ergò Elizabetha concepit Baptiſtam naturaliter, ſicut aliæ Matres, quî fit quod dicatur filium peperiſſe, & genuiſſe ſimul, ſicut fecit Virgo. *Genuit puerpera Regem, Elizabet peperit, genuit filium*?

Valde benè (NN.) Sanctus Pater Chryſoſtomus: *Peperit quidem, ut mulier; ſed ſupervenit gratia Spiritus Sancti, & genuit ſupra naturam: erat enim miraculum, quod fiebat à Ioanne, & non tantum habebat paterni generis, quantum Verbi Dei.*

Hom. 2. in Nativit. Ioan.

Quam divinè. *Non tantum habebat &c.* Verum eſt, inquit Sanctus, quod Elizabeth peperit Baptiſtam, ſicut aliæ Matres, ſimul tamen etiam verum eſt, quod eum genuerit. Peperit eum, quia ſicut fœmina paſſive ſe habuit; eum etiam genuit, quaſi Joannes non habuiſſet aliud principium activum, niſi Spiritum Sanctum, ſed hujus virtute fuerit obumbrata, inſtar Virginis Sanctiſſimæ Mariæ; nam aniçula, & ſterilis concepit, ac ſi principalius concurriſſet in generatione Joannis Spiritus Sanctus, quam Zacharias; ac ſi generatio Joannis in utero Seniculæ fuiſſet ſupra naturam inſtar generationis Chriſti in utero Mariæ, ut ſic utriuſque generatio ſimilis eſſet. *Peperit quidem ut mulier, ſed ſupervenit gratia ſpiritus Sancti, & genuit ſupra naturam &c.*

VII. Philoſophia, quæ eſt ager quidam, & hortus in quo continuò florent viridiſſimi flores venuſtiſſimarum & delicatiſſimarum curioſitatum, hodie illuſtriſſimam adducit in campum quæſtionem, an animalia virtute cœlorum generata ex putri materia ſint ejuſdem ſpeciei cum iis, quæ generantur ex ſemine modo conſueto. V. G. An homo, ſi ſimpliciter productus eſſet ex putri materia virtute cœli, ſicut cenſuit Avicenna, & plures alii poſſe fieri, ſit ejuſdem ſpeciei cum hominibus, qui naſcuntur ex patre, & matre. Philoſophia.

Commentator Jandunus, Ægidius Romanus, ac alii negarunt; effectum ſiquidem ejuſdem ſpeciei non putant poſſe procedere à cauſis adeo diverſis, prout ſunt cœlum, & homo. Si etenim effectus determinatus debeat habere connexionem cum cauſa determinata, quomodo effectus ejuſdem ſpeciei, poterit procedere à cauſis adeo diverſis.

His non obſtantibus tota ſchola cum ſuo Magiſtro, & principe affirmat, quod forent ejuſdem naturæ; quia ſi ex accidentibus exterioribus colligamus naturam, & intellectus manuducatur ex iis ad inveſtigandas res occultas, quidditates effectuum, & cauſarum, quis ignorat, quod ubi ſunt eadem accedentia exterinſeca, & interiora, ibi etiam fore eandem conditionem ſpecificam, & naturalem? Nunc ſic; atqui animalia generata ex putri materia, virtute ſolis habent eadem accidentia interna, & externa cum iis quæ generantur via ordinaria, ut liquet conſideranti, ergò &c. Itaque ſi homo poſſet naſci virtute ſolis, ut putavit Avicenna, & alii, ille foret ejuſdem ſpeciei cum iis hominibus qui naſcuntur via ordinaria.

A for-

A fortiori id deberet dici de duobus, qui nascerentur virtute Solis, ut fieri posse autumarunt nonnulli Philosophi prisci, à quibus si Philosophicè loquamur, non dissentiunt moderni; nam cœlum potest inducere in materiam corporis humani omnes dispositiones necessarias ad introductionem animæ humanæ.

Applicatio.

VIII. Nunc ad Baptistam. *Elizabeth impletum est* &c. Duos homines reperio natos in mundo, qui partim eadem, partim diversa principia activa recognoscunt, Joannes, & Christus. Christus nascitur ex purissimis sanguinibus Mariæ virtute Spiritus Sancti. *Spiritus Sanctus superveniet in te.* Et en principium activum, & Baptista, qui habuit originem ab alio homine Zacharia suo Patre naturali, hoc modo habuit principium diversum à principio Christi. Unus pro sui causa agnoscit cælum, alter terram. Baptista generatur ex semine viâ ordinatiâ in peccato conceptus, esto postea sanctificatus, nascitur quidem ex parentibus justis ac DEI amicis, sed tamen peccatoribus, utpote posteris Adæ. Baptista agnoscit pro Patre & matre homines terrenos, agentia & causas sublunares ejusdem speciei; CHRISTUS vero generatur in tempore quâ homo sine semine & viâ inusitatâ concipitur sine peccato ex Patre, qui est DEUS, & Matre, quæ est Sanctissima Virgo, descendente quidem ex Adamo, non tamen concepta in peccato. CHRISTUS non agnoscit aliam causam sui productricem, quam cælum, Spiritum Sanctum, & ipsum DEUM. O generationem longè diversam à generatione Joannis; O genitores totaliter differentes à genitoribus Joannis!

Tuta 1.

Attamen si hi partus Christi, ac Baptistæ penitius inspiciantur, reperimus, quod sint tam similes in vita, moribus, sanctitate, ac conditionibus externis, ac internis, ut ipsamet oracula mundi unum ab altero discernere non potuerint, & habuerint Baptistam pro Christo, ac CHRISTUM pro Baptista. *Die nobis si tu es Christus, &c.*

O Sanctissimè Joannes, & qualis est hæc tua eminentia, quod sis tam similis Christo, ita ut ipsi Sapientiores te habuerint pro Messia in lege promisso, pro Uncto Domini, pro reparatore generis humani? Sed non miror; videbant siquidem conditiones, quæ erant propriæ Christo. Quodsi sponsa in sacris Canticis videret suum dilectum, candidum & rubicundum, ita & tu fuisti candidus per innocentiam vitæ, & rubicundus per martyrium. Si Christus habuit caput aureum, tu & habuisti caput aureum per sapientiam; Si oculi illius fuerunt, sicut oculi columbarum habitantium prope rivulos aquarum, etiam tui oculi fuerunt columbini per simplicitatem, & integritatem intentionis in operando; Si labia Christi stillarunt myrrham, & tua stillarunt myrrham pœnitentiæ mundo. Si Christus habuit manus tornatas ex auro purissimo, & tua opera ob perfectionem eorundem, fuerunt fabricata ex auro. Christus habuit ventrem eburneum, & tuus fuit ex ebore candidissimo castitatis. Ille habuit genua instar columnarum marmorearum, & tua fuerunt marmorea per stabilitatem propositorum sanctorum. Verbo, ita similis comparuisti Messiæ, ut & tua ipsa generatio censeatur esse similis generationi illius; Quod si generatio Christi in ordine ad principium activum fuit virtute Spiritus Sancti facta, & in tua meliorem partem habuit Spiritus Sanctus. Et hinc dicitur, quod sicut MARIA peperit ac genuit Christum, ita & te genuerit & peperit Elisabeth *Peperit quidem ut mulier, &c.*

Hinc debemus dicere, quod fueris simillimus CHRISTO, quia in generatione tua habuisti idem principium activum, quod ille; Cum enim habueris Patrem ob senectutem, imò forsan naturaliter sterilem, ideo Spiritus Sanctus & cælum fortius egit, quam Zachatias tuus pater: *Peperit quidem ut mulier, sed supervenit gratia Spiritus Sancti, & genuit supra naturam. Erat enim miraculum quod fiebat à Ioanne, & non tantum habebat paterni generis, quantum verbi Dei.*

IX. Refert Divus Matthæus martyrium ac decollationem grandis Baptistæ, jussu Herodis ad instantiam Herodiadis. Decollato Præcursore, discipuli ne corpus illud maneret prædæ crudelissimorum hostium ejus, illud sepulturæ tradiderunt. Et hoc facto statim rei eventum Salvatori nuntiarunt *Et audientes discipuli ejus tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud, & venientes*

Locus scripturæ. *Matth.*

nientes nuntiaverunt Ieſu. Quo audito refert ſacer textus Chriſtum ſtatim ex illa regione ſeceſſiſſe; *quod cum audiſſet IESVS, ſeceſſit inde in naviculâ in deſertum locum ſeorſum.* Demitor (NN.) cum Sancto Hieronymus hanc fugam Salvatoris. Et unde mi Salvator factus es tam timidus, ut ad ſolum nuntium mortis tui Præcurſoris fugias? Qualis eſt hic timor? dum te deberes oſtendere generoſiorem, fugis? dum deberes ſuccurrere tuo chato Joanni, abis in deſertum? Cur non potius adis Herodem, & arguis ejus impietatem, ac ſacrilegium inenarrabile quo illum occidit, qui agnus erat, & ut æternaliter viveret, dignus erat?

Philoſophia.

X. Non poſſum illuſtrare hunc locum ſcripturæ, niſi adducam portentoſiſſimum factum naturæ forſan non ſufficienter penetratum; nempe quodſi duæ citharæ, lyræ, violæ ad eundem planè ſonum ſint attemperatæ, ſi à citharædo una tangatur fides, quod etiam ex ſe reſonet alia cithara, edatque idem melos eſto à nullo tangatur. Hinc quoddam eruditiſſimum ingenium Academicum, volens demonſtrare intenſum amorem, quo proſequebatur ſuam amaſiam, ita ut ab hujus nutibus penderet, etiam injuſſus, formavit duas lyras ad eundem ſonum concinnatas, quarum una tangebatur ab unius manu, & altera non. Hoc Lemmate ſubjecto: *Aliis pulſis reſonabunt.* Ego hujus rei ſcire cuperem rationem naturalem.

Hieronymus Fracaſtorus excellentiſſimus medicus, & philoſophus Veronenſis, agens de ſympathia, & anthipathia rerum, dicit miros videri effectus ubi alterutra reperitur; Igitur quod tactâ unâ citharâ etiam alia ad eundem ſonum concinnatâ reſonet, eſt effectus ſympathiæ, quæ reperitur inter utramque citharam.

Etſi in duobus gemellis, quia ſunt ſimul concepti, & tot menſibus fuerunt in eodem utero, & nutriti eodem ſanguine, fit ut uno ægrotante, alius etiam ægrotet, & quamvis longè à ſe diſtent, unus tamen ſentit calamitatem alterius, ratione hujus ſympathiæ, & convenientiæ; ſic tactâ unâ citharâ reſonabit etiam alia, quæ ad eundem ſonum attemperata eſt. Hinc Caſſiodorus: *Vbi tanta vocum collecta eſt ſub diverſitate concordia, ut vicinâ chorda pulſatâ alteram faciat ſponte contremiſcere, quam nullum contigit attigiſſe: tanta enim vis eſt convenientiæ, ut rem ſenſualem ſponte ſe movere faciat, quia conſtat ejus ſoctam agitatam.* Alii addiderunt id non provenire a ſimpathia, ſed potius à motu & agitatione aeris facta à motu fidium tactarum, qui cum æquali proportione movet corpus ſibi vicinum, & hoc aliud, quouſque moveatur ambiens locus fidium citharæ non tactæ, quæ & conſequenter ſuaviter reſonabit, ut videmus in ipſa etiam aqua, cujus una pars mota movet aliam & ſic conſequenter donec deſinat impulſus datus primæ. *L. 2. epiſt. 20.*

Applicatio.

XI. Nunc intelligetis, cur Chriſtus auditâ decollatione ſui præcurſoris fugerit in deſertum: *Quod cum audiſſet &c.* Erant enim Joannes & Chriſtus adeo ſibi ſimiles, ut viderentur eſſe quaſi duæ citharæ ad eundem ſonum attemperatæ, & duo gemelli. Ex Virgine conceptus eſt Chriſtus, & ex ſterili conceptus eſt Joannes. Deificatur in utero matris Chriſtus, & in eodem ſanctificatur Joannes; Nativitas Chriſti affecit totum orbem gaudio, & nativitas Joannis toti Judææ attulit lætitiam. Chriſtus *proficiebat ſapientia, ætate, & gratia apud DEVM.* & de Joanne dicitur: *Puer autem creſcebat, & confortabatur Spiritu.* Chriſtus baptizavit in igne Spiritus Sancti, & Joannes in aqua pœnitentiæ; CHRISTUS orditur ſuam prædicationem his verbis: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum;* Et eodem modo Joannes prædicare incepit. *Luc. 2.* *Luc. 1.*

Vates vatum Chriſtus, plus quam Propheta Joannes; Verbum Patris Chriſtus, Vox Verbi Joannes. O miram concordiam, ô citharas cæleſtes, & quam perfecte fuiſtis attemperatæ ad eundem ſonum! O filios beatos, quaſi editos eodem partu! Et quomodo potuiſſet Herodes tangere hanc citharam Joannis, abſque eo quod ſimul ederet ſonum Chriſtus? Occiſâ ab Herode crudeliter voce, quomodo ab eodem non fuiſſet occiſum Verbum? Si ita dicè fuit tractatus Præcurſor Chriſti, quomodo non ſimul eodem modo fuiſſet tractatus Chriſtus? O citharas cæleſtes, Chriſtum & Joannem; quod ſi tanta

tanta fuit inter vos concordia, ſympathia, quis neſcit id, quod contigit uni, etiam debuiſſe convenire alteri?

Et hinc, quia mi Salvator necdum tempus tuæ mortis advenerat audita nece Joannis, non contuliſti te ad Herodem, ſed fugiſti ejus præſentiam, quia ſi fuiſſes ei vicinus, tua cithara etiam edidiſſet ſonum, & ab interfectore Joannis etiam fuiſſes occiſus; & ideo fugiſti. *In hunc locum.* *Seceſſit inde in deſertum locum ſeorſum.* In quæ verba ad ſtuporem Sanctus Hieronymus. *Seceſſit IESVS parcens inimicis, ne homicidium homicidio jungerent, in diem paſchæ ſuum interitum differens.* O quam bene, & divinè *Seceſſit inde, ne homicidium homicidio jungerent.* Nec aliter poterat fieri, quin non CHRISTUS ob magnam ſympathiam cum Joanne etiam occideretur.

Locus ſcripturæ. *Luc. 1.* XII. Refert Sanctus Lucas, capite primo, quod adveniente die, quo debebat circumcidi Baptiſta, ſeique imponi nomen, nonnulli voluerunt illum vocari nomine Patris Zachariam, ſed ejus matrem obſtitiſſe, & voluiſſe eum nuncupari Joannem *Nequaquam, ſed vocabitur Joannes;* Et quia inter omnes conſanguineos nullus erat, qui taliter vocaretur, innuerunt parenti, ut ſignificaret, quo nomine vocari deberet; Hic vero cum eſſet ejuſdem ſenſus cum ſua uxore, nomen filii litteris exaravit: *Joannes eſt nomen ejus.* Et en nomine ſcripto mutus ſenex in verba prorumpere cœpit, Deumque benedixit tanto ſtupore totius Judææ, ut omnes una voce exclamarent: *Quis putas puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo:* Cum manus Domini ſit cum illo, abſque dubio inferre licet, eum grandem futurum. *Quis putas puer iſte erit, &c.* Perinde ac diciſſent: Tantus erit, tantæque dignitatis & excellentiæ, ut manum Domini comitem habiturus ſit. Subintrat hic ſacer quidam expoſitor, & dicit his verbis Spiritum Sanctum voluiſſe ſignificare, Joannem non ſolum à manu Domini protegendum & defendendum, ſed præterea eum merito vocari poſſe manum Domini. Sic Ponferradienſis. *Huc pervenit recens nati magnitudo, quod illi merito affigatur hic titulus, manus Domini.*

Scire hic percuperem, cur Baptiſta decoretur hoc nomine, illuſtretur hoc titulo, *Manus Domini?*

Recordamini ſine dubio Scripturiſtæ vos legiſſe illum caſum Abſolonis. Recenſent de eo Faſti regii, libro ſecundo Regum capite decimo octavo, quod (ſicut hominibus proprium eſt) deſideraſſit æternare, & perpetuare ſuam memoriam in ſe vel in aliquo alio; nam homines ſingulariter appetunt æternare ſuum nomen ſingulariter in aliquo individuo, & dum hoc in ſe non poſſunt, ad minus relinquunt ſui memoriam in aliqua effigie, vel imagine, puta in filiis, quia *filius eſt imago Patris.* Hic idem appetitus regnabat in Abſolone, & quia in nullo filio huic deſiderio ſatisfacere poterat, nullum ſiquidem filium habuit, erigi ſibi juſſit quendam coloſſum, ſeu quandam ſtatuam, cui hunc titulum affixit: *Manus Abſalon.* Per hoc ſperans æternandum ſuum nomen, volens illam ſtatuam eſſe filium, imaginem, & idolum ſuiipſius. *Porro Abſolon erexerat ſibi titulum: Dixerat enim non habeo filium, & hoc erit firmamentum nominis mei: vocavitque titulum nomine ſuo, & appellatur manus Abſolon.* 2. *Reg.* 18.

Similiter volens benedictus DEUS ſignificare Joannem adeo ſimilem futurum Verbo æterno, ut caſu, quo nullus ſibi eſſet filius, Joannes ejus filius eſſe poſſet. Hinc voluit eum vocari *Manum Domini.* Mirè in illum locum Ponferradienſis: *Huc pervenit recens nati magnitudo, quod illi merito affigatur hic titulus, manus Domini, quandoquidem illo oſtenditur Joannes poſſe apud cæleſtem Patrem ſupplere vices unigeniti filii, & pro filio aliquandiu in terris exiſtere.*

Erat

Erat Joannes adeo similis Patri, ac Verbo æterno, ut si hoc non extitisset, Baptista ejus locum intrasset, & pro Verbo æterno, ac Filio unigenito Altissimi fuisset habitus. *Suppleret vices, &c.*

Theologia. XII. Patres Theologi percupio ego scire, quomodo res succedant in Augustissimo Sacramento Altaris. Quid fit de substantia panis ac vini in consecratione? An corrumpitur, destruitur, annihilatur totaliter, vel partialiter? quomodo hoc factum, quod superat omnem captum humanum, fit? Scio nonnullos Theologos voluisse materiam panis & vini corrumpi, & remanere solam formam substantialem, cum enim viderent accidentia cum suis operationibus, & scirent operationem dependere à forma, ideo dicebant illam manere. Alii voluerunt materiam manere, & formam corrumpi, quam materiam dicebant postea informari à substantia corporis & sanguinis CHRISTI. Ita ni fallor Durandus.

Alii asseruerunt substantiam panis & vini desinere, sed non annihilari, & converti in circumstantem materiam, & cedere corpori CHRISTI, quod sit præsens. Angelicus porro, & Seraphicus Præceptor, & alii, imò sanior pars Theologorum, volunt substantiam panis & vini totaliter desinere, ita ut nec ulla pars ejus remaneat, & converti in substantiam corporis & sanguinis Christi, & hinc vocatur illa mutatio à sacris Conciliis transsubstantiatio, hoc est, conversio unius substantiæ in aliam, adeoque in Eucharistia substantiâ panis, & vini pereunte, manent solum accidentia, puta quantitas, qualitas, odor, sapor. Hinc esto videas panem, tamen is non est panis, sed corpus CHRISTI, & accidentia panis, quamvis pures te videre, & gustare vinum, tamen non gustas vinum, sed sanguinem & accidentia vini.

Applicatio. XIV. Nunc ad Baptistam. *Quis putas puer iste erit, &c* invenio (NN) quod Baptista ab instanti sanctificationis suæ in utero Matiæ usque ad punctum suæ decollationis, quoad essentiam suam (moraliter loquendo) nil in se habuerit humani, nisi apparenter. Hinc os auteum: *Nihil carnis erat in eo, nisi visio sola.*

Quid ergo miri, quod in ejus Circumcisione tota Judæa fuerit admirata, ac præstupore dixerit: *Quis putas puer iste erit?* Et ad quam eminentiam ac dignitatem non poterat ascendere hic filius? Etenim *Manus Domini &c.*

Dicamus ergo, quod sit totus Divinus, totus transformatus, & transsubstantius in Deum, & quod sit adeo similis Christo, ut hic in terra Patri æterno possit servire loco unigeniti ejus Filii. *Quandoquidem Joannes ostenditur apud cælestem Patrem posse supplere vices unigeniti filii.*

O glorioſissimè Joannes, quis tuas non celebraret laudes? Quis tuas non admiraretur excellentias & eminentias? Si hominis non sit deprædicare laudes alicujus Angeli, multo minus hominis erit extollere eminentias Dei. Et cum ego me agnoscam insufficientissimum, ut te deprædicem instar hominis simplicis, & puri, minus ero aptus ad te laudandum velut Angelum, imò nil faciam volens te magnificare ut Deum, & simillimum Verbo æterno. Attamen non acquiesco, nisi & dicam, eum non cognoscere Majestatem Dei, qui tuam eminentiam non cognoscit, & quod datus sis mundo, ut per te solum Deum cognoscamus.

Scriptura. XV. Nobilissimo titulo afficit Spiritus Sanctus magnum Baptistam, dum per Ecclesiam eum vocat præcursorem Domini. *Præcursor Domini venit.* Nullum est dubium (NN.) quin Baptista sic vocetur, eò quod ante Salvatorem venerit, ut hunc mundo annuntiaret, ac notificaret, tanquam is, qui ei hospitium procuraret, juxta illud Lucæ: *Ipse præibit ante illum in Spiritu, & virtute Eliæ*, subintrat hic os aureum, & quærit, quomodo Baptistæ competat hic titulus tantum, cùm videatur etiam competere omnibus aliis Prophetis, cùm omnes antecesserint Salvatorem, ac venerint ut ei hospitium præparatent. *Et parare Domino plebem perfectam.* Quam ergò prærogativam habuit Joannes præ aliis vatibus, ut nomen, quod videtur debere esse commune Luc. 1.

mune

mune omnibus attribuatur illi ſoli, & ipſe per antonomaſiam vocetur præcurſor Domini.

Poeſis. XVI. Volens magna illa Muſa (Domini Poetæ) manifeſtare orbi eminentiam Domitiani Imperatoris, dixit quadam vice eum donatum fuiſſe tantâ excellentiâ, ut fuerit in orbe tam conſpicuus, & magnificus, ac ſi eſſet alter Deus, & per nullum alium, quàm per ipſum poſſet melius explicari excellentia Deorum, imò & ideò eum in orbem veniſſe.

Rerum certa ſalus, terrarum gloria Cæſar,
Soſpite, quo magnos credimus eſſe Deos.

Ac ſi diciſſet Poeta: Multi fuerunt Cæſares, ac Imperatores Romani glorioſi, & felices in mundo, ſed omnes ſupergreſſus eſt Dominianus Imperator, qui eſt tam illuſtris, & adeò ſimilis Diis immortalibus, ac adeò certat cum eorum gloria, felicitate, & excellentiis, ita ut ſi quis velit cognoſcere excellentias Deorum, non poſſit melius conjicere oculos, quàm in Domitianum Imperatorem, nec ullus cognoſcet eminentias Deorum niſi ille, qui cognoverit excellentias Domitiani, eſt enim ii adeò ſimilis, ita ut ſi hi deſinerent, Cæſar hic poſſet intrare in eorum locum. *Rerum certa ſalus &c.*

Applicatio. XVII. Sed quomodo non potiori jure hoc dicamus de magno Baptiſta? Sileat itaque Poeta, nam hæc gloria eſt propria Joanni, quia, qui non cognoſcit virtutes, eminentias, Majeſtatem, attributa Dei, ille oculos conjiciat in Joannem, in ejus eminentias, prærogativas, ſanctitatem, gratiam, perfectiones. Sic enim veniet in cognitionem Divinæ Majeſtatis, ſicut antiqui ut cognoſcere poſſent attributa Dei, oculos in Domitianum conjiciebant. Hinc de Baptiſta pleno ore poſſumus dicere. *Rerum certa ſalus &c.* ac ſi Joannes eſſet miſſus in orbem, ut eſſet exemplar, ac idea, in qua liceret contemplari Divinam Majeſtatem, ac ſi eſſet adeò ſimilis Chriſto, ut poſſet loco verbi æterno patri ſervire.

Bignoni Sanctorale.

Rerum certa ſalus &c. Quid ergò miri, quòd antonomaſticè vocetur præcurſor, quamvis etiam omnes alii vates præceſſerint Chriſtum; cum Joannes fuit vicinior Chriſto, major omnibus Prophetis, juſtior, ſanctior, ac ſimilior Chriſto. Et quamvis in cælo ſint plures ſtellæ, quæ in anteceſſum mittantur, ut ſolis ortum annuntient, una tamen per antonomaſiam tantum vocatur Lucifer, utpote, quæ eſt clarior, lucidior, rutilantior & per quam melius, quàm per omnes alias ſole abſente cælum illuſtrat orbem; Sic Baptiſta inter omnes vates ſolus vocatur præcurſor, quia pulchrior, ſanctior, perfectior, rutilantior, & ſimilior eſt ſoli Verbi æterni, quoque ſolo poteſt uti pater æternus, ad illuſtrandum orbem. Hinc ſanctus Pater Chryſoſtomus: *Quantum Ioannes præcæteris Prophetis, in tempore juxta Chriſtum, tantùm juſtitiâ præillis proximior erat Chriſto. Multa quidem ſtellæ ante lucem præcedunt annuntiantes lucis adventum, nulla tamen illarum luciferi nomen habere meruit, niſi una, quæ cum ipſa luce prodit: Sic omnes Prophetæ ante faciem Chriſti præeunt, nuntiantes adventum ejus, ſolus tamen Ioannes præcurſor eſt appellatus.* Hom. 17. in imperfecto c. 11. Matth.

O glorioſiſſime Joannes, ô miraculum cæli, ô idea incarnatæ ſapientiæ, quomodo ego poſſim manifeſtare orbi tuam excellentiam, ſi tota Judæa in tua nativitate obſtupeſcens, novas ac inſolitas tuas prærogativas, extra ſe acta dimiſerit caput, complexerit manus, & volens prorumpere in voces, nequeat aliud dicere, quàm *quis putas puer iſte &c.*

Ut verùm fatear, quoties cogito de tuis eminentiis, toties mihi deficiunt verba, & obmutesco, nec ſcio aliud dicere, quàm cum Judæa: *Quis putas puer iſte erit? &c.* Sed nemo miretur, quia inſufficientiſſimus ſum ad demonſtrandam & cognoſcendam tuam eminentiam, quia hæc adeò excedit confinia linguæ, ac intellectus creati, ut nullus reperiri poſſit, qui eam ſufficienter laudet præter Deum, qui his encomiis quadam vice principium dedit; quando *cœpit ad turbas dicere de Ioanne*, quodſi à ſolo Chriſto poſſit laudari, quomodo non dedignaretur aliam linguam &

laudem? Imò quis audeat ac præſumat ſolvere linguam in laudem illius, in cujus laudem exaruit Divina Sapientia, eſto ſolum dederit laudibus ejus initium. *Cœpit ad turbas dicere de Joanne &c.*

Quodſi Pictores antiqui quantumvis excellentiſſimi adeò admirati ſint opera quantumvis imperfecta, & inchoata à famoſo Apelle, ut non auderent illa perficere, imò quemlibet penicillum indignum judicarent, qui tangeret illud opus, quod manus Apellis finxiſſet, vel depinxiſſet; quomodo præſumat homo mortalis, vel etiam Angelus ex ſuprema Hierarchia movere penicillum ſuæ linguæ, ut vel unicam linguam ducat in imagine Joannis, quam incepit Chriſtus maximus Apelles? *Cœpit dicere.*

Verùm eſt, quod hic ſit una tantum linea, ſed nihiloſecius longe ſuperat quodcunque artefactum cujuſcunque conditionis. Hinc hæc ſiſtit meam linguam, & inducit mihi oblivionem ac confuſionem, & facit ut cum exiguo reſpectu potius obmuteſcere debeam, quam quod loquendo, & tuæ excellentiæ, & illi, qui de ea loqui cœpit, injurius ſim.

Verùm cum non offendatur benignitas, & clementia alicujus archipictoris, quando alius ejuſdē artis juxta exemplar & prototypon vult delineare quandam effigiem, quamvis magis rutilet excellentia exemplaris, & ſubtiliſſimi penicilli, non attingant ad ejus delineationem, ideò exiſtimavi Sanctiſſime Joannes, quod ego nec te, nec Chriſtum offenderim, dum hodie tuas eminentias delineavi, quantumvis rudi, ac groſſo penicillo, quia certus ſum, quod ex imperfecta mea pictura tuus decor, ac excellentia illius ſuperni pictoris magis eluceſcat.

Epilogus. XVIII. Hinc animo reſumpto adjutus ab illo excellente pictore Sancto Luca, & qui ſeſe offert ad temperandos colores, & moderandum penicillum meæ linguæ duco primam lineam, & video ſtatim te adeò grandem in cælo & in terra, ut quis meritò exiſtimare poſſit, te eſſe æmulatorem imperii, & regiæ Majeſtatis Chriſti, dum habuiſti in aſcendente feliciſſimam conſtellationem Virginis Deiparæ.

Et quia umbra in pictura eandem valdè illuſtrat, en Sanctus Lucas mihi porrigit colorem nigrum & fuſcum, per quem futurus es magnus coram Domino. *Erit enim magnus coram Domino.* Hoc eſt, magnus, velut ipſe Chriſtus, quia fuiſti ejus umbra, quod ſi igitur umbra adæquat magnitudinem corporis opaci, à quo producitur, revera tu à puncto tuæ nativitatis debuiſti eſſe magnus velut umbra, quæ præcurrit maximum opacum corpus CHRISTI cujus fuiſti præcurſor.

Hinc videns, quod incipias comparere, dum Sanctus Lucas penicillum vivaciori colori mihi porrigit, duco aliam lineam, & puto, quod te reddiderim ſimilem CHRISTO in generatione; nam ſicut MARIA peperit Chriſtum, & eum etiam ſimul genuit, quia nulla intervenit actio viri, ſed ſola virtus Spiritus Sancti, ſic & te Eliſabeth ſimul genuit, & peperit, ac ſi tua conceptio fuiſſet magis peracta virtute Spiritus Sancti, quam tui Patris Zachariæ; Unde eſto fueris genitus viâ ordinariâ ex ſemine, tamen potuit dici, quod habueris conditionem CHRISTI, & fueris generatus ſine ſemine, veluti homines illi, qui geniti ex cælo eſſent ejuſdem conditionis cum eo. Et quia hæc imago incepit aliquatenus relucere, cupiens Sanctus Matthæus etiam ſuam impendere operam, parat mihi colorem non minus ignobilem aliis tubeum & croceum, quo credo te vult exhibere decollatum, & dum conor effigiem exhibere, video hanc delineationem non facere ad rem meam, dum volo te aſſimilare Chriſto, qui videns te decollatum *receſſit in deſertum*, ac ideò volui deſiſtere, & deponere penicillum, ſed Divus Hieronymus, qui præſens aderat, me adhortatus eſt ad continuationem, quia ex fuga CHRISTI concluſit te fuiſſe ſimillimum Chriſto, quia ſi hic adfuiſſet, tunc inſtar citharæ attemperatæ ad eundem ſonum ipſe etiam reſonuiſſet, quod ut vitaret, & ne homicidium homicidio jungerent, abiit, & ex illa regione diſceſſit.

Et

Et dum delineo has citharas, redit Sanctus Lucas quaſi offenſus, quod alios adhibuerim colores, quos ipſe non temperavit, & facit me ducere ulterius penicillum, qui te exhibet inſtar unigeniti Filii Dei, ac ſi fuiſſes transformatus & converſus in ipſum Deum; *Dum manus Domini tecum erat.*

Et dum totus intenſus eſſem huic operi inſigni, non in ordine ad tuam excellentiam, ſed reſpectu meæ inſufficientiæ, en idem Sanctus Lucas me urget, ut ultimam manum adhibeam, qua ſupra reliquos Prophetas evectus videaris eſſe Præcurſor CHRISTI, ut illi qui volunt venire in cognitionem Majeſtatis, dignitatis, & immenſitatis Dei, oculos conjiciendo in hanc effigiem, quæ te refert, & exhibet, habeant ſuum intentum. Hinc obediens Evangeliſtæ, omnia prompte executus ſum; Et en opus completum, opus non magiſtri, ſed diſcipuli, non perfecti, ſed incipientis, non periti, ſed impeniti, non famoſi Apellis, ſed miſeri, & pauperis minoris, cui aliud neſcio melius poſſe aptari, quam illud Martialis:

Rerum certa ſalus, terrarum gloria Joannes,
Soſpite quo magnum credimus eſſe Deum.



ELOGIUM XIX.

Pro Feſto S. Petri Apoſtoli.

Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Matth. 26.

Philoſophia.

I. DEſiderantes Antiqui ſcire, an ſtellæ cæli, & ſingulariter Sol, ſint conditionis cæleſtis, & conſtent eâdem materiâ, quam habent cæli, in quibus reperiuntur, propoſuerunt diſputandum in ſuis lycæis, ut quilibet ſuam ſententiam proferret. Hinc Seneca dixit: *Non aliud magnificentius quæſierit quiſpiam, aut didicerit utilius, quàm de ſtellarum, ſiderumque natura. Vtrùm flamma contracta, quod & viſus noſter affirmat, & ipſum ab illis fluens lumen, & calor inde deſcendens. An non ſint flammei orbes, ſed ſolia quædam, terrenaque corpora, quæ per igneos tractus labentia inde ſplendorem trahunt, caloremque non de ſuo clara.*

In l. 7. natural. qu. c. 3.

Et poſtea refert, inſignes Philoſophos ſenſiſſe, omnes ſtellas, & ſingulariter Solem reliquis majorem, eſſe corpora compoſita ex materia terrena, dura, & ſolida, ab igne accenſa. Quòd conſtiterit materia dura, & ſolida, probabant; nam aliàs flamma decreſceret, niſi adhæreret corpori, quæ illam foveret. Addiderunt hæc corpora fuiſſe rotunda, & inſtabilia, ne quandò per cælum ſuo calore deſtruerent mundum, quod facerent, ſi eſſent firma, & immobilia.

De placit. Philoſoph. l. 2. c. 3. & 20.

Diogenes, teſte Plutarcho, cenſuit ſtellas eſſe veluti lapides poroſos, & perforatos, ut eſſent quaſi ſpitacula mundi, quod etiam docuit Epicurus.

Xenophanes voluit ſtellas eſſe formatas ex nubibus ignitis, de nocte relucentibus, & de die obfuſcatis, inſtar carbonum cinere cooperto-rum.

Anaximander dixit, ſtellas eſſe compoſitas ex aëre in forma rotarum ignitarum, ut ſe ipſis flammas & calorem ſpirarent.

Anaxagoras docuit, cælum totaliter eſſe lapideum, inſtar magni palatii, & quòd Sol ſit lapis ignitus & relucens, & tam celebris fuit hæc opinio illo tempore, ut Democritus & Metrodorus conſtanter aſſeruerint, Solem vel eſſe ferrum, vel lapidem ignitum. Inſuper Euripedes diſcipulus Anaxagoræ affirmavit, Solem eſſe glebam quandam, & maſſam totaliter auream.

L. 2. de cælo, c. 7.

Ariſtoteles tandem cum omnibus ſuis docet, omnes ſtellas, & ipſum Solem componi ex materia cæleſti, & eſſe ejuſdem ſpeciei cum cælis, quibus adhærent, in hoc ſolum ab iis differentes, quòd materia ſtellarum ſit magis addenſata, materia verò cælorum rarior, & magis aërea.

Applicatio.

II. Nullum eſt dubium, quin ſancti Apoſtoli ſint ſtellæ cæli; ſic enim vocantur à ſacris litteris, & Doctoribus. Hinc Spiritus Sanctus: *Stellæ manentes in ordine ſuo*, in quæ verba ſic meus Seraphicus Bonaventura: *In ſtellis iſtis rectè ſignantur ſancti Apoſtoli.*

Iudic. 1. Ser. 1. de SS. Apoſtolis.

Stellæ per nobilitatem eorum puriſſimæ conditionis, ſtellæ per eminentiam eorum dignitatis, ſtellæ per rotunditatem profundiſſimæ obedientiæ, ſtellæ, quæ in vira ſummè illuſtrarunt cælum militantis Eccleſiæ, & quæ nunc ornant cælum triumphantis. *Species cæli gloria ſtellarum* inquit Eccleſiaſticus.

C. 43.

Sed inter has nobiliſſimas ſtellas ſanctorum Apoſtolorum eminuit Petrus, velut Sol, qui non

ſolùm collegium Apoſtolicum, ſed & totam Eccleſiam illuſtravit exceſſivâ claritate ſuæ ſupernæ lucis. Petrus Sol erat inter Apoſtolos, quia fuit caput eorum. Sol per ſplendorem ſuæ lucis, quâ illuminavit mundum, prout cantat ſancta Mater Eccleſiâ:

Aureâ luce, & decore roſeo
Lux lucis omne perfudiſti ſæculum.

Sol, nam ſi dixero eum habere corpus terreſtre, & ejuſdem nobiſcum ſpeciei, tamen totum inflammatum amore divino, prout ipſe de
Ioan. 20. ſe triplici reſponſo teſtatur: *Tu ſcis Domine, quia amo te*; nihil mali dicam, quin imò aliquid valde conſonum veritati. Præterea ſi affirmem eum eſſe nubem, & quidem accenſam, & micantem per clariſſimam lucem divinæ
Iſaiæ 60. gratiæ: *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant*; à nullo poterio argui. Sol compoſitus ex aëre tenuiſſimæ & puriſſimæ innocentiæ in forma totæ per promptitudinem in ſervitio Dei, plenus igne ardentiſſimæ charitatis. Sol, quia petra ignita, imò gleba puriſſimi auri. Hinc S. Pater Ambroſius in illa verba Sponſæ, quibus laudabat ſuum Sponſum, & ſingulariter
Cant. 5. ejus caput, quod eſt ſanctus Petrus: *Caput ejus*
Pſal. 118. *aurum, Cephas unde & Aquila Petrum aurum*
ſerm. 15. *dicit, Simachus lapidem.* Sol, quia inter omnes ſtellas ſanctorum Apoſtolorum eſt pulchrior, lucidior, fons ipſius lucis, velut caput viſibile Eccleſiæ, à quo dependet plenaria poteſtas ſupra animas fidelium, quibus communicat radios divinæ gratiæ, quæque poteſtas ſe extendit uſque ad animas in purgatorio. Sol tantâ luce gratiæ adornatus, ut æmuletur Conditorem ipſius lucis Chriſtum noſtrum Dominum, tanquam hujus Vicarius in terra, de quo hodie diſcurram.

(o)

ASSUMPTUM.

Sanctus Petrus Apoſtolus fuit tam glorioſus in terra, ut viſus fuerit eſſe Idæa Chriſti.

III. IN illo diſcurſu famoſiſſimo Chriſti cum diſcipulis, recenſito à Matthæo, dum hanc quæſtionem propoſuit diſcipulis: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Scimus, quòd ob confeſſionem, quâ Petrus confeſſus eſt Chriſtum eſſe Filium Dei, *Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi*, inſtitutus ſit à Salvatore caput totius Eccleſiæ: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & porta inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælo, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælo.* Scriptura. *Matth. 16.*

Scripturiſtæ, hic ſcire percuperem, an hæc poteſtas claudendi, & aperiendi cælum, ſoli tantùm Petro ſit conceſſa, & non aliis Apoſtolis? Vos ſine dubio reſpondebitis, omnibus Apoſtolis eam eſſe conceſſam, cùm acceperint à Chriſto poteſtatem abſolvendi à peccatis. Hinc Salvator iis dicit: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* *Matth. 18.*

Nunc quæſo vos ponderate mecum diverſum modum loquendi Chriſti concedentis hanc authoritatem Petro, & Apoſtolis; nam dum largitur Petro poteſtatem, concedit ei facultatem aperiendi cælos in plurali, & illimitatè: *Tibi dabo claves, &c.* Dum autem illam dat Apoſtolis, loquitur in ſingulari: *Quæcunque alligaveritis, &c.* Subintrat hic Origenes, & admiratus hanc diverſitatem. Cur hæc diverſitas? Si hic largitus eſt facultatem abſolvendi à peccatis, & aperiendi cælum fidelibus, & illud claudendi per negationem abſo-

lutionis, cur reliquis Apoſtolis datur facultas limitata ſupra unum cælum, Petro verò ſupra omnes? *Quæcunque alligaveritis, &c. Quodcunque ligaveris, &c.*

Hom. 6. in Matth. Reſpondet mirè Origenes: *Non modica differentia eſt, quòd Petro data ſunt claves non unius cæli, ſed multorum cælorum, & quæcunque ligaverit ſuper terram, ſint ligata non tantùm in uno cælo, ſed in omnibus cælu. Ad eos autem, qui ſunt multi ligatores, & ſolutores terræ, ſic dicit, ut ſolvant, & alligent non in cælis ſicut Petrus, ſed in uno cælorum, quia non ſunt in tantâ perfectione ſicut Petrus, ut alligent & ſolvant in omnibus cælis.*

Cæteris Apoſtolis datur facultas tantùm in unum cælum, in unam Eccleſiam, Provinciam, Regnum, ſed Petro datur pleniporentia ſupra omnes cælos, Eccleſias, Regna, Provincias, quia Petrus eſt ſucceſſor, Vicarius Chriſti, Caput totius Eccleſiæ, plenipotentiarius Dei, cui debebat concedi juriſdictio, & poteſtas Chriſti; cùm igitur Chriſtus in ſua vita fuerit Caput viſibile, quod habuit plenariam poteſtatem ſupra omnes fideles & Apoſtolos, *Tibi dabo, &c.* hinc ſcimus Petre, quòd ſis æmulator Chriſti, ejus idæa perfectiſſima, quòdque ita præmineas inter Apoſtolos, ſicut Sol inter ſtellas.

Hiſtoria. IV. Refert Antonius Zarta in ſua *Anatomia de ingentis* factum memorandum de duobus fratribus, natione Germanis. Erant hi tam robuſti, ut ſolo dorſo portam aperirent elauſam, & apertam clauderent. Si contingeret quandoque eos tranſire aliquam plateam, & ab iis notari portam Palatii alicujus eſſe clauſam, unus humerum dextræ portæ admovebat, & ſtatim aperiebatur, ſic ut non poſſet claudi, niſi ab ejus fratre, qui admovebat ei humerum ſiniſtrum, & ſtatim claudebatur. Nullum eſt dubium, quin hoc factum ſit opera diaboli.

Lib. 2. Similiter memini me legiſſe de Apollonio Tianæo, celeberrimo mago ſui ævi, ita recenſente Philoſtrato in ejus vita, quòd in Indiis Orientalibus habuerit duo vaſa, quorum unum vocabatur *Dolium imbrium*, & *aliud dolium ventorum*. Quòd ſi provincia nimiâ ſiccitate æſtuaret, aperiebat vas pluviæ, ex quo imbres tam denſatim ruebant, ut ſiccitas pelleretur, nec ceſſabat pluvia, niſi vas clauderet. Si autem Indi egerent vento, aperiebat vas ventorum, & ſtatim venti adeò ſævierunt, & perflarunt illas regiones, ut ſuo motu & agitatione aêrem purgarent, eumque ſalutiferum redderent, nec venti deſinebant, quouſque vas clauderetur. Putarunt itaque Indi, hæc vaſa eſſe claves cæli.

Nec poſſum mihi imaginari, hos Indos putaſſe, hanc virtutem poſitam fuiſſe in apertione vel occluſione dictorum vaſorum, ſed voluerunt ſignificare per hoc, apertionem portarum in aêre, quæ quando fit, tunc juxta Aſtrologos, miri effectus, & ratæ mutationes fiunt in aêre. Hinc dicunt Aſtronomi: *Portarum aperitio inde dicitur, quando in aëre evidentiſſimi fiunt effectus, & inſignes mutationes: quæ fit, dum ſinguli binæ planetæ configurati ad invicem, domos habentes oppoſitas, copulantur corpore, vel radio oppoſito, vel tetragono*; ita ut videantur hi planetæ eſſe claves cæli.

V. Nunc ad Apoſtolum Petrum *Tibi dabo, &c.* Fuit hic glorioſiſſimus Apoſtolus ſapientiſſimus magus, cui non dæmon, ſed verus Deus dederat poteſtatem patrandi prodigioſiſſima, & mutationes miras in cælo, & in terra, ita ut quamvis animæ alicui fideli ob peccata Deus claudat portam Paradiſi, eamque excludat à regno cælorum; ſi tamen hæc pœnitentia ducta recurrat ad Petrum, & Petrus humero dextro portæ cæli clauſæ acclinet, acceptando pœnitentiam illius animæ, eamque abſolvendo à peccatis, ſtatim cælum reſeretur, ita ut omnes poteſtates Paradiſi non poſſint illud rurſus claudere. *Quodcunque ſolveris, &c.* Verùm ſi contingat, Petrum ob obſtinationem in malo non admittere pœnitentiam, ſed humerum ſiniſtrum cælo admovere, ſtatim cælum clauditur illi animæ infelici. *Quodcunque ligaveris, &c.* Vide ergo, quomodo Petrus in ſuis humeris geſtet claves cæli, prout diu antè prædixit Spiritus Sanctus: *Et dabo tibi claves domus David ſuper humeros ejus, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit, qui aperiat.* Applicatio. *Iſaiæ 22.*

Petrus fuit ſapientiſſimus magus Indus, cui Deus

Deus duo vaſa donârat, poteſtatem ordinis, & poteſtatem juriſdictionis. Aperiebat hæc vaſa Petrus, dum veniebat ad eum aliquis, ut à Petro abſolveretur, qui vaſa aperiebat illum abſolvendo. *Ego te abſolvo à peccatis tuis.* Et ſtatim pandebatur etiam cælum, & effundebantur pluviæ gratiarum & favorum cæleſtium in illam animam, ut ſtatim factus ſit hortus pulcherrimus, floribus virtutum ornatus, campus fertiliſſimus opetum meritoriorum. *Aperiebat vaſa Petrus*, & ſtatim Zephyrus Spiritus Sancti tam ſuaviter ſpirabat, & perflabat illam animam, ut eam replêrit omnibus conſolationibus, reſocillationibus, & gaudiis cæleſtibus. Hinc ſanctus Pater Petrus Chryſologus eum plenis buccis vocat *Ianitorem cælorum; Cui*, dicit Auguſtinus, *tanquam bono diſpenſatori clavem regni cæleſtis Dominus dedit.*

Ser. 107. Ser. 3. de SS. Apoſt. Petro & Paulo.

O Petre, tu es ille Planeta cæli, tu es ille janitor cæleſtis, qui dum ſe jungit aſpectu benigno, vel adverſo cum aliis cælis fidelium in ſignis aqueis baptiſmi, vel pœnitentiæ, aperit vel claudit portas cæleſtes populis, vel concedendo iis pluvias, ventos, vel ſerenitatem gratiarum cæleſtium, aut grandines, tempeſtates, tenebras, fulmina ſuppliciorum: *Quodcunque ligaveris, &c.*

Meritò ergo tibi tanquam veræ idææ, & pro Chriſto in terra dicitur: *Tibi dabo claves regni cælorum.* & non unius tantùm cæli, ſicut dedit aliis Apoſtolis, ſed omnium cælorum; fuiſti enim princeps inter illos, & caput totius Eccleſiæ, tanquam ille, qui poteſt aliis dare facultatem aperiendi portas paradiſi fidelibus. Glorioſiſſime Petre, perfectiſſima idæa Chriſti.

Ambr. orat. in Aucent. Greg. in Pſal. 4. Ægeſi. lib. 3. c. 2.

VI. Reperio in ſancto Patre Ambroſio, ſancto Gregorio, Ægeſippo, Chriſtianos perſuaſiſſe glorioſo Apoſtolo Petro, juſſu Imperatoris Neronis incarcerato, ut fugeret pro bono communi totius Eccleſiæ, quæ magnam ex ejus morte patiebatur jacturam, & tam inſtanter ſollicitarunt ſanctum Paſtorem, ut actu carcere egreſſus ſit. Sed magna res, in quadam platea Romana, quæ nunc vocatur Sancta Maria, ad paſſus inter Sanctum Joannem Lateranenſem, & Sanctum Sebaſtianum apparuit illi Chriſtus, quem agnitum Apoſtolus interrogavit: *Domine, quò vadis?* Cui Salvator reſpondit: *Vado Romam iterum crucifigi.* Mi Salvator, an Petrum irrides? Quomodo denuò vis crucifigi, cùm ſis jam glorioſus in cælo, doratus nobiliſſimâ veſte impaſſibilitatis? Corpus glorioſum non poteſt pati, dos impaſſibilitatis te redegit ad ſtatum glorioſum, ergo.

Reſpondet ſanctus Pater Ambroſius, Chriſtum noluiſſe crucifigi in propria perſona; hoc enim erat impoſſibile, ſed ſignificare voluit, ſe in crucem agi voluiſſe in ſuo ſervo, quem æquè ac ſe æſtimabat, & crucifixionem Petri reputabat ſuam. *Intellexit Petrus ad ſuam crucem divinum pertinere reſponſum, quòd ſcilicet Chriſtus crucifigendus eſſet, non in propria perſona, ſed in ſervulo.* Hoc reſponſo doctus ſanctus Senex redivit ad carcerem, & poſtea ad crucem damnatus eſt, eique affixus in altiſſimâ parte Vaticani, & referunt Hiſtorici ſacri, eum capite deorſum, & pedibus ſurſum, modo planè contrario, quo fuit crucifixus Chriſtus, fuiſſe in crucem actum.

Lib. 5. Epiſt.

Baron. tom. 1. Pag. 631.

Hic ſiſto (N. N.) & ſcire percupio, cur S. Petrus voluerit ſic crucifigi? cùm voluerit imitari ſuum magiſtrum, & ſummè gauderet de illa morte, tanquam ſimili morti Chriſti, meo judicio perfectius eum fuiſſet imitatus, ſi permiſiſſet ſe crucifigi, ſicut Salvator crucifixus eſt. Cur ergo hoc modo non vult crucifigi?

In Pſ. 118.

Reſpondet mirabiliter S. P. Ambroſius, ob reſpectum & reverentiam erga ſuum magiſtrum; quamvis enim veriſſimum ſit, eum ſummopere deſiderâſſe imitari magiſtrum, & hoc eò perfectius, quò erat ejus Vicarius in terra; tamen quia timebat à mundo ſe traducendum, ac ſi affectaſſet gloriam ſui magiſtri, & voluiſſet haberi pro ipſo Chriſto, hinc ſic noluit crucifigi. *Metuens ne ſi eâ ſpecie crucifixus eſſet, quâ Dominus affectaſſe Domini gloriam videretur.* Volo quidem, inquiebat Petrus, imitari meum magiſtrum, & quo ad crucem, & etiam mortem crucis; ſi enim ulli competit eſſe expreſſam imaginem Salvatoris, id mihi competit, tanquam ejus vices gerenti, ideo libenter eo modo vellem crucifigi,

figi, quo ille in crucem eſt actus; at quia vereor, ne mundus dicat me affectaſſe gloriam debitam meo magiſtro, hinc modo oppoſito in crucem agi volo, *Metuens ne, &c.*

Optica. VII. Sed quæſo vos, hunc conceptum unico penicillo illuſtremus, ut magis reluceat. Optici, vos docetis umbram produci à corpore opaco illuminato à corpore luminoſo; nam umbra nil aliud eſt, quàm prohibitio diffuſionis luminis factæ à corpore opaco, percuſſo à lumine in parte oppoſita, & hinc fit, quòd radius umbroſus cum radio luminoſo, à quo procedit per lineam rectam, extendatur.

Præterea traditis inſigniſſimam doctrinam experientiâ probatam, & probari potentem. Dicitis ergo, corpus opacum, ſi reperiatur in ſublimi vertice, & ex eo habeat declinationem proportionatam, prout ordinariè declinant montes, contingatque illud corpus opacum illuminari, & producere umbram, tunc umbram in illo declivio repræſentare figuram totaliter contrariam figuræ illius corporis opaci; nam videbitis, quòd ſi corpus humanum ſtans erectum, caput habeat ſurſum, & pedes deorſum, tunc umbram in illo declivio montis, repræſentaturum corpus modo plane contrario, ita ut caput ſit deorſum, pedes ſurſum. Hinc dicitis: *Vmbra procedens à corpore opaco in ſublimi vertice exiſtente, cadens per declive inverſam repræſentat figuram, & univerſis veſtigiis exprimit corpus, cujus eſt umbra.*

Quòd ſi hujus rei cauſam inquiras ab Optico, reſpondebit id provenire à declivio montis, in quo terminatur umbra; cùm enim diſtenditur radius umbroſus per eandem lineam rectam, per quam diſtenderetur radius luminoſus à capite ad corpus humanum, quod format umbram, niſi hic radius impediretur & interciperetur, directè diſtenderetur per declivium montis, illuminando partem remotiorem; cùm autem prohibeatur ab opacitate capitis, radius umbroſus terminatur ad partem remotiorem declinationis; cùm igitur etiam pedes corporis humani, qui ſunt in ſummitate, impediant hanc diffuſionem luminis, cauſant umbram repræſentantem ipſos pedes, & quia pars montis recipiens umbram pedum eſt vicinior pedibus, & pars recipiens umbram capitis eſt ab iis remotiòr, & magis in declivio, ideo illa umbra repræſentat corpus modo inverſo. Hinc Opticus, *Vmbra procedens, &c.* Quòd ſi huic corpori humano objiceres murum, qui directè, & ex omni parte correſponderet dicto corpori in vertice montis ſine ulla declinatione, tunc umbra repræſentaret corpus humanum eo ſitu & ordine, quem corpus in ſe habet.

VIII. Nunc ad applicationem: *Vado Romam iterum crucifigi.* Invenio Sanctum Apoſtolum Petrum fuiſſe umbram repræſentantem Chriſtum Dominum, nec admiremini hanc meam propoſitionem. Adite Exodum, & in eo reperietis Architectum illum adeò celebrem, qui fabricavit tabernaculum, arcam, propitiatorium, vaſa, & reliqua neceſſaria ad cultum divinum, fuiſſe vocatum *Beſeleel.* Sed ſcitiſne, quid ſignificet Beſeleel? Reſpondet gloſſa in eundem locum, Beſeleel nil aliud eſſe, quàm umbram Dei, & hac ſignificari Petrum, *Beſeleel,* inquit gloſſa, *qui interpretatur in umbra Dei, ſignificat Petrum.* Nec hoc eſt mirum; nam ſicut Beſeleel fabricavit tabernaculum, & arcam teſtamenti verum typum Eccleſiæ, cum reliquis; ſic Sanctus Petrus Apoſtolus fundavit, & fabricavit veram Eccleſiam probono generis humani. *Tu es Petrus, &c.* Et ſicut Beſeleel vocatur umbra Dei, quia inſtar umbræ repræſentavit Deum, qui in illa arca voluit collocare ſalutem generis humani, ſic Petrus vocatur Beſeleel, & umbra Dei, quia ſicut umbra Chriſti capitis Eccleſiæ repræſentavit ipſum Chriſtum, qui in arca Eccleſiæ fabricata à Petro voluit ſalvare genus humanum. Petrus ergo eſt umbra Chriſti. *Beſeleel, qui interpretatur, &c.* Sed quando unquam fuit umbra Chriſti, niſi tunc, cùm ex amore Chriſti inverſo modo fuit crucifixus? En hujus probationem: Chriſtus fuit crucifixus in ſummitate montis Calvariæ, Sol gratiæ, quem recepit ab hac crucifixione, cum ſupra modum illuminavit; & eadem Applicatio. Cap. 31.

dem gloriâ illuſtraſſet Petrum crucifixum in Vaticano, ſic ut non potuiſſet diſcerni, quis ex his duobus adeò ſibi ſimilibus in crucifixione, & gloria eſſet Chriſtus, niſi Petrus modo inverſo fuiſſet crucifixus. Quid ergo fecit Petrus? Ne cauſam daret mundo ſuſpicandi ſe affectaſſe gloriam Chriſti, collocavit ſe in declivio humilitatis, & ecce tanquam umbra repræſentans Chriſtum inverſo modo apparuit crucifixus. *Vmbra cadens per declive inverſam &c.*

O glorioſiſſime Apoſtole, res ipſa demonſtrat, quod fueris umbra Chriſti repræſentans corpus Chriſti crucifixi per tuam crucifixionem, ſicut & in poteſtate & auctoritate aperiendi cœlum te ſimilem Chriſto demonſtraſti. Et quamvis te reduxeris ad declinationem humilitatis, ut repræſentares Chriſtum crucifixum *Inverſis veſtigiis*, ſcire tamen debet mundus, umbram tuorum pedum crucifixorum correſpondiſſe pedibus Chriſti crucifixi, umbram capitis capiti Chriſti, umbram manuum manibus Chriſti, ita ut ſi quis ſuſtuliſſet tuam umbram à declinatione tuæ humilitatis, non ſolum in crucifixione, ſed & in ſitu membrorum ad vivum repræſentaſſes Chriſtum crucifixum. Dicat ergo Ambroſius. *Non fuit opprobrio Petro crux Chriſti.* Dicat ſimiliter: *Tantum ejus gloriæ dedit, ut inverſis Chriſtum honoraret veſtigiis.* Aſſerat tandem hanc fuiſſe cauſam; *Metuens ne ſi ea &c* Expreſſiſſima umbra Chriſti. O glorioſiſſime Petre!

Scriptura. *Matth.16.* IX. Refert Sanctus Matthæus noſtrum Salvatorem, dum quadam vice ſcire percuperet, quid de ſe mundus ſentiret, Diſcipulos ſic interrogaſſe. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* & reſponderunt Diſcipuli. Domine non omnes idem ſentiunt, hic hoc, alter illud ſentit, & quilibet in ſuo ſenſu abundat. Nonnulli aſſerunt, te eſſe Joannem Baptiſtam, alii Eliam, alii Hieremiam, vel alium quendam ex Prophetis. Hoc audito replicavit Chriſtus, *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Porro ſacer textus omnibus ſilentibus, ſolum Petrum reſpondiſſe commemorat. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Chriſtus igitur ſummè recreatus illâ confeſſione Petri, cum magna hujus laude ſubjunxit: *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cœlis.* Fateor, Petre, te eſſe beatum, quia non edoctus à carne, & ſanguine, ſed ſolum à meo æterno Patre ſic reſpondiſti: Sed ſcias inſuper, quod quia tam liberè confeſſus es me Filium Dei, ego etiam omnibus notificem te eſſe Petrum. *Et ego dico tibi &c.* O Salvator animæ meæ, quomodo confeſſionem Petri; *Tu es Chriſtus &c* æquiparas cum tua confeſſione, dicens, *Et ego dico &c.* Quod Petrus cognoverit, & confeſſus fuerit te eſſe Filium Dei, res fuit præmio digna, quia ſolus Petrus agnovit, & confeſſus eſt hanc veritatem, & primus fuit, qui illam docuit. Sed quis ignorarit Petrum vocari Petrum? Quomodo ergo tam ſollicitus fuiſti, ut ab omnibus haberetur pro Petro, quia tu illud dixeras, cum nemo huic contradiceret, ſed omnes ſibi certo perſuaſum haberent eum eſſe Petrum?

Mirè Sanctus Leo Papa reſpondet; Chriſtum, cum videret ſolum Petrum confeſſum fuiſſe, & manifeſtaſſe ſuam divinitatem, voluiſſe remunerare hanc manifeſtationem, & in recompenſam notificaſſe excellentiam Petri. Hinc Sanctus Leo. *Et ego dico tibi, hoc eſt; ſicut Pater meus tibi manifeſtavit divinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus.* Quia tu me honoraſti, & confeſſus es me eſſe verum Deum, ſic ego volens te exaltare, & magnificare, dico quod ſis Petrus. Sed Deus immortalis; qualis eſt laus, qualis exaltatio, qualis excellentia Petri, quod fuerit Petrus? *Ita & ego &c.* Ut verum fatear non poſſum capere, quomodo hoc ceſſerit in laudem Petri. *Ser. 3.*

Ad ſtuporem bene Sanctus Leo dicit Chriſtum non potuiſſe magis exaltare, & magnificare Apoſtolum, quam dicendo, quod eſſet Petrus; Volebat ſiquidem omnes ſcire, quod ſicut Petrus per illam confeſſionem eum adeò exaltavit, ut eum reddiderit ſimilem, & æqualem Patri, ſic dicendo eum eſſe Petrum oſtendiſſe Petrum eſſe ſibi ſimilem, & ſuum Vica-

tium in terra? Cum enim Petrus significet Petram, & Christus etiam sit Petra, volebat insinuare Christus: Dico te esse Petram, sicut ego Petra sum, & te eveho per hoc ad tantam dignitatem, ut te mihi assimilem, dum illud quod mihi est proprium, tibi communico tanquam meo æmulatori, imagini, & Ideæ. Mitè Sanctus Leo *Cum ego sim inviolabilis petra, tu quoque Petra es, quia meâ virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint mihi tecum participatione communia.*

S. Leo ser. 3. in univers. sui Pontificatus.

Non potuit itaque melius dicere Christus, nec eum magis exaltare, quam dicendo, *Et ego dico tibi &c.* quia hoc modo fecit sibi similem, suique verum repræsentatorem in potestate. *Vtque mihi potestate &c.*

Liste. Roman.

X. Quod ars sit Simia naturæ communis, est sententia Doctiorum. Et tanto magis ars dicitur æmulatrix naturæ, quanto vivacius, & magis naturaliter repræsentat effectus & operationes ejus. Hinc pisces Phidiæ tam fuerunt subtiles, ut aquæ impositi natarint ac si vivi fuissent. Idcirco Martialis.

Artis Phidiacæ toreuma clarum
Pisces aspicis: adde aquam natabunt.

Imago similiter Alexandri Magni depicta à famoso Apelle, cum fulmine in manu, tam artificiosa fuit, ut digiti, & ipsum fulmen viderentur à tabula, supra quam depicta erant, separata, ita ut vulgus assereret duos ibi esse Alexandros, unum filium Philippi regis Macedonum invictissimi, & alium depictum ab Apelle imitabilem in arte.

Sed quid dicam de illo Archimandrita Mathematicorum, de ingenio tam celebri, & prioribus sæculis adeò æstimato, cujus memoria etiam adhuc hodie vivit, de illo inquam subtili ingenio nescio (an vocari debeat pater artis, vel æmulator naturæ) quod suæ scientiæ innitens, jactabat se unire posse huic mundo alium mundum longe dissitum si daretur; de illo inquam Archimede, qui fabricavit sphæram vitream tam affabrè, ut in illa viderentur omnes globi cœlestes, firmamentum cum circulo Zodiaci, sol, & luna cum omnibus aliis stellis specialiter errantibus? Imo quod magis mirandum erat, omnes illæ sphæræ faciebant suos motus naturales, & violentos ab Oriente in occidentem, & econtra, tantâ dexteritate, & gloriâ sui ingenii, ut sapientiores indicârint ejus manum æmulatam fuisse potentiam divinam, & tanto celebrius fuit hoc opus, quantò fragilior fuit materia ejus. Hinc fingit Claudianus ipsum Jovem habitum pro fabricatore vero cœli, admiratum opus tam subtile, & ingeniosum, & quasi simile veris cœlis à se creatis aliis Diis dixisse. Attendite, & mecum obstupescite, considerando quousque ascenderit industria, & vis ingenii humani, dum homines volunt esse nostri æmulatores, & nobis pares, condendo novos cœlos, & novas stellas, & ad vivum illis oculis mortalium exponendo, quamdiu hos solidos cœlos à nobis fabrefactos intrare non possint. Hinc bene, & erudite Claudianus:

Iupiter in parvo cum cerneret æthera vitro; *Claudianus.*
Risit, & ad superos talia dicta dedit.
Huccine mortalis progressa potentia curæ?
Iam metus in fragili luditur orbe labor.
Iura poli, rerumque fidem, legesque Deorum
Ecce Syracusius transtulit arte senex.
Percurrit proprium mentitus signifer annum;
Et simulata novo Cynthia mense redit, &c.

Porro hoc portentum humani ingenii, & artis postea imitatus est Possidonius celebertimus mathematicus, teste Cicerone. *Lib. 2. de nat. Deorum.*

XI. Nunc ad applicationem. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt adversus eam. & tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram,*

eris

erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolveris
Lib. Quis rerum divinarum. *ſuper terram erit ſolutum & in cœlis.* Nobiliſſima ſphæra cæleſtis eſt anima noſtra, ſingulariter quando ornata eſt divinâ gratiâ *Anima juſti cœlum eſt* inquit Gregorius. Sphæra cœleſtis, in qua relucet ſol charitatis, luna divinæ gratiæ, ſtellæ ſanctarum virtutum. Hinc Philo. *Cœlum dicitur ſapientis anima, ut quæ in æthere habet lucida ſidera, concinnas choreas, divinos circuitus virtutum ſplendore fulgidiſſimos* Sphæra adeò repræſentans ad vivum ſphæram naturalem conditam à ſupremo opifice Deo, ut hic videns adeò perfectam, videatur exclamaſſe in conſiſtorio Sanctiſſimæ Trinitatis. *Huccine mortalis &c.* Anima juſta, & grata Deo eſt ſphæra cœleſtis, ſed ſphæra vitrea, quia gratia Sacramentalis, per quam homo fit adeò nobilis, eſt quaſi fragile vitrum, quod facillimè perditur. Hinc Hugo: *Gratia baptiſmalis eſt vitrea, quia facile amittitur.*

Potro hoc opus prodigioſum, quod rapit in ſtuporem terram, & cœlum, eſt fabricatum, & conditum ab ingenioſiſſimo Archimede Apoſtolo Petro mediante virtute, quam ipſi Deus conceſſit, flatu paucorum verborum, ad ſignificandum eâdem facilitate, quâ Deus ſolo *fiat* formavit veros & ſolidos cœlos, ſic Petrum tanquam inſtrumentum Chriſti fabricare non virtute propriâ, ſed Chriſti hanc nobiliſſimam
Iſaiæ 51. ſphæram vitream. *Poſui verba mea in ore tuo, & in umbra manûs meæ protexi te, ut plantes cœlos, & fundes terram.* Sed quænam ô Petre, ſunt hæc verba adeò efficacia, & operativa, ut correſpondeant *Fiat* divino in creatione? *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* En creatum, & fabricatum unum zodiacum, in quo reſplendent per divinam gratiam tot ſtellæ fixæ virtutum Theologicarum, & ſingulariter duodecim articulorum fidei, quaſi duodecim conſtellationum nobiliſſimarum. *Hoc eſt corpus meum,* En creatum, & fabricatum ſolem Euchariſtiæ. *Ego te Abſolvo à peccatis tuis,* en creatam, & conditam lunam divinæ gratiæ, cum omnibus aliis ſtellis errantibus, Veneris, charitatis, amoris Dei, Mercurii facundiæ Deum laudando, Martis deteſtationis, & odii peccati, Jovis benignitatis verſus proximum, Saturni maturitatis, prudentiæ, & perſeverantiæ in bono, ſi non finalis, ad minus temporaneæ.

O Apoſtole Petre, en quam nobiliſſimam ſphæram fabricaſti, quæ videtur æmulari illam, quam condidit Deus à principio mundi per ſuum *Fiat!* Merito igitur, & potiori jure de te, quam de illo ſene Syracuſano dici poteſt. *Iura poli &c.* Quod ſi ille dictus fuit æmulator potentiæ Dei creantis, quanto potiori jure id debet affirmari de te, qui hanc poteſtatem à Deo accepiſti, *Poſui verba mea, &c.* Dicat ergo Sanctus Leo Chriſtum, ut ſignificaret tuam magnam potentiam æmulatricem divinæ te vocaſſe Petrum, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c.* Per quod excellentia tui valoris patet. *Vtque mihi poteſtate &c.*

XII. Quando caput principale Eccleſiæ Chriſtus Dominus Sanctum Petrum inſtituit, & creavit ſuum Vicarium, eique conceſſit plenariam poteſtatem ſuper ſuam ſponſam ſanctam Eccleſiam, eumque effecit equitem auratum, & ærarii ſui ſummum præfectum; dixit ei illa verba adeo uſitata, & frequentata à Doctoribus. *Tibi dabo claves regni cælorum &c.* Hic inquiro quomodo Petro competant claves cælorum? His verbis an forſan voluit ſignificare Chriſtus, Petro competere poteſtatem in cælum, & animas cæli incolas? Revera credo, quod non, quia animæ beatorum, cum ſint extra viam, non ſubjiciuntur poteſtati Petri, ſicut nec animæ damnatorum, cum poteſtas Petri extendatur ad ſolos viatores. Quomodo ergo inquit Chriſtus: *Tibi dabo claves &c.* Scriptura. *Matth. 16.*

Faciliter aliquis reſpondebit periodo ſequenti declarari primam, quia *quodcunque ligaveris ſuper terram, erit & ligatum in cælis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Ac ſi diceret, ſi tu quandam animam in terra ligaveris tua poteſtate, nec hæc à me erit abſoluta in cælo, & hoc modo clavibus tuæ poteſtatis claudes cælum & ego confirmando tuam ſententiam, etiam illud claudam. Quod ſi autem auctoritate & juriſdictione tua aperueris cælum, ani-

mam abſolvendo à ſuis culpis, ego non amplius judicabo illam ream, & indignam cælo, ſed ſententiam tuam in terra latam ratificabo in cælis, & hoc modo verificabitur, quod habeas claves cæli. *Tibi dabo &c.*

Et ut verum fatear, hic eſt legitimus ſenſus hujus Scripturæ. Sed alia magna difficultas hic ſeſe prodit; nam ſi illud quod judicat Petrus in terra, ſive ligando, ſive ſolvendo ratificatur in cælo, ergo Petrus ante ipſum cælum fert judicium. Ergone ſententia Petri præcedat ſententiam cæli? Ergone Deus determinabit poſtquam jam determinavit Petrus? Ergone Deus ſit pediſſequus Petri, & à Petro dependeat? Contrarium deberet fieri; deberent enim præire decreta, & ſententiæ Dei, quibus homo parere debet. Quomodo ergo dicitur: *Tibi dabo claves &c.*

Pulchre Sanctus P. Bernardus. Veriſſimum quidem eſt, quod ſententia Petri præcedat ſententiam cæli, & quod decreta Petri lata in terra confirmentur à Deo in cælo, ſed noli mirari, quia ſic placuit Deo, ut tu agnoſas potentiam, auctoritatem, poteſtatem & virtutem cæli, qua degens in terra habet vim aperiendi cælum, & faciendi, ut Deus confirmet in cælo, quod Petrus decrevit in terra. Ut ſcias Petrum quamvis non ſit ſuperior Deo, tamen eſſe factum æmulatorem omnipotentiæ divinæ, quæ Petro auctoritatem dedit claudendi & aperiendi cælum, quam illa alias habet ex ſe. Hinc Bernardus:

Ser. 1. de SS. Petro & Paulo. *Quid potentius Petro, qui claves regni cælorum tam ſingulariter accepit, ut præcedat ſententia Petri ſententiam cæli.* O quam bene. *Quæ claves regni &c.* Quis ergo negabit Petrum eſſe verum æmulatorem Chriſti? Verum ô glorioſiſſime Petre, non poſſum deſerere hanc ſcripturam niſi tuâ veniâ recurram ad Juriſtas.

Leges. XIII. Domini Juriſconſulti vellem à vobis ſcire, quale fuerit officium apud Romanos eſſe Dictatorem, & cur principaliter illud fuerit inſtitutum? Alexander ab Alexandro in ſuis diebus genialibus reſpondet. *Lib. 3. c. 15.* *Dictatorem, à quo provocare non licebat ſummum Romæ imperium tenuiſſe cenſendum eſt. Non modo laborante republicâ, ſed & florente & procul à bello tumultu creatum fuiſſe liquet.*

Hinc dicit Alexander Dictatorem præcipuè ob has cauſas fuiſſe creatum. Prima *figendi clavi.* Et ideirco dum quadam vice Urbem Romanam graviſſima depopularetur peſtis, quæ non ſolum non ceſſabat, ſive medicinis humanis, ſive invocationibus Deorum, ſed magis ſæviebat abſque ullo reſpectu non dico infimæ plebis, ſed nec ipſorum Senatorum, à ſenatu Romano fuit Dictator creatus Lucius Manlius, *clavi figendi* cauſa. Hic clavo æneo numerum anni currentis incidit, eumque lateri dextro templi Jovis in Capitolio infixit ea intentione, ut peſtem ſedaret, & filum miſeriarum truncaret. Et en ſtatim quaſi cælum eſſet placatum, & Dictator voti fuiſſet compos factus, peſtis remiſit, & urbs Romana clavo fixo intra breve tempus liberata fuit.

Similiter, dum quædam matronæ Romanæ maleficiis majorem partem civium dementaſſent, eorumque animos alienaſſent, in Dictatorem creatus fuit Cnejus Quintilius, qui clavo fixo civibus mentes, & intellectum reddidit.

Secunda cauſa, cur crearetur Dictator, erat, ut ſupplereturnumerus Senatorum.

Tertia, ut reprimeretur contumacia eorum, qui magiſtratui obedire nolebant.

Quarta, ut inquirerentur conſpiratores, eique ſeverè punirentur. Alias cauſas omitto. Porro ad officium Dictatoris nemo eligebatur, niſi qui antea conſulem egiſſet.

XIV. Nunc ad applicationem, *Tibi dabo &c.* Sanctus Apoſtolus Petrus, quaſi Dictator Romanus fuit à Chriſto inſtitutus in militante Eccleſia. Dictator, nam ſicut apud Romanos ad tale officium nemo promovebatur, niſi eſſet ex primariis Senatoribus illius Reipublicæ, ſic Petrus fuit primus inter fideles, imo caput omnium Apoſtolorum. *Tu vocaberis Cephas*, hoc eſt, caput, quia fuit caput Eccleſiæ, & præcipuus Apoſtolorum. Petrus fuit creatus à Deo

Dicta-

Dictator *Senatus legendi gratia*; nam habuit potestatem, & auctoritatem creandi Cardinales, & Episcopos, qui sunt Senatores aliis præfecti. Petrus à Deo fuit electus Dictator *Magistratus coercendi gratia*, ad reprimendam audaciam & temeritatem suspensionibus, interdictis, excommunicationibus eorum, qui nolunt obedire Ecclesiæ. Petrus est institutus Dictator *Quæstionem exercendarum causa*, ad sedandos tumultus hæreticorum; ad hæreticorum conventicula solvenda, ad determinandos articulos fidei; Petrus est electus à Deo Dictator, *clavi figendi gratia*, ut liget manus Deo, cum placet, quando vel peste, vel fame, vel aliis flagris castigat genus humanum. Petrus figit clavum offerendo sacrificium missæ, & pro libitu cogit Deum, ut ejus votis annuat. Figit clavum Petrus absolvendo à peccatis, & en Deus gratificat absolutionem. Figit clavum Petrus, & en mediante divina gratiâ collata à Petro in admiratione Sacramentorum, mentes hominum dementatæ sanantur. Figit clavum Petrus, & en sua auctoritate claudis restituit gressus, resuscitat mortuos, præcipitat superbos temeratie præsumentes volare in cælum. Figit clavum Petrus, & sistit pinum navis Ecclesiæ, & in his, ac mille aliis casibus confirmat id quod hic vult in terra, & Deus illius decreta in cælo confirmat. Figit clavum Petrus dicendo, *Ego te baptizo*, & en parvulus statim liberatur à peccato originali, adultus etiam ab actualibus, & Deus ratificat in cælo, quidquid Petrus decrevit in terra. Figit clavum Petrus dicendo, *Hoc est corpus meum*, & convertit panem in corpus Christi, quod & Deus ipse in cælo confirmat. Figit clavum Petrus, consecrando sacerdotes, & Episcopos, & vult, ut hi alios consecrent, & en Deus confirmat in cælo quidquid Petrus stabilivit in terra, & ita de omnibus aliis tam prosperis, quam adversis casibus Ecclesiæ.

Sed quid miri, Domine, quod Petrus compareat tanta dotatus virtute, ut suo modo certet cum tua, ita etiam ut tua virtus ab illius virtute dependere videatur, cum tu creaveris cum Dictatorem hujus serenissimæ Reipublicæ, Ecclesiæ militantis, eique concesseris claves cæli cum auctoritate tam singulari, ut possit aperire illud & claudere, cui voluerit, & tam absolutâ, ut omnes auctoritates ab hac dependeant, nec huic ullo modo cælum contradicat. Dicamus ergo te huic Dictatori dedisse claves cæli. *Tibi dabo claves regni, &c.* Dicamus *quodcunque ligaveris, &c.* Dicat præterea Bernardus, *Quid Petro potentius &c.* Dicamus tandem, quod Christus fecerit Petrum suiipsius perfectissimam Ideam, equitem auratum, suum plenipotentiarum, æmulatorem sui ipsius, & alterum se ipsum.

XV. O glorioſissime Apostole, ô Vicarie Christi, ô Sol Ecclesiæ, ô Petre invocate, ô Petre inauiate. Tu velut sol inter Apostolos compares, major reliquis stellis; Tu omnibus illis communicas lucem, tu tua claritate illustras totum orbem, tu illum inflammas tua ardentissima claritate, quia in hoc magno systemate Ecclesiæ militantis perfectius, quam reliqui imitatus es Authorem ipsum lucis. Epilogus.

Tu fuisti Claviger, & Janitor cæli potioti titulo, quam reliqui Apostoli, quia humeris tuis gestas non solum claves unius cæli, sicut illi, sed omnium cælorum. Tu humeris tuis gestas has claves, & dum moves te benigne, vel severè aperis cælum, vel claudis cum damno, vel bono hominum. Tu es ille sapientissimus Indus, qui aperiendo vas ventorum & pluviarum thesauri Ecclesiæ, facis ut sufflet Zephirus Spiritus Sancti, & ubertim fluat pluvia gratiarum. Tu es ille maturus & prudentissimus Saturnus, qui dum intrat signa aquea, utriusque Baptismi, aperis cum stupore terræ & cæli portas omnes paradisi pro beneficio mortalium.

Tu es umbra perfectè imitans Christum, ejusque crucem, & crucifixionem in declivio tuæ humilitatis, ne mundus judicaret te voluisse usurpare gloriam illius, & hinc voluisti crucifigi modo inverso, sicut umbra in declivio montis repræsentat corpus Christi in vertice illius.

Tu quia confessus es Christum esse verum Filium Dei, remuneratus es ab eo dicente, quod fueris Petrus, & petra sicut ille, Petra fundamentalis sicut ipse Christus. Petra, cui ipse Christus voluit communicare omnem suam virtutem, ita ut tu virtute Christi potueris creare, & fabricare novos cælos, & novos mundos, & quamvis ex vitro fragili, tamen adeo perfectos, ut tota Sanctissima Trinitas admiratetur videns te factum æmulatorem Dei creantis.

Sed quid ulterius, ô glorioſiſſimè Apoſtole, in tui laudem dicere potero? Si dixi te æmulatorem Chriſti non erravi, imo parum dixi; nam mihi (reverenter loquendo) ſuo modo videtur, te ſuperaſſe Chriſtum in hoc, quod tibi ſint datæ claves cæli, cum tanta auctoritate, ut tu prius aperias peccatori cælum, quam Chriſtus, & quod ſi tu illud aperias, Chriſtus non poſſit illud claudere, & quòd ſi tu illud claudas, Chriſtus non poſſit illud aperire. Nam Deus ordinavit tuas ſententias ratificari debere à Deo in cælo, & tua decreta præcedere debere decreta Chriſti; Nec hoc eſt mirum, quia Deus te creavit in terra Dictatorem Reipublicæ Romanæ; & militantis Eccleſiæ, ut quidquid tu agis in terra, pro acto habeatur in cælo.

O Dictator potens, tu tua auctoritate figis clavum, & ligas manus Dei, juſtè contra genus humanum irati. Ingenioſiſſimè Archimedes, tu tuo flatu & verbis roboratis à Spiritu Sancto ex materia fragili animarum fabricas cælos ſpirituales, in quibus relucent ſtellæ virtutum Chriſtianarum.

Umbra perfectiſſima Chriſti, forma etiam in nobis tuam umbram, ut poſſimus imitari tuas prærogativas, & recreari ſub umbra tuæ perfectionis.

Claviger cæli, Janitor Paradiſi, tu pro utilitate noſtra admove cælo tuum humerum dextrum benignitatis, & clementiæ, ut nobis ſemper ſint apertæ portæ cæli, & clauſæ portæ inferni.

Sol ſuperne, petra ignita, aurea gleba paradiſi, illuſtra mentes noſtras, ut perfectè cognoſcamus Chriſtum, eumque confiteamur verum Filium Dei, ut nos fiamus participes illius beatitudinis, quâ te donavit tuus Magiſter ob ipſammet confeſſionem: *Beatus es Simon Bar jona, &c.* Fac ut hic in terra imitemur tuas virtutes, ſicut tu imitatus es Chriſtum, quod

DEUS concedat.

AMEN.

(*)(*)(*)

ELO-

ELOGIVM XX.

Pro Feſto S. Apoſtoli Pauli.

Magnus Sanctus Paulus, vas electionis, vere digne eſt glorificandus, qui & meruit thronum duodecimum poſſidere.
Eccleſia.

Aſtronomia. I. QUod ab angulo Orientali, horoſcopo, & primâ domo aſcendentis ſumamus augurium infantis recens nati, pluſquam verus eſt conſenſus Aſtrologorum. *A prima domo ſumitur generalis de vita prognoſticatio.* Et eo univerſalior erit illa prædictio, quo plures fuerint planetæ, qui eodem tempore reperti fuerint eſſe conjuncti, vel cum corporibus ſuis, vel cum aſpectibus felicibus in aſcendente. Hinc dicunt, quod ſol in prima domo promittat excellentias, dignitates valde conſpicuas, à quibus dependet nomen, gloria, & fama ſingularis illius, qui naſcitur. *Sol in prima domo potentiam & principatum cum nominis exaltatione oſtendit.*

Mars ſimiliter in aſcendente, vel in propria ſua domo facit animoſum, potentem, & fortunatum in armis. Mercurius ingenioſum, ſapientem, facundum & eloquentem, & cujuslibet artis exploratorem. Quodſi forte omnes hi tres planetæ nominati ſimul fuerint in aſcendente illius infantis, illi per diſcurſum vitæ poſſet promitti magna fama & reſpectus, dignitates altiſſimæ, officia & munera maxima in militia, tanta eloquentia & facundia, ut nil ultra deſiderari poſſit. Sol velut auctor acclamationum & applauſuum, illi polliceretur famam celebrem, nomen clarum, & illuſtre. Officia eminentia in bello illi promitteret Mars dator & dominator bellicorum. Facundiam & eloquentiam illi prædiceret Mercurius, qui talium influxuum cenſetur Dominus. Hinc protomagiſter Aſtronomorum Ptolomæus dixit: *Homo natus in ea conſtitutione cæli, ut Sol, Mars, & Mercurius deſuper irradient, triplici dote erit conſpicuus, famâ inſignis, dux impiger & facundus.*

l. 3. de judiciis c. 12.

Nec demitor has prærogativas provenire à conjunctione horum trium planetarum in aſcendente; quia ſi quilibet ſe ſolo ſuas proprias pollicentur, non ſolum non illas promittent conjuncti, ſed ob talem conjunctionem, magis ſingulares & conſpicuas.

Applicatio. II. Noſter Salvator Chriſtus Jeſus eſt ſol lucidiſſimus juſtitiæ, qui ſuis ſplendoribus illuſtrat univerſum. *Ego ſum lux mundi.* Similiter eſt Mars bellicoſus, qui vocari vult dominus ac dux exercituum. *Dominus exercituum* Ipſe tandem eſt ille Mercurius, qui per ſuam facundiſſimam eloquentiam, & eloquentiſſimam facundiam ab omnibus vocatur *Verbum Patris.* Velut eloquentiſſimus Mercurius influit facundiam verborum *Dabo vobis os & ſapientiam, cui non potuerunt contradicere adverſarii veſtri.* *Luc. 21.*
Inſtar valoriſſimi Martis promittit & largitur animum, robur, generoſitatem, ac victoriam *Dominus conterens bella.* Velut lucidiſſimus ſol influit claritatem & ſplendorem nominis, & magnæ famæ. *Ipſe eſt Rex gloriæ.* *Judith. 16.*

Naſcitur Deo in die ſuæ converſionis S. Apoſtolus Paulus, & ecce perfectior configuratio ſtellarum, quæ in cælo reſplendet, comparet, ut ſit fautrix hujus nativitatis; ſol puta luminoſus, Mars bellicoſus, & Mercurius eloquens filii Dei. Comparet ſol luminoſus. *Subito circumfulſit eum lux de cælo.* *Act. 9.*
Comparet Mercurius eloquens. *Audivit vocem dicentem ſibi, Saule, Saule quid me perſequeris?* Comparet Mars bellicoſus: *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* O quam propitia, quam favorabilis, quam fortunata configuratio ſtellarum! O Filii Dei, ô Sol, ô Mars, ô Mercuri, & quid quæſo polli-

polliceris tua glorioſa ac felici comparatione Paulo in ſua nativitate ſpirituali?

O glorioſiſſime Apoſtole, bene videmus effectum cæli, influentias tibi à Deo communicatas Sol filii Dei te reddit clarum, illuſtrem ac notum plebi, gentibus, Hebræis, principibus, ac dominis terrarum; tuum nomen, tua fama per univerſum totum eſt dilatata. *Ibid.* *Vas electionis eſt mihi, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus, & filiis Iſrael.* Mars bellicoſus tibi dedit tantam generoſitatem ut te creaverit ducem exercitus Dei; nam ideo fuiſti vocatus, *Dux gentium*, adeo robuſtus, ut à Deo confortabas, convaleſcebas, & confundebas Judæos. Mercurius eloquens ſibi inſtillavit tantam facundiam, ut totam Eccleſiam Dei erudieris, & quidem tam excellenter, ut jure optimo metueris titulum Doctoris gentium, ac totius Eccleſiæ. *Doctor egregie Paule, mores inſtrue.* Quinimo eouſque proceſſiſti claritate tui nominis, ut multi, teſte Origine, te æquaverint ipſi ſoli. *Hom. 23. in Luc. c. 3.* *Alii dicunt quod Paulus ſedeat à dextris ſalvatoris.* Eouſque aſcendit tua generoſitas, & valor fervidus, ut nonnulli crediderint te eſſe alterum furentem Martem Spiritum Sanctum. *Alii legentes, mittam vobis Spiritum veritatis, nolunt intelligere tertiam perſonam, ſed Paulum Apoſtolum.* Tam eloquentem te demonſtraſti, ut Lycaoniæ incolæ, te ipſum Mercurium vocarint. *Alii dicebant Jovem Barnabam, Paulum vero Mercurium.* Velut ſol ergo, ô glorioſiſſime Apoſtole, illumina meum intellectum, ut Mars inflamma, & calefac meum intellectum, tanquam Mercurius fœcunda meam linguam, ut mundo tuas excellentias, ac eminentes prærogativas pandam.

ASSUMPTUM.

Sanctus Paulus Apoſtolus fuit tanta ſapientia & valore ornatus, ut nominatum ſe reddiderit per totum orbem.

Scriptura. 1. *Theſſ.* 2. III. SCribens hic glorioſiſſimus Apoſtolus ad Theſſalonicenſes, qui hodie vocantur Salonici, nonnulla profert verba, quæ contradictionem non ſpernendam involvere videntur. *Facti ſumus parvuli in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos.* Cum poſſemus recentes ſitis converſi ad fidem Chriſti, eſtis quaſi infantuli mox nati tenelli, ac debiles in rebus fidei, ſicut infantuli ſunt in rebus naturalibus; cum itaque ſitis parvuli, ego cum vobis converſando etiam factus ſum parvulus. *Facti &c.* Hæc periodus ſecundum ſe conſiderata, non habet magnam difficultatem, ſed contradictio oritur ex periodo ſecunda, quam ſubdit. *Tanquam ſi nutrix foveat filios.* Nutrix, quæ lactare debet, non poteſt eſſe virgo, ſed debet eſſe mulier adulta, nam puellæ non poſſunt præbere lac, cum hoc tantum mulieribus ſeu matribus competat, quæ ad minus ſemel pepererunt. Si ergo Paulus ſit factus nutrix, & Theſſalonicenſium gerulus, quomodo poteſt dicere, quod ſit infans ſicut illi? Alia occaſione dicit idem Apoſtolus de recens converſis: *Tanquam parvulis in Chriſto lac* 1. *Cor.* 3. *vobis potum dedi, non eſcam.* Velut prudens & circumſpecta altrix videns fideles adhuc eſſe tenellos infantes in via Dei, eos potabat lacte conſolationis, & non pane aſperitatum ac rigorum. Et hoc ſenſu dictum Pauli nullam involvit contradictionem, ſed dum ſcribit ad Theſſalonicenſes: *Facti &c.* ut verum fatear, primâ fronte mihi contradictio inſolubilis videtur. Præterea ſi idem Paulus alibi ſcribat: *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* *Gal.* 4. Quomodo poterat dicere ad Theſſalonicenſes, ſe cum iis factum eſſe infantem, cum non ſtet ſimul quempiam eſſe nutricem & infantem.

Sanctus Pater Chryſoſtomus dubium hoc diluere conatur dicens, Paulum Theſſalonicenſibus nutricem, ac ſimul infantem fuiſſe. Nutrix, quia iis præbebat lac fidei, infans, quia in illos, qui erant pueri, & infantes ſe transformârat, non ſecus ac ſolent matres, & nutrices agere cum infantibus, nam non ſolum præbent iis lac, ſed & iis ſe conformant in verbis balbutientibus, in geſtibus, moribus puerilibus, ingreſſibus tremulis, ac tentativis, ſubinde infantem, qui loqui neſcit, alloquitur geſtibus, ac nutibus, aliquando format verba, ſed truncata ad modum, quo illa ſolet formare puerulus, ſubinde ſiſtit greſſus, ac ſi graditi non poſſet; aliquando ſimulat riſum, aliquando planctum, aliquando timorem, ſi leviter à puerulo vapulet, fingit ſe gravem recepiſſe percuſſionem, ſe ſimulat debilem, ac tenellam ſicut ille. Verbo, mille modis ſe transformat, ut dele-

delectet infantem, ejuſque amicitiæ ſe inſinuet. Non abſimili modo, inquit Chryſologus, agebat Paulus cum Theſſalonicenſibus noviter converſis. Hinc cum eſſent tenelli infantes in fide, ut illos ſibi devinciret, pro eorum ſalute ſe mille modis transformabat; ac ſi eſſet quæpiam nutrix, Protheus, Empuſa, vel Vertumnus, nec ullam negligebat formam utilem eorum ſaluti, quam non indueret: ſic enim exigit ars oratoris, & Mercurii ſpiritualis, qualis erat Paulus à Mercurio cæleſti fotus. *Mire Chriſologus: Nutritor prius, niſi totus redactus fuerit in parvulum, nunquam parvulum perducit virum. Denique nunc vocem tenuat, verba ponit, agit nutibus, ſenſus ſeponit, infirmat viſcera, abjicit vires, membra diſſolvit, greſſum tardat, geſtit non ambulare, ſed repere, ridere ſimulat, timere fingit, flere mentitur, quia eſt in illo mendacio pietas, deſipuiſſe prudentia eſt, infirmitas virtus. Hoc reor Beatum Paulum feciſſe, cum dicit. Factus ſum parvulus in medio veſtri, tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos.*

Ser. 62.

Philoſophia.

IV. De Polypo piſce marino paſſim noto perhibent Ariſtoteles, Plinius, Oppianus, Solinus, Lucianus, ac alii, quod acclinans ſe alicui ligno, vel lapidi, omnes ligni vel lapidis illius colores in ſuo corpore exprimat, & ſi iterum alteri ligno, vel lapidi ſe acclinet, miſſis priotibus coloribus, colores poſterioris ligni, vel lapidis ſibi adfricetur, ita ut quaſi Protheus marinus in varias formas ſe transmutet, & piſces deluſi, credentes eum non eſſe Polypum ſuum hoſtem, ad eum accurrant, ejuſque præda fiant. Hinc Sanctus Baſilius: *Cuicunque ſe petræ affixerit, ejus colorem repræſentat, adeo ut piſces falſâ imaginatione deluſos ultro ſe prædoni offerentes devoret.* Hic ſcire percuperem cauſam effectus adeo prodigioſi.

Ariſt. l. 9. de animal. c. 37.

Plin. l. 9. c. 29.

Hom. 7. de mundi opificio.

Democritus more ſuo ſemper delirans circa tranſpirationem ſuorum atomorum chimæricorum diceret (prout etiam affirmat Plutarchus) corpus Polypi eſſe plenum poris & meatibus; hinc cum ex altera parte petræ marinæ ex ſe emittant quædam corpuſcula minutiſſima veſtita coloribus iiſdem à ſe emiſſis, hi meatibus corporis Polypi inviſcerantur, adeoque fit, quod referat colorem lapidum, quibus ſe affigit. Ita etiam expreſsè Plutarchus.

l. de cauſis natural. c. 19.

Mar. Bignonii Sanctorale.

Adjungit Plutarchus hanc transformationem Polypi in tot colores non provenire à timore polypi, uti volebat Theophraſtus, ſed potius ab induſtria & ſagacitate naturali hujus piſcis. Hic enim cum ſit voraciſſimus, deficiente ſibi cibo devorat proprias ſquamas, ſciens naturaliter per hanc transformationem ſimplices piſciculos deludendos, nec fugandos, ſicque aſtu & ſtratagemate attrahit colores lapidis, cui acclinat, & ſic pro libitu piſces prædatur.

l. plus rationis inſit piſcibus quam animal.

Alii tandem aſſeruerunt polypum habere corpus Diaphanum, & valde tranſparens, adeoque colores lapidis, cui ſe affigit, tranſvolant ejus corpus inſtar ſpeculi, ſicque decipiens oculos piſcium natantium per mare, colores illos emittit, qui tamen in eo vere non ſunt, ſed in lapidibus, quibus adhæret, quod piſces advertere non valentes ſed credentes polypum eſſe lapidem, ei adnatant, & à polypo ſic devorantur.

V. Nunc ad Apoſtolum Paulum. *Facti ſumus parvuli &c.* Polypus valde ſagax, ac ſedulus ſemper fuit hic Dei Apoſtolus. Polypus appetentiſſimus prædæ, & lucri animarum pro cælo. Polypus, qui animabus convertendis, & ſalvandis in omnes formas ſe transformavit. Hinc dicebat: *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes ſalvos facerem* Polypus, qui infantibus & parvulis in fide factus eſt parvulus, & nutrix. Polypus, qui Judæis convertendis factus eſt Judæus. *Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrarer.* Polypus, qui dum offenderet quemcunque cujuſcunque religionis, & ſubjectum ponderi graviſſimo cujuſcunque legis, etiam talem ſe exhibebat, ut illam animam lucrifaceret. *Iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, ut eos qui ſub lege erant lucrifacerem.* Polypus, qui ſi caſu incideret in gentilem, & infidelem nulli ſubjectum legi, ſeſe ei accommodabat, & hoc modo fideles Chriſto lucrifaciebat. *Iis qui ſine lege erant quaſi ſine lege eſſem, ut lucrifacerem eos, qui ſine lege erant.* Polypus, qui cum infirmis infirmabatur, cum debilibus debilitabatur. *Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem.* Verbo Polypus, qui nullam formam negligebat, ſed in omnes migrabat, in omnes colores & qualitates perſonarum

Applicatio.

1. Cor. 9.

1. Cor. 9.

transformabatur, ut omnes lucrifaceret. *Omnibus omnia &c.*

Sed quænam fuit cauſa, ô gloriosiſſimè Apoſtole, quod tam faciliter omnes formas indueris? Scio hunc eſſe genium Mercurii, ut induat qualitates planetarum, cum quibus conjungitur. Scio pariter hoc eſſe artificium Oratorum perfectorum, ut auditores ſibi devinciant. Sed quomodo potuiſti tot formas induere? quæ cauſa effectus tam miri. Si dixero te eſſe factum totum porosum, & quod omnes indueris affectus, & paſſiones emiſſas ab iis, quibus te junxiſti, ut eos converteres, ſum certus me non malè dicturum, quia *Omnibus omnia factus, &c.* Si adjunxero te non inductum ad hoc à timore, vel meticuloſitate, ſed à genio tuæ facundiæ, imo ab affectu maximo, & amore tenerrimo, quo proſecutus es fideles, revera à nullo arguar, juxta enim Sanctum Patrem Chryſoſtomum, in commemoratione Sancti Pauli; *Quaſi enim univerſum mundum ipſe genuiſſet, ſic perturbatur.* Si ultimo adjunxero, id proveniſſe, quia inſtar cryſtalli factus es totus diaphanus, & tranſparens, privatus omni colore proprii intereſſe, ut facilius alios lucrateris concinam eidem Chryſoſtomo. *Omnia ipſe exiſtens, & nauta, & gubernator, & porrò director, & velum, & navem, & omnia ferens, ut omnium mala ſolvat; quia non quærebat quæ ſua ſunt, ſed quæ IESV Chriſti.* Tu ergo conclude meum conceptum dicendo, te migraſſe in puerum, ut converteres, lucrateris, confirmares in fide infantes Theſſalonicenſes. *Facti ſumus parvuli in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos.* Hæc ſiquidem eſt ſumma excellentia Mercurialis, & facundi oratoris ad lucrandas animas. Neque robur & valor hujus generoſiſſimi Martis fuerunt inferiores ejus eloquentiſſima ſapientia, & Mercuriali facundia.

Hom. 25. in epiſt. ad Corinth.

Scriptura. Cap. 35.

VI. In Geneſi, capite trigeſimo quinto, Rachel utero portabat Benjamin, & adveniente tempore partus tam graves ſentiebat dolores, ut manifeſtiſſimum periculum vitæ ſubierit. Placuit Divinæ Majeſtati eam tanto diſcrimine ſubtrahere, & educere partum, in lucem editum vocavit *Benoni*, hoc eſt, *Filium doloris mei.* Tam acerbos paſſa erat dolores ut in eorum memoriam, nomen expreſſivum illorum proli natæ impoſuerit, ut videndo filium, dolorum recordaretur. *Vocavit nomen filii ſui Benoni*, id eſt, *filius doloris mei.* Porro Pater ac ſi ſibi diſpliceret tale nomen, aliud ei indidit. *Pater verò appellavit eum Benjamin* id eſt, *filius dextræ.* Sancti Patres communiter & nominatim Iſidorus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus dicunt, Paulum cum eſſet ex tribu Benjamin, per filium Rachel præfiguratum; Et relictis aliis in locum citatum Sanctus Iſidorus ſic ait: *Per hoc prophetatus eſt Paulus.* Paulo igitur utrumque nomen convenit *Benoni & Benjamin, filius doloris mei, & filius dextræ.* Sed quomodo amabo, & à quo vocatur Paulus filius doloris mei? Ne diſcedam à Sancto Iſidoro, hic aperit Eccleſiam Chriſti, cum viderit Paulum, quem pepererat perſequi ſuos filios, quaſi conquerendo de Paulo, eum vocaſſe *Benoni*, *filius doloris mei.* Hinc Iſidorus: *Per hæc Paulus prophetatus eſt, qui ex eadem tribu oriundus afflgeret filios Eccleſiæ perſecutionis ſuæ tempore.* Verum hoc ſuppoſito, cur & à quo vocatur Paulus *Benjamin, filius dextræ?* Scio auditores, quod cum per Rachelem figuretur Eccleſia ſponſa Chriſti, ſic quoque per Jacob ejus maritum, & patrem Benjamin ſignificari Chriſtum legitimum Sponſum Eccleſiæ, ita ut Paulus à Chriſto appellatus ſit *Benjam filius dextræ.* Nunc quæro, cur vocatur filius dextræ Chriſti?

Gloſſa interlinealis mirabiliter, & appoſitè ad rem noſtram reſpondet. *Ideo rectè à Patre filius dextræ dictus eſt, quia de ſiniſtra transferendus erat in dexteram, id eſt de perſecutore futurus Apoſtolus.* Ne miremini inquit Interlinealis, quod Sanctus Paulus nominatus ſit Benjamin, & filius dextræ Chriſti: Quia quamdiu erat Saul ferus, & crudelis perſecutor Chriſtianorum, erat ex numero reproborum, nam perſequebatur fideles, & membra Chriſti. Quia tamen omnipotentia eum debebat convertere, & ex perſecutione facere Apoſtolum, prædicatorem, & defenſorem ipſiuſmet Eccleſiæ, ejuſque filiorum, ideo à Chriſto debebat locari ad dextram, & conſequenter vocari *Benjamin*, id eſt, *filius dextræ. Quia de ſiniſtra, &c.*

Sed

Sed quale eſt hoc myſterium, quod Paulus dum fieri debebat Apoſtolus Domini, ſimul etiam transferri debuerit à ſiniſtra ad dextram, & ſic vocari *Filius dextræ*.

Philoſophia.

VII. Philoſophi vos valde curioſè tractatis hoc problema, nempe an pars, vel manus dextra ſit dignior, & honoratior ſiniſtrâ, vel econtra. Nonnulli opinati ſunt ſiniſtram in omnibus præferendam dextræ; Ratio eorum eſt, quia pars dextra & ſiniſtra primario conſiderantur in animalibus, & ſecundario in inanimatis; Atqui in animalibus pars ſiniſtra eſt multo nobilior dextrâ, cùm in illa ſit cor, pars nobilior animalis, ad minus per ſuam cuſpidem, ergo &c. Omitto reliqua, quæ in favorem horum adduci poſſent. Verum ſapientiores detulerunt primatum dextræ, nam in animalibus perfectioribus, ex quibus debet deſumi regula reſpectu aliorums pars dextra eſt nobilior. *Ab illa*, inquit Philoſophus, *incipit motus. Dextrum unicujuſque id eſſe dicimus, unde principium ad locum accommodatæ motionis emergit.* Ob hanc rationem apud omnes pars dextra primatum obtinuit. Ob hanc probabiliſſima, ne dicam certa eſt opinio, aſſerens partem orientalem cæli eſſe dextram, & conſequenter nobiliorem, tum quia juxta Philoſophum, ab illa incipit motus ſtellarum, & cælorum, juxta eundem in eadem parte reſidet intelligentia movens cælum, tum etiam, quia effectus producti ab influentiis cæleſtibus in terra ſunt perfectiores in parte orientali, ex quibus colligimus evidenter, illam partem eſſe nobiliorem, & conſequenter fortiorem.

L. 2. de cælo c. 2.

Ibid l. 8. Phiſ. c. ult.

Medici ſimiliter partem dextram, utpote expeditiorem ad motum propter calorem jecoris & rubuſtiorem propter muſculos deſervientes motui, qui in illa parte calidiores ſunt, & firmiores juxta Galenum & Ariſtotelem, & quia major pars cordis propendet ad dextram, quàm ſiniſtram, ideo partem dextram digniorem judicant.

Gal. l. 7. Aphoriſ. 44.

Ariſt. 3. de part animal c. 4.

Hinc Aſtronomi volunt dextros aſpectus, tanquam reſpicientes partem orientalem eſſe vigoroſiores ſiniſtris.

Eodem modo Romani militibus expertioribus, & magis bellicoſis cornu dextrum ab iis æſtimatum nobilius, & in quo nervus pugnæ conſiſtebat aſſignabant. Hinc Sammetrius Rex Ægyptiorum pugnaturus contra Aſſyrios, Ægyptios in eorum deſpectum in cornu ſiniſtro, extraneos vero in dextro collocavit. Quin imo gentes civiliores, & magis urbani perſonis quas honorare volunt ubique dextram cedunt. Inſuper juxta Alexandrum ab Alexandria; *In dextra magna viro ineſt auctoritas, & majeſtas.* Et ideo prælatis, & in dignitate conſtitutis oſculamur dextram. Omnium vero horum ratio eſt, quod dextra veluti illa, quæ eſt robuſtior pars animalis, & in qua incipit motus, ſit nobilior & dignior ſiniſtra.

l. 2. c. 17.

VIII. Nunc ad Apoſtolum: *Pater vero appellavit &c.* Deus eſt perfectiſſimum vivens, imo juxta S. Baſilium fons vitæ, à quo omnia viventia vitam recipiunt. Similiter Eccleſia ejus ſponſa eſt vivens, cujus vita fovetur mediante fide viva & ſincera, juxta illud: *Juſtus ex fide vivit.* Tam Deus, quam Eccleſia eſt nobiliſſimum cælum, porro illud regitur ab intelligentia ſui ipſius, ſuaque divinitate, hoc vero à Chriſto ſuo ſponſo. Eccleſia etiam eſt exercitus numeroſus optimè diſpoſitus ad pugnam contra hoſtes, nam de ea juxta expoſitores omnes dicitur, *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* Exercitus, cui præeſt robuſtiſſimus Athleta Chriſtus, Dux & Imperator *Dominus exercituum, Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.*

Applicatio.

Rom. 1.

Cant. 6.

Hoc vivens, hoc cælum, hic exercitus habet partem dextram & ſiniſtram. In ſiniſtra ſunt reprobi, debiles, infirmi, & illi, qui declinant ad occidentem peccati. In dextra autem ſunt electi, robuſti, fortes, illi qui elegerunt orientem divinæ gratiæ. *Statuet oves quidem à dextris, hædos autem à ſiniſtris.* In hac dextra Dei velut nobiliori, & digniori, eſt ipſe Filius Dei. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* In hac dextra fuit locatus Apoſtolus Paulus, veluti ille, qui fuit è numero electorum, & prædeſtinatorum. *Vas electionis eſt mihi iſte.*

Matth. 25.

Pſal. 109.

Sed cur quæſo Salvator mi, perfectiſſimum vivens, nobiliſſimum cælum invictiſſimè Athleta, voluiſti ad tuam, & Eccleſiæ tuæ ſponſæ dextram locare hoc vas electionis? Scio te id feciſſe ad majorem ejus exaltationem, ut mundo ſignificares, te pacem eum eo iniviſſe inviolabilem, & quod eum reſpicias aſpectu fortiori & magis benigno, quàm alios, quia à Paulo voluiſti oriri

converſionem gentium, & totius orbis. Addam, ideo eum collocatum ad tuam dextram: Cum enim cognoveris valorem, vires, robur, generoſitatem hujus validiſſimi Martis, commiſiſti illi cornu dextrum tui exercitus, ut debellaret, fugaret, proſterneret, exterminaret exercitum mundi, carnis, dæmonis, gentilitatis, Judaiſmi, & omnium illorum, qui arma movebant tuæ ſanctiſſimæ legi & fidei, innixus ejus valori, ab eo devincendos omnes tuos hoſtes, ſicut reipſa devicit cum tanta gloria tuæ Majeſtatis, & bono Eccleſiæ tuæ ſponſæ, ita ut veriſſimè poſſit dici ab eo ſubjugatum mundum, & tuæ legi ſubjectum. Hinc indubitanter os aureum *Paulus non tres aut quinque urbes, ſed orbem univerſum de Diaboli extorſit manu.* Cur ergo non daretur directio cornu dextri Paulo, ſi tot glorioſas victorias, & trophæa reportare debebat? *Quaſi militum dux quidam optimus*, ait Chryſoſtomus, *quotidie afferens trophæa.* Dicamus ergo, eum jure merito à Deo fuiſſe vocatum *Benjamin*, id eſt, *filium Dextræ*, cum valore hujus Martis cæleſtis cælum & terra tot triumphos referre debebant. Robuſtiſſime Mars, generoſiſſime pugil, glorioſiſſime Paule.

Hom. de laud. Paul.

Hom. 21 in 2. epiſt. ad Corinth.

Scriptura. *Cap. 10. epiſt. 1.*

IX. Scribens quadam vice Sanctus Apoſtolus Corinthiis, ſignificat iis ſuum bellum & qualitatem armorum, quibus impetebat, & expugnabat ſuos hoſtes, & ſpecialiter addit ſe non uti armis carnalibus, ſed ſpiritualibus adeo potentibus, ut certus ſit ſe quodcunque difficile certamen perfracturum. *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* (NN.) hic ſcire aveo an hæc arma fuerint diverſæ ſpeciei, vel unius tantùm. Paulus jactat ſe deſtructurum, dejecturum, & demoliturum propugnacula, munimenta, aggeres hoſtium, ut hos terreat, ergo non eſt neceſſarius enſis ſed potius ſclopeta, vel arietes, aut machinæ æneæ. Si itaque Apoſtolus perſuaſum ſibi habebat à ſe demolienda illa munimenta, cujus generis armis uſus eſt? Video Paulum depingi cum gladio, ſed iſte profecto inutilis eſt ad tales effectus. *Arma militiæ, &c.* Addit Paulus hæc arma eſſe potentia ad deſtruendum, imò & ad ſtratagemata, & conſilia bellica elidenda. *Conſilia deſtruentes*, quæ tamen non eliduntur gladio, ſclopeto aut alio militari inſtrumento, ſed potius maturis, iiſque contrariis conſiliis. Nec hic ſtetit iſte generoſus Athleta valorem ſuorum armorum extollendo; quin imo jactitabat ſe eminentiores, & fortiores demoliturum. *Et omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei*, & tamen ad talem effectum eſt inutilis gladius, ſed requiruntur tormenta bellica, bombardæ, quæ tamen etiam ſicut gladius ſunt arma carnalia. Quomodo ergo inquit Paulus arma ſua in quibus tantum fidebat, non eſſe carnalia? *Arma militiæ noſtræ &c.* Qualia ergo ſunt arma? Præterea addit Paulus vi ſuorum armorum omnem intellectum humanum Deo ſubjugandum, *Et in captivitatem &c.* Et tamen hæc ſubjugatio nequit fieri gladio, bombarda, aut alio quocunque inſtrumento bellico? Qualia ergo fuerunt arma Pauli?

Sanctus Pater Joannes Chryſoſtomus advertit, quod hoſtes Pauli erant ſpirituales, pura dæmones, horumque ſequaces; ſic etiam eorum arces, munimenta, aggeres fuiſſe ſpirituales, & conſequenter proſterni & demoliri debuiſſe armis ſpiritualibus. Et hæc arma nil aliud fuerunt, quam lingua Pauli: *Talis*, inquit Chryſoſtomus, *erat lingua Pauli.* Hæc lingua quamvis quoad ſubſtantiam eſſet carnalis, tamen fuit ſpiritualis, quoad vires; erat enim roborata virtute divina, & ideo promittebat Paulo, imò jam in manibus dabat omnes illas victorias, quas pugil valoroſus obtinere poſſet per apparatus & inſtrumenta bellica neceſſaria ad ſuperandam quamcunque difficultatem. Hæc lingua deſtruebat omnes vertices ſuperbiæ, fruſtrabat omne conſilium, omnes perſuaſiones diabolicas & humanas, & præterea ad deditionem coegit omnes intellectus, faciens eos credere, quod antea credere nolebant, & reduxit totum mundum ad fidem Chriſti. *Talis erat lingua Pauli dejiciens diaboli munitiones, & miniſtrorum machinationes, &* uni-

Vbi ſupra.

universum tandem orbem ad Christi exercitum ducit, quasi militum dux quidam optimus, quotidie afferens trophæa. Imo singulis horis solâ tunicâ indutus irrumpens in aciem, adversariorumque civitates & tela, & lanceas, & jacula, & omnia in suum jus cogens.

Hac usus est Apostolus pro gladio ad feriendum, pro ligone ad demoliendum, pro bombarda ad dejiciendum, pro quolibet instrumento bellico ad subjugandum Deo totum universum, & consequendam quamlibet gloriosam victoriam. Nec hoc est mirum; Cum enim Paulus in sua nativitate spirituali habuerit in ascendente Martem & Mercurium, & electus sit à Deo, ut velut Doctor & Dux gentium lucraretur mundum, factus est Mars Mercurialis, & Mercurius Martialis, qui vi & energiâ linguæ convertit animas ad Deum, & totum debellavit infernum.

Litera humaniores. X. Professores humaniorum inter Emblemata doctissima vestri Alciati unum est, quod vim eloquentiæ ostendit esse superiorem vi armorum. Depingit hominem senem capite calvum, totum rugosum, caloris fusci instar nautæ decrepiti, humores amictos pelle leonis, oneratos pharetrâ, clavam dextrâ, & arcum sinistrâ gestantem. Hoc simulachrum ornatum est pluribus catenis partim aureis, partim argenteis, quæ omnes innexæ linguæ simulachri, & suâ extremitate vinciunt aures plurium, qui libenter vestigiis idoli insistunt.

Galli contra Græcos dixerunt, hoc numen fuisse Deum eloquentiæ, & non Mercurium; nec obstat inquiunt Galli, quod clava, arcus, pharetra, pellis leonis Nemees sint insignia Dei Herculis, & non Mercurii, sicut econtra catena, quæ è lingua pendebat, tribuatur non Herculi, sed Mercurio; hoc, inquam, non obstat, nam cum eloquentia sit fortior armis, & efficacius possit debellare corda humana, & reportare victorias illustriores, quàm arma, meritò Deum eloquentiæ depinximus cum vestibus Herculis, & catenâ Mercurii, imò ob rationem dictam nos Herculem credimus esse Deum eloquentiæ. *Orationem*, inquit Lucianus *nos Galli nequaquam arbitramur esse Mercurium, quemadmodum vos Græci; verum Herculi illam tribuimus, propterea quod hic Mercurio longe robustior exiterit.* Nec miremini numen eloquentiæ nos depinxisse in figura senis, nam eloquentia in senibus potentior est, quam in juvenibus. Volens itaque Alciatus demonstrare efficaciam eloquentiæ præ armis, emblema supradicto modo depinxit, quod hoc pulchetrimo epigtammate illustravit.

Arcum læva tenet, rigidâ fert dextera clavâ,
Contegit, & Nemees corpora nuda leo.
Herculis hæc igitur facies? Non convenit illud
Quod vetus, & senio tempora cana gerit.
Quid quod lingua illi levibus trajecta catenis,
Queis fissa facileis allicit aure viros?
Anne, quod Alcidem lingua, non robore Gallis
Præstantem populis jura dediſſe ferunt.
Cedunt arma togæ, & quâvis duriſſima corda
Eloquio pollens ad sua vota trahit.

Credo ego Gallos illâ picturâ voluisse significare eloquentiam eadem præstare, quæ vis armorum, & ideo conjunxerunt virtutem linguæ trophæis Herculis, imo eloquentiam prætulerunt armis, cum illa superet homines, hæc animalia illa, superet suavitate gratiosâ, arma violentiâ odiosâ.

XI. Nunc ad Apostolum *Arma militiæ &c.* Hercules valde robustus, & Mercurius valde eloquens, & facundus fuit S. Paulus. Hercules qui clavâ & arcu crucis vicit & superavit gentes, imo sunt verba Chrysostomi; *Tyrannos ipsos, ac populos spirantes furorem; velut esse quosdam culices existimabat.* Hercules, qui toties prostraverat leonem infernalem, ejusque spoliis amictus incedebat, quia adversitates, contradictiones, tentationes, quas ei Dæmon struebat, in ejus majorem gloriam redundabant. Hinc Chrys. *Quo magis Sathan in Paulum pericula multiplicavit, hoc magis vincebatur.* Hercules fortissimus & validissimus, qui nullum genus pugnæ neglexit sive in terra, sive in mari, sed semper, & cum omnibus, & quocunque genere pugnabat. *In campo pugnans, & in navibus belligerans, omne genus pugnæ tractabat.* O validissime Hercules, ô robustissime pugil, Hercules tot veris trophæis ornatus, quot Græcia suo figmento fabuloso finxit.

Applicatio.

Hom. 2. de laud. Pauli.

Hom. 25. in epist. 2. ad Cor.

Nec Paulus solum comparet cum insigniis, & spoliis Herculis, sed etiam cum insigniis Mercurii, quia à Deo tantâ fuit dotatus facundiâ, ut linguâ suâ quasi quibusdam catenis ad Deum traxerit universas gentes orbis, & peragrando totum universum, ab oriente in occi-

dentem, ab Hieroſolyma in Illyricum, imò à mari rubro in Hiſpanias, vel ut melius dicam, ab uno ad alterum Oceanum ſuis verbis, quaſi catenis ligaverit, vinxerit, traxerit ad veram fidem omnes gentes, reportando excellentiores victorias, glorioſiores triumphos ſuâ linguâ, quam Hercules fecit ſuis clavis, & arcubus materialibus. Hinc Os aureum *Lingua Pauli quibuſcunque fuiſſet admota ad ſe ipſum eos continuo transferebat.* Et alibi. *Omne genus pugnæ tractabat, unâ linguâ omnes evertens.* O eloquentiſſime Hercules, ô robuſtiſſime Mercuri, de te id poſſumus optime dicere, quod de Hercule Gallo dictum eſt, nempe quod ſuperâtic Mercurium. Dicamus de te, *Cedunt arma togæ &c.* Tu enim non gladiis, non lancibus acutis, non arcubus, non telis, non arietibus, vel alio bellico inſtrumento, ſed ſolâ linguâ viciſti, ſuperaſti, debellaſti, eœpiſti non urbem, ſed orbem, ſola quippe tua lingua fuit potentior, quàm omnia etiam magis artificioſa arma belli, quia fuit lingua roborata fortitudine, & virtute Spiritus ſancti. Dicamus, quod fueris Hercules eloquentiſſimus, & Mercurius robuſtiſſimus, qui cum tanto ſtupore mundi conjunxit duo numina, & duas Deitates, quæ primâ fronte videbantur incompatibiles, eſto tibi juſtius conveniant, qui fuiſti Hercules Mercurialis, & Mercurius Herculeus. Hercules per robur, Mercurius per eloquentiam, ſed Hercules, & Mercurius ſimul per eloquens robur, & robuſtam eloquentiam, quâ viciſti mundum, eumque Deo ſubjugaſti. Dic ergo, ô glorioſiſſime Paule, *Arma militiæ noſtræ &c.* Dicat Chryſoſtomus. *Talis eſt lingua Pauli.* Dicat, quod illâ *dejeciſti Diaboli munitiones &c.* Fortiſſime Hercules, eloquentiſſime Mercuri, glorioſiſſime Paule.

Hom. 7. de laud. Pauli Hom. 25. ſupra.

Scriptura. *Cap. 9.*

XII. Actus Apoſtolici recenſent converſionem Pauli, in quâ primâ fronte mihi occurrit maximum encomium, quod poſſet dari Paulo, & eum ipſamet Sapientia divina immediate illud protulerit, eò majus eſt. Sæviebat Saul in membra Chriſti, imo in ipſum Chriſtum, & totus in id erat, ut aboleret nomen Chriſtianum. Hinc equo vectus, copioſo milite cinctus, ſpumans & fremens properabat Damaſcum, & en illico Deus eum proſternit, eum excœcat, ex lupo mutat in agnum, & hoc encomium ab eo fert. *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus, & filiis Iſrael.* Neſcio an Apoſtolo unquam aliud elogium excellentius datum ſit.

Hic (NN.) tam ad majorem gloriam tanti electoris, quam electi ego pondero capacitatem hujus vaſis, liquorem quo repletum eſt, & quibus ille debeat miniſtrari, quia plures mihi occurrunt contradictiones. Quoad capacitatem vaſis, invenio, quod ſit valde anguſtum, quia Paulus juxta Auguſtinum idem eſt ac *parvulus, modicus,* in parvulo Benjamin deſignatus. Ipſemet Paulus ſic de ſe teſtatur. *Ego enim ſum minimus Apoſtolorum.* Liquor, qui in eo continetur eſt valde copioſus, & abundans, nempe lex Chriſti, doctrina evangelica, tota Sacra ſcriptura; ſic obſervat Hieronymus: *Vas electionis vocatur, quia legis & ſanctarum ſcripturarum armarium eſt.* Perſonæ, quibus debet portigi hæc lex, ſunt gentiles, Hebræi, Reges, Monarchæ, quorum multi ſunt crudeles & feroces, & omnes omnino huic legi contrarii. Quomodo ergo in Paulo, vaſe tam anguſto potuit contineri tanta materia, tantus liquor, tanta ſubſtantia, quæ poſſet ſufficere toti univerſo? Præterea, quomodo Paulus, parvulus, & modicus infans potuit habere tantum animum, tantum cor, ut ſe ſiſteret maximis monarchis, crudelioribus tyrannis iis annuntiaturus verbum Dei, & fidem Chriſti, quam tantâ audaciâ & furore impugnabant? Reperio, quod Saulus idem ſit ac *ſævus ſuperbus,* & Paulus idem quod *parvulus.* Antequam eligeretur à Deo Paulus, vocabatur Saulus, dum autem eligeretur, fuit vocatus Paulus. Cum eſſet Saulus erat ſuperbus, hoc eſt, grandis, ferox, truculentus, audax. *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini.* Effectus Paulus, factus eſt ſimul parvus, imo pecus & ovicula. Si itaque Deus voluit Paulum eſſe vas electionis, quod debebat continere legem, præcepta, doctrinam Evangelicam, priſcum & novum teſtamentum, cur non reliquit eum in amplitudine Sauli, ſic enim fuiſſet capacior, & non ita anguſtus, ac quando fuit Paulus? Præterea ſi Paulus ſuâ prædicatione debebat ſe ſiſtere tot regibus, tyrannis adeo potentibus, parum intererat, num eſſet Saulus, vel Paulus, ovicula & agnellus, ſed multum faciebat ad propoſitum, quod eſſet leo ſpirans iram & furorem. Cur ergo dum debebat velut vas portare doctrinam Evangelicam, ex grandi

Epiſt. 1. ad Paulinã.

factus

factus est parvus, ex feroci Sanctus, & animoso lupo agnellus imbellis, maxime dum comparere debebat coram tyrannis?

Hoc revera est portentum mundi, inquit Augustinus: Ad finem prætensum à Deo, scilicet ut contineret legem & præcepta, ac virtutem divinam, aptior erat Paulus parvulus, quam Saulus magnus; Nam Deus execratur grandes & elatos, & amat parvulos & humiles. Hinc
Isaiæ 18. ipsemet Deus. *Super quem requiescam nisi super humilem?* Præterea Paulus parvulus, mansuetus, mitis erat aptior, ut appareret coram crudelibus tyrannis, & inimicis Christi, quam Saul ferox & spumans, quia Verbum Dei non inseritur animis vi armorum & violenter, sed amore & affabilitate. Ideo Salvator discipulos, qui igne cœlesti animadverti in eos, qui verbum Dei rejecerunt, flagitarunt, sic allocutus est.
Luc. 9. *Nescitis, cujus Spiritûs estis, filius hominis non venit homines perdere, sed salvare.* Demum Paulus parvulus, & ut ita dicam vix verba formare nesciens, valde fuit aptus, ut manifestaret & persuaderet legem Evangelicam, quia virtus divina, quam in vase sui cordis portabat tantam ei indidit facundiam & eloquentiam, ut omnes sapientes mundi simul sumpti non possent ei resistere, sed superarentur, ac confunderentur. Et hinc ad hoc munus Paulus fuit aptior, quam
Luc. 21. Saulus. *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere omnes adversarii vestri.* Verbo, non est mirum Paulum parvulum, mitem & infantem fuisse à Deo electum vas, & armarium legis Christi, ut eam prædicaret gentilibus, Judæis, Barbaris, Monarchis, imo ipsis tyrannis inimicis Christi, ad hoc enim ministerium à Deo, qui juxta Theologos, dum eligit quendam ad certum munus, ei etiam qualitates necessarias ad illud largitur, electus est. Hinc ad stuporem bene S. P. Augustinus: *Paulus, quia modicus. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus. In isto modico erat magnus, in minimo grandis habitabat. Quid miramur magnum habitare in angusto? Magnus in minimis habitat.* Ex his habes Paulum, quia modicum fuisse aptius vas ad capiendam totam legem Evangelicam, & spiritum Dei, quam fuerit Saul grandis & superbus. Ideo idem S. Pater. *Qui Paulus à Domino vas electionis est nominatus. Bonum vas in quo pretiosa mandatorum Christi præcepta conduntur. Bonum vas, de cujus plenitudine substantia vitæ, populis semper erogatur, & plenum est.* Et quia hoc vas continebat Spiritum Dei eloquentem, & valorosum, ideo idem Paulus recepit à Deo facundiam & vires, ad comparendum coram atrocissimis & crudelissimis tyrannis, & prædicandam doctrinam Evangelicam, quamvis in se esset infacundus, parvulus, modicus, minimus. Idcirco de se ipso dicebat; *Plus omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

XIII. Sapientissimi Philosophi, qui doctissime agunt de virtute lapidum meminerunt *Allectorii*, qui nascitur in ventriculo caponis. De hoc agentes Solinus, Dioscorides, Arnoldus, & alii dicunt eum esse pulcherrimæ figuræ. *Allectorius*, inquit Solinus, *lapis crystallina specie fabæ modo in gallinaceorum ventriculis nascitur.* Et quia etiam latet virtus in lapidibus, hinc dicunt quod *Portantem se in ore facit invictum, & sine siti*, quamvis aliquis toto die pugnet, & digladiet. Idcireo refertur de Milone Crotoniense, quod pugnaturus, vel ostensurus suas vires semper ore gestaverit Allectorium, ejusque virtute ovarit. Addunt eo reddi hominem disertum, & gratum. Hinc sic cecinit Poëta

Nascitur ille lapis, cujus non ultima laus est,
Et per bis binos capit incrementa sequentes.
Mensuráque faba crescens excedere nescit.
Crystallo similis, vel aquæ cum limpida paret,
Invictum lapis hic reddit quemcunque gerentem.
Extinguitque sitim patientis in ore receptus:
Nam Milo Crotonias pugiles hoc præside vicit,
Hoc etiam multi superarunt prælia reges.
Hic oratorem verbis facit esse disertum,
Constantem reddens, cunctisque per omnia gratum.
Vt bona tot præstet, clausus portetur in ore.

Hic scire percupio, an hi effectus miri vere competant isti lapidi, sintque ei naturales, vel an sint ficti. Ego ut verum fatear, dico eos naturaliter competere dicto lapidi, quia reddere hominem animosum, invictum, procedit à qualitate hujus lapidis, qui ex natura sua est calidus, prout ostendit ventriculus caponis ex se calidissimus, in quo nascitur. Hinc hoc suo calore corroborans spiritus vitales cordis, necessario reddit hominem animosum, fortem cum talis animositas & robur procedat

à vi-

à vigore, & robore illorum ſpirituum. Præterea ob eandem rationem reddit hominem diſertum & eloquentem, maxime quando teſtibus Aſtrologis ei prædominatur Mercurius planeta inſtillans eloquentiam, ut ſæpe diximus. Præterea reddidit hominem eum ore geſtantem affabilem, & gratum aliis, tunc quia robur & facundia devinciunt animos, tum quia claritas & ſplendor hujus lapidis confert, neſcio quam venuſtatem, & gratiam. Ita hi Philoſophi.

Applicatio.

XIV. Nunc ad Apoſtolum, *Vas electionis eſt mihi &c.* Lapis Allectorius eſt filius ſapientiæ æterni Patris. *Petra autem erat Chriſtus.* Allectorius ob ſuos effectus mirabiles. Allectorius, quia geſtatus in lingua à Paulo, eum reddidit invincibilem & inſuperabilem, imo devictorem, debellatorem gentilitatis, Hebraiſmi, infidelitatis, & totius inferni. Hinc de

n. 25. ſupra. hoc pugile glorioſiſſimo Chryſoſtomus. *Quaſi miles unus habens totum orbem militantem contra ſe in mediis hoſtium verſetur agminibus, nihilque grave patiatur, ita & Paulus invictus manebat.* Has porro victorias omnes reportavit Paulus virtute lapidis Allectorii Filii

1. ad Cor. 15. Dei. *Abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem ſed gratia Dei mecum.* Allectorius eſt Chriſtus, cujus nomen linguâ portatum, & prædicatum hunc Apoſtolum ita diſertum reddidit, ita eloquentem, ita facundum, ut ipſe Oceanus non contineat tot guttas, quot verba Pauli ore excidetunt. Hinc os aureum eum vocat mare vaſtiſſimum, profundiſſi-

Hom. 51. in actus Apoſt. mum, & limpidiſſimum. *Cui comparaverit quis illius verba, mari, an Oceano? Sed nihil par eſt illo; Sunt verba ejus copioſiora, puriora, & profundiora.* Et hæc omnia virtute lapidis Allectorii Chriſti, *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Allectorius eſt Chriſtus reddens Paulum excellentem & gratioſum, non ſolum hominibus, quibus loquebatur, ſed ipſis Angelis Paradiſi, qui nullo magis delectabantur, quam audiendo Paulum loqui. Hinc Chryſoſtomus: *Simpliciter Paulum loqui ſufficiebat, adhoc ut cœli exultarent & lætarentur.* Et hæc omnia virtute Allectorii Chriſti, quem Paulus ore geſtabat, *Non ego autem &c.*

O invictiſſime, ô eloquentiſſime, ô gratioſiſſime Paule! Et qualis vis, quale robur maximorum heroum non debelletur tuâ generoſitate? quæ obſtinata ſapientia & radicata doctrina Deo contratia, non ſe fateatur convictam à tuâ facundiâ? Quod cor quamvis lapideum & inhumanum non flectatur & captivetur à tua gratia? Sæviant contra te tyranni, exerant in te gladios, uniant ſuas maximas vires, tandem eorum ferocitas retundetur tuo animo, & tuus valor eorum tyrannicam potentiam irridebit. Inſurgant contra te ſapientes mundi, & acu ſuarum linguarum ejaculentur acutiſſima tela argumentorum contra te repulſa, validiora redibunt in ejaculatores, cum majori quidem eorum confuſione, ſed incomparabili animarum lucro, ſiquidem à te ſuperabuntur, & imbuentur veritate Evangelicâ. Ita ut tam hi, quam illi dimiſſis armis, miſſo furore, tuis gratioſiſſimis moribus allecti, deveniant in cognitionem tui Dei, cum tanta gloria, ſplendore tui nominis & famæ, ut per totum gyrum terræ & maris ab uno uſque ad alterum polum reboaturus ſit tuus honos, & ubique pandenda claritas tuæ famæ, & ſol tuæ ſapientiæ.

Sed quis poſſit mirari ad hanc tuam venuſtiſſimam gratiam, invictiſſimum robur, facundiſſimam eloquentiam, ſi in tuo ore, corde ſemper geſtaſti tuum Allectorium nominis Chriſti, ejuſque fidei, legis Evangelicæ, qui purior & limpidior quolibet terſiſſimo cryſtallo, & inflammatior, ardentiſſimo calore charitatis, corroboravit, animavit tuos ſpiritus, enodavit tuam linguam, gratias indidit tuis verbis, ita ut virtute illius ſemper potueris clamare: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* *Philipp. 4.* Dicat ergò ipſemet Chriſtus, quod quamvis fueris Paulus minimus & anguſtiſſimus, tamen etiam fuiſti vas electionis capaciſſimum, quod in tua anguſtiſſima capacitate totam legem & doctrinam Chriſti concluſit. Et quamvis fueris Paulus minimus, imbellis, tamen maximâ tuâ generoſitate ſuperaſti crudeliſſimos tyrannos. Quamvis fueris Paulus minimus & infacundus, tamen conviciſti & refutaſti ſapientiam & eloquentiam doctiſſimorum mundi. *Vas electionis &c.* Dicat igitur Auguſtinus quod fueris *Paulus quia parvulus, quia modicus, quia minimus.* Dicat idem, quod *In iſto minimo grandis habitat.* Dicat iterum *benum vas de cujus plenitudine &c.* Demum dicat de ſe Paulus *Plus omnibus laboravi &c.* Generoſiſſime Mars, facundiſſime Mercuri, lucidiſſime Sol, glorioſiſſime Apoſtole.

XV. Quis

Epilogus.

XV. Quis quantumvis ſapiens, quantumvis eloquens audeat aggredi opus, ut mundo propalet tuam ſapientiſſimam eloquentiam. Taceant itaque Pericles, Demoſthenes Piſiſtrates, Epaminondes, Themiſtocles, Tirræi, & famoſiores Oratores Græciæ, Sliant Catones majores, Ciceroneſ, Valerii, & alii innumeri Rhetores Romani; Nam poſtquam plura ſæcula declamando tuos Panegyricos, & ſtellas tuæ eloquentiſſimæ ſapientiæ conſumpſerint, debebunt fateri ſe nec minimam tuarum excellentiarum partem tot annorum ſpatio, ſicut par eſt celebraſſe. Quis rivus, quis fluvius, quod mare, quis Oceanus eloquentiæ non exhauriatur & exſiccetur, manifeſtando energiam tuæ linguæ, & tuorum verborum, quâ inſtar ſagacis nutricis transformando te in Protheum & Empuſam, Polypum, in formam, conditiones omnium nationum, adoleſcentum, adultorum, gentilium Hebræorum tam ſapientum, quàm infirmorum, tam doctorum, quàm indoctorum, verbo indutus veſte uniuſcujuſque, cum quo egiſti ſive voce, ſive calamo perſuaſiſti, ut ſequeretur tua veſtigia, fidem & legem Chriſti? Fuiſti Mercurius adeò eloquens, ut merueris vocari Deus linguæ non fictè, ſed ſuo modo verè.

Quis quæſo poterit ſufficienter celebrare valorem tui roboris, heroicas & martiales operationes tuæ dextræ, geſta ſingularia, glorioſas victorias, magnificentiſſimos triumphos tuæ generoſitatis & animi? Quis fortiſſimorum heroum unquam potuit, vel poterit coæquari tuis heroicis factis. Oriandini, Rinaldi, Argandi, Tangredi, Alexandri, Philopomenes, Meliones, Scævoli, Cocletes, Scipiones, Cæſares, Sampſones, & alii generoſiſſimi milites celeberrimi libenter cedunt tuo robori, tuæ fortitudini, quia fuiſti Benjamin Chriſti, filius dextræ Dei, omnipotentiæ æterni patris, à quo tota gentilitas debebat incipere, initium ſuæ converſionis, cui Imperator cœleſtis debebat committere cornu dextrum ſui exercitus, à quo dependebant victoriæ ſubjugatrices totius univerſi. O Paule eloquentiſſime Mercuri, generoſiſſimè Mars.

Tu fuiſti ille, qui univit perfectiſſime eloquentiam Mercurii valori Martis, qui æſtimatus fuiſti Hercules robuſtus, bellicoſus & ſimul Deus eloquens, Mercurius Martialis, & Mars Mercurialis, quia robore tuæ linguæ ſubjugaſti populos & nationes, quas non devicerunt maximi belli Duces vi armorum, cum tuâ linguâ, tuo gladio, non carnali & materiali, ſed ſpirituali omnia hæc effeceris.

Tu fuiſti vas electionis electum à Chriſto, ut portares ejus nomen per univerſum orbem, & quamvis parvulus & anguſtus, quia Paulus fuiſti tamen capaciſſimus, cùm fueris armarium, & arca fidei & legis Chriſti, totius ſcripturæ tam veteris, quàm novi Teſtamenti, & quamvis fueris Paulus parvulus, mitis, attamen fuiſti aptior, quamvis Saulus ſuperbus & ferox, ad devincendos truculentiores tyrannos & quamvis fueris Paulus parvulus & infans, tamen fuiſti tam eloquens & facundus, ut potueris ſolus perſuadere ſapientibus mundi gloriam & fidem crucifixi Salvatoris. Verùm nullus miretur, quia in vaſe tui cordis, & in tuâ linguâ geſtaſti allectorium Chriſtum, qui valoroſum & robuſtiſſimum te effecit contra tuos tyrannos, eloquentiſſimum ac facundiſſimum contra ſapientiſſimos & doctiſſimos tam Hebraica, quàm in gentili lege. Quis ergò eloquentiſſime & robuſtiſſime Paule, dignè poterit celebrare tuum eloquentiſſimum robur, & robuſtiſſimam eloquentiam, ſi nullus ſit ſufficiens minimam partem cujuſcunque tuæ prærogativæ dignè tractare & laudare. Imò quis dignè poterit manifeſtare gloriam unius & alterius, ſeu ambarum prærogativarum ſimul? comparet te Chryſoſtomus paradiſo terreſtri delicioſiſſimo, mari profundiſſimo, cœlo purgatiſſimo, Soli lucidiſſimo, Angelo Cherubico & Seraphico, nihil tamen adhuc dixit de laudibus tuis. Ego qui balbutiens non ſcio formare verba, qui cor habens timidum & meticuloſum, non audeo diſcurrere, qui tenebris ſepultus non poſſum oculos conjicere in lucem, aliud nec ſcio, nec poſſum dicere, quam quod fueris glorioſiſſimus per tuam eloquentiam & valorem, quia Sol æternæ ſapientiæ, Mercurius verbi Dei, Mars Paradiſi, propitii fuerunt in ſummo gradu tuæ nativitati, ita ut ex dictis concludam, meam linguam non poſſe attingere tuas laudes, quia fuiſti tantâ ſapientiâ & valore doratus à cœlo, & quod propter utramque prærogativam ſis adeò factus illuſtris, & famoſus per totum orbem, ut ego concluſus tenebris meæ meticuloſitatis & infacundiæ ſileam, & ex pulpito obmuteſcens, confuſus, & in arce ſilentii ſepultus jacens abeam. Amen

ELOGIUM XXI.

Pro Feſto Viſitationis Deiparæ.

Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione &c. Luc. 1.

Philoſophia.

I. DIgniſſimnm mihi videtur quæſitum (NN.) an Luna in principio mundi ſit creata in novilunio, & congreſſu cum Sole, an verò in plenilunio & in culmine ſuæ plenitudinis, ac in oppoſitione ad Solem, de quo copiosè ad marginem citati.

Auguſt. l. 2. de gene. ad lit c. 1. l. Juſt. Mart. q. orth. q. 60. Beda in lib. de rat.

Nonnulli cenſuerunt Lunam eſſe creatam in novilunio. Quod ſic probant. Luna ſuo curſu efficit menſes anni, cùm ergò à principio mundi jam menſes numerari debuerint, neceſſarium fuit ordiri menſem primum à novilunio, nam ab hoc incipiunt dies lunæ, & conſequenter menſes, qui dies plenilunii non eſt dies primus lunæ, ſed decimus quintus. Nec eſt inconveniens, quod luna producta ſit imperfecta, & incrementa paulatim ſumpſerit.

1. par. q. 79. a. 2.

Hoc non obſtante Doctor Angelicus, docuit eſſe valdè probabile, lunam creatam in plenilunio; nam Deus creavit res perfectas, puta arbores onuſtas frugibus, animalia inſtructa ſuis membris, ſic & conſequenter. Atqui perfectio lunæ conſiſtit in plenitudine ſui luminis, quod à Sole recipit ergò.

Præterea Deus Solem & Lunam vocavit *luminare majus, & luminare minus*, ut unum eſſet fax diei, alterum fax noctis, *ut præeſſet diei, ac nocti*; atqui ſi luna fuiſſet creata in novilunio, non potuiſſet eſſe fax noctis, cùm hoc nullum emittat ſplendorem, imò orbis quatuordecim vel quindecim diebus fuiſſet privatus hoc luminari minori. Confirmatur. Si Sol, luna, ſtellæ non ſunt ſolùm creata à Deo pro ornatu cœlorum, imò magis pro utilitate terræ, ut ſcilicet eam fœcundent, impinguent & ditent, & hæc luna potiùs præſtet tanquâ magis vicina, quàm aliæ ſtellæ, idque per ſuum motum, & illuſtrationem lunarem, neceſſè eſt dicere, lunam creatam in plenilunio. Inſigniſſima opinio.

II. Luna vocatur ſanctiſſima virgo. *Pulchra ut luna.* Hæc Luna tunc fuit producta & creata, quando concepta; nam inſtans ejus conceptionis fuit principium noſtri eſſe. In illo inſtanti hæc Luna jam habuit perfectum ſuum eſſe; Cùm enim Deus res inanimatas & omnia alia, quæ creavit in principio mundi produxerit in ſuo eſſe perfecto, indecens fuiſſet, ſi virginem, quæ debebat eſſe filii ſui mater, produxiſſet in novilunio cum privatione gratiæ; Imò decentiſſimum erat, ut produceretur in plenilunio, ſine nævo peccati originalis, ſine ullâ privatione gratiæ, prout ſencta Eccleſia particulari officio & ſolēnitate celelebrat, quod non fieret, ſi non eſſet ſancta & ſine peccato. Applicatio.

Sed cur ô Luna pleniſſima, ô Virgo ſanctiſſima producta es à Deo in plenilunio gratiæ? Reverà hanc cogor dare rationem, ut præeſſes nocti, ut illuminares terram, hoc eſt, ut imperares nocti miſellorum peccatorum, & ut ſuperabundantiam tui luminis, tuæ gratiæ irrigares terram animarum noſtrarum, ut impinguares & ditares illam omnibus favoribus & gratiis cœleſtibus, quas omnes à te & per te recipimus, & pro quibus tibi pleniſſimæ Lunæ infinitas debemus reddere gratias. Hinc tibi dixit Angelus *Ave gratia plena.* Plena non ſolùm tibi, ſed potiùs nobis, ut juxtà Bernardum, *de plenitudine tua acciperent univerſi*; nam potiùs veniſti in mundum nobis, quàm tibi; Et hæc eſt cauſa, cur hoc ſanctiſſimo die volueris viſitare ſanctam Eliſabeth, ut non ſolam illam, ſed & embryonem, quem utero geſtabat, gratiis cœleſtibus repleres; Nam tu illa es, à quâ omnibus obveniunt omnia bona. Et de hoc hodie diſcurram.

ASSUM-

ASSUMPTUM.

Maria visitans S. Elisabetham, libertatem indicibilem mònstravit ergà genus humanum.

Scriptura. *Ps.* 59. 3.

III. DAvid de Deo quadam vice loquens dicit. *Deus locutus est in sancto suo*, & inter alia Deum hæc dixisse specialiter commemorat. *Juda Rex meus, Moab olla spei meæ.* Quod dixerit Judam tanquam caput unius tribus specialiter a Deo amatæ summis beneficiis & favoribus à divinâ majestate affectum, non miror, nec disputo, sed optimè capio; sed quod Moab sit olla, & lebes Dei non capio. Fateor, quod alia translatio legat *Aula* Dei, prout specialiter advertit Ambros. qui & vult Davidem in persona Dei hic loqui de sanctiss. Virgine.

De instit. virg. c. 12. *Moab aula spei meæ, vel olla spei meæ, utrumque enim in diversis codicibus legitur.* Ac si diceret Deus, Mea mater Maria Virgo, est solium, thronus, palatium spei meæ, *Moab olla spei meæ.* Palatium est Maria, in quo nullus alius debet habitare, quàm filius Dei; nam in illum finem illud Spiritus S. extruxit. Hinc Ambrosius, *Aula regalis est virgo, quæ non est viro subjecta, sed soli Deo.* Hæc lectio ut verum fatear cedit multum in decorem virginis, imò ipsius Dei. Sed quod virgo, quæ est aula regia Dei, sit etiam olla ejus spei, si verum fateri debeam, videtur injuriosum Deo & Deiparæ. Deus immortalis, nonnè est indecorum ab aula regia, à throno, à conclavi, à triclinio Dei migrare ad culinam & lebetes? Sed cur amabo Virgo vocatur *Olla spei meæ*? An fortè Deus debuit sperare in Mariam?

Nequaquam id potest dici; nam creator non potest sperare in creaturam, nec ille qui omnia possidet potest aliquid sperare. Sensus itaque Spiritus sancti est, Mariam esse illam, per quam homines debeant sperare in Deum, significare voluit, Mariam tantum esse illam, ratione cujus genus humanum potest sperare omne bonum: Nam venter Mariæ fuit vas illud repletum cibo divino, quo debuerant satiari animæ nostræ. Maria est vas, quod Spiritus S. tantâ abundantiâ calefecit, ut superfluum & excessivum calorem diffuderit in totum universum, & omnes mundi angulos calefecerit. Maria est, quæ gignendo Salvatorem, totum orbem replevit ipe, eique omnia bona communicavit. Hæc est causa, cur Maria non solùm vocetur aula regia, & conclave Dei, sed etiam olla & lebes ejus spei. Mirabiliter Ambrosius: *Est enim olla uterus Mariæ, quæ spiritu ferventi, qui supervenit in eam, replevit orbem terrarum cum peperit Salvatorem.* *Ubi supra.*

Astronomia. IV. Astronomi tres ordines domorum dicunt reperiri in cœlo, quarum quatuor vocantur Cardinales, 4. succedentes, & 4. cadentes. Sed omissis cadentibus & succedentibus Cardinales principaliores sunt. Prima domus cardinalis vocatur Horoscopus, angulus Orientalis, & domus ascendens. Ab hac domo volunt Astrologi dependêre generalem vitæ constitutionem quoad omnes, dispositionem corporis, & quia secundùm aliquos Saturnus, secundùm alios verò Luna sunt consignificatores hujus primæ domus, ideò dicunt, quod alteruter horum planetarum, si fortiter & feliciter respiciatur à Jove & Venere, promittant proli, quæ nascitur, longam vitam, diutinam sanitatem.

Secunda domus cardinalis supra terram est decima in ordine, dignitate tamen secunda, & hinc vocatur *domus regia*, quia hæc præominatur successum circa dignitates prosperum vel adversum; quod si huic domui faveant, vel corpora, vel alii planetarum beneficorum, tunc pollicetur maximos honores, altissimas dignitates, regna, imperia, quæ desiderare possit.

Tertia domus cardinalis ordine septima vocatur angulus Occidentalis, & est augurium uxoris, bellorum, hostium apertorum; Hinc si sit fortunata, dabit bonam & prudentem uxorem, victorias & omnia prospera bellis & contra hostes. Et cùm hæc domus apponatur primæ domui, quæ est domus vitæ, hinc juxtà Cardanum est domus mortis, & est omen bonæ mortis.

Applicatio. Quarta domus cardinalis vocatur angulus medii infimi cœli, domus genitoris. Et est prognosticum, quid eventurum sit parentibus, patrimonio, bonis immobilibus, & singulariter est omen thesaurorum occultorum, hinc si feliciter respiciatur, spondet thesauros latentes, opes grandes occultatas vel sub terra, vel aliis locis. Imò Astrologi volunt eam esse omen, eorum quæ nobis evenient post mortem. Hæc professores hujus artis loquentes de his quatuor domibus cardinalibus, à quibus dependere volunt eventus celebriores non solùm in vita, sed & post mortem.

Nunc ad Mariam: *Juda Rex meus, & Aula spei meæ.* Sanctissima Virgo meritò vocatur

porta, feneſtra & domus cœli. Domus cœleſtis & cardinalis, à qua dependent omnia bona corporalia & ſpiritualia generis humani. Maria eſt domus Orientalis, quæ feliciter reſpiciens hominem, ei prædicit longam vitam & bonam valetudinem. Hinc de ſeipſa
Proverb. 8. dixit. *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.*

Maria eſt domus medii ſupremi cœli & domus regia, quia ſic de ſe dicit. *Per me reges regnant, per me Principes imperant & potentes decernunt juſtitiam.* Communicat ergò honores, dignitates &c. Maria eſt domus Occidentalis, quia feliciter reſpiciendo Eccleſiam ſponſam Dei, eam defendit, & adhuc de facto defendit contra omnes hoſtes apertos, & hos feliciter profternit: *Gaude Maria virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti univerſo mundo.*

Tandem eſt domus medii cœli, nam Maria in ſua intercеſſione largitur opus, bona tam mobilia, quàm immobilia, theſauros abſconditos & occultatos mundo, qui non cognoſcit
Proverb. 8. Deum. *Mecum ſunt divitiæ, opes ſuperbæ.* Verbo nullum eſt bonum ſive cœleſte ſive terreſtre, ſpirituale, ſive corporale, ſive æternum ſive temporale, quod non communicet hæc propitia domus cœli, à qua poſſumus & debemus ſperare noſtram fortunam. Hinc non eſt mirum, quod ab ipſo Deo vocetur *olla*, Lebes, Aula, domus regia, palatium ſuperbiſſimum, in quo omnia bona repoſuit, ut uberrimè illa diffundat in genus humanum, & ſpecialiter in ſibi devotos. *Monò olla*, ſeu *aula ſpei meæ. Aula regalis eſt Virgo &c. eſt etiam olla &c.* Videte itaque, an non liberalitas Mariæ ſit grandis, quandoquidem ſe diffundat ad totum univerſum communicando toti mundo tanquam domus cardinalis cœli omnes favores & gratias.

Scriptura. VI. Vates regalis loquens de adventu in
Pſal. 61. mundum Verbi æterni, ejuſque incarnatione in utero Mariæ, dicit illud deſcenſurum è cœlo, & intraturum in uterum Virginis valdè ſuaviter & leniter abſque ullo ſtrepitu, vel tumultu, eo modo quo aqua è nubibus cadit ſilenter ſupra laneum vellus. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus*, quod hoc loco lo quatur David de incarnatione Verbi, eſt expreſſa ſententia Eccleſiæ & interpretum, ita etiam ut una litera legatur: *Deſcendet ſicut pluvia in uterum Virginis.* Uterus igitur comparatur velleri ſanæ, & meo judicio ob rationem dictam, eò quod Verbum deſcenderit de cœlo ſilenter, ſuaviter, eo modo quo pluvia cadit ſupra vellus. Et ut verum fatear hæc lectio mihi plenè ſatisfaceret, niſi altera me turbaret ſic legens: *Deus deſcendet ſicut pluvia in ſpongiam.* Deus immortalis, quando Verbum æternum intravit ejus uterum ut incarnaretur?

Divinè Richardus à S. Laurentio; Ne miremini, quod Maria comparetur ſpongæ & velleri, dum filius Dei ejus uterum intrat; ſiquidem non tantum voluit ſignificare Spiritus S. Verbum deſcenſurum è cœlo leniter & ſuaviter inſtar pluviæ, ſed etiam Mariam inſtar ſpongiæ in ſe ipſa recepturam gratiam Incarnationis, ipſum filium Dei, cum omnibus gratiis & donis cœleſtibus quæ imbibentur à Virgine, ſicut ſpongia imbibit aquam: Quinimò ſicut ſpongia compreſſa reddit aquam imbibitam, ſic Virgo, ſi nos eam manu noſtrarum precum compreſſerimus & ſtrinxerimus, refundet in genus humanum omnes aquas gratiarum & donorum, quæ recepit à cœlo. Mirè Richardus: *Deſcendet ſicut pluvia in vellus & in ſpongia, in uterum Virginis. Quia Maria gratiam, quam invenit apud Deum, facillimâ compreſſione refundit.* Non poterat dici melius. *De laud. virg. l. 1. 6. 3.*

VII. Perbellem quæſtionem proponunt Philoſophi, an fortunæ ſublunares & corruptibiles inducantur in materiam primam ab agentibus naturalibus, vel potiùs ab intelligentiis cœleſtibus, aut aliis ſubſtantiis ſeparatis. Philoſophia.

Ariſtoteles ſemper docuit omnes formas demptâ animâ rationali, quæ à ſolo Deo creatur, induci in materiam, & de ejus potentia educi ab agentibus naturalibus. Probat; omne agens debet producere ſibi ſimile, atqui effectus producti in mundo ſublunari non ſunt formæ ſimplices, non enim hæ ſunt termini generationis, ſed compoſitum, quod etiam eſt ſimile ſuæ cauſæ, ergò cùm in ſublunaribus producatur compoſitum, & non forma ſimplex, ſequitur cauſam producentem debere eſſe compoſitum, & non ſubſtantiam ſeparatam, quæ eſt ſimplex forma.

Plato è contra in phædone docuit, has formas produci à quibuſdam ſubſtantiis ſeparatis, quas ipſe vocavit Ideas, cùm non videatur conceptibile, quod agentia ſublunaria producant effectus tam nobiles, quales ſunt formæ ſubſtantiales.

Avicenna tandem in ſua Methaphyſica affirmat cœlo Lunæ aſſiſtere quandam intelligen- *Tract. 9. c. 4.*

tiam

tiam omnium aliarum intelligentiarum aſſiſtentium aliis cœlis ignobiliſſimam. Ab hac vult Avicenna introduci, & produci formas ſublunares in materiis ab agentibus naturalibus, & ideò eam vocavit *Colcodæam*, hoc eſt datricem omnium formarum, tam ſubſtantialium quàm accidentalium, ac ſi illa *Colcodæa* eſſet theſauraria, & ærarium omnium formarum.

Applicatio.

VIII. Nunc ad Virginem: *Deſcendet ſicut pluvia, &c.* Nullum eſt dubium (NN.) quin omnes gratiæ, favores, honores, bona tam temporalia, quàm ſpiritualia ſint quædam nobiliſſimæ formæ, quæ in præſenti vita exornent genus humanum, cum hac tamen diverſitate, quod aliquæ harum ſint accidentales, ut bona temporalia, quæ citò pereunt, aliæ autem ſint formæ ſubſtantiales, puta gratia divina, gloria paradiſi, amor & charitas Dei. Hinc meus Seraphicus Bonventura. *Temporalia bona quodammodo adjectiva ſunt, nam tum adſunt, tum non adſunt; ſubſtantivum eſt amor Dei, nam talia non tranſeunt, ſed permanent.* immobilia in æternum.

in Pſal. 104.

O quam illuſtris & conſpicuus comparet mundus ſublunaris, & genus humanum per has formas nobiliſſimas tam accidentales, quàm ſubſtantiales.

Ex altera parte invenio Virginem ſanctiſſimam optimo jure poſſe vocari ſubſtantiam ſeparatam intelligentiam cœleſtem Colcodæam Avicennæ. Subſtantiam ſeparatam Platoniam & ideam. Idea vera Dei, ejuſque expreſſa imago Hinc Auguſtinus: *ſi formam Dei te appellem, digna exiſtis.* Intelligentia cœleſtis, cui ipſiſmet Angeli, & ſpiritus beati ſe incurvant. Colcodæa omni potentiſſima, cui ſpecialiter poſtquam aſſumpta eſt in cœlum, ſuprema intelligentia, puta Deus commiſit curam hujus mundi ſublunaris hominis. Hinc

In encomio de dormit. Mariæ.

Andreas Cretenſis. *Ex quo translata es à terra, te univerſus mundus continet commune propitiatorium.*

Colcodæa, quia ſicut illa Avicennæ ſic dicebatur, quia erat datrix omnium formarum, ſic Maria Virgo à potiori eſt diſpenſatrix omnium gratiarum, & donorum tam æternorum, quàm temporalium, tam ſpiritualium, quàm corporalium. Hinc perbbelle Idiota. *Per ipſum, & in ipſa, & cum ipſa, & ab ipſa habet mundus, & habiturus eſt omne bonum.*

Lib. de Maria in prologo.

Maria eſt Colcodæa; nam ſi Colcodæa Avicennæ erat theſaurus omnium formarum, ſic ſunt verba Richardi à ſancto Laurentio. *Maria eſt theſaurus, quia in ea ut in Gazophilacio repoſuit Dominus omnia dona gratiarum.* Eſt etiam theſauraria habens clavem omnium theſaurorum divinorum, & facultatem illas diſpenſandi ſuis devotis. Hinc Idiota alloquens Virginem ait: *Theſauraria gratiarum exiſtis.*

De laud. Virg. lib. 4.

Cap. 1. de Virg. Maria.

Cùm ergò ô Virgo benedicta ſis Colcodæa cœleſtis, intelligentia datrix omnium formarum, gubernatrix totius univerſi, diſpenſatrix, theſauraria, theſaurus omnium gratiarum & favorum divinorum, cur non dicemus te eſſe illud tenuiſſimum vellus lunæ, & & molliſſimum ſpongiam, quæ recipit & nobis etiam exprimit, & premit rorem, & pluviam cœleſtem omnium bonorum. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus, in ſpongiam, in uterum Virginis. Ipſa eſt ſicut vellus, vel ſpongia, qua multam de facile trahunt aquam, & in magna quantitate, & eam facillima compreſſione refundunt? ſic & Maria gratiam, quam invexit apud Deum.* Videte ergò an Maria non ſit liberaliſſima ergà genus humanum, cùm omnes gratias toti univerſo concicet.

Scriptura cap. 2.

IX. Divus Joannes ſcripto conſignavit nuptias illorum novellorum ſponſorum, ad quas invitatus fuit Chriſtus, ejuſque ſanctiſſima mater Porrò omnes ſcimus in medio convivio defeciſſe vinum. Quod ut advertit Virgo, filio ſuo id ſignificavit, inſinuans, ipſe novellis ſponſis de vino provideret. *Deficiente vino, dicit mater Jeſu, vinum non habent.* Reverà admiror hoc factum. Vinum defecerat non ſolùm ſponſis, ſed & omnibus convivis è quorum numero & ipſa erat. Cur ergò non dicit *Vinum non habemus*, ut ſic faciliùs flecteret Chriſtum ad patrandum miraculum, cùm & ipſi Chriſto vinum etiam deeſſet?

Poſſet aliquis dicere, Virginem cùm eſſe abſtinentiſſima, & idem eſt de filio ejus, parum curaſſe, num ſibi & filio vinum deneeret, vel abundaret, adeoque non dixiſſe, *Vinum non habemus*, ſed *Vinum non habent*, ut ſignificaret reliquis convivis vinum eſſe neceſſarium, ne hi cogerentur pati ſitim, & ſponſi confunderentur. Verùm hoc dato, cur Virgo non rogata à ſponſis, vel præfecto domus aut diſpenſatore vini ex ſe rogat filium, ut defectum vini reſtaurare velit? An Virgo non prævidit ſe forſan accepturam aſperum reſpon-

ſum, prout accepit, dum Chriſtus illi dixit : *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* perinde ac dicere voluiſſet : quid noſtra intereſt, an deſit vinum? ſi novelli ſponſi, vel aliquis alius, cujus intereret, in aurem rogaſſet à Virgine, ut poſtularet à filio vini defectum, ſuppleri non miraret : cùm enim eſſet clemens & miſericors, ac mater filii Thaumaturgi, videtur quod filium interpellare debuerit, aut ad minus, quod ſine reprehenſione id facere poſſet, imò ipſa libenter in ſe illud onus ſuſcepiſſet. Sed cur non rogata Chriſtum rogarit, maximè cùm ad eam hæc res nullo modo pertinuerit, ſcire vellem?

Hic latet myſterium inquit Rupertus Abbas. Nam Virgo tam prona eſt ad conferendas gratias & favores generi humano, & particularitèr ſibi devotis; dum indigent, ut non expectet, ſed præveniat eorum preces. Imò non ſolùm reſpicit eorum vota, iiſque favet, ſed & antevertit eadem; Et ideò volens ſignificare quàm grata ſibi fuerit devotio illorum ſponſorum, quâ ſe cum dulciſſimo ſuo filio invitarunt, advertit hanc eorum neceſſitatem, quam nec ipſi, nec diſpenſator vini fortè viderant; & ſimul etiam volens demonſtrare mundo toti, & ſpecialiter miſeris peccatoribus, quomodo à Deo conſtituta ſit noſtra advocatrix & protectrix, & hoc quamvis non rogetur & quod dum ab omnibus ſimus deſerti, ipſa invigilet noſtris miſeriis, ideò apud filium pro illis novellis ſponſis intercedere voluit. Mirè Rupertus : *Optabat Dei genetrix convivantibus fieri janua cœleſtis auxilii, ne illorum devotio, qui ſe invitaverant, fructu ſuo careret.*

Aſtronomia.

X. Inter omnia tempora anni, nullum eſt diutius autumno ob copiam frugum, quæ in illo colliguntur; hoc tempus autem incipit, quando Sol intrat ſignum virginis. De hoc ſigno loquens Albuſnaſar inter Arabes celeberrimus dicit, illud in globo cœleſti depingi in forma cujuſdam Virginis honeſtæ & puræ, quæ geſtat puerum in ſinu, & manu ſpicam nutriendæ proli. Addunt Aſtrologi, Solem dum hoc ſignum intrat, & quamdiu in eo moratur, ſummè favere terræ, ita ut eam reddat fœcundam uvis & aliis fructibus, qui ſunt divitiæ autumni & hominum, ac ſi hoc ſignum Virginis foret Pancarpius, & cornucopia favorum cœleſtium.

Præterea advertunt profeſſores hujus artis, ſtellam quæ format ſpicam, quam manu geſtat dicta virgo, etiam eſſe præſagium tantarum felicitatum & influentiarum tam benignarum, ita ut ille, qui naſcitur illo tempore quo Sol directus eſt ad illam ſtellam, quamvis ſit ex viliſſimis parentibus, futurum nihilominus feliciſſimum, fortunatiſſimum & abundantem omni bono, & præterea eum ad maximos honores & dignitates perventurum. Hæc omnia ſpondet illa ſtella, quia eſt primæ magnitudinis. *Spica virginis magiſtratus ſemper primarios & hæreditates maximas, rerum omnium ubertatem, fermè omnia felicitatum genera condonaſſe obſervata eſt.*

Applicatio.

XI. Nunc ad virginem: *Deficiente vino* &c. Quod per ſignum virginis ſignificetur mater Dei, noſtra domina, Virgo ſanctiſſima, nemo dubitat. Hæc eſt illa Virgo corpore & mente venuſtiſſima. *Quam pulchra es amica mea, & quam decora immaculata mea.* Hæc portat ſuas proles ad ubera, eaſque nutrit lacte ſuæ clementiæ. *Ad ubera mea portamini. Bibite vinum quod miſcui vobis.* Hæc eas paſcit ſpicis granorum, capillis, qui à capite ad cingulum uſque pendent. *Comæ tuæ ſicut elatæ palmarum. Mittam vobis frumentum & vinum, & oleum, & replebimini in eis.* Iſaiæ 66. Proverb. 9.

O Virgo fœcundiſſima, quàm bella, ſpecioſa & propitia es conſtellatio? Dum compares oſtentas fidelibus autumnum fertiliſſimum, copioſiſſimum & ditiſſimum omnibus fructibus terræ, gratiarum & favorum cœleſtium. Hinc ſanctus P. Hieronymus loquens de copia & plenitudine tuæ gratiæ dixit. *Gratia plena eſt, ex qua multi deducti rivi omnem irrigant terram delitiarum, infundunt hortum voluptatis.* Tu ſignum cœleſte manibus geſtas ſpicam omnium bonorum, tam corporalium quam ſpiritualium, ut iis dites genus humanum. Hinc Holcot in quodam manuſcripto. *Virgo mater Chriſti, quæ eſt mater immaculata, & omni pulchritudine decorata, ipſa tenet ſpicas cœleſtium ſeminum, gratiarum ſcilicet, & virtutum ſuis dilectoribus tribuenda.* Serm. de Aſſump. De imaginibus c. 7.

Tu Virgo immaculata, ſignum paradiſi quando compares, adeò te exhibes propitium & favorabile nobis, ut nobis præomineris magiſtratus primarios, & hæreditates maximas rerum omnium, ubertatem, & fermè omnium felicitatum genera.

Felicem ergò te ô Chriſtiane, ſecurus eſte conſecuturum honores & opes, felicitates incomparabiles, verbo omnia bona tam in cœlo, quàm in terra, eo ipſo quo habes tibi propitium

tium hoc ſacrum ſignum Virginis immaculatæ. Hæc eſt Parcarpius Dei, cornucopia paradiſi, Gazophilacium cæli, theſaurus omnium gratiarum. Hæc eſt, quæ libentiſſimè largitur gratias ſuis devotis, etiam non rogata, ut patet in nuptiis, in quibus non orata ſponſis vinum imperavit. *Optabat Dei genetrix &c.*

Loc. Scrip. *cap* 4.

XII. In ſolemni illo Epithalamio compoſito in laudem ſponſæ dicitur, illam eſſe hortum concluſum, fontem ſignatum, paradiſum delitioſiſſimum, arboribus ſuaviſſimis & exquiſitiſſimis conſitum. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Ciprus cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum, cum univerſis lignis Libani, myrrha, & aloe cum omnibus primis unguentis.* Hæc verba Rupertus Abbas, & alii Doctores Virgini applicant. Attamen ego non benè capio, quid ſibi velit illud verbum *Emiſſiones*. S. Ioſanctum Patrem Ambroſium velle illud verbum debere accipi paſſivè, ita ut idem ſit, ac *immiſſiones*, & ſignificet omnia illa dona, dotes, gratias ſignificatas per aromata & arbores pretioſas eſſe favores, quos conceſſit ſponſus ſponſæ. En Ambroſium: *Laudat etiam munera animæ, quæ miſſa ſunt à ſponſo, quibus dotata veniebat. Ros autem piæ animæ boni odores ſunt, myrrha & aloe, quibus ſpirat hortorum gratia, & peccatorum fœtor aboletur.*

Ambroſi. 216. de Iſaac & anima. 65.

Econtra Rupertus Abbas vult eò *Emiſſiones* debere ſumi activè, ac ſi ſponſus ſignificare vellet; omne illud, quod producitur ab hoc horto virginis, nil eſſe niſi ſuavitatem, pretioſitatem, arbores, flores, fructus ſuaviſſimos & pretioſiſſimos, ita ut videatur eſſe paradiſus delitiarum. Et ut verum fatear, explicatio Ruperti melior eſt. Sed modus loquendi ſponſi, magnam mihi difficultatem ingerit, ſi enim hic hortus delitioſus Mariæ ſit concluſus, & hic fons ſit ſigillatus, quomodo poteſt activè emittere arbores, fructus, aromata? Præterea Maria velut hortus concluſus quæ aromata, quas arbores, quos flores & fructus emittit? Quinam eſt hic Paradiſus, & quænam ſunt delitiæ hujus Paradiſi?

Mirè Rupertus Abbas in hunc locum. Verum quidem eſt, quod Maria ſit hortus concluſus, ſed tamen etiam verum eſt, eam non ſolùm producere in ſe, ſed etiam in aliis arbores, ramos, flores fructus, & aromata Paradiſi, quæ nil aliud ſunt, quàm gratiæ, dona, virtutes & favores Spiritus ſancti, Hos enim non ſolùm recepit à Deo, ſed & magis largè & prodigè eos communicat omnibus fidelibus. Maria eſt hortus concluſus, ejus enim venter puriſſimus fuit in conceptu & partu, & ideò fœcundatus à Spiritu ſancto omnibus delitiis & gratiis paradiſi. Hoc tamen non obſtante noluit illas delitias & favores manere ſoli Mariæ, ſed eas voluit communicari omnibus fidelibus. Mirè Rupertus. *Ipſa ſola hortus concluſus exiſtit, nam ejus duntaxat uterus fœcundus, & incorruptus in conceptu & in partu. Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cœleſtium mundus accepit, Emiſſiones tuæ ſunt &c.*

XIII. Philoſophi inquirunt, an corpora cœleſtia poſſint agere vel de facto agant in hunc mùdum ſublunarem. Nonnulli docuerunt cœlos nil agere in hæc inferiora, quod probabant authoritate Philoſophi, Secundùm hunc omne agens intendit ſibi facere ſimile: atqui hoc non poſſunt prætendere cœli reſpectu hujus mundi inferioris, cùm non poſſint alios producere cœlos, ergo. Conatur etiam hoc confirmare authoritate Damaſceni ſic dicentis. *Nos autem dicimus, quod ipſa, hoc eſt, corpora cœleſtia non ſunt cauſa alicujus eorum, quæ fiunt, neque corruptionis eorum, quæ corrumpuntur, ſigna autem ſunt magis imbrium & aëris tranſmutationis*: Addunt, juxtà Philoſophum ad actionem requiritur contractus Phyſicus inter agens & patiens, nam nihil aliud in diſtans; ſed cœli longiſſimè diſtant à terra, ergò.

Philoſophia.

Lib. 1. *de generat. cap.* 7.

Lib. 2. *fidei orthodox. cap.* 6.

7. Phyſic. c. 2.

His non obſtantibus, communis docet, corpora cœleſtia diverſos affectus producere in his ſublunaribus, imò demptis actibus liberis, omnes ſunt effectus cœli. Hinc Divus Thomas: *Singulis ſpeciebus rerum intereuntium reſpondent in cœleſti mundo peculiares virtutes, quibus fove antur & conſerventur.* Addunt multi ſancti Doctores, & Philoſophi platonici, Deum ſpeciebus ſublunaribus aſſignaſſe diverſas ſubſtantias ſeparatas, qui illas ſpecies gubernaret.

in 2. *Sent. diſt.* 19. *q.* 1.

Nec hoc negabat Damaſcenus, ſed ſolùm voluit cœlum non eſſe cauſam primam ſeu Divinam, uti volunt nonnulli Pagani, qui adorabant cœlos velut Deos. Nec eſt neceſſarium omne agens producere effectum ſibi ſimilem, id enim non eſt neceſſarium de agentibus æquivocis, quale agens eſt cœlum; ſufficit enim quod cœlum producat effectum ſibi ſimi-

lem

lem in virtute, ſicut etiam in virtute continet formas. Nec etiam requiritur quod agens tangat paſſum immediatione ſuppoſiti, ſed ſolùm immediatione virtutis. Hinc dicunt omnes cœlos ſuperiores Luna influere in cælum immediatè ſibi ſubjectum; v.g. primum mobile influit in cœlum Cryſtallinum, hoc Cryſtallinum verò & primum mobile in cœlum ſtellatum, cœlum ſtellatum verò & duo jam recenſiti cœli in cœlum Saturni, & ſic conſequenter, uſque ad cœlum lunæ, hoc tandem, & reliqui omnes cœli influunt in mundum ſublunarem. Ex quo patet nullam eſſe influentiam cujuſcunque cœli, quæ non communicetur mediante Lunâ; Hæc enim ſicut recipit omnes influentias, ſic præter ſuas proprias & particulares, omnes diffundit.

Applicatio.

XIV. Nunc ad Mariam. *Emiſſiones tuæ Paradiſus.* A Damaſceno vocatur ſanctiſſima Virgo cœlum, & quidem animatum, ac informatum ab anima rationali nobiliori, quam unquam produxit Deus, exceptâ animâ Chriſti, & dotatum intelligentiâ aſſiſtente perfectiſſimâ, ita ut nulla creatura habuerit perfectiorem, puta gratiam divinam, quam Deus in tanta copia illi contulit, ut aliquo modo par eſſet gratiæ Chriſti. *Ave gratia plena* inquit Hieronymus *totius gratiæ, quæ in Chriſto eſt plenitudo venit.* Hinc meritò vocatur à Damaſceno *cœlum animatum.* Cœlum ſimiliter eſt Chriſtus, imò primum mobile hujus magni ſyſtematis Eccleſiæ tam triumphantis, quam militantis. *Chriſtus eſt caput totius corporis Eccleſiæ.* Angeli ſancti, puriſſimi ſpiritus Paradiſi ſunt cœlum Cryſtallinum. Cœlum ſtellatum, in quo relucent duodecim ſigna Zodiaci, eſt Collegium Apoſtolicum, in quo ſplendent nobiliſſimi Apoſtoli Domini. In hoc magno ſyſtemate etiam reperitur cœlum Saturni, ſanctiſcilicet Prælati & Pontifices. Cœlum Saturni, per maturitatem & pietatem; cernitur eriam ibi cœlum Jovis ſanctorum Confeſſorum, qui ſummo jubilo cordis ſe affligebant, ut ſuccurrerent mundo. Hic etiam comparet cœlum Martis invictorum Martyrum, qui propriam vitam funderunt pro Chriſto. Hic etiam relucet cœlum Doctorum, qui ſua doctrina illuſtrarũt Eccleſiam Dei; cernitur etiam in hoc ſyſtemate cœlum ſtellæ, quæ vocatut Lucifer, puriſſimæ ſcilicet Virgines ſemper incontaminatæ ex amore ſui ſponſi Jeſu. Hic etiam ſplendet cœlum Mercurii Viduarum, quæ ſuis eleëmoſynis, ſanctis exhortationibus, & mille aliis bonis operibus lucratæ ſunt cœlum. Hic tandem etiam micat cœlum Lunæ, ſanctiſſima ſcilicet Virgo. Luna quæ nulli unquam ſubjacuit eclypſi, ſemper pleniſſima, & refertiſſima ſplendore & gratiâ, Luna abſque omni macula etiam peccati originalis. Luna æmulatrix Solis incarnatæ ſapientiæ. Luna puriſſima, quia ſemper Virgo, Luna fœcundiſſima, quia mater Dei, & totius generis humani. O cœli ſanctiſſimi, ô cœli cœleſtes. Et quidnam producitis in hoc ſyſtemate Eccleſia? An fortè fructus otioſi, & abſque ulla operatione, prout temerè aſſeruerunt Hæretici, negantes interceſſionem ſanctorum? ſileant hi temerarii & ſtulti, quia præter laborem infatigabilem contemplandi, videndi & amandi Deum, videmini in hoc toti fuiſſe, ut vos impenderetis in bonum hujus mundi inferioris militantis Eccleſiæ, rogando pro eo à primo mobili favores & gratias. Hinc Eccleſia militans tota ſupplex Deum orans cantat: *Quæſumus, ut deſideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis interceſſionibus largiaris.* Tu præterea primum mobile tuo motu uniformi tegis animas noſtras in cunctis operationibus. Vos Angeli ſancti cœlum Cryſtallinum ſingulariter eſtis iis, qui purificant noſtra corda. Vos ſancti Angeli Apoſtoli inſtruitis, ut ſequamur veſtigia Chriſti; Vos ſancti Pontifices influitis maturitatem & prudentiam noſtris actionibus. Vos ſancti Confeſſores animatis ad pœnitentiam. Vos ſanctiſſimi martyres invitatis ad propugnandam fidem etiam profuſione ſanguinis, & influitis conſtantiam, ac robur animi; Vos glorioſiſſimi Doctores illuminatis noſtras mentes ad cognoſcendum bonum & malum, & impetratis illud amplectendi, & hoc fugiendi. Vos puriſſimæ Virgines mundatis noſtra corda ab effectibus ſenſuum, & influitis deſideria caſta & munda. Vos continentiſſimæ viduæ, per veſtram interceſſionem facitis Eleëmoſinarios, continentes, modeſtos & pios. Verbo, vos glorioſiſſimi ſancti eſtis illi cœli, in quibus reperiuntur virtutes, quibus foveamur & conſervemur. Vos eſtis illæ ſupremæ intelligentiæ, & ſubſtantiæ ſeparatæ, quæ ex ordinatione divinâ aſſiſtitis cunctis fidelibus, & ſtudetis illos ſimiles facere vobis, imò ipſi Deo ad minùs ſecundùm Analogiam juxtà illud Pauli, *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.*

Sed ô Sacroſancti cœli, cùm tantùm diſtetis à nobis, quantùm diſtat altum cœlum à terra, quo-

quomodo ſit poſſibile, ut communicetis nobis veſtras influentias? O virgo ſanctiſſima, & ubi te relinquo? An non video divinam providentiam in hoc grandi ſiſtemate produxiſſe, & poſuiſſe cælum lunæ nempè te, quæ luna es ſemper plena, luna velociſſima in ſuo curſu, ut nobis ſuccurrat? An non forte verum eſt, te eſſe lunam, quæ in ſe recipit omnes influentias à ſuperioribus cælis, & dein illas copiosè in omnes fideles diffundit? An non fortè verum eſt, ſupernas illas ſphæras non communicare ſuos favores hominibus, niſi te mediante? Nonne indubitatum eſt illud dictum Hieronymi *Cæteris per partes præſtatur, Maria verò tota ſe infudit plenitudo gratiæ?* Nonne verum eſt, quod dixit Bernardus? *Mariam veneremur quia ſic eſt ejus voluntas, qui totum nos voluit habere per Mariam?* Dic ergo ſancte Bernardine: *In omnium gratiarum effluxus quandam juriſdictionem habuit hæc virgo, de cujus utero, quaſi de quodam divinitatis Oceano rivi & flumina emanabant omnium gratiarum.* Tu es, quæ regulas animas noſtras in cunctis earum actibus. Tu purificas noſtra corda, tu facis ut ſequamur veſtigia Chriſti, tu donas maturitatem & prudentiam, tu das pœnitentiam noſtrarum culparum, tu largiris conſtantiam, & robur, uſque ad profuſionem vitæ, tu illuminas tua ſapientia noſtras mentes, tu invitas ad puritatem virginalem, tu facis continentes, eleemoſinarios & operantes. Verbo tu es illa luna plena gratia, quæ non ſolum recepiſti plenè has influentias, ſed & eadem plenitudine eas nobis largiris. Hinc Richardus. *Bene Maria Gazophilacium utriuſque Eccleſiæ, quia quidquid boni nobis pauperibus dare diſpoſuit magnificentia divina, in ipſa velut in quodam Gazophilacio congregavit.* Dicat ergo liberè Rupertus: *Emiſſiones tuæ paradiſus, quia quidquid gratiarum, quidquid virtutum &c.*

Serm. de Aſſumpt.

Serm. 61. in fer. 4. poſt Paſcha cap. 8

Epilogus.

XV. Ad te ergo Virgo ſanctiſſima, quæ tam liberaliter nobis infundis gratias cœleſtes recurrimus in noſtris neceſſitatibus, benè ſcientes ab inſtanti tuæ conceptionis te creatam lunam in plenilunio, ut tanquàm æmula Solis, prædominareris mundo in tenebris ſepulto.

Ad te confugimus, tanquam ad domum regalem Dei, & illam quæ poſſidet omnes Angelos cæli, à quibus omnia noſtra bona dependent, ad te confugimus ſpongiam cœleſtem quæ repleta es aquâ cælorum, ut à nobis compreſſa, infundas omne bonum. Ad te confugimus *Colcodeam* paradiſi, datricem omnium gratiarum. Ad te ſpicam virginis, à qua dependent omnes noſtræ felicitates, & quæ non influis niſi favores, gratias, & ideò in nuptiis obtinuiſti illis ſponſis vinum. Ad te, quæ diſpoſitione divina facta es lunaris, & quæ ſola in te recepiſti omnes influentias aliorum cælorum, & ſanctorum, ut poſtea ſola illa communicares mundo inferiori generis humani, & ideò omnes tuæ influentiæ & emiſſiones ſunt ipſe paradiſus. Ad te inquam virgo ſanctiſſima recurremus, quæ hodie viſitaſti ſanctam Eliſabeth, & partum ejus in utero concluſum, ut ambos ditares tuis favoribus, ſicut copiosè feciſti, nam certi ſumus nos omnia obtenturos, quæ à tua liberalitate æmulatricè divinæ poſtulabimus, quod Deus per tuam interceſſionem concedat.

ELOGIUM XXII.

Pro Feſto Divi Jacobi Majoris Apoſtoli.

Poteſtis bibere Calicem, quem Ego bibiturus ſum? dicunt ei, Poſſumus. Matth. 20.

I. COmmuniſſima eſt opinio (N) cujuſcunque artis Profeſſorum partum natum menſe octavo, prout experientia etiam demonſtrat quotidiana, vel ſubito mori, vel ſaltem non diu vivere; hinc dixerunt Juriſtæ. *Partus octimeſtris eſt, & non eſt.* E contra partus editus in lucem nono menſe diu vivit. Hoc tanquam veriſſimo ſuppoſito ſummopere & maximâ curioſitate ductus ſcire vellem hujus rei cauſam.

Leges.

Philoſophia.

Philoſophi inſiſtentes rationibus naturalibus dicunt, quod ſæpè contingat partum tentare exitum ſeptimo menſe & ut hoc obtineat, valdè ſe vexat in utero matris, & dum hoc tentando valdè ſe fatigavit quieſcit, ſed ſubintrante octavo menſe, ſi vires amiſſas in priori molimine necdum recuperavit, & fortius exitum moliatur, valdè debilitatur, & priuſquam egrediatur vel moritur, aut ſi egreditur, non diu vivit.

Medicina.

Porrò Medici cum Anteſignano ſuo Hippocrate viram brevem aut mortem hujus partus attribuunt moleſtiis, incommodis, difficultatibuſque quas ſuſtinet mater octavo menſe; verùm enim verò, cum mater ob prolixam geſtationem prolis ſit valdè afflicta, & uter ipſius ſatis aggravatus, dum vult exonerare illud pondus veluti inſupportabile, ſi caſu natura edendo partum in lucem, ſuum conſequatur finem, valdè debilitatur Mater tum à moleſtiis propriis, tum ab egreſſione partus, & hinc fit, ut partus non poſſit diutius vivere; Porrò ſi Mater ſit valdè robuſta ac fortis, non eſt dubium, quin partus quantumvis octimeſtris diu vivat, prout Avicenna, in Hiſpania, & Ariſtoteles in Ægypto contigiſſe teſtantur. Verum Aſtrologi, qui omnes effectus ſublunares attribuunt cælo veluti cauſæ principali eorum, cenſent, id provenire à Planeta ſaturno, qui menſe octavo Embrioni utero prædominatur, cum & primo menſe ei prædominatus ſit. Et quia Saturnus ex communi Aſtrologorum, eſt *ſydus ferale & noxium*, cum ſit ſumme frigidus & ſiccus, quæ duæ qualitates è diametro contrariantur vitæ animalis, quæ juxta Philoſophos *conſiſtit in vita & calido.* Hinc dicunt Aſtrologi, quod partus octimeſtris non diu vivat; E contra verò partus qui nono menſe editur in lucem diu degat, quia illi prædominatur Jupiter ſydus valdè propitium & vitale, cum ſit naturæ calidæ & humidæ valdè attemperatæ, quæ qualitates ſummopere vitæ animali conducũt.

Aſtrologia.

Applicatio.

II. Quod actiones virtuoſæ externæ ſint partus humanæ voluntatis, qui prius quam edantur in lucem concepti ſunt, in noſtra mente indubitanter credo, & pluſquam libenter mihi perſuaſum habeo: Quod deliberationes abſolutæ, firma propoſita, quibus anima heroicos actus decrevit, velut alteri Joves promittant robur, vigorem, vitam, diuturnitatem & perſeverantiam, veluti illa quæ à vigore charitatis & humido devotionis ſunt fermentata & fomentata, non indiget probatione, quia quotidiana experientia docet, opus bonum eò magis vigorari quo propoſita firmiora & robuſtiora fuêre, ſicut è contra eò facilius opera deficiunt & evaneſcunt, ſingulariter ſi ſint ardua, quo deliberationes prædominantes ſaturnaliores, aridiores & frigidiores fuerunt; Nam vita ac anima omnium operum conſiſtit in promptitudine animæ, ac propoſitorum alacritate. Hinc dixit Chryſoſtomus. *Solertem unum animo & propoſito*

Tom. 2. hom. in P. Præſ.

poſito alacrem, nulla res detinere poteſt, ac ſegnem & remiſſum omnia poſſunt impedire.

Caput triumphantis ac militantis Eccleſiæ Redemptor mundi volebat eligere ſanctum Apoſtolum Jacobum Majorem ad maximam dignitatem ad digniſſimum opus & facinus reperibile in Eccleſia Dei, ad converſionem Gentium, ad prædicationem Evangelii, actionem & partum, tot difficultatibus & ſiniſtris eventibus, imò ipſi morti ſubjectum, ita ut niſi prædominata fuiſſet propitia alacris & prompta deliberatio à magno calore amoris Dei & proximi, ac ſimili devotione & religioſa pietate fomentata, diu perſiſtere & perſeverare non potuiſſet. Hinc poſtquam hic ſupremus Dux Eccleſiæ, attentiſſimè animo volviſſet difficultates, quibus involvi poterat Apoſtolus, dum adeò arduum opus exequi deberet, interrogavit, an animus ſibi eſſet, & propitia ac prompta reſolutio, quodlibet adverſum ſuſtinere. *Poteſtis bibere calicem &c.* & dumque promptiſſimè annueret: *dicunt ei p ſſumus*, videns eum adeò reſolutum, & quod ei prædominaretur non frigidus & atidus ſaturnus, ſed Jupiter ferveus & humidus, non pigra triſtitia, ſed prompta lætitia, ſibi perſuaſit Apoſtolum, quicquid aggrederetur, completurum, quicquid prætenderet, obtenturum, quicquid deſideraret conſecuturum & in lucem hunc partum editurum, ita ut nullæ contradictiones, nulla adverſa, nullæ difficultates nequidem mors ipſa eum in his conceptibus retardare poſſet, prout evenit, & nos hoc diſcurſu obſervabimus.

ASSUMPTUM.

Voluntas bona ſancti Apoſtoli Iacobi adeò fuit reſoluta, ita ut omnis difficultas ei ſit reddita facillima ac ſuperabilis.

Loc. Script. Cap. 18.

III. IN libro primo Regum inſigniſſimum locum Scripturæ valdè aptum ad hoc propoſitum obſervavi. Binis vicibus & quidem fruſtra Saul Paſtorem David, qui tam glorioſè Gigantem Goliath & omnes Philiſthæos proſtraverat, neci dare tentarat, & quia Saul videbat Davidem ab omni populo ſublimari, ſuſpici & ſummè celebrari, ſuoſque conatus quibus eum trucidare volebat, abiiſſe in ventos, ſtratagema apparenter quidem honorificum, ſed revera fraudulentum (qui mos magnatum eſt, dum ſine ſuſpicione infamiæ vel tyrannidis propoſita peſſima exequi volunt) adhibuit. Fel itaque odii, dulcedine temperavit amoris & paſtorem ad ſe vocatum, hiſce affatus eſt: Chariſſime mi fili David, compertum eſt mihi, quod nullus ſit in exercitu, qui tibi conferri valeat, percuſſus Goliath, cuncto populo generoſitatem tui cordis, robur animi tui, fortitudinem tuæ dexteræ, dexteritatem pugnandi manifeſtavit. ſanè non aliud præmium, quam diadema & ſceptrum tibi debetur, idcircò filiam meã natu majorem Merob tibi dando in uxorem decrevi te facere generum meum & adoptare in filium. *Ecce filia mea major Merob ipſam dabo tibi in uxorem*; verum unicum à te vice verſa exigo, ut cum meus Exercitus debeat ire in Philiſthæos, tu in hoc conflictu tuum ſolitum valorem oſtendas, & honorem populi Hebræi ac cauſam Dei defendas. *Tantummodo eſto vir fortis & præliare bella Domini.* O quam mellea verba, quam egregius apparatus, quam apparentes blanditiæ, quam veraces fraudes! Quid quæſo Saul his promiſſis prætendis? An forſan exiſtimatis, quod hæc verba fuerint expreſſiva interioris conceptus Saul? profectò non, quia ſubjungit ſacer textus, quod hoc medio voluerit eum jugulare, & per manus Philiſthæorum votis frui & notam crudelis Tyranni ac ingrati Principis effugere. *Saul autem reputabat*, dicens, *non ſit manus mea in eum, ſed ſit ſuper eum manus Philiſtinorum.* Saul itaque ſolum mortem Davidis intendebat. Nunc replico ego. Si Saul volebat, eccur abſolutè non jubebat, ut David collocaretur in prima acie militum, in cornu periculoſiori, cum id tanquam Rex abſoluto imperio mandare poſſet? Præterea cur cum ejus occubitum in pugna deſideraret, proponit ei connubium cum Principiſſa Merob? Abulenſis valdè benè ad meum propoſitum. *Si hoc juberetur ei, non ſubiret tu ia certamina*, & ſi aliquando ſubiret, non ageret animoſe, ſed nimis ſibi caveret, tanquam non faciens ex inclinatione ſed ex præcepto, quia qui non ex præcepto, ſed ex deſiderio & inclinatione agit, ille intenſe agit. Melius ad rem dicere non poterat, ſanè Saul abſolutè mandare potuiſſet, ut in prima acie & majori diſcrimine collocaretur, ut ſic occũberet, quod

& ita facilius factum fuiſſet; attamen per hoc medium non ita faciliter & ſecure habuiſſet ſuum intentum, quia perſpectum habebat res abſolutè juſſas ac mandatas fieri violenter, & nec violenter præceptas non fieri illa generoſitate, quæ exigitur. Hinc tacitus Saul ſic diſcurrebat ſecum, ſi in hoc caſu eum Davide imperioſè agam, & eum rogam, ut ſe exponat periculis belli, valdè erit ſolicitus ne occumbat, & ut videbit ſibi imminere aliquod diſcrimen, fugam arripiet, & ego non habebo intentum, quia illa quæ abſolutè Princeps mandat non exequuntur ſubditi ſpontaneè & libenter, quia aliquid participant de violentia, & quod fit coactè & violenter, exitum habebit adverſum; melius itaque erit, ait Saul, eum allicere promiſſione filiæ meæ ad generoſum certamen; nam hac ſpe allectus, quod ſit futurus meus gener, & eam habiturus in uxorem propriam non curabit vitam, qualicunque ſe objiciet periculo, ex ſeipſo ſe exponet majoribus difficultatibus, & ſic facilius occumbet, & ego votis meis fruar, quia illa quæ fiunt non ex ſtimulo & violentia Imperii & præcepti, ſed juxta inclinationem, & ſpontaneè, illa fiunt expeditius, melius, & abſq; minori reflexione; *ſi hoc juberetur ipſi, non jubiret &c.* Salvator itaque noſter hanc veritatem cognoſcens, ſcilicet ad hoc ut aliquid benè fiat, non eſſe adhibendam violentiam & vim, ſed valdè reſolutam voluntatem & inclinationem ſpontaneam, dum voluit per viam adverſitatum ſancto Apoſtolo Jacobo conferre regnum, non præcipit ut bibat calicem, ut ſuſtineat æruminas, ut non recuſet adverſa, ſed ut præſtet ſuum conſenſum & inclinationem. *Poteſtis bibere Calicem &c.* Non dicit impetiosè! bibite Calicem, quia benè ſciebat, quod *ille intenſe agit qui non ex præcepto, ſed ex deſiderio, & inclinatione agit.* Quod quis fecit ex alterius imperio, agit remiſſe & ſegnitet, & qui ita agit, cito fatigatur, quia agit quaſi coactè, ſed qui proprio motu operatur, ille operatur generoſius & diutius, quia ſpontaneè operatur.

Philoſophia.

IV. Philoſophi vos mihi anſam præbetis hunc locum ſcripturæ illuſtrandi quæſtione multum nobili. Quæritis an motus harum grandium rotarum cœleſtium ſit perpetuus, & ſimul naturalis, an verò ſit terminabilis & violentus aut ad minus præter naturam; quæſitum revera nobile & curioſum.

Et quoad naturalitatem hujus motus Avicenna, Præceptor ſubtilis, Durandus, Richardus & alii cenſuerunt, gyrum cælorum non eſſe naturalem, vel violentum, ſed præter naturam. Nec miremini Philoſophos adeò doctos aſſerere motum cælorum non eſſe naturalem; quia motus naturalis & liber ſe non compatiuntur, nam cum omnis res naturalis ſit etiam neceſſaria, & nullum liberum poſſit eſſe neceſſarium, neceſſitas & libertas ſibi contradicunt, ſed motus cælorum eſt liber, quia procedit liberè ab intelligentia motrice, quæ cum ſit libera, liberè movet, ergo motus ille non poteſt convenire cælis naturaliter; multo minus debet dici, quod iſte motus ſit iis naturalis, nam ſi talis eſſet, etiam quies foret talis, cum ſit eadem ratio, & tamen cæli non niſi per miraculum poſſunt ceſſare à ſuo gyro, ergo non debet dici quod potius ſit iis naturalis, quam præter naturam.

Avicenna l. 9. meta. c. 9. Scotus in 4. diſt. 48. q. 2.

Nihiloſecius celebriores diſcipuli & Interpretes Ariſtotelis, ut Simplicius, Philoponus, Averroes, Angelicus Thomas & alii innumeri, dicunt hunc motum eſſe naturalem, & non violentum, vel præter naturam. Et inter reliquas rationes quas adducunt, hæc mihi optima videtur, quam dedit Ariſtoteles: ſi motus cælorum eſſet præter naturam, & non naturalis, vel violentus, jam non poſſet eſſe perpetuus, quia quod præter naturam eſt, non poteſt eſſe perpetuum, ſed debet cito perire, atqui motus cœlorum eſt perpetuus, ut idem docet alibi: *Non eſt pertimeſcendum ne cœleſtia corpora fient, quia non ineſt iis potentia contradictionis*, ergo dicendum eſt, motum eſſe iis naturalem. Et magni ponderis eſt, quod ſicut Ariſtoteles probat motum cælorum iis eſſe naturalem, quia eſt perpetuus, ſic etiam probat eum eſſe perpetuum, quia eſt naturalis; Idcireo omnes Philoſophi Græci autumant eſſe erroneum dicere, quod quies ſit cælis naturalis. Quod eſto abſolutè loquendo, & juxta inclinationem naturalem cæli ſit veriſſimum, tamen ſecundùm fidem noſtram eſt falſiſſimum veriſſimum tamen id etiam eſt in principiis, Ariſtotelis, & reſpectu ſeriei generationum & corruptionum, ſecundum curſum naturalem rerum, quia his durantibus cælis nequaquam fieri, quin moveantur in orbem, & aſſiſtens intelligentia det impulſum.

Lib. 3. contragentes c. 23.

Ariſt. l. 1. de cælo c. 2 T. 15. 9. Metaph. c. 4. texi. 12,

V. Nunc

Applicatio.

V. Nunc ad applicationem. Cælum nobiliſſimum fuit glorioſus Apoſtolus Jacobus, contentus in illo numero cælorum, de quibus loquitur Scriptura, juxta mentem Divi Gregorii Magni: *Spiritus Domini ornavit cælos, hoc eſt ſanctos Apoſtolos.* Et addit, hoc cælum S. Jacobum ſcilicet, fuiſſe ornatum tot ſtellis, quot virtutes reſplenduerunt in hoc glorioſiſſimo Apoſtolo: *Ornamenta enim cælorum ſunt virtutes prædicantium.* Cælum velociſſimum in ſuo gyro, & quidem adeo velox, ut vocatus fuerit Boanerges, hoc eſt, fulgur, quod eſt partus tonitru, quia ſummâ velocitate percurrebat Samariam, Judæam, & à Jeruſalem in Hiſpaniam, ab Oriente in Occidentem, ex hac parte in illam populis communicas influentias ſuæ prædicationis, quomodo ſingulariter expertus eſt Philetus, Hermogenes, & Joſias, & illi ſeptem Epiſcopi ordinati à ſancto Petro, & in Hiſpaniam ablegati ad prædicandam fidem Chriſti, omnes hi ab hoc cælo Jacobo converſi ſunt; cælum, cui aſſiſtebat ſuperna intelligentia Spiritus ſancti, & cui impreſſit impulſus adeo validos, ut fulgure velocius ab uno angulo Orbis ad alium moveretur, *Neſcit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia.* Cælum, quod nunquam defatigabatur, quod non ſcivit, quid eſſet quies in itineribus, in prædicationibus, *Vox tonitrui in rota.* Cælum, quod fuit in continuo gyro & motu toto decurſu vitæ ejus, ita ut etiam in ipſa morte ſuis perſecutoribus influxus vitales communicaret, tunc ad fidem veram convertendo ſcribam Joſiam, qua dum lictor jam ipſi caput præciſurus erat, Apoſtolus juſſit afferri aquam, & eum baptizavit, & ſodalem mortis ac martyrii fecit; ſic teſtatur Lippelous in vita hujus glorioſiſſimi Apoſtoli, *qui cùm ſe credere diceret, expetitus eſt ab Apoſtolo aquâ ſalutari.*

Hom. 30. in Evang.

O glorioſiſſime S. Jacobe, unde hi gyri perpetui, hæ circulationes inceſſantes, infatigabiles, abſque eo, quòd vel puncto quieſceres, vel reſpirares, proceſſerunt, niſi ab eorum naturalitate, & quia productæ ſunt maxima cum ſpontaneitate, inclinatione, deſiderio ardentiſſimo placendi Deo, uti ex reſponſo, quod dediſti Magiſtro tuo JESU, clarè innoteſcit: *Poteſtis bibere, &c. dicunt ei poſſumus?* O promptitudinem indicibilem! ô velocitatem incomparabilem! ô perpetuitatem & perſeverantiam ſine fine! Quomodo talis fuiſſes, niſi proceſſiſſes à plenitudine voluntatis, cùm extra dubium ſit, affirmante ſic S. Dorotheo; illud quod involuntarie, & contra inclinationem fit, diu durare non poſſe; *Diuturnum eſſe non poteſt, quicquid anima noluerit?* Et ideo Chriſtus noluit extorquere à ſuo Apoſtolo violenter reſponſum de bibitione calicis, ſed ejus conſenſum requiſivit; *Poteſtis bibere calicem, &c.* ut motus ejus cæli eſſet perpetuus & naturalis, & non violentus, aut præter naturam: *Quia qui non ex præcepto, ſed ex deſiderio & inclinatione agit, ille intenſè agit.* *Dorotheus*

Locus Scripturæ.

VI. Chriſtus noſter Servator quadam die cum diſcipulis converſabatur familiariùs, eoſque docebat & inſtruebat, quid requireretur ad hoc, ut ſe demonſtrarent eſſe veros diſcipulos: ſi vos Apoſtoli mei velitis meis inſiſtere veſtigiis, ad quod vos exhortor, ſciatis opus eſſe, ut abnegetis vos ipſos, propriam voluntatem, veſtra maxima commoda & lucra, meis quantumvis levibus poſtponatis, & præterea crucem aſſumatis, eâque humeros veſtros oneretis, & dein velociùs meis veſtigiis inſiſtatis: *Qui vult venire poſt me, abneget ſeipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Alibi me apud ſacros Evangeliſtas legiſſe recordor, quòd Salvator ad diſcipulos & alios petorans, qui ejus ſequelæ ſe addicere volebant, hæc verba protulerit: *Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et in hac generoſiſſima abnegatione etiam abnegatio ſui ipſius includitur. *Abneget ſemetipſum.* Et eſto hæc ſit abnegatio generaliſſima, tamẽ non facit mentionem aliquam acceptionis crucis; *Tollat crucẽ ſuam, &c.* quod non videtur fieri ſine magno myſterio; ſed ſit ut ſit, in verbis S. Matthæi valde me premunt illa verba: *Qui vult:* Ille, qui vult meus eſſe diſcipulus, & meis inhærere veſtigiis, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, ac ſi inſinuaret, quòd ſequi Chriſtum ſit idem, ac eſſe Chriſtianum, & quòd ſine illa ſequela nemo poſſit conſequi ſalutem. *Matth. 16.* *Luc. 14.*

Nunc quæro, ſi ſequi Chriſtum ſit de neceſſitate ſalutis, & ejus inhærere veſtigiis, Apoſtolicâ perfectione diſponat Chriſtianum ad ſalutem, vel ut ita dicam, eum de hoc reddat certum, cui Chriſtus relinquit plenam libertatem iis, qui eum ſequi volunt, & utitur illo termino, *Qui vult?* meo judicio debebat adhibere aliquem terminum, qui ſignificaret vim, violentiam, maximè cùm talis violentia

nil aliud ſpectaret, quàm ſalutem ejus, qui cogeretur ſequi Chriſtum, auctorem ſalutis. Et cùm ſalus animæ ſit opus tanti momenti, quæ ex doctrina Chriſti non poteſt obtineri ſine ejus ſequela, quæ ſequela eſt valde ardua ac difficilis, & cui ſe plures ſubtraxiſſent, cur non dicit, *qui ducetur poſt me, qui trahetur poſt me*; ſed ſimpliciter, *qui vult venire poſt me*? maximè cùm ipſa Sponſa roget hanc violentiam, *Trahe me poſt te.* Et idem Chriſtus alibi dicat. *Nemo venit ad me, niſi Pater meus qui miſit me, traxerit eum*?

Cant. 1.
Ioan. 16.

Orat. 8. Ad ſtuporem reſpondet Gregorius Nazianzenus: *Neminem vi duci vult lex noſtra, coactèque ac non ſponte gubernari*; Lex Chriſtiana eſt jugum, quod non vult portari ab involuntariis, veluti mancipiis vinctis, ac ad triremes damnatis, ſed à voluntariis & ſpontaneis. Et eſto hujus jugi aſſumptio ſit maximè neceſſarium & efficaciſſimũ medium ad obtinendum cælum, tamen Chriſtus à nullo vult illud ſuſcipi coactè & contra propriam voluntatem, ſed planè liberè & ſpontaneè. *Neminem vi vult duci lex, &c.* Et ſi velitis ſcire hujus rei rationem, hanc dat Nazianzenus: Quia omnia, quæ aſſumuntur & fiunt cum vi, utpote tanquam contraria propriæ inclinationi & naturæ, illa parum durant, & prima data occaſione, omittuntur, ſicut econtra illa, quæ amplectimur liberè & ſpontaneè diu durant ac manent. Hinc Salvator noſter non utitur terminis ſignificantibus violentiam, ſed plenam libertatem, dum alloquitur eos, qui volunt ejus veſtigia & amplecti legem. *Quòd ita natura* comparatum ſit, *ut quicquid vi tenetur, arreptâ occaſione ſe in libertatem aſſerat.* Et ideo neminẽ vi duci vult.

En ergo efficaciſſimam rationem, cur Chriſtus volens Apoſtolum Jacobum intrare regnum cælorum mediante calice paſſionis, laboribus, afflictionibus, perſecutionibus, quibus in prædicando Evangelio ſubjici debebat, non dixerit abſolutè, nec juſſerit, ut biberet calicem, ſed ſolùm rogavit, an eſſet ei animus, an placeret ſibi eum bibere? *Poteſtis bibere calicem*? Quia *Neminem vi duci vult Lex noſtra, &c.*

Medicina. *Lib.* 10. *Aphor.* 21 VII. Expertiſſimi Medici, valde huc quadrat Aphoriſmus quidam veſtri Hippocratis, ubi docet, quomodo vos debeatis procedere, ſi velitis ſimul cooperari naturæ infirmi, & humoris peccantis. Nullum eſt dubium, quin ſæpiùs natura non ſit potens expellere humorem nocivum, qui eſt radix & cauſa morbi. Cùm ergo ſit debilis & inſufficiens in tali caſu, debet ſufficienter juvari, ne ſuccumbat, vel ut humor malus reſolvatur, ſicut facit agricola & hortulanus, ille dum circum plantas vel fruges terram bidente ſulcat, hic verò dum flores irrigat, & uterque dum terram firmant & juvant, ut fertilior & fœcundior reddatur. Dicit itaque Hippocrates, Medicum debere naturam adjuvare, ut faciliùs ſanetur, ſed ſingulariter debet obſervare motum, impulſum & inclinationem naturæ, & ſic illi ſuccurrere, atque auxiliari, quia ſi ſuppoſitum faceret, pro auxilio opportuno malum augeret. *Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit, per loca conſentania eò ducere.* Idem in eundem locum confirmat Galenus: *Oportet Medicum naturæ motum animadvertere, & ſiquidem ideneus fuerit, ei convenit ſubminiſtrare & adminiculari; ſi verò contrarium & noxius, prohibere, transferre, atque divertere oportet.* Quia cogeret naturam ad eam partem pellere humorem peccantẽ, ad quam non inclinatur, & hæc violentia pro ſanitate optatâ infirmo nociva foret. Quòd ſi contingeret partem, ad quam humor vel natura inclinatur, eſſe partem nobilem & principalem, debet curate Medicus, ut eum divertat ad partẽ convenientiorem. Explico. Et quidam, in quo valde prædominatur melancholia, & humor melancholicus demonſtrat quandam motionẽ, ita ut natura ſe ſola non poſſit eum expellere, quid factu opus Medico? nil aliud me hercle, quàm juvare naturam, & ab illo malo eam exonerare. Sed per quam partem id debet fieri? profectò *per inferiora.* Et ratio hæc eſt, quia humor melancholicus eſt gravis, & ob gravitatẽ ad inferiora declinat, idq; ex natura ſua; ideo Medicus debet cooperari naturæ illius humoris & ejus inclinationi, & purgare corpus per illam partẽ, quòd ſi hoc vellet facere per partem ſuperiorẽ, ad quam non inclinatur natura humoris melancholici, cæteris partibus malè fieret, & infirmus incurreret quoddam periculum. Hinc dixit Hippocrates: *Melancholicos infra vehementiùs purgabis*; ſicut ecõtra flava bilis, levis ex natura ſua, tendit ſurſũ, & ideo debet purgari per ſuperiora. Nam ſi hoc modo procedatur, motus humoris fit ſponaneus, naturalis, & non violentus, & ideo natura facilius juvatur, & infirmus curatur, cùm vio-

Galenus.

Lib. 4. *Aphoriſ.* 9.

violentia ſemper repugnet naturis rerum.

Sed quia ſubinde contingit, humorem melancholicum, dum evaporatur, ſublevari ad caput, facit infirmum delirum, ſtultum, phræneticum, juxta illud Medici: *Melancholia cùm petit mentem, facit amentiam.* Ideo Medicus debet purgare caput ab illa fumoſitate melancholica, quæ caput infeſtat, & hoc debet fieri per ejectionem humoris peccantis, & per inferiora; nam cùm humor melancholicus ſit gravis & tendens deorſum, hic motus eſt ei naturalis.

Applicatio. VIII. Nunc tedeamus ad S. Apoſtolum: *Qui vult venire, &c.* Ambitio, ſuperbia, appetitus, quo volumus aliis præeſſe, nec agnoſcere ſuperiorem, videtur eſſe quaſi effectus humoris peccantis; cùm enim melancholici participent de Saturno, hic iis prædominatur, & conſequenter elati & ambitioſi, quia Saturnus influit appetitum dominandi ac ſuperandi; hic humor melancholicus in initio Apoſtolatus dominabatur in filio Zebedæi S. Jacobo, & hujus diſcipuli menti quaſdam fumoſitates & vapores impreſſerat, qui cauſa erant, ut appeteret primatum & ſuperioritatem præ aliis in regno Dei. *Dic ut ſedeant, &c.* Et reipſa hæc cooperatio & humor melancholicus læſerat mentem, & reddidit eum phræneticum, prout Chriſtus ipſe eum redarguit, *Neſcitis quid petatis.*

Sed quomodo amabò Domine liberabis tuum diſcipulum ab his inſanis & delirantibus conceptibus? Scio curandis ſimilibus indiſpoſitionibus requiri medicinam purgantem, quæ alleviet caput, & illas evaporationes ad mentem aſcendentes divertat; ſed qualiter reperies medicinam, quæ ſit apta & conveniens ad hunc effectum? Et qualis rogo poterit meliot reperiri medicina, quàm anguſtiæ, afflictiones, adverſitates? An neſcitis, *inquit ſpiritus*, quòd *vexatio dat intellectum*? Hoc eſt medicamentum, quod *Iſaiæ 28.* præparavi Apoſtolo meo Jacobo, hoc eſt aptiſſimum, optimum, convenientiſſimum, quod in pharmacopolia ſpirituali confici poteſt. Verum eſt Domine, quod dicis, ſed an neſcis, quòd dum vis curare mentem læſam juxta regulas artis: *Melancholicos inferius purgabis*: debeas pellere evaporationes, humores melancholici ad partes inferiores? Dices forte, te id velle facere, ſcilicet te velle pellere humorem ad partem ſenſitivam, cui applicandum eſt medicamen calicis, paſſionis, afflictionum, imò & ipſius mortis, quem Jacobus bibere debebit ex tuo amore. *Calicem quidem meum bibetis, &c.* Valde bene Prothomedice excellentiſſime, ſed non advertis, quòd Medicus ſit cooperator naturæ, & quòd eò humores pellere debeat, quò natura maximè vergit, & quòd natura humana ex ſe abhorreat & abjiciat medicamentum tale afflictionum, veluti illud, quod eſt deſtructivum illius, & conſequenter quod non erit ad propoſitum? Verum id eſt, replicat Chriſtus, quòd natura Jacobi conſiderata ſecundùm ſe ſic inclinetur, ſed an præterea non didiciſti, quòd *gratia perfecit naturam & libertatem*? An non etiam advertis illud, quod ſit ad imitationem naturæ, eſſe quodammodo naturale? Ego vi gratiæ meæ talem dabo inclinationem animæ illius, quæ redundet in partem inferiorē, eamque diſponat & inclinet ad bibendum illum calicem, & quæ attrahat hunc humorem melancholicum ad purgandum & alleviandum caput, ac illam partem ſuperiorem. Et ut appareat verum eſſe, quòd hoc modo procedam, obſerva, quid interrogaturus ſim à meo Apoſtolo, & quale ab ipſo laturus ſim reſponſum? Adeſdum Jacobe: *Potes bibere, &c.* Eſtne tibi animus ac inclinatio, ut humor melancholicus, qui aſcendit & evaporatur ad caput, purgetur & ejiciatur per partes inferiores? *Dicunt ei, poſſumus, &c.* Vide qualiter auxilio gratiæ meæ corroborata & adjuta pars inferior ſe ſentiat ſufficientem ad attrahendum & evacuandum virtute medicinæ humorem peccantem. Hac via Jacobus habebit diſpoſitiones neceſſarias ad peragenda omnia bene, & epotandum hunc calicem diſpoſitivum ad evacuationem hujus humoris peccantis ambitionis, & conſequendam ſalutem in regno æterno, & perſeverandum & permanendum diu in his afflictionibus. Quod ſi hoc modo non diſponeretur, nec conſenſus ejus meâ gratiâ adjuvaretur, medicina non redderetur connaturalis & conveniens ejus neceſſitati, nec poſſet curari ab ejus malo, aut conſequi ſalutem, quæ non datur, niſi iis, qui animo prompto admittunt medicinam purgantem paſſionis. *Neminem enim vi vult duci, &c.*

Et ſic factum eſt ut ſanctus Jacobus maxima patientia & tolerantia biberit calicem à Chriſto ſibi propinatum, adverſitates, afflictiones & mortem ipſam, quia non coactus, ſed ſpontaneè illum bibit. *Poteſtis, &c. Poſſumus, &c.*

IX. Dum

Scriptura. IX. Dum ædificaretur domus Dei, Templum Hierosolymitanum, refert sacer textus, solos lapides affabrè politos ac dolatos, absque
3. Reg. 6. ulla inæqualitate adhibitos fuisse: *Domus autem cùm ædificaretur de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est* Sed à vobis interrogo sacri Interpretes: Quis dolavit ac polivit hos lapides? non nego, quin aliquis mihi respondere possit, quòd ad majorem commoditatẽ lapicidarum, aliorumq; in ipso tamen templo, eos dolârint, ac planarint, sed hoc non potest subsistere, subdit enim sacer textus: *Et malleus, & securis, & omne ferramentũ non sunt audita in domo, cùm ædificaretur.* Ubi ergo fuerunt politi ac planati?
Ibid.
Lib. 34. mor. c. 10. S.P Gregorius autumat, quòd ab ipsis lapicidis extra templum ad hanc perfectionem reducti
Theodoret. sint. *Lapides extra tonsi sunt, ut in constructione templi Domini absque mallei sonitu ponerentur.* Sed S.P. Theodoretus dicit, à nullo opifice hos lapides fuisse dolatos ac perfectos, nec ullum malleum, securim, aut aliud instrumentum ad hunc finem fuisse adhibitum. *Ipsum quidem*
3. Reg. 23. *templum ædificavit ex lapidibus minimè cæsis*, sed sic omnes illi lapides inventi fuerunt in illis locis, in quibus natura tam politè illos dolaverat. Sed quomodo hoc possit esse, quod tanta copia lapidum, tam politè ac affabrè fabricatorum reperta sit, ita ut iis planandis & dolandis non fuerit necesse adhibere ullum malleum, vel instrumentum?

Mirabiliter respondet Theodoretus, id factum esse ex speciali Dei providentia. Naturaliter quidem loquendo non erat possibile reperire tot lapides, qui sufficienter ad extruendum templum Dei, & qui ex natura sua in ipsis mineris essent ita excavati & politi, ut nulla esset opus securi, vel malleo, aut alio instrumento, quo reducendi essent ad debitam perfectionẽ; attamen Deus, qui volebat lapides, si qui in templo suo extruendo adhiberi debebant, esse naturaliter in eum finem dispositos, nec ullâ vi, vel violentiâ instrumenti humani ad illud munus aptari, poliri, dolari, disposuit, ut tot lapides ex natura sua politi, planati, excavati & perfecti, quo sufficerent ad fabricam templi, inventirentur.

Theodoret. Hinc subdit Theodoretus: *Cùm divina voluisset providentia, ut invenirentur ejusmodi sua sponte lapides* (ô quàm subtile verbum! *sua sponte nati lapides*) *adeo ut ad eos compingendos nullo ferro opus fuerit, sed absque ulla arte ædificandi inter se aptè conjungerentur.* Observa Scripturista, quòd Deus lapides destinatos ædificio sui templi, voluit ex natura politos, & excavatos, non ferro, non violentia scalprorum & malleorum, sed sponte tales natos, ut intelligas, non sine ratione eum dum eligeret Jacobum, veluti lapidem fundamentalem ad fabricam suæ Ecclesiæ, creando eum Apostolum, qui debebat Ecclesiam extruere & erigere, interrogasse: *Potestù bibere, &c.* scias ô Jacobe, nolle me, ut ad ædificium meæ Ecclesiæ applicetur vi & violentiâ aliquis lapis, sed vŏlo, ut omnes ex natura sua, sponte & naturaliter ad hoc sint aptati, quia ille qui coactè & non spontaneè mihi servit, non est dignus, ut mihi & meo templo serviat.

X. Canonistæ, valde meo proposito convenit quæstio, quam vos tractatis, supposito quòd infidelis viginti, triginta, vel quadraginta annorum, vel plurium, nescio quot, jaceat in lecto, morbo fatali depressus, ac a Medicis desperatus, & ab astantibus, inductus postuler baptismum, velitque fieri Christianus, quæritis, an si in illo statu adeò periculoso, illis sacris aquis tingatur, & convalescat, ita ut intra paucos dies restituatur integræ sanitati, & postea velit initiari sacerdotio, nũquam talis queat sacerdotio initiari? Leges.

Nullus non opinaretur, talẽ non solùm posse, sed & debere ordinari, cùm nullo laboret impedimento. Non enim obstat sexus, quia est vir, ac non fœmina. Non etiam obstat ætas, & usus rationis, quia suppono, quòd jam attigerit ætatem adultam, & quòd sit valde prudens.

Suppono etiam, quòd sit liber & non servus, nec homicida, vel irregularis, non illegitimus, vel membris deformis, quæ solent esse impedimenta Ordinum sacrorum. Cur ergo talis non deberet ordinari Sacerdos? Præterea vel tali deest aliquid requisitum ex parte Sacramenti, vel ex parte præcepti; neutrum potest dici, quia supponimus, quòd adsit materia, forma, legitima intentio in suscipiente, & adsunt etiam illa omnia, quæ sunt necessaria necessitate præcepti; ergo nil obstat, quòd talis in periculo mortis baptizatus, non possit Sacerdos ordinari.

Nonnulli dicunt, talem non posse ordinari in Sacerdotem, quia sic vetuit Concilium Neocæsariense, sic dicens: *Si quis in ægritudine constitutus, fuerit baptizatus, presbyter ordinari*

non

non debet. Et cauſam addit : *Non enim fides illius voluntaria, ſed ex neceſſitate eſt.* Talis ergò eſt irregularis ex defectu animæ, quia ſat citò non poteſt imbui illâ fide, quam requirit ſacerdotium, quod ſi ſucceſſu temporis maveret in eodem propoſito, ac eſſet bonis moribus, & bonâ fide præditus, ſic ceſſaret irregularitas, & poſſet ordinari Sacerdos, ſed quam diu manet Neophytus, cum illo haut diſpenſabit Pontifex. *Non enim &c.* fides ejus eſt potius vi mortis coacta, & non ita libera ſicut exigit ſacerdotium.

Applicatio. XI. Nunc ad applicationem. *Domus autem &c.* Quod adverſitates baptizent, & lavent animas noſtras, & earum ſordes vitiorum eluant, & ſuo modo reſtituant eas ſtatui innocentiæ egregiè teſtatur ſanctus *Serm. 107.* Petrus Chryſologus dicens. *Lachrymæ peccata baptizant.* Præterea, qui eſt hoc modo baptizatus, ille poteſt fieri Sacerdos, & Deo ſacrificium offerre, uti teſtatur Da- *Pſal. 40.* vid. *Sacrificium ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.*

Sed ut hoc ſacrificium ſit acceptum, vult Deus, ut homo recipiat baptiſmum contradictionum & adverſitatum, non violenter & ex neceſſitate, quia iis ſe ſubducere non poteſt, ſed voluntariè, ſpontaneè, promptè, & libenter *Non ex neceſſitate, ſed ex voluntate*, aliàs ſacrificium illud Deo gratum non erit, quia *Hilarem datorem diligit Deus.* Aliàs ſi coactè, & ex neceſſitate ductus hunc baptiſmum ſuſcepit, facillimè ſtatim perdit fidem & gratiam, quam in baptiſmo contradictionum, & adverſitatum acquiſiiſ- *Orat. 3.* ſet. *Volentium enim*, inquit Gregorius Nazianzenus, *non coactorum pietatis ſacramentum eſt.* Et ſanctus Valerianus. *Hom. 3.* *Contemnunt auctorem ſuum beneficia, quæ conſtiterint extorta.*

Salvator ergò noſter cùm vellet tanquam ſummus Pontifex, & caput Eccleſiæ ſanctum Jacobum Apoſtolum creare in Sacerdotem, ut ſeipſum morte (quam tam conſtanti animo cum Joſia pertulit, dum uterque eſt ſecuri percuſſus) ſe ſacrificaret, & videret eum ad tantam dignitatem non potuiſſe elevari, niſi prius tinctus eſſet baptiſmo contradictionum, nec hunc baptiſmum fore multum gratum Deo, niſi Apoſtolus eum recepiſſet, non ex neceſſitate, ſed ex voluntate & ſponte, ſic enim ejus fides & gratia futura erat valdè conſtans & radicata, & ipſe etiam perſeverans; ideò à Chriſto interrogatus fuit, num voluntariè & libenter ſuſciperet baptiſmum adverſitatum & contradictionum : *Poteſtis bibere, &c.* Et dum reſponderet ſanctus Jacobus. *Poſſumus.* Ita Domine, adeò promptè & libenter hunc ſacroſanctum baptiſmum ſuſcipio, ſicut tu illum ſuſcepiſti, qui de te dixiſti, *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, uſque dum perficiatur?* Chriſtus, qui reſpiciebat promptam & bonam voluntatem Apoſtoli, eum baptizavit, eique dedit gratiam patiendi pro ejus amore, & Sacerdotem eum ordinavit, faciens ut animam & corpus ei in ſacrificium offerret, quod & fecit tanto ſpiritu, fervore & conſtantia animi, ut non ſolùm demonſtrarit, quod non ex neceſſitate, ſed voluntariè & ſpontaneè receperit gratiam, ſed & obtinuerit à Deo gratiam ſingulariſſimam convertendi Joſiam, quem ſocium in morte habuit. *Breviar. Rom.* *Quem cùm is, qui eum duxerat ad tribunal fortiter martyrium ſubeuntem vidiſſet, ſtatim etiam ipſe ſeſe Chriſtianum eſſe profeſſus eſt.*

O glorioſiſſime, ô ſanctiſſime Sacerdos Chriſti, benè videtur quam fuerit radicata tua fides & gratia recepta in baptiſmate adverſitatis. Ex hoc benè concludo, quod eum ſuſceperis non ex neceſſitate, ſed voluntate; Nam adeò non ſolùm fuiſti ordinatus Sacerdos, ſed primus etiam fuiſti, qui inter Apoſtolos Deo animam & corpus ſacrificavit. *Primus Apoſtolorum profuſo ſanguine teſtimonium* JESU CHRISTO *dediſti.* Tu quippè didiciſti hos eſſe lapides, quibus utitur DEUS in conſtructione ſui templi, Eccleſiæ non ſolùm militantis, ſed & triumphantis. Lapides vivi, politi, excavati, aptati, non vi & violentiâ, ſed ſponte & liberè. Unde & tu fuiſti unus ex lapidibus ſponte natis, imò qui primus ex duodecim Apoſtolis huic nobiliſſimo ædificio applicatus eſt. Politiſſimus lapis, voluntarius baptiſmus, ſanctiſſimus Sacerdos, invictiſſimus martyr, glorioſiſſimus Apoſtolus.

Scriptura. XII. Volens magnus ille amicus Dei Moyſes extruere tabernaculum, quod debebat

opus esse adeò celebre, & ad quod requirebatur ars summè excellens, & consequenter Architecti peritissimi, dicit sacer textus, quod fuerit electus quidam Proto-Magister nomine Beseleel, vir cui Deus ex speciali gratia scientiam & intellectum illud opus concinne extruendi infuderat. Præterea observat, quod omnes artifices, qui adhibendi erant fabricæ adeò celebri, qualis debebat esse sanctuarium & tabernaculum, fuerint in illa arte peri
Exod. 36. tissimi & expertissimi. *Fecit ergò Beseleel & Ooliab, & omnis vir sapiens, quibus dedit Dominus sapientiam & intellectum, ut scirent fabrè operari, quæ in usus sanctuarii necessaria sunt.* Hos ad hoc opus requisivit Moyses, & dicit sacer textus, quod ipsimet Moysi se cuncti spontaneè obtulerunt. *Cùmque vocasset eos Moyses, & omnem eruditum virum, cui Dominus dederat sapientiam, & qui sponte se obtulerat ad faciendum opus &c.* Cur amabo Spiritus sanctus facit mentionem, quod hi artifices se ita spontaneè ad illud opus obtulerunt? si hæc prompta oblatio nil faciebat ad ædificium tabernaculi, quid referebat quod se prompros exhiberent? Esto artifices illubenter operam suam illi operi impenderent, tamen hoc parum referebat, dummodo essent sapientes, prudentes, judicio & periti in arte, qui scirent symmetricè, & perpendiculariter fabricam disponere cum proportione, & congrua distributione conclavium & decore fabricæ, & hoc sufficiebat. Quinimò scimus, quod Deus ex particulari providentia omnibus dictis artificibus communicarit peritiam & scientiam. *Quibus dedit Dominus &c.* Hæc sapientia sufficientissima erat dictæ fabricæ, & nil ulterius exigebatur. Cur ergò exprimit Moyses, quod spontaneè sese ad tale opus obtulerint? *Et qui spontaneè &c.*?

Valdè benè sciebat Moyses, ad hoc ut res benè & perfectè fiat, non debere adhiberi vim vel violentiam, sed scientiam & potestatem, ac voluntatem grandem, quâ quis opus potest facere, quinimò, scientia, nisi comitetur, opus parum, vel nihil valet. Verum quidem est, quod ad fabricam tabernaculi requirebantur homines scientes & in arte periti, nec tales deerant; Nam Deus ordinariæ eorum scientiæ & peritiæ super infuderat majorem sapientiam & judicium, ut nil operi tam perfecto, quale debebat esse sanctuarium deesset. Veruntamen his non obstantibus Moyses dixit, necessariam quoque esse spontaneam voluntatem, & propensionem in ipsis operantis; quia hæc opera tacit majori cum diligentia, perfectione & perseverantia. Ideo Moyses non selegit tantum homines in arte peritos, sed etiam tales, qui voluntariè se ad opus obtulerant; Nam si ad hoc fuissent coacti, non ita benè suam scientiam applicuissent; Nam non operatur benè, nec ex illo refert laudem qui cogitur, sed qui libenter & magnâ animi promptitudine operatur.

Hinc sanctus Pater Augustinus in Exod quæstione centesima septuagesima: *Laudandus est in his omnibus non attractus ad opus serviliter animus, sed liberaliter & sponte devotus.*

Christus novellus Moyses, decreverat ædificare sanctuarium & tabernaculum Ecclesiæ suæ, & hæc cùm ejus fundamenta jecerint Apostoli, ad stuporem per totum orbem postea crevit. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Huic operi debebant adhiberi Architecti valdè sapientes ac prudentes, dotati summâ constantiâ ad superandas difficultates occurrentes.

Sancto Jacobo competebat Regnum Hispaniæ, in quo magnis cum laboribus & molestiis debebat dare principium Ecclesiæ, & fidei Christi in pectore populorum infidelium, adhuc incredulorum & contradicentium veritati Evangelicæ, ideoque & tunc pauciſſimos convertit. Hinc prævidens Salvator molestias & difficultas, quæ illi occurrere debebant in illa fabrica, & insuper cognoscens ei necessariam esse non solùm sapientiam magnam & cœlestem, sed etiam promptam voluntatem in iis sufferendis, illam autem ei daturus esset in necessitate occurrente, hæc voluntas autem requiratur in hoc opere antequam quis illud aggrediatur, ideò quærit; *Potestis bibere &c.* Et intelligens ejus resolutissimam voluntatem & promptitudinem: *Possumus*, eum Christus elegit ad fabricam hujus tabernaculi; nam ad ejus extructionem & totalem perfectionem requiruntur opifices non solùm periti & sapientes, sed & voluntarii

luntarii ac prompti, nullatenus verò coacti *Laudandus eſt &c.*

Politica. XIII. In politica mundi decertant clementia, ac vis armorum principis, utraque habet ſuos aſſeclas, qui potiùs moventur affectibus, quàm rationibus fundatis. Eventus, qui theoriæ poſſunt præfigere regulas, ſæpiùs, imò communius primas detulerunt potiùs clementiæ, quàm violentiæ, poſtquam enim hæc crebrò omnem ſuam vim collocavit in armis, illa inermis, affabilitate ſolâ vultus ſuum invincibilem valorem oſtendit. Illa benè potuit hoſtes ſpoliare, bona eorum eripere, libertate eos exuere, in ſervitutem redigere; ſed econtra nunquam potuit ſubjugare, ut liberè & ſpontanee homagium penderent, prout clementia ſe ſæpiùs feciſſe gloriatur. Hinc crebrò ſe deceptos vident Principes, qui ſpretâ clementiâ, veſtigiis violentiæ arctè inſiſtunt.

Hiſtoriæ. Quintus Flaminus Romanorum Dux, cùm in Græciam contra Philippum caſtra moviſſet, potiùs omnem penuriam & laborem ſuffiecre voluit, quàm prædia & domos incolarum invadere, qui ad montes confugerant; & id ei utiliſſimum fuit, quia urbs Theſſalonicenſis ejus clementiæ ultrò ſe dedit. Philippus econtra omnia devaſtans, ne Romani iis frui poſſent, contra ſe ſubditos armavit, qui conſultiùs judicarunt ſeſe ſubjicere Romanis, qui eorum bonis parcebant, quàm fidem ſervare Philippo, qui ea devaſtabat. Clementia pectorum nudorum, ſed temperatorum a more plures enumerat victorias, plures cantat triumphos, quàm robur quod ſecum ducit agmen hominum armatorum vi coactorum. Exercitus cupidinis nudi, & pueri robuſtior, ac major eſt exercitu Martis robuſti ac armati; motus ignis ad ſuam ſpæram eſt velocior, & magis durans, quàm motus lapidis verſus cœlum. Axiomata naturæ veriora ſunt axiomatibus artis, quia illa ſunt ſemper vera, hæc ſæpè falſa. Violentia pro ſymbolo habet vexillum rubeum cum epigraphe. *Jus in armis.* Clementia album, cum lemmate *Vis amoris.*

Applicatio. Sed ſi finem liti imponere velimus, ad ipſam naturam arbitram irreprehenſibilem recurramus. Natura hominis tantò vivacius demonſtrat ſe eſſe libertatis amatricem, quantò acrius dimicat cum robore violentiæ. Nec hoc eſt mirum, quia libertas eſt conſervatrix conditionis humanæ, violentia autem illius eſt indubitata deſtructrix & diſſipatrix. Ob conſervationem illius, ita fortem ſe exhibet homo, ut non ſolùm vires humanæ & creatæ, ſed & cunctipotentia divina eum ſuperare non poſſit. Quod ſi itaque facilius ea aggredimur, ad quæ natura inclinatur, & velociſſimè ab illo fugit, quod abhorret (dum vis armorum oppugnat libertatem humanam, & violentiam tantum ejus hoſtem introducere conatur, & ex altera parte clementia, & amor conditionem liberam hominis propugnent (quomodo ipſa natura contra frivolas præſenſiones, vis & violentiæ pro clementia & amore jus non dicat? Dicamus ergò, quod in politica mundi hic princeps ſit futurus potentior, & ſtatum ſuum magis augebit, victorias referet glorioſiores, plures habebit ſibi adhærentes, & in omnibus ſuis ad ſuum nutum omnes melius habebit, qui ſua aget per miniſtros voluntarios & promptos, & non violentos & coactos.

XIV. Duo magni Duces in mundum prodierunt, ut in univerſo regnum ſuum ſtabilirent, & homines in ſui ſequelam traherent; unus ſe nominari voluit *Princeps tenebrarum.* Alter jactavit ſe de titulo Principis lucis. *Ego ſum lux mundi.* Principiis planè diverſis, ac oppoſitis hi duo magnates regebantur. Ille omnes ſuos nervos collocavit in armis, ac violentia & homines ſibi mancipes fecit. *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*: Vel ut dicit ſanctus Pater Ambroſius; *Sathana mancipium,* illos expoliavit, eorumque bona diſſipavit. *Peccatum eſt privatio modi, ſpeciei & ordinis,* & hac violentia appetendo orbem, illum ſibi ſubjecit.

Ex altera parte volens filius Dei humanatus ſtatum in terra fundare principiſſæ, puta fidei Chriſtianæ, nimis contractum & anguſtam cenſuit ſolam Judæam. Appetitus ejus ſatiari non poterat, niſi juriſdictionem ſuam protenderet per totum univerſum, & ſibi omnes homines ſubjugaret. Motus & tectus ab his univerſaliſſimis prætenſionibus, diſcipulis mandavit, ut totum orbem percurrerent, & eum huic principiſſæ ſubjugarent. *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium*

omni creaturæ. Politica Chriſtiana, juratus ſemper hoſtis violentiarum, medium illi propoſuit aptius, ut votis ſuis poſſet frui, nempè liberum arbitrium, & libertatem hominis, quæ eſto ſit juncta præceptis, tamen liberam & ſolutam ſe proclamat. Imò eò ſe fatetur magis liberam, quò magis dependet à Deo, ut tota Theologia confirmat, dolens valorem meriti eſſe majorem in libera obſervatione mandatorum Dei. Hinc publicatum eſt edictum, ab omnibus inviolatè ſervatum, ut ſcilicet maxima politicæ Diaboli, nempè vi & armis eſſe agendum, è regno Chriſti exularet & abeſſet, nec aliud principium aula Chriſti regeret, quàm maxima amoris & ſpontaneitatis, ſciebat quippè per hanc ſolam imperium fidei poſſe dilatari: hæc enim, teſte ſancto Patre Ambroſio, *Operationes ſervorum ſpontaneas probat potius quàm coactas*. Imò Chriſtus ut oſtenderet, quam ſibi placeret hic modus agendi, illos per ſuam gratiam reddit liberos, qui ſunt ſervi Diaboli, ita ut libentiùs dona ſpontanea liberæ voluntatis offerant, quàm obſequia violenta neceſſitatis. *Ideò* ſunt verba ſancti, *ex ſervis liberos facit, ut magni voluntatum noſtrarum munera; quàm neceſſitatum obſequia conferamus*. Hæc maxima debebat ducere, non tantùm eos qui ſubjiciendi erant vexillo Eccleſiæ & fidei Chriſti, ſed & illos debebat regere, per quos tanquam medium opus illud debebat executioni mandari, ſanctos ſcilicet Apoſtolos. Et illa maxima ita ei fuit apta, ut ſola Chriſto, & ejus fidei ſubjugarit totum mundum.

In Pſ. 118.

Sanctus Apoſtolus Jacobus unus fuit ex invaſoribus & devictoribus orbis, ad eum enim ſpectavit Samaria, Judæa, Hiſpania, per hunc enim miniſtrum, omnes illæ provinciæ fidei Chriſtianæ ſubjectæ ſunt. & tamen hic glorioſiſſimus Apoſtolus non fuit applicatus negotio tam arduo & laborioſo à Chriſto, niſi per favorem maximæ Chriſtianæ politicæ. Nam aliam ſubjugationem non æſtimat, nec aliud miniſterium eſt ſibi gratiùs, quàm illud, quod agitur ſpontaneâ voluntate. Hinc poſtquam Divus Jacobus venit ad præſentiam Chriſti, & hic ei propoſuiſſet an vellet ſuam operam impendere in propagando ſuo regno, idque per effuſionem ſanguinis tanquam per medium. *Poteſtis bibere &c.* Et ille liberè reſponderet: *Poſſumus*. Chriſtus ejus ſervitium acceptum habuit, & in Samaria, Judæa, Hiſpania, & tandem Hieroſolymis, ejus operâ uſus eſt, & tandem cùm in hoc ultimo loco liberrimè divinitatem Chriſti prædicaret, ab Herode cum indicibili gaudio ipſius Apoſtoli ad mortem damnatus eſt. *Herodes Jacobum libere Jeſum Chriſtum confitentem capitis damnavit*.

Breviar. Roman.

O Salvator generis humani, ô liberator mundi, ô ſummè Monarcha univerſi, hæc revera, ac nulla alia eſt vera politia ad acquirenda imperia, & ſtabiliendas Monarchias, ad firmandos in fide conſtanti populos ſubjectos. Ad hoc non conducit geſtare arma, diſſipare & perdere bona, non agere violenter, tyrannicè, vi, ſed ſe exhibere benevolum, hoc eſt, redintegrare, & ſtabilire ſpontaneam, & liberam ſubjectionem ſubditorum. Hic eſt modus aptior & congruentior conditioni hominis, & quem unicè approbat divina Majeſtas, cui nulla eſt grata deditio, niſi ſit ſpontanea, & non violenta! *Abſque voluntate libera*, inquit beatus Laurentius Juſtinianus, *nihil eſt Deo gratum*. Hinc nil miri, quod ad ædificationem tui Eccleſiaſtici tabernaculi elegeris opifices non tantùm ſapientes & peritos, ſed antè omnes ſpontaneos, *& voluntarios. Qui ſponte &c.*

In faſcic. amoris. cap. 91.

Epilogus.

Tu Dux potentiſſime elegiſti ſanctum Jacobum ad extruendum tuum imperium, ad fabricam tui ſanctuarii & Eccleſiæ, quia vidiſti, quod ita benè eſſet diſpoſitus & voluntarius ad ſubjugandos maximos hoſtes, militantes ſub principe tenebrarum.

Tu archietecte peritiſſimè, elegiſti hanc politiſſimam petram excavatam, non violentiâ malleorum, ſed ab ipſa natura, & eam impendiſti in tuo ædificio, in quo voluiſti, ut Jacob baptizaretur voluntariè in aquis contradictionum, & velut Sacerdos ante omnes Apoſtolos ibi primum ſacrificium vitæ offerret.

Tu protomedice excellentiſſimè demonſtraſti tuum valorem, & præſtantiora experimenta tuæ ſcientiæ prodidiſti medicamine purgante tui Calicis ſanctum Apoſtolum Jacobum, curando à phreneſi ambitionum, cum caput & ſtomachum

ab

ab humore ſaturnino, & melancholico ſuperbiæ expurgaſti, & illum honorem, *quo maximè naturæ vergebat*, attraxiſti ex parte ſuperiori animæ ad inferiorem, ut ſanitati reſtitutus, lubentiùs tua ſequeretur veſtigia, & ſalutem aſſequeretur æternam.

Tu ſuperna intelligentia elegiſti hoc perfectiſſimum cœlum Jacobum, ut terræ influentias cœli communicares, qui vidiſti eum infatigabilem in ſuis gyris, qui ſemper duraverunt, & durabunt quamdiu fuerint naturales, & non violenti ac præter naturam; nam ſi tales non fuiſſent, non ita potuiſſent eſſe infatigabiles, nec perſeverantes, atque durabiles. Nec David tot periculis belli ſe objeciſſet, niſi amor ergà Michol alas addidiſſet.

Tu tandem voluiſti, ut partus ſanctiſſimarum operationum Jacobi eſſent vitæ longævæ & diuturnæ, noluiſti ut eſſent partus octomeſtres, qui facillimè deficiunt, veluti quibus prædominatur frigidus, ac rigidus Saturnus, tepidæ, remiſſæque voluntatis, ſed ut eſſent partus novennales; Cùm enim iis ſemper prædominetur Jupiter beneficus voluntatis ferventiſſimæ, ac copioſæ religionis & devotionis, nunquam defecturæ erant, imò habituræ erant vitam longiſſimam, & quidem cœleſtem, quæ per plenitudinem gratiæ nunquam in præſenti ſæculo defectura erat, ut æternaliter illa fruetetur in ſæculis illi præſentibus, nobis futuris; interim rogatus maximo affectu, ut tuæ bonitati complaceat, ut nos etim perveniamus ad illam patriam, ut qua noſtræ bonæ & ſpontaneæ operationes tuæ viſionis, & fruitionis non agnoſcant aliam menſuram, quàm æternitatem participatam, idque per interceſſionem tui glorioſiſſimi Apoſtoli. Amen.

ELOGIUM XXIII.

Pro feſto Sanctæ Annæ Matris Deiparæ.

Gaudeat Pater tuus, & Mater tua, & exultet, quæ genuit te.
Proverb. 23.

1. Aſtronomia.

QUod ex felicibus aſpectibus, & denominationibus planetarum, ex domibus, & propitiis configurationibus concurrentibus in alicujus nativitate, poſſimus prædicere excellentias, glorias, dignitates, honores & ſplendores illius, qui naſcitur, eſt comun iſſima opinio Aſtronomorum. Prætereà quod ex eiſdem configurationibus poſſimus divinare eminentiam parentum, videtur mihi propoſitio mille contradictionibus ſubjecta, & tamen Anatomiſtæ cœli & humanarum nativitatum, id clarè docent.

In cœlo parentis ſignificatores ſunt quarta domus, nempè angulus mediii infimi cœli, planeta illius dominator, Sol in nativitate diurnâ, Saturnus in nocturnâ, ſunt & alii planetæ, vel unus, vel plures collocati in eadem quarta domo cœli.

Similiter ſignificatores Martis ſunt decima domus, puta angulus medii ſupremi cœli, Planeta dominator illius domus, Venus in nativitate nocturnâ, & luna in diurna, & planetæ qui tunc reperiuntur in illa domo decima. Quod ſi illi ſignificatores fuerint potentes in cœlo, ſignificant longam vitam & fortunam parentum, conformiter ad diſpoſitionem magis, vel minùs bonam illorum.

Sed ſpecialiter quo ad honores & ſplendores parentum dicunt, quod quando eorum ſignificatores, vel ad minùs major pars illorum, reperiuntur in ſuis locis nobilioribus & ſecum habeant planetas bonos, & benignè recipiantur à Sole & luna, vel configurati ſint cum illis felici aſpectu & irradiatione, tunc parentes ſibi poſſe promittere magnam eminentiam ex nativitate ſuæ prolis. Idem dicendum eſt, ſi Jupiter dominetur quartæ domui & aliis locis, & Sol in ſuis dignitatibus collocatur, approximet cardini medii cœli. Singulariter mater erit valdè nobilis & felix. Si luna exiſtat in decima domo, & collocata ſit in dignitatibus lunæ & Soli propriis, puta in decima domo, in exaltatione, in triplicitate, in terminis, in aſpectu unius & alterius, particulariter in dignitatibus præcipuis illorum.

Applicatio. II. Naſcitur Virgo ſanctiſſima domina noſtra ex Joachimo & Anna parentibus ſuis. Naſcitur hæc filia in corpore pulcherrima, nobiliſſima in anima, imò omnium mortalium feliciſſima. Porrò quales tum fuerint configurationes in cœlo cœleſti Triadis beatæ, clarè demonſtrant, excellentiæ, honores, dignitates, eminentiſſimæ prærogativæ, quibus hæc nobiliſſima puella adornata fuit, non ſolùm in nativitate ſua, ſed & in decurſu, & fine vitæ ſuæ, uti ſæpiùs oſtendi. Qualem nobilitatem, honores, ſplendores, excellentias, ex tali nativitate reportarint ejus parentes, inſinuavit & vidit quamvis à longè ille qui dixit. *Gloria Patris eſt Filius ſapiens.* Quod Jupiter æterni Patris, Sol verbi divini, Venus Spiritus ſancti, luna totius Trinitatis ſpecialiter faverint huic nativitati, non eſt qui ambigat. Sufficit dicere, quod fuerint auctores & ſpectatores nativitatis illius filiæ, quæ debebat eſſe mater Dei. Comparuit Jupiter æterni patris, major fortuna cœli, Sol verbi divini, qui radiis benevolis ſeſe reſpicientes, attraxerant amoroſam ſtellam Spiritus ſancti, cum magis beneficis ſtellis fixis Angelorum ſanctorum; ſic comparuerunt in cardine altiori & ſublimiori ſuæ divinitatis, veſtiti & ornati omnibus ſuis dignitatibus & excellentiis. Planetæ omnes propitii & benigni, qui ex ſe nec poſſunt influere, niſi favores, dignitates & eminentias, cùm omne bonum ſit communicativum ſui. Comparuerunt velut fautores, imò auctores non ſolùm nativitatis, ſed & conceptionis tam dignæ filiæ. *Concepit Anna divino munere* inquit Lippeloo, quia ex natura ejus parentes decrepiti erant facti ſteriles, imbecilles.

O felicem, ô propitiam, ô fortunatam configurationem cœli! quot honores, quot ſplendores, excellentias non promiſiſti parentibus tantæ filiæ? *O par beatum Joachim & Anna! Per vos enim omnis creatura donum omnium donorum præſtantiſſimum creatori obtulit, nempè caſtam matrem quæ ſola creatore digna erat.* Sunt verba Damaſceni. Quod fueritis feliciſſimi, honoratiſſimi, nobiliſſimi, ſplendidiſſimi, nemo dubitat. Quod ſi excellentiam, & nobilitatem arboris colligimus ex fructu, ad magnificandam nobilitatem, claritatem hujus arboris Joachimi & Annæ, ſufficit dicere quod produxerint nobiliſſimum fructum Deiparæ, ex cujus nativitate ſuper omnem fidem fuerunt honorati! Hinc quidam graviſſimus Doctor. *Sicut arborem ex fructu cognoſcimus, & benedicimus; ita Annæ dignitatem ex Mariæ fructu illius cognoſcimus.* De hoc hodie diſcurrã.

Orat. 1. de nativit. Mariæ.

ASSUMPTUM.

Nobilitas & decor ſancti Ioachim & Annæ parentum Virginis, recepit incomparabile augmentum à dignitate, & nobilitate Mariæ eorum filiæ.

Loc. Scrip. III. SAcer textus in libris Regum magnum Prophetam Eliam Magiſtrum, & Patrem Spiritualem Eliſæi recenſet ab Angelis fuiſſe vectum in cœlum curru igneo coram ipſo Eliſæo. Adoleſcens ſpectabat actum adeò portentoſum, & oculis in cœlum conjectis, alta voce clamabat: *Pater mi, Pater mi, currus Iſrael & auriga ejus.* Pater mi, Elia Pater mi, en currum Iſraëlitis cum ſuo auriga, qui te vehit in cœlum. Revera (N.N.) magnum eſt hoc factum: evolvire totam ſcripturam, quæ loquitur de Elia, vel Eliſæo, nec tamen reperietis E.

4. Reg. 2.

tis Eliam ab Eliſæo nobiliori titulo affectum, quàm cùm eum compellavit patrem, dum ſuum Magiſtrum videret vehi in cœlum. Nullum eſt dubium, quin titulus patris, perſonæ tali relatione affectæ adferat maximum honorem: Hinc legimus in ſacra ſcriptura ſteriles & infœcundos conjuges fuiſſe in contemptu, & notatos aliqua macula & infamia ob ſterilitatem: Hæc ſiquidem apud Hebræos, ut advertit Lippelloo, *Turpis erat infamiæ nota.* Ex hoc colligimus fœcunditatem fuiſſe venerabilem. Nec hoc eſt mirum; ſiquidem hæc eſt perfectio adeò grandis, ut ipſemet Pater in divinis non foret perfectus, niſi eſſet fœcundus. Porrò hæc relatio patris non tantum convenit illi, qui proprie generat filium, uti fit in generatione naturali, ſed etiam illi, qui inſtruit & docet diſcipulum; nam ideò magis metaphoricè vocatur pater. Iſto ſenſu Elias fuit pater Eliſæi. Hoc ſuppoſito mihi res videtur mira, quod Elias titulo replicato patris fuerit tantum affectus quando raptus eſt in cœlum. Si Eliſæus diſcipulus volebat hoc titulo honorare ſuum Magiſtrum Eliam, nonne ſufficiebat dicere unâ vice. *Pater mi?* Quî ergò fit, quod hic titulus adeò illuſtris compareat in Elia, & per illum claritas & ſplendor Eliæ manifeſtatur hac replica, *Pater mi, Pater mi*, ſolùm quando rapitur in cœlum? Ob

De ſacræ Paſſione. ſervat Drogo Hoſtienſis, Eliam in ſuo raptu reliquiſſe Eliſæo Spiritum duplicatum, hinc Eliſæus videns ſe dotatum Spiritu duplicato magiſtri, ut demonſtraret ſe duplici beneficio affectum, duplicato titulo patris honorat ſuum magiſtrum & benefactorem: *Pater mi, Pater mi, duplex Filii Spiritus duplo elegat.* Verùm ſi hic Spiritus, prout obſervat ſanctus Pater Ambroſius, fuit Spiritus ſanctitatis, iſque in Elia unicus tantum, quomodo diſcipulus honorat magiſtrum titulo duplicato patris?

Serm. 87. Valdè benè reſpondet S. Pater Ambroſius. *Igitur Elias cùm ſimplicem ſanctitatis ipſe haberet Spiritum, Eliſæo duplicem dereliquit. Mirum ergò in modum plus Elias gratiæ dimiſit in terris, quam ſecum portavit ad cœlum, & licet ipſe ad altiora totus transfertur corpore, ad filium tamen manet majore ſanctitate.* O quam benè S. P. Ambroſi, ut verum fatear Spiritus Dei, Spiritus perfectionis & ſanctitatis erat unicus in Elia, & duplicatus in Eliſæo, ob quam duplicationem poterant expectari duplicatæ heroicæ & mirandæ operationes ab Eliſæo, res quæ in hujus ſummam laudem cedebat. Sed quia Eliſæus erat quaſi filius Eliæ, & honor filiorum redundat in parentes, qui eò ſunt honorabiliores, clariores, illuſtriores quo honoratiores ſunt filii. Idcircò Eliſæus, cùm eſſet filius Eliæ, & recepiſſet Spiritum unicum Eliæ ſui magiſtri & patris duplicatum, & ſic duplicate, & majori honore eſſet decoratus, magiſtrum ſuum duplicato titulo patris effecit. *Pater mi, Pater mi, quia apud filium majori manebat ſanctitate* Sanctitas filii redundabat in patrem, & honor filii augebat honorem patris, quia parentes per filios honorantur.

Nunc ſic diſcurrite: Maria noſtra Domina fuit ſanctior, perfectior, dignior, honoratior omnium creaturarum excepto Chriſto; ſed Maria fuit filia SS. Anna, & Joachim; ergò honor & nobilitas Mariæ redundans in parentes, hos effecit clariores & honorificatiores.

Philoſophia. IV. Philoſophi, vos docetis animam vegetativam in ſuis operationibus & miniſteriis uti tribus facultatibus veluti ancillis, nutritiva, augmentativa & generativa. Harum quælibet proprium habet officium, nec una ſe immiſcet officio alterius, ac ſi eſſent tres ancillæ quæ in diverſis ſervitiis famularentur reginæ. Et quia in aulis ſervitium unius domicellæ eſt nobilius alterius miniſterio, & nobilius ſervitium datur d gniori, hinc quæritis quænam harum potentiarum ſit nobilior?

Scio nutritivam poſſe prætendere primatum & locum nobiliorem, & ſi adduceret ſuas rationes, forſan reperiet patronos ſuæ cauſæ: nutritiva ſiquidem eſt antiquior ratione antiquitatis, quia ordine eſt prima & proximior ſuæ dominæ; nam omnium primo vivens nutritur, & à nutritione dependet ejus augmentatio. Hinc ratione antiquitatis poſſet prætendere primatum, & ex illa oritur quod ſit proximior ſuæ dominæ, quæ prius imperat nutritivæ, quàm augmentativæ & generativæ. Nec minorem prætenſionem habet ad primatum ratione ſuæ fideliſſimæ & continuæ aſſiſtentiæ, quæ tam in juventute, quam in ſenectute continuè aſſiſtit ſuæ dominæ, & nutriendo vivens toto tempore vitæ ei ſervit. Et ſanè hoc privilegium nec competit augmentativæ, nec nutritivæ domicellæ. Et ob hunc reſpectum in aula reginæ animæ vegetativæ præ aliis domicellis primatum nobilitatis & honoris prætendit, & ad hæc obmuteſcit augmentativa.

Verùm

Verum domicella facultatis generativæ, offenſa iniquis prætenſionibus hujus maſſeraicæ coquæ, tantum deputatæ abluendis tenſilibus, & culinæ ſtomachi, miratur tantam audaciam ejus & præſumptionem. Hinc producens in campum ſuam nobilitatem, probat per ſententiam à ſupremo judice naturæ Ariſtotele latam ſibi, & non nutritivæ convenire primatum. Verum eſt inquit generativa, te magis eſſe neceſſariam, quàm me in aula reginæ animæ vegetativæ, eò quod tu toto tempore vitæ aſſiſtas: Verum etiam eſto actualiter ante me ſervieris huic matronæ; ſed ex hoc non infertur major perfectio, nobilitas & honor, quia etiam in aula coquus eſt magis neceſſarius, quàm ephebus: attamen hoc non obſtante coquus non eſt nobilior ephebo. Nunc porrò audi fundamenta fortiſſima meæ prætenſionis. Quod quæſo eſt meum ſervitium, officium in aula meæ dominæ, meæ reginæ? in quibus occupor? quibus adhibeor, niſi ut perpetuem, & augeam ſtatum meæ reginæ? Hæc non poteſt in vivente perennari, & cùm non poſſit ſuos appetitus ad effectum deducere in ſe, ſtudet ſe perpetuare in ſuis poſteris & prolibus. Sed quis ei ſervit ad hunc effectum niſi ego? In hoc ſervitio, tam tu, quàm augmentativa eſtis velut duæ ancillæ mihi ſubjectæ, & ambæ eſtis ſteriles, & infœcundæ abſque prolibus; cùm ego econtra multam prolem habeam, quæ me ſequitur, quæ me honoret, quæ me reddit illuſtriorem & celebriorem. An non ergò te pudet, quod cùm ſis ſerva, mihi tamen velis, quæ ſum tua domina præponi? Et in majorem tuam confuſionem, & ne ſimilia amplius tentes audi ſententiam, quam ante tot ſæcula Judex maximus, & verſatiſſimus naturæ Ariſtoteles tulit: *Generare eſt naturalius & perfectius opus viventis.* Et quò anima eſt perfectior & nobilior, eò magis creſcit dignitas genitorum derivata à facultate generativâ.

De anima cap. 24.

Applicatio.

V. Nunc veniemus ad Joachim & Annam. Hi ſanctiſſimi conjuges plures annos in matrimonio tranſegerant, & eouſque proceſſerant, ut naturaliter ſteriles facti fuerint. Erant ſteriles & fœcundi, & inſtar potentiæ ſimpliciter nutritivæ & augmentativæ, cum his duabus tantum potentiis ſerviebant Deo & naturæ. Alebantur hi duo pauperes ex propria ſubſtantia. Suis facultatibus ſe manutenebant & augmentabant, erogando ſuas opes in egenos, pauperes templi & ſuſtentationem familiæ. *Tripartitâ bonorum ſuorum conſtitutâ, unam pauperibus, alteram templo ejuſque miniſtris dicaverant, tertiâ ſe ſuamque alebant.* O quam conſpicui hi altores pauperum comparebant coram Deo & hominibus! Quis non diceret ob talia opera eos debuiſſe præferri reliquis ſervis Dei? Augebant hanc ſuam nobilitatem lachrymis, injuriis, quibus alimento divinæ gratiæ alebant & augmentabant ſuas animas, & per hanc gratiam in maxima æſtimatione erant apud Deum, cœlum & terram. Hinc ſanctus Germanus in quodam Panegyrico de Maria dixit: *Annam propriarum virtutum venuſtas ſumme decorat, ut in hoc ipſo cunctis fœminis præſtet jejuniis, & orationibus.* Hoc non obſtante, quia iis deerat fructus benedictionis, velut ſteriles, & infœcundi vilipendebantur, imò ab ipſis Sacerdotibus inhonorabantur; Nam Joachim, dum altare adivit oblationem ſuam facturus, *Repulſus eſt ab Iſachar Sacerdote eum ignorantia, quaſi indignus ob longam ſterilitatem.*

S. Germanus.

Lippelloo.

O ſanctiſſimi conſortes, quam non vobis ingeſſit afflictionem, triſtitiam, dolorem, dum videretis vos privatos illâ gratiâ, favore, honore, aliis tam largiter conceſſo, & à veſtris poſteris imò ipſo cœlo tanti æſtimato? Videor mihi videre oculos veſtros nimbos lachrymarum ſtillare. Videor mihi videre vos quaſi turtures gementes & ſuſpirantes, ſequeſtratos, labentes in angulo veſtræ domus, erubeſcentes, agere cum amicis & conſanguineis, ab omnibus tanquam aliquâ notâ perſteritatem affectos vitatos. Sic Lippelloo: *Quâ repulsâ moleſtiſſimus Joachim, nec ferens præ pudore ſuorum civium conſpectum ad caveas receſſit.* Sed nolite timere, vites reſumite, lætamini, tantus erit veſter jubilus, tanta lætitia quanta fuit veſtra afflictio. Veſter decor, nobilitas, honor, ſplendor eò magis erit conſpicuus, quò magis dignus, nobilis, honoratior, excellentior & gratior erit Deo fructus benedictionis. Et quamvis hic ſit unius tantum, tamen virtutem veſtram generativam perfectiorem & digniorem honore, quàm ſit nutritiva & augmentativa veſtrarum eleemoſynarum, jejuniorum, lachrymarum, imò

imò præ potentiâ generativâ aliorum ; quantumvis prolificâ & fœcundâ, conſpicuam & honoratam redder, idque tantò illuſtriùs, quantum nobilitas veſtræ prolis, quamvis unicæ tantùm reliquas alias omnes proles exceſſit. Et de facto Angelum ablegavit, qui lachrymas veſtras abſtergeret, hic vobis prædixit filiam vobis futuram tam nobilem & eximiam, quæ totam generationem humanam præcelleret. *Quæ Saræ & Rachaelis prolem myſterii magnitudine ſuperaret.* Et ſic deletâ infamiâ ſterilitatis, veſtra fœcunditas comparuit dignior & excellentior, quam omnes aliæ veſtræ virtutes & prærogativæ, ita ut duplicato titulo honoris a Maria veſtra prole & nobis omnibus vocari poſſitis : *Pater mi, Pater mi* Quod ſi Elias per duplicatum ſpiritum conceſſum, *Remanſit in terra majori ſanctitate*, vos per nobiliſſimam veſtram prolem, *Majori veſtrâ fœcunditate* maximè honorati eſtis. Dicamus ergò veſtram excellentiam ab excellentia veſtræ prolis magnũ incrementum ſumpſiſſe.

Scriptura *Caput 29.*

VI. Patriarcha Jacob in Geneſi fato admotus, omnes filios accerſiit cuicunque impertiturus benedictionem & obventura annuntiaturus. *Congregamini, Vt annuntiem vobis quæ ventura ſunt vobis.* Omnibus coadunatis & uno poſt altero vocato, adverto, quod ſoli Joſeph det filii titulum. Ad Ruben ait ; *Primogenitus meus & fortitudo mea.* Ad Simonem & Levi : *Fratres, vaſa iniquitatis* ; Ad Judam *Te laudabunt & catulus leonis* : Ad Zabulon : *In Littore maris.* Ad Iſachar : *Aſinus fortis.* Ad Dan. *Iudicabit populum.* Ad Gad. *Accinctus.* Ad Aſer : *Pinguis ſpanis.* Ad Nepthali : *Cervus emiſſus.* Ad Benjamin : *Lupus rapax.* Verum Joſephum ſic compellavit : *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens.* Hinc videmus ſoli Joſeph, filii titulum dari. Deus immortalis, nonne omnes erant ejus filii ? Nullus de hoc ambigit, in principio enim capitis dicitur : *Vocavit autem Iacob filios ſuos.* Cur ergò ad ſolum Joſeph dicitur quod ſit filius, nec ſimpliciter, ſed accreſcens, *Filius accreſcens Ioſeph*? forſan reſpondebitis ob duplicem benedictionem, quam ex parte cœli & terræ ei impertivit : *Omnipotens benedicat tibi benedictionibus cœli deſuper, benedictionibus abyſſi jacentis deorſum.* Acquieſco, ſed eædem benedictiones, ſi non expreſsè, ſaltem tacitè aliis filiis etiam datæ ſunt, ac ideo in hoc nulla eſt difficultas. Verùm ad hanc ſuam mentem declarandam mihi videtur, quod ſatis fuerit ſemel dicere, *Filius accreſcens Ioſeph*, nec opus fuiſſe illud repetere, Eccur ergò adhuc ſemel illud repetit, dicens : *Filius accreſcens*? Scio eminentiſſimum Cajetanum unicum verbum dicere, quo videtur totam difficultatem diluere. *Prius commendat Ioſeph de augmento multiplicando. Filius accreſcens*, ſed in cujus bonum debebat fieri hæc accretio, & qualis accretio fuit?

Valde bene Cajetanus : *Eo quod & creverit ſibi, & creverit domui univerſæ Iacob.* Valde bene. Ratio exigebat, ut binis vicibus eum vocaret filium accreſcentem, quia reverà ille meretur nomen filii, qui correſpondet nobilitati & virtutibus majorum & progenitorum, hoc autem ſolus inter omnes filios Jacob præſtitit Joſeph ; nam omnes alii aliquâ maculâ notati erant, ſed etiam ei debebatur titulus filii accreſcentis, & quidem accretione duplicatâ, quia in virtutibus & prærogativis non ſolùm creverat ad majorem gloriam ſui ipſius, ſed etiam ad majorem reputationem ſui ſtemmatis, non ſolùm deſcendentium & collateralium, ſed etiam aſcendentium & progenitorum, quorum ſplendores & eminentiæ eò fuerunt clariores, quò excellentiæ Joſephi majores fuerunt. Et hinc ſolus, & quidem duplicato augmento vocatur filius accreſcens. *Prius commendat &c. Eo quod &c.* Veriſſimum ſiquidem eſt, eminentias parentum per eminentias prolium reddi magis conſpicuas.

Cur ergò à potiori non dicemus, gloriam & ſplendorem Joachim & Annæ creviſſe per gloriam Mariæ eorum filiæ ? Quomodò non potiori jure iſti conjuges dicunt de Maria : *Filia accreſcens Maria, filia accreſcens* ; Cùm non ſolùm ſe, ſed & progenitores ſuos pluſquàm omnes alii ex humana ſtirpe reddiderit conſpicuos ? Joſephus fuit interpres ſomniorum, Maria verò interpres ſacrarum literarum & Prophetiſſa omnia futura præſciens. Joſephus fuit typus & exemplar caſtitatis & innocentiæ. Maria autem primiceria omnium virginum, & pura in ſua conceptione Joſephus fuit Prorex Ægypti, Maria Regina cœli & terræ. Verbo diſcur-

diſcutrite de omnibus prærogativis Joſephi, nam eas multò excellentius & intentius abſque ulla comparatione reperietis in Maria. Hinc ſi ille meruit vocari filius accreſcens, & quidem dupliciter, *Eò quod creverit ſibi, & creverit domui univerſæ Iacob.* Cur non à potiori Joachim & Anna poſſint repetere, *Filia accreſcens Maria filia accreſcens. Eò quod & creverit ſibi, & creverit domui univerſæ Iacob,* cùm ejus infinita gloria, infinitè eorum excellentias auxerit?

Philoſophia. VII. Philoſophi non eſt ſpernenda quæſtio, quam proponitis, an intelligentiæ deputatæ gubernationi cœlorum, ſint æquales in perfectione vel inæquales? Non neſcio vos intra limites philoſophiæ ſiſtendo affirmaturos, eas eſſe inæquales in perfectione; nam non ſine magno fundamento dicitis, unam perfectionem alteram ſuperare per gradus quoſdam; Indecens ſiquidem videtur omnes animas rationales eſſe in ſua perfectione inæquales, non quidem eſſentiali & ſpecificâ, ſed individuali juxtà probabiliſſimam opinionem Philoſophorum, & accidentali juxtà communem ſenſum ſcholarum, & quod intelligentiæ animabus nobiliores ſunt in perfectione æquales. Sed unde quæſo colligitis hanc inæqualitatem perfectionum accidentalium & individualium, tam in animalibus rationalibus informantibus corpus, quàm in intelligentiis aſſiſtentibus cœlis?

Vertite vos quocunque velitis, inæqualitatem animarum colligitis per ordinem ad corpus, an ſcilicet hic operetur perfectius quàm ille, an in hoc ſit nobilius temperamentum, quàm in illo, quomodo anima ſit determinata ad hoc corpus, quomodo ad Socratem potiùs, quam ad Platonem. Verbo fortiores rationes hujus inæqualitatis ſunt perfectiones nobiliores, quæ ſunt in hoc corpore, & non in illo, quas perfectiones derivatis poſtea in animam informantem; ſicut enim unum corpus eſt perfectius altero in eadem ſpecie humana, ſic animæ non ſunt ejuſdem perfectionis individualis, ſed una perfectior alterâ.

Eodem plane modo illi, qui ſequuntur axiomata Philoſophorum, dicunt, intelligentias aſſiſtentes non eſſe plures numero, quàm ſint cœli; & inſuper docent quamvis falsò, cœlos ab illis moveri neceſſariò, eaſque eò magis eſſe perfectiores & nobiliores, quò plures cœli ſunt iis demandati. Præterea affirmat, cœlos non reſpicere intelligentias, ſed intelligentias cœlos, atqui cœli non ſunt æquales in perfectione, prout oſtendit eorum diverſitas ſpecifica, ergò & intelligentia nobiliori cœlo aſſiſtens, erit nobilior intelligentiâ illâ, cui concreditum eſt cœlum minus nobile. Nunc ſic: unum Cœlum tantò eſt nobiliùs altero, quantò ſuperat alterum in ſitu, quia uti videmus in ſublunaribus: *Idem eſt ordo ſitus & dignitatis.* Hinc Cœlum firmamenti eſt nobilius cœlo Saturni, & primum mobile nobilius firmamento, cum hoc illo ſit ſuperius & ſic conſequenter, adeòque intelligentia aſſiſtens cœlo ſuperiori, erit nobilior intelligentiâ aſſiſtente inferiori. Hinc Philoſophus: *Ordo intelligentiarum eſt ſecundum ordinem motuum ac mobilium, & procujuſque natura, ſuum cuique orbi motorem adeſſe.* Sicuti ergo major nobilitas animæ ſive ſit individualis intrinſeca (quod tamen eſt controverſum) ſive accidentaria, prout omnes affirmant, dependet à corpore nobiliori, ſic & diſcutrendum de intelligentia.

12. Metaph. Cap. 8

VIII. Nunc ad patentes Mariæ: Hæc ſanctiſſima puella corpus habuit venuſtiſſimum, perfectiſſimum, temperatiſſimum præ omnibus hominibus, excepto corpore ejus filii, quod formatum eſt virtute Spiritus ſancti, ita ut allexerit ipſum verbum divinum ad aſſumendum carnem in ejus utero. Hinc Gerſon ad hoc propoſitum loquens dixit: *Forma Mariæ tam gratâ & incredibili formoſitate refulgens inventa eſt, ut concupiſceret ipſe formam ſervi.* Tantâ venuſtate & perfectione fuit dotatum hoc corpus, ut potiùs debeat æſtimari quinta eſſentia & cœlum, quàm corpus elementare & ſublunare illius, in cujus ventre habitavit incarnata Sapientia, tanquam in cœlo, prout advertit Sanctus Pater Joannes Damaſcenus dicens: *Cujus venter Cœlum eſt.* Corpus & cœlum nobilius ac perfectius quolibet cœlo materiali; illud enim cœlum corporale Mariæ debuit eſſe ſolium,

Applicatio.

Alphabeto 2. lib. 3.

Orat. 2. de nativit. Virg.

lium, thronus, habitaculum, & lectus Verbi incarnati. *In quo* ſubdit Damaſcenus *habitabit is, qui loco nullo capi poteſt.* Cœlum tandem nobilius & perfectius omnibus aliis cœlis, quia fuit altius, ſublimius, vicinius primo motori Deo, veluti illud, in quo debebat reſidere divina majeſtas.

O quinta ſubſtantia, ô Cœlum nobiliſſimum, ô Cœlum eminentiſſimum, quis ſatis poterit penetrare tuam perfectiſſimam nobilitatem & eminentiſſimam perfectionem? Quod ſi ob improportionem infinitam, finitum non poſſit eſſe regula, nec menſura infiniti, multò minus ego, vel quicunque alius finitus, poterit menſurare & penetrare tuam nobiliſſimam perfectionem, quæ per maternitatem Dei te fecit dignam prærogativâ infinitâ.

Sed qualis amabo fuit anima hujus nobiliſſimi corporis, & qualis intelligentia hujus eminentiſſimi cœli? Reverà nullum eſt dubium, quin informans fuerit illa, quæ tibi dedit eſſe formale, vitale & rationale. Sed ſi Cœli aliquo modo per tropum & figuram, ſicut & vocantur à Sancto Auguſtino & aliis poſſunt vocati animati, utpote qui dederunt cœlis animam aſſiſtentem & motricem, nec hæc alia ſit, quam intelligentia, quæ cœlum movet & gubernat; cur ego non dicam animam & intelligentiam, quæ movebat & gubernabat hoc cœleſte corpus MARIÆ, nil aliud fuiſſe, quam ejus parentes, qui aſsiſtebant, gubernabant, cuſtodiebant & protegebant hoc nobiliſsimum corpus & eminentiſsimum cœlum. *Virgineum hoc Cœlum tanquam Angeli & intelligentia volvebant, atque regebant Ioachim & Anna.* Huic præterea dederunt eſſe juxtà Sanctum Patrem Epiphanium: *Anna Cœlum & thronum cherubicum peperit, Sanctam puellam Mariam.* Si itaque verum ſit omnes animas rationales & intelligentias aſsiſtentes cœlis eſſe inæquales in perfectione, ſed unam in tantum eſſe nobiliorem alterâ, vel in quantum nobilius eſt corpus vel cœlum, cur etiam non ſit verisſimum, ſanctiſsimos Genitores Joachim & Annam (cum ſit anima & intelligentia aſsiſtens huic nobiliſſimo corpori, quod præcellit omnia alia in perfectione) eſſe etiam tantò majores in nobilitate, quàm ſint animæ, vel intelligentiæ omnium aliorum parentum. Hinc dixit Sanctus Pater Fulbertus, loquens de Anna: *Verè beata & omni veneratione habenda, & quodam privilegio ſacro prædicanda mater hujus ſanctæ, quæ omnium anteceſſit matres in concipiendo & gubernando eam, quæ ſuum & omnium generaret creatorem.* Et de Joachimo ſubjungit. *Felix & præ cæteris patribus felicior, qui tantæ prolis promeruit vocitari parator.*

Serm. in ortu almæ Virg.

Dicite ergò potiori jure feliciſſimi & nobiſſimi parentes de veſtra filia MARIA id, quod dixit Jacob de ſuo Joſeph. *Filia accreſcens, &c.* Illa ſiquidem ſuâ nobiliſſimâ perfectione multò magis auxit ſuam & veſtram claritatem, quam corpus cœleſte ſublimiſſimum & eminentiſſimum nobilitet non ſolùm ſe, ſed & animam ac intelligentiam ſibi aſsiſtentem.

Lib. 2. retractationum c. 7.

Laurent. Navarinus lib. 4. umbræ Virgineæ c. 30. exercit. 140. Serm. de laud. Virg.

IX. Regius Pſaltes volens demonſtrare animæ, qualiter ſe debeat habere ad hoc, ut placeat Deo, ex parte hujus dicit, quod ante omnia debeat obliviſci propriæ proſapiæ & parentum à quibus eſt genita. Inſuper addit talem oblivionem eſſe utiliſſimam, quia ob eam ſponſus cœleſtis ejus amore capietur. *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum.* Sed quæſo te Sereniſſime Rex, adſis pauliſper; hæc anima ſancta, quæ ut Deo obediret, ejuſque voluntati pareret, nihili æſtimavit omninò deſertionem & oblivionem propriorum parentum, quibus lege poſitivâ & naturali adeò obligabatur, an receptura ſit à Deo aliquod præmium temporale? Scio maximum & ſuper omnia terrena eſſe præmium, quod confert ei Deus eam amando, & *Concupiſcet Rex decorem tuum.* Sed hæc merces non eſt temporalis, ſed Cœleſtis, divina, quæque ei abundè ſufficere deberet. Attamen hoc non obſtante, ſcio liberalitatem Dei eſſe tantam, ut

Locus ſcripturæ, *Pſal. 44.*

opera noſtra ejus amore facta, non ſolùm remuneret gratiâ cœleſti, ſed & terrenâ. Hinc videmus, quod bona fortunæ ejus amore egenis largita, tependat opum accretione. Sic ſimiliter ſcite percuperem, an hanc ſponſam, quæ ejus amore mundum & parentes reliquit, non ſolùm præmio cœleſti, ſed & temporali affecturus ſit. Davidaffirmat, aſſerens illud præmium fore prolem & deſcendentes numeroſos, qui principes univerſi ſunt futuri. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* O Deus immortalis, ſi non legamus hanc animam ſanctam, quæ reliquit parentes, fuiſſe principiſſam, quomodò ejus filii potuerunt eſſe principes univerſi? Revera titulus principis, non niſi iis qui ad minus ſunt principes, ne dicam plus competit. Quomodò ergò hæc anima ſerva Dei ob relictionem parentum pro præmio habebit, quod ſit mater futura principum terræ? *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram.*

Pſal. 44.

S. Pater Baſilius in catena Græca divinè reſpondet: *In obedientia retributionem nunc pro patribus filios accepit, tot, & tantis dignitatibus excellentes, ut eos principes ſuper omnem terram conſtituat.* O quàm bene. Quia hæc ancilla Dei, ut mihi placeret, deſeruit proprios parentes, ego pro præmio ei dabo multos filios, & tantâ dignitate, nobilitate, prærogativis excellentes, ut quamvis non ſint principes nati, nihilominus ad principatum evehendi ſint per proprias glorias & excellentias, quæ redundabunt in matrem, quæ eos genuit. Et in hac adeò relucebunt nobilitas & claritas filiorum, ut dici poſſit, hanc matrem veluti principiſſam natam edidiſſe in lucem filios principes? Siquidem id ratio exigit, ut gloria & honor filiorum, redundet in gloriam parentum, & hi ex hoc clariores fiant, uti dixit Rex Theodoricus Cypriano viro nobili, cujus filii omnes facti ſunt Patricii. *Quia talium filiorum pater effectus es, naturâ ipsâ videris eſſe patritius.* Ita refert Caſſiodorus.

Lib 8. Variarum ſ. 21.

Joachim & Anna genuerunt Virginem ſanctiſſimam, quæ non ex natura & ſanguine, ſed ex favore & gratia Dei, ſic exigentibus ejus eminentiſſimis prærogativis, facta eſt principiſſa mundi, & Regina Cœli, ac Angelorum, & en honor filiæ redundavit in parentes, eoſque creavit principes, & monarchas cœli, & terræ, quales abſque illa filia non fuiſſent. *Quando talis filia patres effecti eſtis, naturâ ipsâ videmini eſſe patricii. Accepiſtis filiam tot ac tantis dignitatibus excellentem, ut eam principem ſuper omnem terram conſtituatis.*

X. Optici vos quærere ſoletis, unde fiat, quod corpus opacum, quale in ſe eſt deſtitutum omni lumine, ſæpius magis illuſtretur, & illuminetur quàm aliud corpus ex naturâ ſuâ luminoſum; & reſpondetis, id provenire ſæpè ab una ex quatuor cauſis adducendis, ſæpè à pluribus, & ſæpè ab omnibus quatuor. *Quatuor de cauſis obvia quæque corpora impenſius illuſtrantur, vel ob lucidi magnitudinem, vel ob propinquitatem, vel propter fulgoris excellentiam, vel propter directum radiorum incurſum, cæteris paribus.* Optica

Prima cauſa eſt moles corporis illuminantis; nam corpus opacum eo magis illuſtratur, quo plures ſunt radii, quò corpus illuminans ad illud mittit: Atqui quo majus eſt corpus illuminans, eò plures radios emittit ad corpus opacum, quia cum ex quolibet puncto emittat radium, & in corpore majori puncta ſint plura, fit ut corpus opacum magis illuſtretur.

Secunda ratio eſt major propinquitas inter corpus opacum, & corpus illuminans, & hujus ratio eſt valde clara: Nam radii corporis luminoſi, quo magis diſtant à ſuo principio, eò fiunt debiliores, & remiſſiores, adeoque non poſſunt producere illuſtrationem adeo vividam, & fortem, quia, cum agens naturale ſit finitum, & limitatum, quodlibet efficacius agit in ſuum principium, adeoque quò magis fuerit vicinius corpus luminoſum opaco, eò intentius illuſtrabitur.

Tertia cauſa eſt intenſius lumen corporis luminoſi; Nam lumen, quò fuerit intenſius, eò

eò clarius & intensius illustrabit, cum hic sit effectus naturalis luminis, & quo robustior est causa, eo robustiorem producet effectum, ergo quanto luminosius erit corpus, quod lumen emittit, eo fortior erit illuminatiò, & consequenter corpus opacum.

Ultima causa est directa emissio radiorum ad corpus opacum; Non eo magis illuminabitur corpus opacum, quo magis unitos recipit radios à corpore luminoso, cum dicat Opticus. *Id uberius lumine perfunditur, in quod magis compacti radii incurrunt*: Atqui quando radii directè terminantur ad corpus opacum, tunc in fine magis conjunguntur, ergo illuminatio tunc erit uberior: Quod si omnes causas contigerit concurrere, illuminatio multo uberior erit.

Applicatio. XI. Nunc ad sanctissimos parentes Mariæ. Corpus luminosum, quod ex se nonnisi copiosissimum, & uberrimum emisit lumen, fuit virgo nostra domina, horum parentum gloriosissimorum filia. Corpus luminosum, quia lucerna, luna, stella, sol. Maria est lucerna; Eam enim vocavit lucernam clarissimam, rutilantissimam, nunquam extinguibilem S. Ephrem. *Lucerna clarissima, quæ non extinguitur.* Luna, & quidem semper plena, & lucidissima: *Pulchra ut luna.* Stella matutina, quæ suo ubertimo lumine illustravit orbem. Hinc Petrus Damianus. *Hæc est stella matutina, quæ in cæli cardine summo splendore coruscans, orbem subditum splendidioribus radiis incolorat.* Sol, *quia electa ut sol.* Imo fons lucis à quo prodiit ipse sol Christus Jesus. Ita Gregorius Thaumaturgus. *Ave gratia plena, fons lucis, intelligibilis solis oriens.* Ex altera parte ejus parentes fuerunt corpora opaca. Nam esto fuerunt luminosa per propias virtutes, tamen in comparatione ad Mariam fuerunt duæ lunæ, quæ lumen & claritatem receperunt à sole lucidissimo filiæ, nam illi non illuminarunt virginem, sed ab hac illuminati sunt. Ad hoc propositum loquens Anna, & consequenter de Joachimo cecinit sacer poeta Rodulphus Agricola.

Serm. de Imacul. Virg.

Ser. 40. de Virg.

Ser. in Annunt. Virg.

Conspicuos præstant alios benefacta parentum.
Tu contra nata nobilitate nites.
Magna quidem, meritisque tuis pietate, fideque

Quis neget? At nata splendiora facie.

Respectu Mariæ Joachim & Anna fuerunt corpora opaca, sed tamen à Maria tam ubertim illustrata sunt, ut nullus in erroris oculis in ea posset oculos conjicere ob excessivum splendorem, ad eum modum quo corpus auro nitens illustratum à sole fit adeo splendidum, ut vix illud intueri quis possit.

O gloriosissimi Joachim & Anna, & unde in vobis tanta illustratio & illuminatio? nisi erro à quatuor principalibus causis supra allegatis. *Quatuor causis &c.* Fuistis ita ubertim illustrati, quia vos illuminavit grandissimum corpus luminosum Mariæ, quod in cælo comparuit totum lucidum. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Fuistis tam copiosè illustrati; cum enim essetis parentes Mariæ, ei fuistis proximiores. Fuistis tam abundanter illuminati, quia lux hujus corporis luminosi vestræ filiæ fuit tam excellens & intenta, ut dempto ejus lucidissimo filio, nullum unquam lucidius corpus in mundo visum sit. Hinc vocatur à Damiano supra *summo splendore coruscans.* Fuistis tam intensè illustrati à vestra filia, quia vos agnoscens tanquam charissimos parentes, quibus in omnibus ad nutum parebat, quosque super omnes puras creaturas amabat, in vos radios suæ lucis magis directè, & conjunctim evibrabat. Dicamus ergo, quod superabundans claritas hujus lucidissimi solis vos supra captum humanum reddiderit splendidiores, ita ut oculi vegetiores majorum Sanctorum, vix in vos dengi possint. Hinc quamvis sitis aliàs sanguine illustres, tamen facti estis illustrissimi, quia genuistis hunc fontem lucis, hanc principissam universi, hanc reginam cæli & terræ. *Quando talis filia, &c.* Illustrissimi parentes, illustrissimi geniores.

Scriptura. XII. Occiso Abele justo à Caino, refert sacer textus, Adamum loco defuncti habuisse alium filium nomine Seth. *Sed & Seth natus est filius, quem vocavit Enos, iste cœpit invocare nomen Domini.* Hæc ultima verba, quæ in cortice videntur clara, in textu Hebræo continent maximam difficultatem, in quo teste Eusebio Emisseno sic legitur. *Iste speravit invocare nomen Domini.* Ut verum fatear, valde me affli-

Cap. 4.

git hæc lectio, quia primo intuitu videtur mihi contradicere vulgatæ : Hæc enim insinuat Enos fuisse primum, qui invocavit nomen Dei, ac si nullus ante ipsum Deum invocasset. *Iste cœpit invocare nomen Domini.* Sed lectio Hebræa significat, quod Enos sperarit se invocandum nomine ipsius Dei. *Iste speravit invocari nomine Domini, hoc est Deus dici*, subdit Eusebius. Revera hæc lectio videtur planè contraria primæ, aut ad minus continere aliquid disparatum cum illa. Hoc non obstante eam approbat Eusebius, Cyrillus Alexandrinus, & alii, quibus tanquam superioribus accinens vellem scire, in quo Enos spes fuerit fundata, quod esset vocandus Deus ? An, quærit Augustinus, Enos fuit justior, & sanctior Abele ? Crediderim quod non, imo contrarium judico verius ; nam ipse Deus proclamavit Abelem justum, & tamen non legitur Abelem cum omni sua sanctitate præsumpsisse spem obtinendi titulum Dei. In quo ergo fundatur spes Enos, ut de ipso tam assertive, & cum stupore legentium dicatur : *Iste speravit invocari nomine Domini.*

l. 1. Glaphyrorum. l. 15. de civit. c. 18.

Scire debetis descendentes Enos adeo fuisse illustres & conspicuos, adeo justos & sanctos, ut promeriti sint vocari & honorari titulo Dei filiorum Dei. Sic idem liber Geneseos scriptis consignavit. *Videntes filii Dei filias hominum.* Cum itaque honor & nobilitas filiorum redundet in parentes, & hi ex nobilitate prolium reddantur magis illustres, ideo sacer textus dicit, Deum prospicientem tantam excellentiam filiorum Enos, dedisse etiam huic spem, quod vocandus esset Deus, & filius Dei, prout ejus posteri filii Dei nuncupari debebant. *Iste speravit invocari nomine Domini, id est Deus, & filius Dei.* Et quia Abel non habuit posteros, ideo quamvis sanctissimus & justissimus, non habuit istam spem. Audite Ponferradiensem: *Cur ergo potius, quam Abel speravit Enos vocari nomine Domini, vocari Deus. Sanè Enos præterquam quod ipse sanctissimus fuit, filios etiam genuit, tanta virtute conspicuos tot facinoribus religionis claros, ut ut dum ipsi haberentur filii Dei patrem suum Deum fecerint acclamari.* Et revera sic agitur : nam quo filii sunt illustriores eò reddantur magis conspicui parentes.

Gen. 6.

Quod si hoc verum sit in parentibus communibus, quomodo hoc non magis verificabitur in sanctissimis parentibus MARIÆ? Certus sum neminem contradicere posse. Nunc sic. Virgo sanctissima filia Joachim & Annæ fuit decorata titulo Deæ, filiæ Dei, matris Dei, sponsæ Spiritus Sancti, cur ergo proportionaliter non crescat honor, & dignitas ejus parentum, ut debeant vocari Dii? Quinimo meliori jure, quam Enos potuerunt *sperari vocari nomine Domini* hoc est Dii, & filii Dei.

XIII. Patres Theologi confiteor me esse debitorem parentibus Mariæ, hinc puto me esse obligatum ad illustrandum hunc locum Scripturæ quodam axiomate ex vestra Theologia desumpto. Scire percuperem, an aliqua pura creatura possit esse capax dignitatis infinitæ ? Et scio, quod affirmabitis cum Doctore Angelico sic dicente : *Humanitas Christi, beatitudo creata, & beata Virgo habent quandam dignitatem infinitam, & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid fieri melius esse Deo.* Virgo itaque nostra Domina habet quandam nobilitatem, dignitatem, excellentiam, prærogativam, quasi infinitam, in quo superat omnes alias matres.

Theologia.

1. part. Q. 25. art. 6. ad ult.

Sed ulterius progrediar, & inquiro, in quo fundetur hæc præeminentia Mariæ supra alias Matres ? Nonnulli Theologi ob duas causas asseruerunt Mariam esse nobilissimam matrem universi. Prima, quia Maria subministravit totam materiam, ex qua formatum fuit corpus Christi, aliæ autem matres subministrant quandam portionem, cum Patres subministrent aliam. Secunda causa est, Ex eo enim, quod Maria juxta dicta subministraverit totam materiam, sequitur secunda ejus dignitas, quod sola sit substantialis suo filio, quæ dignitas non competit aliis matribus, sed etiam patribus, cum hi suam quoque subministrent partem. Ob has rationes Mariam putarunt perfectissimam matrem.

Verum meo judicio hæ rationes ita simpliciter propositæ, esto Mariam probent esse digniorem aliis matribus, non tamen probant in

in ea dignitatem infinitam. Fateor verum eſſe, quod ſubminiſtrarit totam materiam ex ſuo puriſſimo ſanguine, & quod etiam ſola ſit conſubſtantialis filio, ſed propter hoc non reſultat in ea dignitas infinita. MARIA habet dignitatem infinitam, quia eſt Mater DEI, quia concepit, genuit Chriſtum, qui eſt Deus & homo, adeoque ratione maternitatis Dei habet excellentiam infinitam, ſi tamen per impoſſibile Chriſtus fuiſſet purus homo, quantumvis ſubminiſtraſſet totam materiam, & ſola eſſet conſubſtantialis filio, non tamen tunc maternitas eſſet infinita, cum ejus filius tunc non haberet naturam infinitam. Nunc autem cum ejus filius ſit Deus & homo, adeoque ratione Deitatis habeat dignitatem infinitam, hinc fit, quod Maria à filio infinito participet maternitatem infinitam. Hinc Angelicus: *Beata Virgo ex hoc quod eſt Mater DEI habet dignitatem quandam infinitam in bono infinito quod eſt Deus.*

Applicatio.

XIV. Nunc ad parentes Mariæ. Quod Joachim & Anna fuerint naturales genitores Mariæ, nullus Catholicus negavit, eſto nonnulli ad exaltandam Virginem temeritè & hæreticè aſſeruerint, Mariam non habuiſſe naturam humanam, ſed Angelicam. Opinio falſiſſima, quæ ut extollat virginem, deprimit naturam humanam, & impugnat veram carnem, & humanitatem in Chriſto; juxta Sanctos Patres vero Maria vere fuit homo nata ex Joachimo & Anna. Hinc Sanctus Epiphanius: *De radice Ieſſe ortus eſt David, & de tribu regis David ſancta virgo, ſanctarum & ſanctorum virorum filia, cujus parentes fuerunt Ioachim & Anna.* Hi genitores tot excellentiis, & prærogativis fuerunt dotati, ut conjugatos tam præteritorum, quam futurorum ſæculorum ſuperarint, prout eorum nomen demonſtrat: Nam Joachim idem eſt, ac *Deus elevabit*, & Anna idem quod *gratia*. Ex quo patet Deum per eorum prolem, nempè Virginem voluiſſe ſalvare genus humanum, illudque liberare à ſervitute peccati, & tyrannide ſathanæ, prout obſervavit Petrus Galatinus: *Non immeritò eis nomina Ioachim & Anna impoſita fuerunt: Ioachim enim Deus elevabit, vel eriget, ſicut ſuſcitabit, ac etiam confirmabit, latinè interpretatur. Nomen verò Anna à nomine Heu, quod eſt gratia derivatur, ut ex nominibus palam innoteſceret, quod per prolem, quam genituri eſſent, Deus ex miſericordia ſuæ gratia humanum genus, & à peccato primorum parentum elevaturus eſſet, & à morte æterna ſuſcitaturus, & ad cæleſtem gloriam erecturus, atque confirmaturus.* Excellentia, quæ alii convenire non poteſt.

Orat. de laud. Virg.

l. 7. c. 8.

Et quamvis hac & variis aliis fuerint alii parentes ornati, attamen audeo dicere, omnes unitas ſuo modo, nullam habuiſſe comparationem, vel proportionem cum parentibus MARIÆ; Sic enim ratiocinari debetis: Excellentia & nobilitas parentum redditur illuſtrior per nobilitatem & dignitatem prolium, Arqui virgo noſtra Domina, filia Joachim & Annæ tanquam Mater Dei habuit dignitatem infinitam. Ergo dignitas, & prærogativa horum ſanctiſſimorum parentum, quatenus genitorum Mariæ & avorum Chriſti pertigit ad infinitum. Quodſi dignitas Mariæ ſit infinita per reſpectum ad Deum infinitum, cujus fuit mater, dignitas Joachim & Annæ participabunt de infinito tum in ordine ad filium Dei eorum nepotem. Hinc quidam graviſſimus Doctor: *In beata Virgine eſſe matrem fuit dignitas infinita, neque enim per hanc attollere eam altius poterat Dei potentia: Quod ipſum de Sanctâ Anna efferre licet, cujus majeſtas, quia Dei avia, fuit quaſi infinita.* Et idem ob eandem rationem debet dici de ſene Joachim; Deus enim non potuit magis eum honorare, quam eum facere patrem Deiparæ & avum filii Dei. Quodſi Enos, quia fuit pater eorum, qui promeruerunt vocari Dii, & filii Dei, ſperavit nomen & titulum Dei: *Iſte ſperavit invocari nomine Domini.* Cur nos non diceremus Joachim & Annam naturales parentes Deiparæ, & avos filii Dei habere quandam dignitatem infinitam & eſſe quaſi Deos.

Didac. Vega in feſto S. Annæ.

O glorioſiſſimi parentes, ô ſanctiſſimi ſenes, & ad quas ſupremas eminentias aſcendiſtis per eminentiſſimam veſtram filiam! Tempus deficiet Junioribus, facundia eloquentioribus, intellectus doctioribus, dum tentabunt manifeſtare veſtras incomparabiles digni-

dignitates, imò nec oculi aquilæ poterunt fixè intueri objectum, quod tantum ſplendorem emittit.

Epilogus. XV. Poterunt quidem narrare devoti, quod honoratiſſimi, feliciſſimi & fortunatiſſimi fueritis per veſtram filiam Mariam, quam adeo ornavit Jupiter æterni Patris, Sol Verbi Divini, Venus Spiritus ſancti, luna totius Sanctiſſimæ Trinitatis, ſed adhuc non veſtram eminentiam.

Hinc qui vos vellet comparare Eliæ, cujus ſanctitas apparuit duplicata, poſtquàm filius Eliſeus à cœlo recepit ſpiritum duplicatum, ſicut facultas generativa & gratia fœcunditatis vobis conceſſa in ætate ſenili, dum nil minus poterat ſperari, ſuperaret nutritivam ac augmentativã aliarum veſtrarum virtutum, voſque perfectiores redderet, tanquam parentes tam nobilis filiæ, crederet forſan ſe ſuo muneri, devotioni & meritis veſtris ſatisfeciſſe.

Quod ſi fortè ulterius pergens, produceret in medium animam & intelligentiam aſſiſtentem ac gubernantem hoc nobiliſſimum & cœleſte corpus MARIÆ, quæ quò altior & vicinior fuit primo mobili & primo motori Deo, eò declaravit vos eſſe excellentiores intelligentias, quia quaſi alter Joſeph fuit filia duplicis accretionis, quæ non ſolùm crevit ſibi, ſed etiam proſapiæ ſuæ ac parentibus, à quibus hoc ſupernũ cœlum, quaſi à duabus ſupernis intelligentiis regebatur, forſan apud ſe contentus erit, & ſe quod potuit dici, dixiſſe credet.

Quod ſi pro majori ſatisfactione producet vos tanquam principes naturales, quia fuiſtis parentes Matiæ Principiſſæ, & Reginæ mundi, quæ tanquam corpus luminoſum grandiſſimum ad vos quamvis corpora opaca radios ſuæ lucis innumeros, conjunctiſſimos, lucidiſſimos mittens, dotavit vos ſplendore, & illuminatione tam copioſa, ut acutiores aquilæ in vos obtutus figere non potuerint, imaginabitur ſibi forſan, quod attigerit culmen veſtrarum eminentiarum.

Quodſi vim inferens ſuæ devotioni eouſque pergat & dicat, quod ſicut Enos habuit ſpem aſſequendi nomen Dei, quia fuit pater filiorum Dei, ſic & vos eſſe duos Deos, quia fuiſtis parentes Deiparæ, & avi filii Dei, ſicque declaret veſtram dignitatem infinitam, credet forſan ſe attigiſſe metam debitam veſtræ dignitati, & meritis veſtræ nobilitatis & eminentiæ. Verum ob omnes hos reſpectus eſtis ineffabiles. Et hinc ego ad manifeſtandas veſtras eminentiſſimas prærogativas, nil aliud dicere ſcio, quam illud, quod dixit Matthæus omnia conſtringens, quæ poſſunt dici in laudem veſtræ filiæ: *De qua natus eſt Jeſus*, ſic & ego dicam de vobis: *De quibus nata eſt Maria*. Et hic ſiſtat quilibet velox curſor, hic ſileat facundiſſima lingua, hic quieſcat doctiſſimus intellectus, & dum aliter non poteſt ſatisfacere debito ſui reverendi affectus, ex toto corde commendet ſe veſtræ efficaciſſimæ interceſſioni mediantibus meritis filiæ Deiparæ, & nepotis filii ipſius

DEI.

ELOGIUM XXIV.

Pro Feſto S. Laurentii Martyris.

Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.
Pſalm. 16.

Philoſophia.

I. COntrovertebant antiquitùs Philoſophi etiam doctiores, an in concavo Lunæ deberet admitti elementum, ac ſphæra ignis, an verò deberet negari totaliter hoc quartum elementum. Et omiſsâ opinione Pythagoricorum, qui teſte Ariſtotele volebant elementum ipſius fuiſſe collocatum in centro terræ; nonnulli Philoſophi antiqui, quos plures moderni ſequuntur, negânt hoc quartum elementum, ab Ariſtotele ac à natura immediatè ſub cælo Lunæ collocatum. Pluribus rationibus ſtabiliunt ſuam opinionem, quæ cùm nullius ſint momenti, ideo eas omitto.

Communis ſenſus tam Philoſophorum antiquorum, quàm modernorum, quos etiam ſequuntur SS. Patres Baſilius, Clemens Alexandrinus, Hieronymus, Auguſtinus, ac alii affirmant, neceſſariò eſſe aſtruendum elementum ignis ſuperius aliis elementis, ac inferius cælis, ac ideo auctor naturæ non ſine magna ratione illi aſſignavit pro loco concavum Lunæ.

Sed prætermiſſis tricis Philoſophorum, ſcire perciperem, an quartum elementum (quod eſt tantæ activitatis, ut aliud nec majus, nec minus reperiatur in vaſtiſſimo gyro orbis) ſit tanto calore dotatum, ut omnia alia ſuperet, ac velut ſupremum, diffundat ſuum calorem in cælos, qui ſunt ſupra ejus ſphæram, ſicut illum diffundit in res ſublunares? quòd illum diffundat, negari non poteſt, quia videmus noſtrum ignem ſublunarem undequaque calefacere tam deorſum, quàm ſurſum, & ex tranſverſo intra ſphæram ſuæ activitatis, ergo id à potiori competet elemento ignis. Quod ſi ita ſit, rationi conſonum eſt, quòd ad minùs cælum Lunæ, utpote ipſi contiguum, ab illo patiatur ac lædatur, & tandem conſumatur, quorum tamen nullum à tot ſæculis videmus factum. Unde ergo hoc fit?

Reſpondeo, eſſe valde credibile, quòd calorem ſuum ſuperne non diffundat, eò quòd auctor naturæ virtutes rerum ſubordinatarum ſic modificarit, ita ut quamvis verum ſit, ſuperiores influere in inferiores, attamen inferiores nullam omnino exercere operationem in ſuperiores, aliàs oriretur confuſio: cùm itaque elementum ignis ſit ſubordinatum cælo, non eſt veriſimile, quod in illud agat. Et eſto in illud ageret, non tamen ab illo læderetur. & ratio hæc eſt, quòd cælum ſit ex natura ſua inalterabile, & incapax tam corruptionis, quàm diminutionis, & alterationis deſtructivæ. ſi enim noſter ignis non lædat plures res ſublunares, utpote incapaces talis læſionis, id à potiori jure non debet affirmari de cælo.

II. Cælum puriſſimum, nobiliſſimum, & inalterabile erat Laurentius; puriſſimum ob donum virginitatis, nobiliſſimum per aſſiſtentiam illius cæleſtis intelligentiæ, quæ eum regebat, gubernabat, dico gratiam divinam, quâ erat adornatus, quâque reddebatur non ſolùm inalterabilis in anima, ſed & in forma exteriori, & hoc quamvis ab impio tyranno, & crudeliſſimis lictoribus provocaretur. Hinc animo invicto, ac voce conſtanti dicebat: *Deum meum colo, illi ſoli ſervio, & ideo non timeo tormenta tua.* Ignis ex altera parte valde vehemens ac intenſus fuit deſtinatus tormentando Laurentio, & eò intenſior, quò carbones erant

Applicatio.

valde fortes, qui craticulam ferream incendebant, & hic quo materia ejus fuit magis denſa, eò vigoroſior eſt factus. Hoc non obſtante nec Laurentius ab his carbonibus eſt accenſus, nec ab hac craticula ignitus, & verbo, ab hoc igne nec in minimo eſt læſua, vel offenſus. Hinc dixit Sanctus Pater Auguſtinus: *Beatus Laurentius flammarum non ſentit incendium, perſecutoris pœnam non ſentit, imò tyrannum ejuſque tormenta irridebat. Non timeo tormenta tua.* O invictiſſime Laurenti, ô glorioſiſſime martyr Chriſti, unde quæſo fit, quod non ſentis, nec lædaris ab hoc intenſiſſimo igne, qui nimo ejus vires, ac ardores ſuperes, & vincas? an forte tuæ tenerrimæ carnes migrarunt in Adamantem, amiantem, vel Abeſconem, qui ab igne non læduntur? an forſan conſtas aliqua materia incombuſtibili, & igni improportionata? Si totum intimius penetro, video, quod ſis quoddam cælum ſupra cœleſte, informatum pulcherrima forma divinæ gratiæ, & qua tale fuiſti ſuperior elemento ignis, & hinc ignis ſuppliciter venerans ſuperioritatem illius gratiæ, qua te adornabat, & illius puriſſimæ animæ, quæ te regebat, non auſus eſt eam impetere, vel tangere. Et quamvis tetigerit, & læſerit ſuum corpus; hoc tamen reſtauratum gratia, & amore divino in nullo lædebatur, vel offendebatur; quod ſi lædebatur, tamen læſionem non ſentiebat, utpote inalterabile, & conſtans materia cæleſti improportionata operationi ignis. Hinc Sanctus Pater Auguſtinus. *Hoc igitur igne*, ſcilicet amore divino. *Beatus Laurentius accenſus flammarum non ſentit incendium, & dum Chriſti ardet deſiderio perſecutoris pœnam non ſentit*, quinimo ſummum gaudium, quietem, conſolationem habuiſti. Hinc rogaſti Deum, ut tibi pœnas ac tormenta immiteret. *Proba me Domine, & tenta me, ure renes meos, & cor meum.* Hoc hodie erit materia mei diſcurſus.

Ser. 20. de Sanctis.

ASSUMPTUM.

Laurentius non ſolum non ſentiebat tormenta ignis, ſed in iis ſumme delectabatur, & gaudebat.

VAtes Jeremias in ſuis Threnis loquens de ſpiritu afflictionum, cui Deus Filium Dei volebat eſſe ſubjectum poſt ejus adventum in mundum, ſingularem injicit mentionem alapæ, & opprobriorum, vituperiorum, irriſionum, contemptuum, quibus ab Hebræis in ſua paſſione, ſicut & factum eſt, debebat affici & hoc modo diſcurrit. *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis.* Hic ſubintrat Doctiſſimus & ſubtiliſſimus Tertullianus, & totus quaſi obſtupefactus inquirit, cur filius Dei voluerit ſubjici ignominiis, ac opprobriis Hebræorum; Si a me quæreres, inquit Tertullianus, cur Chriſtus tam crudeliter voluerit agi in trabem crucis, reſponderem, & quidem valde congruenter, ita ut nemo ſit, qui mihi contradiceret, id non eſſe mirum, cum ideò carnem aſſumpſerit, ut crucifigeretur, & hinc nec per capillum miror, ſic ita eſſe factum. *Taceo quod crucifigitur, ad hoc enim venerat*; Sed quod præterea ſe exponat irriſionibus, ac opprobriis, ego non capio, quia poterat frui ſuo intento, nempè crucifigi, abſque eo, quod ſubjiceretur illis opprobriis, quæ non erant neceſſaria ad ejus crucifixionem. Hinc ſubdit. *Nunquid jubeunda mortis etiam contumelias opus fuerat?* quaſi vellet inferre, quod non. Hoc non obſtante, non contentus crucifixione, antequam crucifigeretur, imò ſub eadem volut actius agitari irriſionibus & opprobriis. *Saturabitur opprobriis*, præterea cur vates utitur illo verbo *ſaturabitur* ac ſi diceret, ſatiabitur irriſionibus, tot ignominias comedet, quot voluerit, uſque ventrem ſuum infarciet. Cur non dicit *afficietur opprobriis*, vel modo magis ſimili, ac uſitato. Divus Tertullianus. *Sagmari voluptate, patientiæ diſceſſurus volebat.* O quam bene *Sagmari voluptate*, &c. Chriſtus tanta fame torquebatur patiendi, & tanta ejus erat lætitia quam experiebatur in tormentis, ut debens diſcedere ad cælum, in quo nullæ tolerari queunt afflictiones, ante mortem lautum ac ſump-,

Scriptura. *Iherem. 3.*

Lib. 6. de patient. c. 3

ac ſumptuoſum voluerit inſtituere convivium opprobriorum, vilipenſioſionum, quibus incraſſari poſſet, & quaſi vincula, catenæ, flagra, ſpinæ clavi eſſent fercula inſufficientia ejus famelico appetitui, voluit adjungere cibos opprobriorum, ut iis ſaturaretur, impinguaretur, ac incraſſaretur. *Saginari voluptate, patientia &c.*

Idem planè convivium, lautum ac opimum inſtruxit Deus ſuo chariſſimo Laurentio dum videret, quod adeò delectaretur, & impinguaretur tribulationibus inflictis ei Tyranno, & adeò famelicum ſe oſtendebat, ut cum Pontifex Sixtus vellet huic aſſidere menſæ, & ipſe excluderetur, quaſi ingemiſcens ac dolens exclamaret. *Quo progrederis ſine filio Pater, Quo ſacerdos ſancte ſine miniſtro properas?* Judicabat eſſe indecens patrem ſine filio, ſacerdotem ſine miniſtro invitati ad menſam tam opiparam, ac lautam.

Hiſtoriæ. IV. Inter plures luxûs Luculli ita referente Plutarcho in ejus vita, numerata ſunt etiam diverſa cœnacula, ſive triclinia in ejus palatio extructa juxta qualitatem invitatorum, ac ſumptuoſitatem conviviorum. Cuilibet triclinio erat ſuum nomen, quantitas ſumptuum, certus ornatus, ita ut ſi diceret aulæ præfecto, ſe tali die velle prandere, verbi gratia, in Apolline, hic ſatis perciperet, quid ſibi faciendum eſſet. Triclinium Apollinis erat illud, in quo lautiſſimum ac ſumptuoſiſſimum inſtituebat convivium, quia in illud ducenta ſeſtertia expendebat, & dum vellet aliquem laute tractare, menſam ſterni jubebat in Apolline. Et hinc natum eſt adagium, quo ſignificare volumus aliquem lautiſſimè & abundantiſſimè tractatum, quod ſcilicet refectus ſit in Apolline.

Hic præterea ſcire percuperem, an ignis poſſit eſſe alimentum, ac cibus alicujus animalis, ſicut dicitur communiter de Chamelonte, quod nutriatur aere, de piſcibus quod aqua, talpis quod terra. Et ut edicam quod res eſt, fuit quorundam opinio, nonnulla animalia temperamenti calidiſſimi poſſe nutriri igne, pro qua adducunt Ariſtotelem, Plinium, & Cardanum, ſubdo verba Ariſtotelis. *In Cypro inſula æratis fornacibus, ubi Chalcites lapis ingeſtus complurib⁹ diebus crematur, beſtiolæ in medio igne naſcuntur pennatæ, paulò muſcis grandioribus majores, quæ per ignem ſaliunt, atque ambulant, ut cum ab eo receſſerint; emoriuntur.* *Li. 3. de hiſt. anim. c. 19 Plin. l. 11. c. 36. Card. l. 9. de ſubtil.*

Hæc animalia, quæ vocantur Pyrauſtæ, juxta hos naſcuntur in igne, in igne vivunt, & extra ignem moriuntur; adeoque igne paſcuntur. Nec obſtat, inquirunt, quod ad vitam animalis requiratur temperamentum quatuor primarum qualitatum, quod turbatur per acrimoniam ignis, quia cum Pyrauſta naſcatur in igne, ſequitur quod habeat temperamentum calidiſſimum, & quod mediante aliquo exiguo humido evaporato ex illis materiis, quæ coquuntur in illis fornacibus generetur ex calidiſſimis vaporibus; cum ergo in eo prædominetur tam fortiter calor, & ex iiſdem nutriamur ex quibus conſtamus, (cum juxta Ariſtotelem, Simile nonniſi ſimili nutriatur) ideò dicendum eſt Pyrauſtas, utpote naturæ calidiſſimæ igne nutriri: ita illi Docti.

Nunc ad Sanctum Laurentium. *Saturabitur opprobriis*, omnia martyria, omnes cruciatus, ac tormenta Sanctorum Martyrum, ſunt quaſi convivia opipara, delicata & lauta fercula, quibus Deus recreat amicos ſuos intimiores; in hoc convivio pro libitu, & ad palatum veſcuntur, ita ut ipſimet teſtentur, ſe nunquam adeò laute, ac ſumptuosè tractatos. Hinc Sanctus Marcus & Marcellianus alligati palo, ac clavis transfoſſi, dum flecta compaſſione monerentur a tyranno, ut erga ſeipſos non adeò crudeles eſſent, nec cibis adeò amaris, & nocivis ſeſe infarcirent, toti læti, ac hilares reſponderunt. *Nunquam tam jucunde epulati ſumus, utinam Deus tam diu nos hac pati ſinat*, quamdiu hoc corruptibili corpore veſtiti erimus, Applicatio.

Quod ſi convivia opipara Deus inſtruxerit Sanctis Martyribus, ſumptuoſiſſimum, lautiſſimum, ac delicatiſſimum, meo ſenſu præparavit glorioſiſſimo Martyri Laurentio; in eo ſiquidem appoſita ſunt tot, ac tam pretioſa

tioſa fercula, virgarum, craticularum, ignium cibi inter omnia fercula delicatiſſimi, ita ut jure meritò potuerit dicere Laurentius: *Nunquam ſic jucundè epulatus ſum*, & quod reipſa pranſerit in Apolline: & tantam percepit in iis ferculis ignis voluptatem, ut repetitis vocibus ingeminârit: *Aſſatum eſt jam, verſa, & manduca.* Et tanta cum ſatisfactione epulatus eſt, ut dicat Divus Auguſtinus: *In iis tormentis, quia bene manducaverat, & bene biberat, tanquam illa eſca ſaginatus, & illo calice ebrius, tormenta non ſenſit.* O quam opiparum convivium, ô lautam menſam, ô delicata fercula, ô pretioſos liquores! optimè poteſt dici, quod Deus præparaverit Laurentio convivium pretioſiſſimum ac ſumptuoſiſſimum, quia illud in Apolline inſtruxit.

Sed quomodo Domine Laurentio inſtruis convivium, & apponis fercula ex igne? quomodo vis, ut ignis ſit illius cibus, alimentum, quod ſtatim, ut fuit comeſtum, imò dum comedebatur, impinguabat, & ſagmabat, cum ignis non poſſit eſſe alimentum alicujus animalis? O glorioſiſſime Laurenti, non miror, quod ignis te nutrierit & incraſſaverit, cum enim fueris temperamenti calidiſſimi, compoſitus ex calidiſſimis vaporibus, imò ex igne amoris divini, & ut totus compoſitus ex hoc igne, imò totus ignis ardentiſſimæ charitatis, non eſt mirum, quod igne elementari fueris nutritus. & incraſſatus, imò quod tibi fuerit cibus friſcus, frigidus, ac adeò congelatus, ut reſtauraverit, & frigefecerit tua viſcera, & tuum cor, quod adeò ardebat, & accenſum erat amore divino Hinc ad ſtuporem benè de te dixit Auguſtinus: *Quando Beatus Laurentius appoſitos extrinſecus ignes non timeret, niſi intus flamma charitatis arderet? in comparatione fervoris, qua pectus ejus ardebat, exterior perſecutoris flamma frigebat.* Gloriare igitur, quod ab hoc ſupremo ſenatore cæli invitatus ſis ad cœnam in Apolline in quo ad majores delitias, & voluptates fercula fuerunt quidem ignea, ſed infrigidata in glaciè, congelata, ut majori ſatisfactione & appetitu ventrem infarcires, & dicere poſſes cum Chriſto, quod iis fueris ſaturatus, ac impinguatus, & dum deberes pergere ad cælum, ubi non prandetur hoc modo, prius prandere volueris in Apolline, & lautiſſimo ferculo ignis congelati veſci: *Saginari voluptate &c.* Videte ergo, an non ignis fuerit Laurentio delitioſus, & an ei fuerit moleſtus?

Ser. 37. de diverſis.

VI. Rex Herodes ita exſæviebat in diſcipulos CHRISTI, ut neci tradiderit Apoſtolum Jacobum fratrem Sancti Joannis Evangeliſtæ: Potrò videns per hoc ſe gratificare Judæis, juſſit capi Petrum, ac in obſcuriſſimum detrudi carcerem, duabuſque catenis ferreis vinciri, & præter milites cuſtodiæ januæ deputatos, duos excubitores ejus lateribus adhibuit. Potrò ut refert ſacer textus ſic vinctus altiſſimo ſopore, ac ſi in plumea recubaret culcitra, defixus erat. *Inipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus.* Et tam quietè dormiebat, ut ei excitando neceſſe fuerit è cælo deſcendere Angelum. *Et ecce Angelus Domini aſtitit, percuſſoque latere Petri excitavit eum.* Subintrat hic Sanctus Pater Auguſtinus, & quærit, quomodo Petrus potuerit dormire? Petre *quid eſt hoc?* tu jaces in obſcuriſſimo carcere, vinctus compedibus & catenis, cinctus militibus inſolentiſſimis, tam ſollicite cuſtoditus, & dormis? *Quid eſt hoc?* inquit Auguſtinus, agitur de tua vita, & forſitan Herodes craſtina die decrevit te è medio tollere, & tu dormis? *Quid eſt hoc?* quale eſt hoc paradoxon, tu dormis tunc, cum maximè deberes vigilare? Tota Eccleſia Chriſti vigilat, & pro te orat. *Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.* Actuum capite duodecimo. Et tu ſopore adeò alto demerſus jaces? Reliqui fideles liberi ſe torquent ratione tui, timent ne vita priveris, & tu qui adeò arctè vinctus es, & fato admotus dormis? quieſcis ſopori adeò gravi immerſus, tam ſuaviter, ac ſi cubares in culcitrâ plumeâ & florida, cum tamen vinctus ſis catenis adeò ponderoſis, quæ quietem non indulgerent fortiſſimo quoque gyganti? Ergo inquit Auguſtinus ſtupore extra me actus ſum. *Admiror Petre quietem tuam. In medio catenarum, velut inter flores requieſcis.* Quid eſt hoc? unde hic ſomnus.

Scriptura. Act. 12.

Act. 12.

Act. 12.

Reſpon-

Reſpondet Auguſtinus, & duobus tantùm verbis ſtuporem tollit, ac dubium diluit. *Quid eſt hoc, niſi quia tu ibi juſtus quietem reperis.* Valde bene! *Niſi quia &c.* Vigilant oppreſſi pondere vinculorum, vigilant illi, qui ob facinora ſua ſunt detruſi in carceres, vigilant illi, nec quieſcere poſſunt, qui timent mortem, illi, quos catenæ aggravant, illi, quos mordet conſcientia, illi, qui neſciunt, quàm dulce ſit pati, & mori pro Chriſto. Iſti etiam in vincula acti non dormiunt, hi autem vincti & ligati quieſcunt; illi propter tribulationes non poſſunt capere ſomnum, quia ipſorum quies conſiſtit in vitâ, voluptatibus & commoditatibus. Sed tu Petre ſanctiſſime quieſcis, dormis, jaces gravatus ſopore graviſſimo, nec tuam quietem turbant milites, non cuſtodes, non carceres, non vincula, non compedes, quia cùm ſis juſtus, aliud non habes gaudium, alium non ſentis jubilum, aliam non probas delectationem, in alio non collocas tuam quietem, voluptatem, quam in afflictionibus, in tormentis, martyriis Chriſti amore toleratis, ac pro causâ Chriſti perpeſſis, *Quia ibi tu juſtus, &c.* Conditio valde propria Laurentio, quia juxta ſanctum *Ser. 23.* Patrem Petrum Chryſologum, *Beatus Laurentius craticulam ſupplicii lectum quietis putabat.*

Hiſtoria de mirabilib. mundi, cap. 7.

VII. Solinus deſcribens Italiam, quoddam mirum patratum ab Hirpis in agro Phaliſcorum recenſet. Nempe eos ſub ſacrificiis falſis Diis immolatis, dum ligna maximè arderent, & flammas verſus cælum eructarent, nudos inſiliiſſe in illas voraciſſimas flammas, quæ eos tantâ veneratione colebant, ut illæſi ſaltarent, & miris geſticulationibus iis inambularent. *Sacrificium operantes geſticulationibus religioſis impunè exultant, ardentibus lignorum ſtruibus in honorem divinæ rei flammæ parcentibus.* Præterea refert Solinus, accidiſſe idem ſacrificiis & flammibus in monte Vulcano, qui inter ſacrificia à flammis non lædebantur, imo quòd flammæ eoſdem inter epulas flexuoſis ſuis incurſibus veluti caniculi lamberent, & geſticulationibus ſuis recrearent, ita ut ſaltriter epulantes in honorem falſorum numinum, ab igne non læderentur. *Epulantibus alludit flamma, quæ fluxuoſis excurſibus vagabunda, quem contigerit, non adurit.* Hæc refert agens de Siciliâ. Hîc curioſitas eruditorum ingeniorum me inceſſit inveſtigandi, an hoc prodigium, quo tam hilariter ſaltabant, & quieſcebant in flammis, abſque eo, quòd ab iis læderentur, fuerit effectus Dæmonis, vel potiùs naturalis.

Nullum eſt dubium, quin plures id Dæmoni adſcribant, cùm juxta Jobum, *Non eſt poteſtas, quæ comparetur ei.* Inſuper ſi juxta ſanctum Auguſtinum lucernæ illæ priſcorum per tot ſæcula ardentes, ſint effectus Dæmonis, qui forſan occultè iis fomentum ſubminiſtrabat, quomodo non dicemus à potiori, illud quod refert Solinus, Diabolo eſſe tribuendum? Hoc non obſtante, alii negant, ad Dæmonem eſſe recurrendum, dum haberi poteſt cauſa naturalis; hic autem talis poteſt; ſiquidem ſuccus herbæ, quæ vocatur *Semper vivat*, mixtus feli taurino, & arſenico rubeo, ac alumini pulveriſato, habet virtutem reſiſtendi igni; imò ſuccus palmæ Chriſti eandem vim habet: Hinc Zingari volentes faſcinum inducere, & oſtendere ſe comedere carbones, ac cultros ignitos, abſque ulla læſione, priùs lavant manus, eaſque ungunt ſucco Semper vivat, vel palmæ Chriſti, & hoc modo ignem devorant. *Harum herbarum ſucco*, inquit Fortunius Licettus, *perunctis, ignem, candentia ferramenta, plumbumque liquefactum impunè contrectant.* Simili modo poſſemus dicere, quòd Hirpi priùs unxerint totum corpus illis ſuccis, & poſtea flammis inſilierint, & cùm dictus ſuccus ſit valde frigidus, ac contrarius naturæ ignis, abſque ulla læſione epulatis ſint, ſaltaverint, ſicque ſimplices faſcinarint, ut haberentur pii. *Lib. 21. de civit. c. 16.* *Lib. 4. antiq. c. 3.*

VIII. Nunc ad ſanctum Laurentium: *Erat Petrus dormiens, &c.* Noſtra fides radicata in anima fideli, eſt herba *Semper vivat*, & palma Chriſti ſemper viva, quia juſtus ſemper illâ nutritur ac paſcitur. *Juſtus autem ex fide vivit* ſemper viva, quia nunquam areſcit, ſed ſemper viret, tam in æſtate conſolationum, quàm in hyeme perſecutionum, ut patet in ſanctis Martyribus, de quibus Paulus: *Fide* Applicatio. *Heb. 10.* *Ibid. c. 12.*

fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, &c. Fides est palma Christi, per quam palmam reportavit, & devicit mundum. *Hæc est victoria quæ vicit mundum, fides nostra.* Fides est semper viva & palma Christi, quia virtute illius sancti Martyres in mediis flammis à tyrannis exstructis, hæserunt illæsi. *Fide*, inquit Paulus, *extinxerunt impetum ignis.* Ministet Ecclesiæ erat beatissimus Laurentius, qui seipsum gratissimum sacrificium Deo obtulit super altare craticulæ, & ut victima combureretur, crudelissimus tyrannus ignem strui jussit, & dum hujus flammæ magis sævirent, Laurentius in mediis flammis & carbonibus stabat totus lætus & hilaris, irridendo & subsannando ignem; & esto esset totus nudus, tamen insultabat tyranno, dicens: *Deum meum colo, & illi soli servio, & ideo non timeo tormenta tua.* Non aliter, ac si ibi degeret in deliciis, ac si ibi epularetur, & saliariter biberet, ac si ibi totus lætus & hilaris saltaret & tripudiaret, ac si in lectulo craticulæ suaviter recubaret, prout advertit Chrysologus suprà: *Beatus Laurentius, &c.*

Ioan. 5.

O glorioſissime Laurenti, & quomodo fieri potuit, ut in medio istarum flammarum totum hilarem & jubilantem corde te exhiberes? Qui fuit possibile, ut tam quietè & suaviter recubares in lecto, & craticulâ ignitâ? Ah, si intueat tuum pectus, tuum cor, tuum spiritum, video te totum madefactum herbâ *Semper vivat*, & *Palmâ* Christi fidei; hujus virtute superasti, & vicisti vim ignis, & irrisisti ejus flammas, imo totus lætus & jucundus in iis saltasti, in iisque suaviter recubuisti. Hinc de te sanctus Pater Augustinus: *Sanctus Laurentius fide suâ vicit persecutionis flammas.* Idem tibi fuit craticula, quod fuerunt carceres, & catenæ Petro, nempe lectus floridus, mollis, & plumea culcitra, eò quòd ambo fueritis justi, ac fideles Christo, & justitia ac fides vestra suavissimum sopotem vobis indidit in tormentis, nec permisit vos eorum sentire cruciatus; quin imo nec in minimo vestram quietem turbavit: Mirabiles itaque mundo facti, præbuistis ansam de vobis dicendi: *Admiror Petre, admiror Laurenti quietem tuam. Admiror* illius *in medio catenarum*, hujus *in medio ignis. Tu inter flores requieſcis, quid est hoc? nisi quia ibi tu justus quietem reperis.* Et revera suaviùs & quietiùs, jucundiùs recubuisti inter tormenta, quàm alius verus Imperator inter rosas, ita ut nec minimum pallus fueris, sed somniaveris te tantum pati.

Serm. 30. de Sanctis.

IV. Nec permittit me mentiri Spiritus Sanctus, sic scribens in secunda epistola Corinthiis, eosque exhortans, ne in vacuum Christi gratiam recipiant, sed fideliter & cum lucro hoc talento negotientur, quantumvis propter hoc calumniis & maledictis mundi, imò persecutionibus, tormentis, & morti ipsi subjiciendi essent; dicit omnes illas adversitates quasi nihil esse, ita ut nihili ducendæ sint, sed in iis, veluti fideles ministros Christi decet, agendum. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus*, & addit: *Ut seductores, & veraces, sicut qui ignoti, & cogniti, &c.*

Scriptura. *Cap. 6.*

2. Cor. 4.

Observate quæso Scripturistæ, quàm insignibus antithesibus utatur Apostolus in illis verbis, quæ subdit; dicit namque, quòd futuri simus *seductores*, sed tamen *veraces*, ignoti, sed tamen bene noti, quasi mortui, sed tamen viventes; *ut castigati, & non mortificati, &c.* In his antithesibus vos observatis, quòd loquens de rebus adversis & afflictivis, semper ponat, *ut, sicut, quasi*, quæ sunt synonyma. Sed in eorum contrariis, nempe lætitiis, solatiis, non utitur verbis *ut, sicut, quasi*, sed loquitur simpliciter & absolutè. Subintrat hic sanctus Pater Anselmus, & admirans hunc modum loquendi, indagat, cur recensendo afflictiones, utatur particulâ *quasi*, narrans autem lætitias & consolationes, loquitur absolutè, & respondet divinè: *Sanctorum tristitia, dum in terris habitant, habet quasi, quia breviter, & quasi umbra, & somnium, nec est vera tristitia; gaudium autem Sanctorum non habet quasi.* O quàm bene Anselmus! afflictionibus addit *quasi*, non verò gaudiis. Scitis cur? quia afflictiones, quamvis sint grandes,

In hunc locum.

des & atrociſſimæ, tamen reipsâ non ſunt tales, ſed tantùm apparenter, ſunt umbræ, ſunt ſomnia. Et dum ſervus Dei illis ſubjacet, ſomniat ſe illas pati. Sint quantumvis ferocia tormenta, ſæviant quantumvis tyranni in ſanctos Martyres. Demonſtret ſe quantumvis ferocem & barbarum Valerianus Imperator contra Laurentium ſervum Chriſti, lædat eum tamdiu, quamdiu velit, priùs fatigabuntur carnifices, quàm Levita in patiendo Extendat eum in craticula ignita, ſubjiciat ei ignem, qui lentè illas delicatiſſimas carnes adurat, cruciet illum tormento crudeliſſimo, ita ut nullum crudelius poſſit excogitari, nec crudelitas ipſa, vel infernus fabricare, attamen Laurentius intrepidus exultabit, gaudebit, quieſcet tam ſuaviter, ut nullatenus ſenſurus ſit illa tormenta, ſed ſolùm ſomniabit ſe illa ſentire, ſe torqueri, aduri & torreri, quia omnia hæc tormenta non ſunt vera tormenta, ſed quaſi ſomnium reſpectu conſolationum, & bonorum æternorum.

Philoſophia.

X. Philoſophi, ego ſcire à vobis percuperem, quid ſit ſomnium, & quomodo inducatur, & communiter reſpondetis, quòd ſit paſſio & accidens, quod concomitatur ſomnum; nam naturaliter loquendo, quidquid ſit, de ſomnio divino, vel dæmoniaco, nullus poteſt ſomniare. niſi dormiat. Hinc ſic definitur à Philoſopho : *Somnium eſt viſum, quod in ſomno apparet.* Vel, *ſomnium eſt apparitio exhibita per internum ſenſum in iis, qui ſomno conſopiti ſunt.* Somnium eſt exterior apparitio, quæ videtur in ſenſu exteriori, ſive is ſit ſenſus communis, vel phantaſia, aut alia potentia interior, qua apparitio poteſt in iis tantum contingere, quibus ſenſus externi ligati ſunt, & qui dormiunt; ita ut ſenſus interiores partim ligati ſint & partim ſoluti, plus, vel minus; quando enim ſimilitudines, vel ſpecies objectorum externorum, quæ reperiuntur in ſenſibus interioribus, quæque neceſſariæ ſunt ad eorum functiones, à copia vaporum, eorumque agitatione certo modo operiuntur, & occultantur, clarum eſt, quòd non formetur ſomnium, quia ſenſui interiori deeſt objectum, vel forma requiſita ad operandum. Verum quando ceſſat dicta evaporatio, & imagines interiores ſe produnt, tunc cauſatur ſomnium, quia ſenſus interior eſt aliqualiter ligatus, & aliqualiter ſolutus, & dum apparet objectum, vel forma repræſentans res ſenſibiles, eſto non totaliter, tunc neceſſe eſt, ut operetur, & hæc operatio dicitur ſomnium, dum apparet dormienti illud, quod non eſt. Hinc recenſens ſomnium, dicit, putabam me ambulare, videbar invadi ab hoſte, mori, comburi, duci ad patibulum, &c. Ita ut nil aliud, quàm apparentia & viſio ſine effectu, & omnia reſolvantur in *Quaſi*.

Theologia.

Hoc ſuppoſito, ſcire præterea percuperem pro majori claritate, unde proveniat, quòd quandoque homo ſomniet de rebus affectis colore rubeo, putà flammis, ignibus, quòd ſomniet ſe tranſire, volare per medias flammas, & alii ſomnient ſe bellare, duellare, ſe vulnerari, alii ſubmergi, navigare, &c. alii ſomnient de triſtibus, de funeribus, de tenebris, &c.

Reſpondent id provenire ab humore prædominante in perſona, quæ ſomniat: hic humor perſonâ dormiente ſæpe excitat in phantaſia imaginem ſui; unde cùm phantaſia operetur in dicta imagine repræſentante rem ſimilem humori prædominanti, & cum quo habet aliquam ſympathiam & convenientiam, ſequitur ſomnus de talibus. Hinc advertunt, quòd illi, quibus prædominatur melancholia, ſomnient de carceribus, ſqualoribus, catenis, tenebris, ac morte. Illi, quibus prædominatur flava bilis, de rixis, inimicitiis, pugnis, homicidiis. Illi, quibus prædominatur pituita, de aquis, fluviis, mari. Illi, quibus ſanguis, de ignibus, flammis, incendiis. Hinc videmus, quòd homo in ſomnis ſe affligat, eſto ei nil fiat. Hinc Hippocrates monet Medicos, debere obſervare ſomnia infirmi; nam ex qualitate ſomni ſæpè venitur in cognitionem morbi, & humorum latentium & prædominantium, & poteſt ſe dirigere circa curam infirmi.

In l. de ſomniis & 6. Epid.

Applicatio.

XI. Nunc ad Laurentium. *Ut ſeductores, &c.* dormiunt ſancti Martyres, dum ob amorem Dei affliguntur & tormentantur, imò mors ipſis aliud non eſt, quàm ſuaviſſimus ſom-

ſomnus. Hinc ſanctus Pater Chryſoſtomus: *Mors Chriſtianis eſt ſomnus*, & quamdiu dormiunt, clarum eſt, ſenſus eorum eſſe ligatos, & plenos evaporationibus, quas è peccatore mittunt ad ſpiritum, & partem ſuperiorem animæ, quæ eò ſuaviùs quieſcit in tormentis, quo deſiderio flagrat ardentiori veniendi ad Chriſtum. Dormiunt ſancti Martyres in tormentis, & quamdiu dormiunt, non ſentiunt dolores cauſatos à tormentis, quia cùm ſint totaliter in Deum rapti, non poſſunt exercere ſuas operationes ſenſitivas, & quò intenſiùs in Deum rapiuntur, eò minùs ſentiunt; hinc ſi totaliter in Deum ſint rapti, tunc nullos ſentiunt dolores corporales. Somniant ſe cruciari, quia tormenta eorum nomine tenus tantum tormenta ſunt, ut advertit Chryſoſtomus: *Calamitatum nomina philoſophantibus ſunt nomina rebus carentia*, & reipsâ ſunt ſimplices viſiones & apparentiæ, quæ reſolvuntur in *quaſi*; hinc videntur ſibi pati, cùm reipsâ tamen non patiantur, judicant, quòd torqueantur, reipsâ tamen non torquentur, videntur ſibi mori, ſed non moriuntur. Hinc S. Paulus: *Omnis quidem diſciplina in præſenti videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris*. Ubi Theophylactus pondetans illud *videtur*, dicit divinè: *Videtur eſſe mœroris, non enim verè eſt mœroris. Quomodo enim fuerit mœroris, cùm ſit lætitiæ mater?* Itaque illi Martyres, quos concluſerant tyranni in carceribus obſcuriſſimis, quos ligârant duriſſimis & fortiſſimis catenis, non fuerunt verè incarcerati ac vincti, ſed tantùm apparenter, & in ſomnio, ſomniabant ſeſe eſſe in carceribus, inter vincula & compedes, quia iis prædominabantur ſqualidæ pœnitentiæ melancholia. Illi, quorum jugulus erat ſub gladio, quos decapitavit ſecuris, vel diſſecuit ſerra, non erant verè decapitati, vel diſſecti, ſed ſolùm apparenter, & in ſomnio ſomniabant ſe lædi à ferro, quia iis prædominabatur flava bilis odii contra perſecutores fidei chriſtianæ, non potens ſuſtinere falſa dogmata tyrannorum. Illi, qui demerſi ſunt in mari, vel fluviis, non erant verè ſubmerſi, ſed ſolum apparenter, ac in ſomnio ſomniabant, ſe lapide collo alligato ſuffocari ab aquis, quia iis prædominabatur pituita lachrymarum, quas ſparſerunt pro amore Chriſti.

Hom. 5. ad popul.

Heb. 12.

Omnis diſciplina, &c. ſed apparenter, & in ſomnio.

Hoc ſuppoſito, ad te redeo glorioſiſſime Laurenti, & video, quòd in lecto craticulæ ſuaviter quieſcas, & dormias. Video te in hoc ſomno adeo eſſe raptum & ſublevatum in Deum, ut potentiæ tuæ exteriores abſorptæ ab amore, non exercuerint ſuas functiones, ita ut non ſentias tormenta. Hinc Auguſt. *Laurentius dum Chriſti ardet deſiderio, perſecutoris flammam non ſentit.* Video inſuper, te ſuper carbones toſtum & volutatum, & quilibet putat, quòd ſis verus ignis, & quòd verè ſis ambuſtus & toſtus, ſed pace illorum, qui hoc imaginantur, audeo dicere, quòd non fuerit verus ignis, ſed imaginatius. Addo, quòd verè non ſis aſſatus & toſtus, ſed ſolùm apparenter, ſolùm in ſomnio, & quòd interim, dum dormiret in Deo ſuaviter ſpiritus tuus, ſomniaveris te eſſe inter flammas, jacere in craticulâ ignitâ, comburere, & torreri. *Omnis enim, &c.*

Sed quid miri, quòd inter tot Martyres ſomniaveris te uri, & torreri ſuper craticulam ignitam, & quòd ſomniaveris de flammis, ignibus, carbonibus, ſi tuo pectori, tuo cordi, tuo ſpiritui, tuæ animæ tam exceſſivè prædominatus fuerit ſanguis amoris, ac ardentiſſimæ charitatis erga tuum ſponſum JESUM? Dicat Paulus, quòd omnes tuæ afflictiones & tormenta ignis reſoluta fuerint in quoddam *Quaſi*. *Quaſi morientes, & ecce vivimus, ut caſtigati, & non mortificati.* Dicat Anſelmus, *quòd Sanctorum triſtitia habet Quaſi, quia breviter, & quaſi umbra, & quaſi ſomnium.* Admiretur quilibet hæc ſomnia, obſtupeat quiſquis ille ſit tuam quietem, rapiatur extra ſe præ ſtupore, quòd nec in minimo ſentias tormenta ignis, quia non habet anſam admirandi, cùm tu eodem tempore, quo es inter flammas, ſis beatus.

XII. An forſan nos deſerat hîc Spiritus Sanctus in hujus confirmatione? Volens magnus Patriarcha Jacob benedicere filio ſuo Iſachar, hiſce ei bene precatus eſt: *Iſachar aſinus fortis, vidit requiem, quòd eſſet bona, & ſuppoſuit humeros ad portandum.* Ingenuè fateor, me nunquam benedictionem magis peregrinam legiſſe,

Scriptura.

Cap. 48.

giſſe ea, quam dedit Jacob filio Iſachar. (NN.) ego indubitanter dico, hanc potius eſſe ſolemniſſimam imprecationem, quâ quis poſſet devovere aſinum ſuum, quàm quod ſit benedictio, quam aliquis pater impertiatur filio ſuo. Dicete namque, quod aliquis ſit aſinus, eſt maxima quædam contumelia, & convitium. Quod ſi improperia & convitia ſint maledictiones, revera ſanctiſſimè Patriarcha, dum tu prædicis filium tuum Iſachar futurum Aſinum, vel quod ſit Aſinus, quamvis titulatus, fortis & robuſtus, potius ei maledicis, quam benedicis: maxima eſt maledictio dicere, quod aliquis ſit aſinus, toto curſu vitæ deſtinatus oneribus ferendis *Iſachar Aſinus &c.* Quod ſi Sanctiſſime Patriarcha velis ei bene precari, dic quod ſit futurus Aſinus Dei, promt faciebat David; *Ut jumentum factus ſum apud te*, ſic enim ei benedices & non maledices, nec miſcebis aliquas contradictiones; quomodo enim vidit quietem eſſe bonam, ſi hoc non obſtante ſuppoſuit humeros ſarcinæ? debebat dici, quod viderit quietem eſſe bonam, & quod ideo fugerit laborem & abjecerit ſarcinam, & dederit ſe quieti & non econtra? Quod ſi velis, portare ſarcinam eſſe bonum, debebas dicere eum vidiſſe hoc eſſe bonum, ideoque & ſubjeciſſe humeros ſarcinæ; ſed dicere, quod viderit quietem bonam, & ideo eum ſuppoſuiſſe humeros ſarcinæ, maxima eſt contradictio, quæ poſſet adduci. Cur ergo prætendis te benedictionem dediſſe tuo filio Iſachar? Sanctus Hilarius dicit hic nullam eſſe contradictionem, ſed veritatem adeo irrefragabilem, ut nulla alia forſan ſit adeo libera à cenſuris. Pro quo ſcire debetis, Sanctos nullam requiem ſentire majorem & ſuaviorem in præſenti vitâ, quam ſi laborent, ſubjiciantur afflictionibus, tormentis, Martyriis amore Chriſti. Hinc in iſtis conſiſtit eorum Beatitudo, juxta illud Chriſti. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Et quo majora ſunt tormenta, quæ tolerant pro Chriſto, eo major eſt eorum quies & Beatitudo. *Sancti*, inquit Hilarius, *nunquam dulcius quieſcunt, quam dum laboribus fatigantur.* Hinc non eſt mirum, quod tam ardenter Sancti Martyres ſpecialiter quæ erant tormenta Tyrannorum enſes, ſecures, equuleos & ignem ipſum ſicut fecit Sanctus Laurentius, ſubierint ſciunt quippe ſe in talibus reperire quietem & conſolationem *Sancti nunquam &c.*

Can. 11. in Matthæi.

Maxima ergo fuit benedictio prædicere Iſachar, quod eſſet futurus Aſinus Dei valde fortis, qui portaturus erat ſarcinam contradictionum, quia in hoc debebat conſiſtere ejus major felicitas & quies; ſicut & ipſe Laurentius majorem nunquam accepit benedictionem à S. Sixto quam dum ei hic dixit; *Non ego te deſero fili, neque derelinquo, ſed majora tibi debentur pro fide Chriſti certamina*; in quorum tolerantia Laurentius oſtendit conſiſtere ſuam quietem, beatitudinem & benedictionem.

Can. 11. in Matth.

XII. Patres Theologi, ſi à vobis quærerem an corpora beatorum in cœlo ſint impaſſibilia, & ſubjecta alicui paſſioni, certus ſum vos reſponſuros, quod non, loquendo de paſſione corruptivâ & deſtructivâ, ita etiam ut corpus Beati nec in minimo ab igne lædi poſſit. (Nam paſſio perfectiva non debet ab iis excludi.) Loquendo ergo de primâ, ſcire percupetem, an, ſi corpus Beati tranſiret per ignem, an ab eo læderetur, vel ſentiret ad minus aliquem dolorem. Nonnulli Theologi docuerunt, quod eſto reperiantur in corpore glorioſo elementa ſecundum ſubſtantiam, tamen horum qualitates, tam activas, quam paſſivas, volunt ab iis removeri, vel ad minus earum actiones & paſſiones divinâ virtute ſuſpendi, ex quâ remotione fit, quod corpora glorioſa non ſint ſubjecta alicui paſſioni deſtructivæ, ſed ſint impaſſibilia.

Theologia.

Alii docuerunt, quod cum intrinſecè debeat eſſe in beatis impaſſibilitas, ſi eſſent impaſſibiles dicto modo, tunc impaſſibilitatem iis tantum competituram ab extrinſeco per remotionem dictarum qualitatum, earumque actionum & paſſionum, quod non debet dici Ideo dicunt, quod in corporibus glorioſis prædominatura ſit natura, vel materia corporis quinti, hoc eſt cœli, & hoc reddet corpora Beatorum impaſſibilia, ſicut reddit impaſſibiles ipſos cœlos

His non obſtantibus Doctor Angelicus negat eorum impaſſibilitatem ab hoc poſſe provenire; cum nequeat fieri, quod cœlum intrinſecè concurrat ad compoſitionem alicujus corporis humani, multo minus etiam, quod aliqua proprietas ſupernaturalis, & glorioſa poſſit produci à virtute naturali. Hinc dicit Sanctus Doctor, corpus poſt reſurrectionem perfectè eſſe ſubjectum animæ, & ab hac illud moveri efficaciter abſque ullâ reſiſtentiâ, eo modo,

In addit. ad 3. p. quæſt. 82. art. 1.

quo anima tunc in omnibus & per omnia eſt ſubjecta Deo. Et quia anima Beati per ſuam gloriam diſponit corpus, ut illa gloria in corpus redundet, neceſſaria eſt perpetuitas & æternitas ipſius, adeoque debet eſſe incorruptibile & impaſſibile. Ut ab hoc influxu animæ in corpus beatum proveniet, quod eſto illud corpus tranſiret per ignem elementum adeo efficax, non tamen in minimo ſit lædendum.

Applicatio. XIV. Nunc ad applicationem. *Iſachar Aſinus &c.* Levita Chriſti Laurentius in ſuis tormentis fruitus maximâ Beatitudine, quâ quis in hac vitâ, quoad animam & corpus frui poſſet: fuit beatus in animâ, quoad plenitudinem gratiæ (quæ juxta Theologos eſt ipſa gloria inchoative) & per redundantiam Charitatis & amoris Dei, ita ut videret Deum non ſolum oculo fidei tenebroſo & obſcuro, ſed oculo clariori & lucidiori, ſicut eum vidit Stephanus dum dicebat: *Ecce video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei.* Comprehendebat Deum, quia poſſidendo gratiam divinam, quæ eſt quædam participatio Dei & divinæ naturæ, erat quaſi certus, quod haberet Deum in corde, ac animâ ſuâ, & ideo per exceſſum Charitatis, quæ in ejus pectore prædominabatur, inamiſſibiliter fruebatur Deo. Hinc in mediis flammis, quoad animam erat Laurentius Beatus & fruebatur majori Beatitudine, quam verus amicus Dei in hac vita frui queat; Imo etiam fuit Beatus quoad corpus & habebat qualitates corporis glorioſi, eo modo quo erat beatus quo ad animam. Corpus beati in cœlo præditum eſt dono clatitatis, hanc porro habuit Laurentius per virtutem clariſſimam ſuæ Virginitatis, ita ut poſſet verè dicere *mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt.* Præterea habebat ſubtilitatem, veluti ille, qui antequam iret ad Martyrium, exenterarat eruminam & omnes facultates Eccleſiæ in egenos erogaverat. *Theſauros tuos jam expendi, quos tradidiſti mihi.* Habebat etiam dotem agilitatis, veluti ille, qui dolebat ſe tam leniter affligi & quamcunque dilationem judicabat maximum eſſe tormentum, unde totus anhelans accurrit ad S. Sixtum, ut cum ipſo poſſet martyrium ſubire. *Quo Progrederis ſine filio Pater? quo ſacerdos ſancte ſine miniſtro properas? Noli me derelinquere Pater ſancte, Experire utrum idoneum miniſtrum elegeris.*

Sed quod ſupra modum obſtupeo eſt, quod etiam inter illas flammas habuerit dotem impaſſibilitatis tam excellenter, ita ut, ac ſi corpus non eſſet ſuum, ſed alterius, non ſentiret dolores, vel flammam; & hinc totus lætus dicebat Tyranno. *Deum meum colo & illi ſervio, & ideo non timeo tormenta tua,* & Auguſtinus. *Flammarum non ſentit incendium. Si tranſieris per ignem, flamma non nocebit tibi & odor ignis non erit in te.*

O Glorioſiſſime Laurenti, unde fit quod cum adeo fueris tener & delicatus, tam juvenis, adeoque magis ſenſitivus, tamen in flammis ſis inſenſibilis & impatibilis? an dicam, id proveniſſe ex eo, quod Deus vires ignis ſopiverit & ademerit, ut tuæ carnes non ſentirent illos acerbiſſimos dolores? Forte non dicam malè ſed bene, ac conformiter ad Sanctum Leonem Papam; qui dicit de tuo igne: *Segnior fuit ignis qui foris uſſit, quam qui intus accendit.* An forſan dicam, quod in te prædominatum ſit cœlum corporis quanti, & quod tuum corpus fuerit compoſitum ex materiâ cœleſti, cum anima, quæ illud informavit fuerit cœleſtis & tota divina, & intelligentia gratiæ divinæ & amoris ejus illud rexerit, moverit & gubernarit? Si id dixero non dicam malè, quia cum forma tui corporis aſſiſtens & informans fuerit cœleſtis, etiam tuum corpus debuit eſſe cæleſte, uti innocentia, virginitas, puritas, integritas ſatis declarat; & ideo etiam debuit qua cœleſte eſſe impaſſibile Paſſione deſtructivâ inalterabile ſicut cœlum. Verum ſi hoc ſimpliciter dicerem, parum dicerem in laudem tuæ impaſſibilitatis. Hinc ne deſim meæ devotioni, cogor ulterius aſcendere, & dicere quod forte fueris factus dignus dote impaſſibilitatis in mediis flammis, dum per exceſſum illius beatitudinis gratioſæ, quâ fruebatur anima, quæ redundabat in corpus, ac ſenſus exteriores, te ſuo modo beatificavit, ac reddidit glorioſum. Quod ſi anima tua fuerit perfectè ſubdita Deo, ratio exigebat, ut etiam corpus tuum ſubjaceret animæ, ita ut ſicut anima tua fuit initiativè beata, ſic etiam ſuum corpus eſſet initiativè glorioſum, ac impaſſibile, ita ut non ſenſeris acerbiſſimos dolores. Hinc ad ſtuporem dixit de te S. Ambroſius. *Non potuit ignis tormenta ſentire, qui ſenſibus Paradiſi refrigeria poſſidebat;* ac ſi gratia divina derivata ab anima in corpus, quaſi ros cœleſtis illud

Serm. 66. in Feſt. D. Laur.

De S. Laur.

Illud corroborasset ut non sentiret calores ignis. Dicamus ergo, quod in medio flammarum inveneris beatitudinem. *Sancti nunquam dulcius requiescunt, quam dum laboribus fatigantur.*

Epilogus. XV. O Glorioſiſſimè Laurenti, ô ſtupor Eccleſiæ, ô prodigium univerſi, taceat ille, qui dixit, quod tantum habueris gaudium patiendi pro amore Chriſti, ut ad imitationem ejus, antequam ires ad cœlum, ubi nullæ ſunt afflictiones, lautiſſimè volueris epulari in Apolline & ut magis incraſſareris, volueris fercula delicatiora eſſent ignis, ſed temperatus glacie; utpote cum eſſes temperamenti calidiſſimi, majorem ſentire refrigerationem & delectationem, taceat inquam ille, quia altius emines.

Addamus, quod tantam delectationem habueris in igne, ut in illis flammis velut Petrus in catenis dormieris, nam unxiſti te *Semper vivat*, & palmâ Chriſti Fidei, per quam irriſiſti flammas ignis cum tanto ſtupore Tyranni, ut more illius gentis id attribuerit Dœmoni; non agnoſcens virtuti divinarum herbarum hoc eſſe adſcribendum; ſed qui hucuſque pertingens quieſcit, credes te ſufficienter à ſe laudatum, ille valde erras, quia per deſiderium bonorum æternorum quæ depopulabatur in corpore tuo, adeo profundo ſopore fuiſti gravatus, ut omnia tormenta cum Paulo nihili duxeris, imo ſimpliciſſimum & breviſſimum ſomnum æſtimaveris, & dum te in craticulâ ignitâ torrebat Tyrannus, tu ſomniaris te torreri & hæc ignita habuiſti ſomnia, quia cum fueris complexionis ſanguinolentæ, ſanguinis amoris divini, fecit, ut crederes ignem acerbiſſimorum tormentorum eſſe ſimpliciſſimum ſomnium.

Sed nemo miretur, quod delectatio tua in tormentis eouſque aſcenderit, quia dotatus fuiſti tantâ beatitudine, quantâ verus amicus Dei in hac vitâ frui poſſit. Beatitudo talis, ut non ſolum beatit animam, ſed & inſtar roris cœleſtis è cœlo ſtillantis redundaverit in tuum corpus, & reddiderit illud impaſſibile. Qui huc appulit ne præſumat ulterius progredi, hic ſiſtat & devotè contemplando tuam beatitudinem excitetur ad patienter tolerandas adverſitates in hac vitâ ex amore Dei, pro quo etiam tu paſſus es, & recurrens ad tuam interceſſionem roget dignus fieri unicâ ſcintillâ ignis qui in tuo pectore atſit, quod Deus concedat.

ELOGIUM XXV.

Pro Festo Assumptionis Deiparæ.

Tu gloria Ierusalem, tu lætitia in Israel, tu honorificentia populi nostri. Judith. cap. 15.

Historia. *lib. 4. Historiar.*

I. REfert Valerius Maximus Alexandrum Magnum cæso, & devicto Rege Persarum Dario, aulicis, ac intimioribus amicis stipatum adiisse tentorium devicti Regis, in quo mater & conjux Darii, desolutæ cladem Darii ac suorum deplorabant.

Aderat inter alios Hephestion Alexandri amicus intimus, quem veluti seipsum diligebat. Et quia Hephestion staturâ erat procerus, venustus & corporis formâ superabat Alexandrum; mater Darii Sisigambe credens eum esse Alexandrum adgeniculata eum honorabat, ac velut suum Dominum adorabat. Verum agnito errore in ruborem acta, oculis dimissis tota supplex veniam errati ab Alexandro rogavit. Porro hic totus lætus, affabilis, ac gratiosus ad Sisigambem conversus: *Non errasti* inquiebat, *nam & hic Alexander est.* Noli erubescere, noli verecundari ô Sisigamde, non errasti, quia Hephestion meus amicus est, quasi alter Alexander, Amor, quo eum prosequor & quo vicissim ille me prosequitur, facit ut Hephestion sit Alexander, & Alexander sit Hephestion, ita ut dum tu reverentiam Hephestioni Alexandro putato tribuisti, non fueris delusa, sed eo meipsum, ipsumque Alexandrum honoraris. *Non errasti &c.* Hoc factum nihilominus tanto stupore defixit Historicum, eumque adeo reddidit perplexum & ancipitem, nesciumque an potius debeat congratulari Alexandro, qui monarcha quamvis factus fuisset totius universi, nihilominus his brevissimis verbis partitus est & divisit suas glorias, ac imperium cum Hephestione, vel potius huic, eo quod par sit factus Alexandro, non solum in gloria, ac imperio, sed & in ipso nomine. *Non errasti mater &c* Tandem admirans dictum unius, ac felicem sortem alterius exclamavit. *O donum inclitæ vocis danti pariter & accipienti speciosum!* Sed prout libet Valerius relinquat dubium indecisum, quo ad me ego feliciorem reputaverim sortem Hephestionis ob honorem, quo ab Alexandro est affectus, quam Alexandri, qui eum honoravit; Nam Alexander honorando hoc modo amicum non est orbatus illo, quod erat, quia mansit idem Alexander, sed Hephestion acquisivit illud, quod non habebat, quia factus est Alexander. *Non errasti &c.*

Applicatio.

II. M. Areopagita contemplabatur illum Deum, quem paulo ante S. Paulus ipsi prædicarat & annunciarat, & postea melius edoctus ab ipso Deo, considerando ejus omnipotentiam, immensitatem, misericordiam & amorem, sapientiam, bonitatem, ac alia attributa, vere agnovit non posse dari alium Deum & Deos gentilium esse falsos Deos.

Verum tandem incidens in Deiparam nostrã Dominam, quæ illo tempore vivebat, ac attentius ruminans ejus speciositatem, gratiam, modestiam, sapientiam, bonitatem & omnes ejus alias excellentias, ac prærogativas, quæ in gradu perfectissimo in ipsa emicabant, oculis corporis & mentis nictantibus, prosternere & eam veluti Deam, quæ sola esset in mundo adorare volebat. Et nisi recurrisset ad stellam fidei, eam confessus, veneratus fuisset, ac adorasset veluti Deam. Hinc dicebat: *Nisi ex ratione naturali, & fide novissem non esse aliam Deitatem, non putarem præter hanc esse aliam.* Nihilo secius, quamvis Dionysius credidisset & existimasset eam esse Deam, credo tamen quod ipse Deus ei responsurus fuisset. *Non errasti &c.* O Areopagita nullum commisisti errorem, quia mea mater ex qua temporaliter natus sum, & quam tot gratiis dotavi, & quam hodie in cœlo illustro tantâ gloriâ, revera adeo mihi est similis in statu naturæ & gratiæ, ac gloriæ, ut videatur

quasi

deificata, ac identificata mecum in natura, gratia, ac gloria. Hinc ſi exiſtimares eam eſſe Deam, dicerem te non erraſſe. *Non erraſti, nam & hic Alexander eſt.* Adeo ſuperat omnes creaturas in natura, gratia, ac gloria, ut ſit mihi viciniſſima inter omnes creaturas, idque tanta excellentia, ut videatur quaſi Deus naturalis, gratioſus, ac glorioſus in natura, gratia, & gloria.

Et nonne vides, quod tota curia cæleſtis conſiderans ejus eminentiſſimam prærogativam, quâ eſt mater Dei, contemplans plenitudinem gratiæ, quæ ejus adornat animam, & gloriam, quam ei paravi in cælo, tota admirabunda dicat: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delitiis affluens innixa ſupra dilectum ſuum?* De hoc hodie diſcurram.

Cant. 8.

ASSUMPTUM.

Maria in natura, gratia, ac gloria adeo comparuit ſimilis Chriſto, ut potuerit quis æſtimare eam alterum Deum.

Scriptura. Cap. 12. III. RAptus in ecſtaſin Sanctus Evangeliſta Joannes in ſua apocalypſi inter alia portenta ab ipſo viſa in cælo, vidit illam grandem matronam, cujus caput coronatum fuit ſtellis, cujus pedes calcabant lunam, cujus pallium fuit pulcherrimus planeta ſol. *Signum magnum apparuit in cælo mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Juxta Expoſitores vero hæc matrona fuit ſymbolum Mariæ. Viſio ſæpe proclamata pulpitis, ſed non adeo frequenter ponderata in eo ſenſu quem audietis. (NN) curioſitate maximâ ducor ſciendi, cur Evangeliſta dicat Virginem ſanctiſſimam fuiſſe veſtitam ſole, & coronatam ſtellis? Meo ſenſu potius apparere debuit coronata ſole & veſtita ſtellis, quam coronata ſtellis, & veſtita ſole, cum corona ſit pretioſior, & majoris valoris & dignitatis, quam veſtis regalis, & rex maiorem præferat dignitatem, & ſplendorem in corona, quam in veſtibus, quod ſi ſol ſit nobilior ſtellis, quia hæ mutuantur ſuum ſplendorem à ſole, & caput ſit nobiliſſima pars noſtri corporis, cur hæc matrona, & magna Regina non comparet coronata ſole, & veſtita ſtellis? *Mulier amicta &c.* Divinè glorioſiſſimus Doctor Aquinas. *Ideo dicitur mulier amicta ſole, quaſi tota repleta divinitate.* Angelicè, *Mulier &c.* Volebat inquit Thomas, demonſtrare Spiritus ſanctus, hanc grandem matronam, quæ debebat eſſe mater Dei, etiam debuiſſe eſſe naturaliter conditionis quaſi infinitæ, & excedere terminos naturæ humanæ, & factam quaſi conditionis divinæ, abſorptam a divinitate, & quaſi identificatam ipſi Deo. *Quaſi tota repleta divinitate.* Sicut enim veſtis tegit totum noſtrum corpus, quod non poteſt facere corona, quæ ſolum ornat caput, ſic MARIA apparet veſtita ſole à vertice uſque ad calcem; ad denorandum eam per omnia, ac in omnibus eam habuiſſe naturam quaſi deificatam, ac abſorptam ab ipſa divinitate. *Quaſi tota repleta divinitate:* Optima ponderatio Angelici, nec obſervatio Richardi à ſancto Victore illâ eſt inferior. *Mulier amicta ſole, & ſol divinitatis infulget ei, & circumfulget eam, & totam occupat.* In Cant.

IV. Domini Philoſophi, pulcherrimum eſt quæſitum veſtrum de excellentia, ac dignitate ſphæratum cæleſtiũ. Quæritis an cæli, quo ſunt altiores, eò etiam ſint nobiliores, ac excedant inferiores dignitate, & conſequenter quale cælum ſit nobiliſſimum ac excellentiſſimum. Philoſophia.

Nonnulli cenſuerunt, cælum Mercurii eſſe nobilius cælo lunæ, & cælum Veneris eſſe nobilius cælo Mercurii, & ſic conſequenter quo altius eſt cælum unum reſpectu alterius, eò etiam eſſe nobilius ac dignius; ſiquidem in mundo cæleſti compoſito ex tribus hierarchiis prima, & illa quæ eſt altior ac ſuperior aliis, eſt etiam nobilior omnibus, ea quæ eſt ſecunda, eſt nobilior tertia, uti affirmant Patres Theologi ex mente Areopagitæ; ſimiliter in orbe ſublunari elementa eo ſunt nobiliora, quo ſunt altiora; Hincque ignis eſt nobilior aere, aer aquâ, aqua terrâ. Eandem eſſe rationem dicunt in mundo cæleſti compoſito ex his velociſſimis rotis, ita ut una ſit tantò nobilior altera, quò eſt ſuperior.

Richardus, & univerſaliter Philoſophi volunt hanc doctrinam ut vera ſit, debere aliquantulum limitari, ita ut excipiatur ſphæra ſolis, quæ eſt quarta in ordine, & ſupra ſe habet plures alios cælos, ita ut hoc non obſtante cælum ſolis omnium nobiliſſimum dici debeat.

Dicunt hi docti nullum esse dubium, quin sphæræ cæleſtes ſint ejuſdem naturæ ſpecificæ cum planetis, quibus ſunt affixæ, cum planetæ nil aliud ſint, quam materia cæleſtis, ſed denſior, quam ſint aliæ partes in cælo; atqui planetæ quo ſunt altiores, eo ſunt nobiliores, ſi excipiamus planetam ſolis, qui eſto ſit inferior pluribus planetis, puta Marte, Jove, Saturno, tamen eſt iis nobilior, cum ab hoc recipiant lumen, prout ſapientiores affirmant, ergo cum cælum ſolis ſit ejuſdem naturæ cum ſole, erit dignius & nobilius, quam aliæ ſphæræ, cum *Globi cæleſtes ſint propter ſidera.* Optima Philoſophia.

Applicatio. V. Nunc ad Virginem. *Signum magnum &c.* Cælum, & quidem nobiliſſimum vocatur Maria à SS. Bonaventura, Bernardino, & aliis ſacris Doctoribus, *Maria nobiliſſimum cælum eſt.* Orat. 2. de dormit Mariæ. Imo Damaſcenus plenis buccis eam vocat *Cælum animatum.* Cælum animatum, cælum dotatum anima rationali, nobiliori, digniori, venuſtiori, quam unquam viderit paradiſus excepto tamen ejus filio.

Sed quem amabo creditis affixum fuiſſe planetam huic cælo Mariano? certe omnium nobiliſſimus. Quod ſi per ſtellas, & planetas cæli ſignificentur reliqui ſancti, ut volunt nonnulli Doctores, per ſolem denotabitur verbum increatum, & creatum. *Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter*, revera quo nobilior erit Chriſtus præ aliis ſanctis, eo nobilior erit MARIA Mater Chriſti, præ meritis reliquorum ſanctorum, imo & filiorum earundem, veluti illa, quæ eſt cælum Chriſti, cælum Dei humanitati, cælum incarnatæ ſapientiæ *Quia, quem cæli capere non poterant tuo gremio contuliſti.*

Verum non ſolum virgo eſt nobilior, & dignior, quam ſint omnes Sancti, etiam ipsâ antiquiores, puta ſanctâ Judith, Rebeccâ, Annâ, Eliſabeth, Abrahamo, Jacobo, Moyſe, & aliis ſanctis priſcæ legis in ejus genealogia recenſitis, cum velut Deipara debuerit eſſe cælum, quod debebat portare hunc nobiliſſimum planetam ſolis æterni, ſed etiam ob eandem rationem debebat eſſe ejuſdem naturæ, cum illo ſole, quia hic ex eadem materia hujus cæli animati debebat formari. Tract. de laud. Virg. *Una eſt Maria & Chriſti caro*, inquit Arnoldus Carnotenſis.

Itaque ſicut humanitas Chriſti per unionem hypoſtaticam, cum natura divina erat ſuo modo deificata, ſic cùm ſanctiſſima Virgo per talem ſingularem unionem maternitatis cum Chriſto, & Deo, eſſet vere mater Dei, eumque vere perperiris, ideoque vocetur Deipara, debemus dicere quod certo modo quoad eſſe naturale fuerit deificata, & quaſi cum natura divina identificata. Hinc S. P. Bernardinus de Virgine: *Quod femina pareret Deum fuit miraculum miraculorum; oportuit enim, ut ita dicam, feminam elevari ad quandam æqualitatem divinam.* Ser. 16. de B. Virg. a. 5. c. 12.

O Virgo benedicta, & nonne hæc eſt prærogativa nobiliſſima, & infinitè excedens conditionem maximorum Sanctorum cæli, quod noſtra humana natura ſit quaſi deificata, & cum Deo identificata? Dicat ergo Joannes Evang. quod apparueris in cælo amicta ſole, & non ſtellis, quia ſicut ſol ſuperat ſtellas, & Chriſtus ſuperat alios Sanctos, ſic tu velut cælum, cui fuit affixus hic nobiliſſimus planeta Chriſtus, debebas eſſe nobilior, & dignior omnibus Sanctis tam præteritis, quam futuris, quia debebas eſſe ejuſdem naturæ cum cælo ſolis. *Mulier amicta &c.* deificata, identificata cum Deo, abſorpta, & divinitati Chriſti innixa; ſed addamus quod etiam in ſtatu gratiæ fuerit Deo identificata.

VI. Deſiderans in ſacris Canticis ſponſa illa cæleſtis ſcire, ubi in meridie cubaret ejus dilectus, & cognoſcens à nullo ſe poſſe circa hoc informari, ipſum interrogare reſolvit his verbis. Scriptura. Cap. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcat, ubi cubet in meridie?* Unice dilecte animæ meæ, quæſo te, ſignifica mihi, ubi moreris circa prandium? Sponſus, ut ejus deſiderio ſatisfaceret, inquit: *Si ignoras te ô pulcherrima mulierum egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum.* Quod per hanc ſponſam intelligatur virgo Deum alloquens, diſertè aſſerit Rupertus Abbas, & alii, ſed circa interrogationes hujus ſponſæ Mariæ, & ſpecialiter circa particulam in meridie, non eſt una mens Doctorum. Et omiſſis plurium dictis aſſentior Ambroſio conſenti per meridiem intelligi plenitudinem gratiæ. *Chriſtus non manet, niſi ubi juſtitiæ meridies fulget*; ac ſi dicere voluiſſet virgo: ô dilecte animæ meæ tu, qui es plenitudo gratiarum, edic parumper, ubi quieſcas in meridie? Cui communicaſti plenitudinem tuæ gratiæ? Quia id anxiè ſcire cupio: *Indica &c.* Verum ſi hæc verba ita intelligantur, cur reſpondet ſponſus: *Si ignoras te?* Meo ſenſu dicere debuiſſet, *ſi ignoras me*, quia ſponſa non deſiderabat cognoſcere ſe, ſed ſuum ſponſum, *Indica* In exhort. ad virgin.

mihi

mihi &c. Cur ergo ſponſus reſponder, *ſi ignoras te*, & non ſi ignoras me? Divinè Rupertus: *O pulcherrima mulierum, cujus pulchritudo ipſe benedictus fructus ventris tui eſt talis, ac tanta cauſa tua eſt, ut ſi te ipſam non ignores, ſtatim ſcias illud quod quæris* O ſanctiſſima mea mater, tanta eſt tua conjunctio, & vicinitas mecum, quoad plenitudinem gratiæ, ut ad cognoſcendam plenitudinem gratiæ meæ, nil aliud factu opus ſit, quam cognoſcere teipſam; Ex plenitudine enim gratiæ tuæ, perfectè cognoſces plenitudinem gratiæ meæ, quam tibi ſoli communicavi, quia tu tam plena es ſicut ego, & tu es illa in qua habito in meridie cum totali claritate, & plenitudine gratiæ meæ, cum in eſſe ipſius gratiæ ſis quaſi mecum identificata, *Talis ac tanta &c.*

Theologia. VII. Patres Theologi vos quæritis, an Deus poſſit producere creaturam tam excellentem, & nobilem, ut ei gratia ſit conaturalis, ita ut neceſſario per quandam emanationem ab illa profluat, ſicut profluit calor ab igne, & radius à ſole, qui naturaliter non poteſt non manare, ita ut nulla creatura hoc poſſit impedire.

Præceptor Angelicus tenet ſententiam negativam: quia quælibet creatura producta neceſſario manet intra limites naturæ; Atqui ſi gratia ei eſſet connaturalis, tunc tranſiliret limites naturæ, nec eſſet proportio inter cauſam & effectum, quia cauſa puta natura, eſt conditionis naturalis, effectus autem puta gratia eſt ſupernaturalis, quæ non poteſt dependere à principio naturali, & quia Deus in productione creaturarum non excedit terminos ipſius naturæ, ideo non poteſt producere creaturam, cui gratia ſit connaturalis, quia illa eſſet Deus.

Alii nihilominus docuerunt partem affirmativam; Nam ſicut Deus poteſt creare unam rem, quæ ſit perfectior altera, & adhuc aliam quæ ſit perfectior iſta, & ſic in infinitum (cum juxta Hugonem potentia Dei non ſit limitata, *Sicut æternitatem Dei non æquat tempus: nec immenſitatem locus, ſic nec ſapientiam ſenſus, nec bonitatem virtus, nec potentiam opus,* ita ut poſſit fabricare alium mundum, qui noſtro infinitè ſit perfectior) eodem modo poterit creare creaturam adeo perfectam in gratia, ut illa ſit ei futura connaturalis. Nec hæc eſſet Deus, ſiquidem hanc gratiam haberet dependenter à Deo, adeoque non eſſet Deus.

Hugo Victor. in l. 1. de ſacram. P. 2. c. 22.

VIII Nunc ad Virginem: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie?* Application. Virgo ſanctiſſima in eſſe gratiæ fuit creatura nobiliſſima ſuper omnes alias, in tantum, ut juxta plures à ſua nativitate, imo ab inſtanti ſuæ puriſſimæ conceptionis ſuperarit in gratia non ſolum omnes homines, ſed & angelos collectivè ſumptos. Hinc ſanctus Vincentius: *Creditur, quod eadem die & hora, qua ſcilicet concepta fuit, ſanctificata fuit ſuper omnes ſanctos, & ſanctas, etiam Angelos*, & hoc ut juxta Cajetanum eſſet ſimillima ſuo filio. *Maria debet credi per omnia ſimilis filio ſuo quantum fas eſt.*

Si ergo quoad gratiam debebat eſſe ſimillima filio, ad quos terminos dicemus pertigiſſe gratiam Mariæ? O Virgo benedicta, dicamus ſine ſcrupulo, eam tibi fuiſſe connaturalem, & emanaſſe à te per naturalem emanationem. Hinc de te dicitur. *Vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio claritatis omnipotentiæ Dei ſincera*, ita ut non potuerit non emanare, & tu non poſſes operari niſi gratioſè, & dici poſſet quod fueris per omnia ſimillima tuo diviniſſimo filio. *Sapient. 7.* Nec propter hæc debet dici ſimpliciter, quod fueris Deus, hic enim gratiam habet ex ſe, tu autem à Deo; poſſumus tamen vere dicere, quod fueris quaſi Deus, & in gratia Deo viciniſſima, & quaſi identificata cum ipſo Deo.

Quodſi timeamus abſolute dicere gratiam fuiſſe connaturalem MARIÆ ab intrinſeco, dicamus tamen, quod fuerit ei connaturalis, quoad modum operandi, quia ejus gratia nunquam ceſſavit ab operationibus, ita ut etiam dormiendo gratioſè operata ſit juxta Sanctum Bernardinum in illa verba, *Ego dormio & cor meum vigilat.* Itaque ad minus habuit gratiam quaſi connaturalem, ſicut Deus. Fuit etiam ipſi connaturalis, quia in ipſo puncto conceptionis, & infuſionis animæ in corpus gratia fuit animæ infuſa, ita ut nec puncto temporis illa anima ſanctiſſima fuerit ſine gratia, & hoc modo poteſt dici, quod gratia ei fuerit connaturalis. Quid ergo miri Virgo ſanctiſſima, quod tibi interroganti, ubi filius tuus cubet in meridie per plenitudinem ſuæ gratiæ, ipſemet tibi reſpondeat: *Si ignoras te ô pulcherrima mulierum, &c.* Voluit quippe ſignificare, quod in te ſola quievit, & quod in eſſe gratiæ

niæ ei fuerit adeo similis, & vicina, ut potuerit dici, eam tibi fuisse suo modo connaturalem, & te fuisse quasi alterum Deum, identificatam cum ipso in statu gratiæ : *Talis ac tanta &c.* Prærogativa eminentissima nostræ Dominæ.

Scriptura. Cap. 2. IX. Benedictus Deus fabricatat paradisum terrestrem, locum delitiatum pro homine, eumque ornatat arboribus maximè delitiosis, & gratis oculo & gustui, & ne aliquid omnino deesset, produxit in illo aquam, quæ irrigabat abundanter ipsum paradisum, & postea ex illo manans divisa est in quatuor partes : *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.* Porro hic fluvius fuit ipse fons de quo ibidem Spiritus. *Sed fons ascendebat de terra irrigans universam superficiem terræ.*

Rupertus Abbas per hunc fontem, vel flumen intelligit gratiam Mariæ, quæ erat terrestris quidam paradisus, plenus delitiarum, in quo debebat habitare secundus Adam Christus. Hoc posito, quomodo potest dici, quod gratia Mariæ fuerit fons, qui debuit irrigare totam terram? Sola gratia Christi hoc fecit, & debuit

Psal. 35. vocari fons, ut Dicit David: *Quoniam apud te est fons vitæ.* Potius debebat vocari rivus, canalis, & non fons, vel flumen, sic enim videretur Mariam esse auctorem gratiæ, quod non debet dici. Quomodo ergo solvemus hoc dubium?

Divinè Rupertus, verum est, quod ex paradiso Mariæ scaturierit fons gratiæ, verbum scilicet æternum quod exiit ex corde patris, verum insuper est, quod in Mariam debuerit intrare hic totus fons gratiæ, & ex illa exire ad communicandum se toti Ecclesiæ, ut significaret quod fuerit Deo vicina, & in esse gratiæ quasi ei identificata, cum esset fons gratiæ, vel quia ex illa scaturiit fons gratiæ, sicut scaturiit è sinu patris; Nec aliter quoad hoc differebat Maria à patre, nisi quod hic fons non solum scaturierit è sinu patris, sed & in illo habuerit suum principium, è Maria autem scaturit quidem, non tamen habuit in ea principium, quamvis esset idem fons cum tota plenitudine gratiæ, qui scaturiit è sinu Patris. Divinè Rupertus : *Ex te ô terra benedicta fons ille ascendit, qui apud Deum erat, non quidem principium habens ex te, sed de corde patris per occultas vias cum omnibus aquis viventibus veniens in te, ad excolendam & instruendam Ecclesiam per universum orbem terræ.* In Maria quidem reperiebatur tota plenitudo gratiæ, sicut in Deo, sed in Deo habuit suum ortum, & exinde manavit in Mariam, hinc fuit quasi deificata, & cum Deo idendificata in esse gratiæ.

X. Patres Theologi, vos communiter docetis tres species gratiæ, penes connotata tamen tantum differentes, in Christo dari gratiam scilicet unionis, gratiam personalem, & gratiam capitis. Vocatur gratia personalis, quatenus sanctificat ipsum Christum, hæc eadem vocatur unionis, prout facit congruitatem quandam ad unionem, eadem vocatur gratia capitis, quatenus est ordinata ad omnes alios justificandos. Hic peto an gratia capitis possit alicui communicari, qui non sit Deus? Theologia.

Doctor Angelicus dicit caput posse dupliciter spectari, primò quoad gubernationem exteriorem, secundò quoad influxum gratiæ divinæ. Quoad primum, nullum est dubium, quin hæc superioritas in Ecclesia alteri possit communicari, sic enim summus Pontifex est caput Ecclesiæ vices gerens Christi; verum quoad influentiam divinæ gratiæ, & superioritatem internam, non potest communicari alteri. 3. part. q. 8. a. 6.

Sed dicite quæso, in quo consistit gratia capitalis Christi? Vos dicitis eam eatenus dici capitalem, quatenus Christus caput, & auctor ejus, eam diffundit in membra Ecclesiæ, hic autem influxus non potest alteri convenire quam Christo; hic siquidem solus potest justificare peccatores, iisque mereri gratiam de condigno. Et quia persona, quæ influit hanc gratiam debet habere quandam prærogativam & eminentiam, quam non habent alii, & quia nemo illam habet, nec habere potest, nisi humanitas Christi ob unionem hypostaticam, ideo in solo Christo reperitur hæc gratia capitis, quæ in re idem est cum gratia personali seu sanctificante.

XI. Nunc dicamus in laudem Mariæ : *Fons autem &c.* Non est dubium Auditores, quin gratia Virginis Mariæ personalis ab instanti suæ purissimæ conceptionis superarit gratias omnium aliorum, ut diximus cum S. Vincentio. Ita etiam ut dicat S. P. Hieronymus: *In Mariam totius gratia, quæ in Christo est, plenitudo venit, quanquam aliter :* Christus enim habuit gratiam à se, Maria à Christo, atqui gratia personalis in Christo reipsa non distinguitur à gratia capitis, ergo cum gratia Christi sit in Maria, in ea quoque erit gratia capitis. Addite quod Applicatio.

Maria

Maria à morte Christi usque ad adventum Spiritus S. gubernatit Ecclesiam, & quod ab ipsa dependerint Apostoli tanquã à divino oraculo.

Si dicatis quod habuerit gratiam quidem capitis materialiter, sed non formaliter, h. e. capitis ut capitis, ego reverenter loquendo dico, quod eam etiam habuerit formaliter, & ut capitis, non quidem respectu Christi, ac si fuisset ipso superior eique infudisset gratiam, sed respectu aliorum fidelium tam militantis Ecclesiæ, quam triumphantis.

Nunc audite: dicunt PP. Theologi Christum habuisse gratiam capitis ut capitis, quia ille solus potuit eam mereri reliquis de condigno, atqui nulli, ne quidem Angelis voluit dare gratiam nisi per Mariam, ergo in ipsa reperitur quoque gratia capitis ut capitis non respectu Christi, sed respectu omnium fidelium, sive hominum sive Angelorum. Hinc Ansel. *Per te ô Virgo elementa renovantur homines salvantur, Angeli redintegrantur.* In Christo reperitur efficienter & per se primo; in Maria per impetrationem, & per se secundo. Hinc dicebat S. Bern. Mariam in corpore mystico esse collum, mediante quo caput, puta Christus, diffundit gratiam suam in alia membra. Collum itaque esto respectu capitis non sit caput, est tamen caput eminenter respectu membrorum se inferiorum, quæ ab ea recipiunt influxum per caput.

Anſal. in l. de orat.

Sed melius: Si creatura possit redimere genus humanum, nonne diceremus quod ei competeret gratia capitis qua capitis? Quinimo: Atqui Maria simul cum Christo fuit Redemptrix generis humani & Angelorum, per gratiam specialem sibi à filio suo concessam, & *de condigno* meruit gratiam toti mundo, ut dicit Ansel. *Omnem sanctitatem omnis creatura transcendens Maria, incomparabili puritate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis dignissimè fieret.* Ergo in Maria fuit gratia capitis quâ capitis, dependenter tamen à Christo. ergo debemus dicere, quod in statu gratiæ fuerit proxima Deo, & quasi deificata, & cum ipso identificata.

O Virgo sanctissima, quam fuisti pulchra, quam perfecta, quam similis tuo dulcissimo filio, quasi deificata cum ipso in statu naturæ, & gratiæ. Sed si gratia à Deo concedatur personis juxta finem ad quem eliguntur, necessariò debet correspondere gloria gratiæ, cum tu Virgo sanctissima electa sis ad finem altissimum ma-

ternitatis Dei, ob quem comparuisti quasi alter Deus, & cum idcò habueris gratiam adeò incomparabilem, ut fueris quasi deificata, similis etiam fuisti Deo in gloria & quasi ipsi identificata hoc die tuæ glorioſissimæ Assumptionis.

XII. Nec permittit me mentiri Spiritus S. Loquens Divina Sapientia de seipsa, dicit quod exaltaverit suũ caput in monte Libani ad eandem altitudinem, quo illud exaltat cedrus in eodem monte. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano* S. Antoninus Florentinor. Archiep. accomodans se sensui communi Ecclesiæ, hæc verba applicat Virgini; ac si ipsa de se loqueretur, & addit; per Libanum intelligitur paradisus, quia Libanus in lingua nostra, idem est quod *Candidatio*, quæ propria est illius glorioſi regni, in quo nil videtur, nisi candor per puritatem conscientiæ, & cujus incolæ juxta Joannem *Amicti sunt stolis albis.* Per cedrum significatur Deus, qui in illo beato regno superat omnes alios Sanctos, & spiritus beatos. Verum, si Virgo sanctissima sit in hoc glorioso Libano & loquatur de se, ac de gloria qua fruitur in cælo, cur non dicit absolutè, quod exaltaverit suum caput *ut cedrus*, sed *quasi cedrus*? Perbellè sanctissimus Archiepiscopus. *In isto ergo Libano gloria exaltata est B. Virgo, non ut cedrus, quæ est Christus, sed quasi cedrus, quia super omnes Angelos & Sanctos est elevata.* Fuit exaltata inquit S. Antonius B. Virgo in Libano, in monte gloriæ quasi cedrus, non quod esset verè cedrus, hoc est Dea per naturam, sicut vidimus, sed ac si esset Dea; Unde sicut Deus suam gloriam exaltavit supra omnes spiritus beatos, sic Virginis gloria est super omnes creaturas, ita ut solus Deus sit supra ipsam. *Quia super omnes &c.*

Scriptura. *Eccleſ. 24*

Apoc. 7.

S. Anton. n. 4. p. 1. 15 c. 24.

Verum (NN.) ulterius in veritate dicamus, Mariam quo ad gloriam non esse inferiorem Christo, sed æqualem. Hinc S. Athanasius in illa verba: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Ea nunc ut Regina assistens à dextris filii ubique regnantis, quasi in vestitu deaurato incorruptionis, & immortalitatis, circumamicta sacris & solemnibus verbis celebratur.* Si ex paritate throni colligatur paritas dignitatis, & gloriæ, cum thronus Mariæ in cælo sit æqualis throno Christi, imò ad dextram ejus, cur non dicemus, quod fuerit vicinior Deo, imò in statu gloriæ cum eo quasi identificata.

Pſal. 44.

Leges.

XIII. Adhuc gravissima agitatur difficultas inter Philosophos & Juristas, an honor & dignitas descendat solum a parentibus in filios, vel an non etiam vice versâ à prolibus ascendat in parentes?

Meliores Juristæ docent nobilitatem à prolibus nunquam derivari in parentes, sed solum ab his in proles. *Hinc lege prima de Senatoribus* sic dicitur. *Consulares fœminas dicimus consularium uxores. Adjicit Saturninus etiam matres, quod nec usquam relatum est, neque unquam receptum.* Ex quo videmus ab Ulpiano rejici opinionem Saturnini antiquioris Juristæ.

Quinimo si admitteretur nobilitatem derivari à prolibus in patres, tamen id non deberet dici respectu matrum; nam respectu patris id permitteret potestas, quæ ipsi soli competit in filium. Hinc jus civile: *Patria potestas quis patribus, aliisque parentibus per lineam rectam ascendentibus datur.*

L. 8. Ethic. c. 11. Hoc non obstante Aristoteles docet partem affirmativam; nam aliàs sequeretur, quod pater qui naturaliter habet imperium in filium, esset minus honoratus filio, & filius qui excresceret in nobilitate, esset superior patre; Atqui hoc non potest verè dici, quia hoc non obstante pater retinet imperium in filium, ergo dignitas filii poterit nobilitare patrem. Adde, si filius verè sit pars patris, imò idem cum ipso, ne sit inæqualitas, & diversitas ejusdem ad seipsum, debemus dicere, quod nobilitas transeat à patre ad proles & econtra idem juxta Philosophum debet dici de matre.

Applicatio. XIV. Hoc admisso, cur non dicemus, quod dignitas, gloria, nobilitas Christi redundavit in Virginem sanctissimam ejus matrem? Cum filius sit idem cum matre, hoc non potest negari. Hinc Guerricus Abbas loquens in persona Christi: *Serm. 2. de Assumpt.* *Communicasti mihi, quod homo sum, communicabo tibi quod Deus sum.* Si ergo filius Dei excedit in gloria, gratiâ omnes creaturas, cur idem non dicemus de Deipara? Sic infert meus Seraphicus S. P. Bonaventura in illud Proverbiorum: *Cap. 31. in speculo.* *Multæ filiæ congregaverunt sibi divitias, tu supergressa es universas.* Quæ sic adstuporem Virgini applicat: *Supergressa est Maria cunctas filias in natura, in gratia & in gloria universas animas, & universas intelligentias Angelicas,* ita ut verè possit dici, Mariam esse deificatam in natura, gratia & gloria.

Hinc videmus, quod in Libano paradisi sit exaltata, quasi ad altitudinem cedri Dei. *Quasi cedrus &c.* Imò cernimus quod æqualis in gloria, in filio, velut regina posuerit solium suum ad dextram ipsius filii. *Astitit Regina &c. Ea nunc ut regina &c.*

Scriptura. XV. Loquens regius Psaltes juxta S. P. Amadeum de gloria Matiæ dicit, quod æternus pater hoc glorioſissimo die pretioſissima corona eam redimiverit. *Psal. 20.* *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Scire percuperem qualis sit hæc corona? Respondet Sanctus Amadæus: *Hom. 6. de laud. Virg.* *Corona Virginis Christus est.* Sed quomodo Christus possit esse corona Virginis, si juxta Synesiũ verbum sit corona Dei Patris? *Hymno 1.* *Superstantialis verò sons coronatur pulchritudine prolis.*

Dicetis forsan, quod sit corona patris, & etiam matris, quia *Filius sapiens corona est matris suæ.* Non acquiesco, quia Isaias in persona patris dicit: *Isaiæ 42.* *Gloriam meam alteri non dabo,* quæ sic explanat Procopius: *Gloriam meam, hoc est, Filium meum alteri non dabo.* Si hoc ita sit, quomodo Virgo sit coronata hodie festo pretioſissimo, nempè suo filio: *Posuisti in capite &c. Corona Virginis Christus est?*

Richardus à Sancto Laurentio divinè. Pater æternus negans se concessurum hanc coronam, hoc est, gloriam suã aliis, voluit excludere Mariam. Cum enim hæc fuerit vicinissima, & quasi in natura, & gratia Deo identificata, ideò sic etiam illi debuit identificari in gloria, & ideò Christus eam voluit sibi esse æqualem in gloria, & eadem corona coronari, qua Christus. Divine Richardus. *L. 4. de laud. Virg.* *Gloriam meam alteri non dabo quam Mariæ, quia soli Mariæ hoc privilegium debebatur.* Violetur omnis lex cum Maria, & meâ coronâ coronetur, ut etiã sit mecum identificata in gloria. *Posuisti &c.* Gloriam meã &c.

Historiæ. XVI. Reges antiqui diversas coronas habere solebant, in usque erat insculptum regnum, cui debebant imperare, unde si quis creabatur v. g. Rex Asiæ, coronabatur corona, cui insculpta erant hæc verba, *Corona Asiæ,* ad significandum regnum coarctari finibus Asiæ. Hinc Typhon, dum insidiosè occidisset Antiochum, teste sacro textu, *Imposuit sibi diadema Asiæ.*

Hic ritus etiam observatur in coronatione Imperatorum, quibus quia sunt reges Germaniæ, Italiæ, Occidentis, imponuntur tres coronæ. Prima scilicet argentea, secunda ferrea, ter- 1. Mach. 13.

tia

tia aurea. Idcirco Carolus Magnus Rex Galliæ, devictâ Germania Aquiſgrani ab Archiepiſcopo Colonienſi accepit coronam argenteam, ut ſignificaretur eum eſſe Regem Germaniæ Idem velut Rex Italiæ Mediolani coronatus eſt corona ferrea, quibus coronabantur Reges Longobardorum, & poſtea omnes Reges Italiæ. Tandem ut Imperator Occidentis, Anno noſtræ ſalutis octingenteſimo primo Romæ in die nativitatis à Leone tertiò corona aurea, & tunc tantum fuit vocatus Imperator & Auguſtus. Ex corona igitur colligebant poteſtatem, & Imperium Regum.

Theologia. XVII. Nunc ad Virginem. *Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo.* Auditores, Sanctiſſima Virgo eſt regina coronata diademate expreſſivo ejus imperii, authoritatis, & gloriæ. Quodſi aveatis ſcire, cujus regionis ſit regina, & quoſque ſe extendat ejus imperium, reſpicite titulum inſculptum ejus coronæ, materiâ coronæ, & eum qui illam ei imponit. *Magnificentia tua in diademate capitis illius ſculpta erat* *Sap. 18.*

Sed qualis eſt corona Virginis qua coronata reſidet in cælo? Nulla alia, quam dulciſſimus ejus filius, qui etiam eſt corona æterni patris. *Super ſubſtantialis verò fons coronatur pulchritudine prolis.* Huic coronæ inſculptus eſt hic titulus: *Rex Regum & dominus dominantium*, & hac coronatur Maria, *Corona Virginis Chriſtus eſt*, adeoque imperium, dominium, gloria Matiæ ſuperat omnes creaturas, imò æqualis eſt gloriæ æterni patris, & cum ipſo Deo identificata. Hinc Arnoldus Carnotenſis: *Filu gloriam cum matre non tam communem dico, quam eandem.* *Tract. de laud. Virg.*

Et quamvis Pater nolit permittere, quod alius coronetur illa corona, eique ſit æqualis in gloria, *Gloriam meam &c.* Tamen ab illa lege voluit excludi Matiam, quia illam ſibi in gloria identificarit. *Gloriam meam &c.*

Epilogus. XVIII. O Virgo ſanctiſſima, quam es eximia, quam eminens, quantum tua eminentia tranſcendit omnium creaturarum eminentiam! Cum enim ſis tam vicina Deo, ſapientiores obfuſcantur, & niſi fides obſtarer, te haberent pro Dea, & altero Deo, ita ut ſola fides (nullus autem ſenſus, vel intellectus purus) poſſit cognoſcere quod non ſis Deus.

Sileant ergo facundiores linguæ eloquentium Oratorum. Claudant ora altiores, & ſapientiores Cherubin; Quia quantumvis illi flumina exhautirent ſuâ facundiâ, & hi fundum viderent vaſtiſſimorum matium ſuâ ſapientiâ, adhuc tamen non explicaſſent minimam partículam tuæ eminentiæ. Et poſtquam peroraverint integris ſæculis, & ut ita dicam, æternitatibus, tamen cogentur cohibere linguam, & eam reprehendere ut audacem, ob tentatum opus tam arduum infinitè ſuperius eorum humeris.

Quid ergo miri, quod ego indoctus, infacundus & privatus omni ſapientia attigerim finem mei diſcurſus, nec tamen minimum eminentiæ tuæ attigerim?

Potero quidem dicere, quod compatueris in cælo amicta ſole, quaſi abſorpta & penetrata à divinitate tui filii, & quod debueris eſſe ejuſdem conditionis cum illo, quaſi deificata, eique identificata in eſſe naturæ, cum ipſe fuerit cælum, in quo hic planeta ſolis nobiliſſimus affixus fuit.

Potero addere, quod Deus per immenſitatem ſuæ gratiæ recubuerit in te ſub meridiem, & quod gratia Divina operata fuerit in te quaſi naturaliter, tanquam illa, quæ ab anima tua *per quandam emanationem* profluebat ſicut radius à ſole, ita ut nulla creatura poſſet impedire, quin ita gratioſè operareris.

Quodſi ulterius dixero, in te repertum fuiſſe ipſum fontem gratiæ, & hanc in te fuiſſe tanquam capitalem Eccleſiæ triumphantis & militantis, quatenus reparatrice mundi amiſſi, & quod fueris ideò quaſi deificata, & identificata cum Deo quoad eſſe gratiæ.

Quodſi ſequens tuum volatum è terra in cælum uſq; ad ſolium tuæ gloriæ dixero, quod ſis exaltata ſicut cedrus, tuus ſanctiſſimus filius ſupra omnes Angelicos ſpiritus, imò quod quatenus Mater Dei, & regina cæli habeas tuum ſolium ad dextram filii, cum gloria & honor Filii debeat redundari in matrem.

Quodſi hic oculos fixero, & attentius conſpexero tuum caput eſſe ſertatum, & quidem ex ſpeciali privilegio corona æterni patris, ideoque te eſſe Imperatricem & Reginam cæli & terræ, ac in gloria æqualem cum ipſo Deo, adeoque deificatam, & identificatam hoc modo cum Deo, ſi hæc omnia inquam dixero, erunt minus quam gutta aquæ reſpectu totius Oceani, & minus quam granum arenæ reſpectu immenſitatis Divinæ.

Excedunt Virgo ſanctiſſima tuæ laudes vires noſtrarum linguarum, quia tuæ excellentiæ ſuperant in infinitum capacitatem noſtri intellectus. Ego qui inſufficientiſſimum me agnoſco ad hoc munus, arguo meam temeritatem & audaciam, quod aggreſſus ſim opus, cujus finem attingere non potui. Verum ſanctiſſima Virgo ignoſcas reverenti affectui, & debitæ obſervantiæ; nam affulſit aliqua ſpes, & quædam calcaria mihi addita ſunt ad rem aggrediendam. Accipe quæſo Domina hoc minutum talentum, cum & ipſi auguſtiſſimi minima acceptent, & quamvis ego hoc diſcurſu parum ſatisfecerim, tamen hoc affectu meo cum toto auditorio ſolvo, & offero, dedico, conſecro tuæ devotioni, rogans inſtilles ex cælo animabus noſtris unicam guttulam tuæ gratiæ, ut cum non poſſimus eſſe capaces illius plenitudinis, ad minus aliqualiter fiamus participes in cælo tuæ eminentiſſimæ gloriæ. Amen.

ELOGIUM XXVI.

Pro Feſto S. Bartholomæi Apoſtoli.

Qui fecit ventis pondus, & appendit aquas in menſura. Job. 28.

Aſtrologia.

I. DE variabili conſtellatione libræ, quæ eſt domus diurna minoris fortunæ, puta Veneris, & de exaltatione mortiferi, & infauſti Saturni affirmat commmunis Aſtrologorum, quod in quocunque cardine, & angulo cæli repertiatur, ſemper promittat bonam fortunam, ſed tamen ſecum trahat reliquos ſiniſtros eventus.

Pont. de reb. caliſt. l. 5.

Hinc docent edocti in cognitione rerum cæleſtium, quodſi contingat aliquam perſonam naſci, & ex tenebris uteri materni prodire in lucem, & habuerit in angulo aſcendente conſtellationem libræ, talem dotandam fore particulari juſtitia & æquitate, ſingulari modeſtia & honeſtate, & zelo cultus divini; ad officium promovebitur ut curam gerat victualium, & merces ponderet. Imò litibus, & rixis obnoxius erit. Vita illius erit alterabilis, & mutabilis, quia de gaudiis ad triſtitias tranſibit, & in majoribus adverſitatibus conſolationes maximas experietur. Sed in omnibus adverſitatibus habebit robur & conſtantiam animi valdè generoſi. Hinc pulchrè cecinit Uranias:

—— Igitur libra fulgente per ortum
In lucem quicunque venit, non ille Deorum
Contemptor, non recta animi ſententia mentem
Deſerit, at clarùs exurgens gloria factis
Sed vita tenor inconſtans, morbuſque, laborque
Turbabunt, & multa novis diſcrimina rebus,
Nunc lites, atque immeritis diſcrimina cauſis
Nunc adverſa fori vexabunt arma, ſed ipſe
Invictus feret, ac multo ſe robore firmat.

Eandem varietatem fortunæ habebit ille, qui in ſuo ortu habebit libram in angulo ſupremo, in occidentali, vel illo medio infimi cæli. Hic erit obnoxius exaltationibus, & humiliationibus. Nunc erit in vertice honorum, paulò poſt in imò tribulationum. *Ab imò ad ſupremum, à ſupremo ad imum locum, è lætis ad triſtia, à triſtibus ad lætà tranſferetur,* ſemper tamen immotus & inconcuſſus. *Pontan.* Quodſi hujus velitis ſcire cauſam, Aſtrologi reſpondebunt id provenire à conditione ſigni, quod ex ſe eſt variabile

bile. Præterea docent, quòd proſperi illi eventus ei promiſſi veniant à favore Veneris, quia hic beneficus planeta eſt Dominus ejuſdem ſigni, adverſa verò & infelicia provenient à malignitate Saturni, qui ſuas exaltationes habet in libra.

Applicatio.

II. Neſcio an poſſim reperire in cælo conſtellationem aliquam, quæ meliùs, exactiùs, & magis ad vivum mihi repræſentare queat eventus, quos probavit ſanctus Bartholomæus, quàm conſtellatio libræ, ita ut ego judicem jure merito aſſerendum eſſe, quòd in nativitate, in infantiâ, ætate adultâ, ſenectute, morte illam ſecum habuerit.

Naſcitur Bartholomæus non in Syria, nec filius Regis Ptolomæi, prout nonnulli voluerunt, ſed in Judæa pauper piſcator, & filius Ptolomæi, uti obſervat Baronius in annotationibus Martyrologii. Et en quomodo in eadem nativitate videatur comparere conſtellatio libræ, ut ejus nomen demonſtrat, quia vocatur Bartholomæus, hoc eſt, *Filius ſuſpendentis aquas.*

Et quis eſt ille, qui appendit, & librat aquas, niſi Deus, uti affirmat Job, dum loquens de Deo, dicit, quòd ad lancem & libram menſuret ventos & aquas: *Qui fecit pondus, &c.* Habuit ergo Bartholomæus in aſcendente conſtellationem libræ, prout manifeſtarunt omnes eventus, qui in ejus vita ſucceſſerunt.

Libra promittit juſtitiam, æquitatem, modeſtiam, honeſtatem morum, religionem & pietatem in cultu divino. Et quis dicet, quòd Bartholomæus non fuerit juſtus, modeſtus, religioſus, & pius, qui relictâ domo paternâ, ex toto animo ſe dedit ſequelæ Chriſti? Quis non judicabit Bartholomæum fortunatum & felicem, & à conſtellatione libræ ſortum, quando viderit, quòd è vili ſua ſorte evectus ſit ad dignitatem Apoſtolicam, dum videbit nunc eum exagitatum à Judæis. *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur,* nunc ſubjectum triſtitiis & afflictionibus, & poſtea ſublevatum ad conſolationes divinas; *Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes?* Quis non fatebitur, quòd poſitus ſit ſub libra juſtitiæ? quando videbit eum conſtitutum diſpenſatorem victus ſpiritualis animæ, & eloquentia cæleſti, populis, ſingulariter Indis prædicantem Verbum Dei, & clarè demonſtrantem iis errores, quibus detinebantur ab Idolo Aſtaroth, & ab eo converſum Regem Polymium cum uxore, filiis, ac aliis Indis? Quis non dicet, quòd in eo prædominata ſit libra æquitatis, & innocentiæ, ſanctitatis, & perfectionis Chriſtianæ, dum cernit eum adeò honoratum à Rege Polymio, qui tot camelos auro, gemmis ac aliis pretioſis onuſtos ei obtulit, quia ejus filiam à dæmone liberârat, & poſteà ab Aſtyage fratre Polymii ita crudeliter decorticatum, & tot perſecutionibus, ac afflictionibus à ſacerdotibus falſis, à dæmonibus, imò ab ipſo Aſtyage agitatum, & nihilo ſeciùs ſemper conſtantem, & magis radicatum in bonis propoſitis ſequendi Chriſtum, & tandem dum ejus ſepulchrum adeo viderit honoratum ab ipſo Polymio, & aliis Chriſtianis?

Sed quid miri hoc ſit glorioſiſſime Bartholomæe, quòd fueris ſubjectus tot viciſſitudinibus gaudiorum & triſtitiarum, proſperitatum, & adverſitatum, honorum, & vilipendiorum, divitiarum & paupertatum, ita honoratum & exaltatum, contemptum & dejectum? Nullus miretur, quia fuiſti *Bartholomæus: filius ſuſpendentis aquas.* Semper tecum habuiſti libram æquitatis, & innocentiæ, & ſanctitatis & perfectionis. Libra, quam ſemper incoluit & fovit beneficus planeta Spiritus Sanctus, à quo dependent gratiæ, favores, conſolationes, & honores, ſed & libra, in qua habet ſuam exaltationem, & vim dæmon, & homines perverſi, à quibus dependent adverſitates, triſtitiæ, humiliationes, vilipendia, & alii ſiniſtri eventus, cùm ſit veriſſimum, quòd ille, qui habitat ſub libra innocentiæ, virtutum, & perfectionis, majoribus perſecutionibus ſit exagitandus, crudeliùs tractandus, prout clarè in tuo atrociſſimo ac inuſitatiſſimo martyrio videre eſt. Hoc erit materia mei diſcurſus.

ASSUMPTUM.

S. Bartholomæus Apoſtolus quò fuit ſanctior & innocentior, eò fuit crudeliùs habitus.

Joan. 15.

III. PErfidus Abſolon filius, quò pejorem Scriptura. nulla produxit humana generatio, hic inquam inſidias ſtruxerat patri, ut eum ſolio excuteret. Proprii parentis lectum contaminarat audaciter, coram toto populo concubinas illius

induceus. Et demum Achitophel, à quo in omnibus dependebat Abſolon, duodecim millibus militum ſelectorum ſanctum Regem David obruere nocte quadam tentavit, ut eum occideret, & filio patricidæ traderet. *Dixit ergo Achitophel ad Abſolon: Eligam mihi duodecim millia virorum, & conſurgens perſequar David hac nocte.* O impie, ô ſacrilege Conſiliarie! quàm perfido te accingis operi? An tibi non ſufficit, quòd Abſolon poſuerit reſpectum & reverentiam debitam Majeſtati paternæ, & quòd præſumpſerit majores & minores regni ſubjectioni Regis ſubtrahere, & vivente adhuc Patre Rege, juſſiſſe proclamari: *Vivat Abſolon.* 2. Reg. 16.

An non ſufficit, quòd ei conſilium dederis, ut contaminaret lectum Patris, & in hujus majorem deſpectum, *Coram univerſo Iſraël*, prout ſacrilegus etiam temerariè fecit? Quomodo ergo adhuc promittis tuas ſuppetias, & vis miſerum aggredi Regem tempore nocturno, quo ſe ſecurum putabat, & quo forſan incumbebat orationi, & hoc cum duodecim millibus militum ſelectorum, quos, cùm eſſent ſubditi Regi, feciſti rebellare, ut adhærerent filio infami, & patricidæ? *Eligam mihi, &c.* O perfide, annon erubeſcis, quòd tu patres & alios inducas ad patrandum crimen læſæ Majeſtatis? O miſer David, ô juſtiſſime, ô innocentiſſime Rex! Et in quo à te fuit læſus filius tuus Abſolon, ut debito naturæ ſepoſito, reducatur ad terminos tales, ut inſidietur tuo honori, & vitæ, cùm tu ſemel, vel bis in cauſa fueris, ne occideretur? *Reſervate mihi puerum Abſolon, &c.* In quo deliquiſti, & offendiſti tuum populum, & ſingulariter Achitophel, qui cum Abſolon concitat tuos ſubditos, ut tibi bellum indicant? Ingrate populе, ſcelerata plebs, infideles ſubditi. Et ſi vos videtis contra Patrem inſurgere filium, & eum ſcitis eſſe reum, & dignum mille mortibus, cur agnito errore non defenditis perſonam innocentis Regis? cur non arma veſtra exeritis in patricidam? cur veſtrum furorem non ſopitis, tot infidos ſacrilegos, & dignos mille mortibus invadendo, ſed econtra demonſtratis, quòd ſitiatis ſanguinem innocentis David, qui in nullo vos offendit, & non ut ſubditos, ſed ut filios habuit? Cur temerariè deſeritis innocuum, & adhæretis perfidos?

Homil. de Abſolon. Divinè reſpondet ad meum propoſitum ſanctus Pater Chryſoſtomus: *O innocentia, quantum apud reos periculi ſuſcipis, quantum malitiæ per flagitioſos incurris? David ſanctiſſimus tot dementes exercitus, quia non deliquit, offendit, tot populorum rabies qui non læſit, incurrit. Abſolon unus eſt reus, & univerſus contra patrem conſpirat exercitus. Armantur in eadem funeſta manus, multorum provocantur in innocentem ulciſci.* O quàm mirè! Tot concirationes fiunt contra David, tot milites conſcribuntur, & occiduntur, tot populi rebellant, tot inſidiæ ei ſtruuntur, tot convitia in eum jaciuntur, non quòd David fuerit culpabilis, non quòd fuerit reus, vel conſcius ſibi alicujus delicti, *Sed quia non deliquit, quia non læſit*, quia erat innocentiſſimus, & ſanctiſſimus. Rebellibus parcitur, ſervantur, foventur patricidæ, infames, ac convicti de crimine læſæ Majeſtatis; ſed innocentes infeſtantur, oppugnantur, ſupprimuntur, inhonorantur, & vitæ eorum inſidiæ ſtruuntur, nulla alia de cauſa, niſi quia ſunt innocentes; & quò excellentior & famoſior eſt eorum innocentia & ſanctitas, tantò crudeliùs tractantur; nam hic eſt genius impiorum, ut atrociter Juſtos & Sanctos perſequantur. *David ſanctiſſimus, &c.*

Claré id videtis in Bartholomæo, hic erat ſanctiſſimus, juſtiſſimus, innocentiſſimus, ut ipſe Dæmon Beritius collega Aſtaroth in alio loco vicino adoratus, idololatris ſacerdotibus manifeſtavit; interrogatus enim, quis eſſet Bartholomæus, reſpondit: *Eum humanæ ſanctitatis & virtutis eſſe.* Et hoc ejus nomen demonſtrat, *Filius ſuſpendentis aquas.* Filius ipſius juſtitiæ, ſanctitatis, & innocentiæ; hoc non obſtante, ideo, quia non læſit, quia non deliquit, imò, quia tot beneficia contulerat populo, filiæ Regis, ipſi Regi, & familiæ Regis, à ſacerdotibus fuit accuſatus apud Aſtyagem, fratrem Regis Polymii, fuit à populis cruciatus, ſectus, & decorticatus, tormentum magis barbarum, & inhumanum, quod potuerit invenire infernus, & demum capite plexus. Verbo, quò fuit ſanctior & innocentior, eò fuit crudeliùs tractatus.

IV. Aulus Gellius in quibuſdam libris græcis antiquiſſimis ſe legiſſe teſtatur, quomodo aliqui ſolo intuitu quibuſdam faſcinum inducant: *Oculus quoque exitialem faſcinationem fieri, in iiſdem libris ſcriptum eſt.* Philoſophia. *Aul. Gell. lib. 9. Noct. Atticar. cap. 4.*

Hìc intrant Academici, & inquiunt, an hic faſcinus ſit effectus naturæ, aut Dæmonis, vel

ſolùm

ſolùm ſimplex opinio vulgi: Et poſt diligentem indagationem, relicto faſcino diabolico, à Dæmone cauſato, doctiores faſcinum naturaliter fieri poſſe, affirmant. Sic Ariſtoteles, Plutarchus, Magiſter ſententiarum, D. Thomas, Albertus Magnus, & alii.

Sect. de Problē. 34
S. Thom. 1. part. q. 117 art. 3.
Lib. 2. de animal. c. 5

Et faſcinus hoc modo fit: Dicunt, quòd faſcinantes habeant in ſe quendam habitum pravum, & qualitatem quaſi veneficam contractam, vel à natura, vel alio accidente adventitio, hac inficiunt aërem, quem attrahunt, & dum vel voce, vel ſine voce eum propellunt verſus perſonam, quam volunt faſcinare inter diſcurſum hæc recipit aërem in ſtomacho, & cùm ſpiritus & viſcera ab hoc aëre malefico infecti conſumuntur, faſcinantur ſolâ voce, & anhelitu faſcinantis.

Etiam ſolo aſpectu faſcinant, quia hæc mala qualitas, quam habent, ſingulariter in oculis inficit, & conſumit eorum ſpiritus, qui dum ex oculis emittuntur, veluti tela venenosâ inficiunt perſonā, quæ eos recipit. Hinc canebat Poëta: *Neſcio, quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.* Sed quæſo vos, quinam ex hominibus, aut aliis rebus ſunt magis ſubjecti huic infectioni peſſimæ, quam recipiunt? Reſpondent hi Philoſophi, non tantùm agnellos teneros, & pueros delicatos, ſed etiam homines adultos. Hinc refert Plutarchus, Fibios Incolas Ponti, non ſolùm pueris, ſed adultis quoque hoc malo exitioſos fuiſſe. Quinimò addunt, venuſtiores & formoſiores, & qui majori petuntur invidia à faſcinatoribus, huic infectioni magis obnoxios eſſe, & ſicut venuſtiores ſunt magis delicatiores, ſic faciliùs hanc infectionem recipere queunt. Hinc inquit de talibus Aulus Gellius: *Si impenſius fortè laudaverint pulchras arbores, ſegetes latiores, infantes amœniores, egregios equos, pecudes paſtu, atque cultu optimas, emoriuntur hac omnia repente. Nulla alia cauſa oē noxiæ.* Hinc videmus, quòd res pulchriores magis obnoxiæ ſint infectione faſcini horum malignorum maleficorum.

Decad. 1. ſerm. Conjugal. problem. 7.

Applicatio.

V. Nunc redeamus ad S. Apoſtolum. Venuſtiſſimus, & formoſiſſimus erat hic Apoſtolus, non ſolùm quoad corpus, moderatam ſtaturam, barbam longam, crines nigros, pellē candidam, ſed etiam quoad animam ſummè à Deo, & cælo dilectam, ſicut econtra à Dæmone, ac inferno ſummè in odio habitam, ſummæ venuſtatis ſpiritualis, quia *Bartholomæus*, quia *filius ſuſpendentis aquas*, quia fotus à libra juſtitiæ, ſanctitate, ac innocentia, quia *Vir ſummæ ſanctitatis, & virtutis*. Uti præ aliis demōſtrant ducentæ genuflectiones, quas diu noctuque faciebat. *Bartholomæus filius ſuſpendentis aquas*, Vir ſummæ ſanctitatis, & virtutis, ſpecialiter poſt adventum Spiritus Sancti, quando cum aliis Apoſtolis gratiâ & favoribus cæli repletus fuit. O quàm benedicta, quàm formoſa videbatur eſſe anima Bartholomæi per ſuam ſummam ſanctitatem & juſtitiam!

Sacerdotes Aſtaroth invidiâ & indignatione moti, videtes ſe lucro privatos, quod referebant ex falſis, & ementitis miraculis, patratis ab eorum falſis Deis, & cernentes Aſtaroth ad ſolum adventū Bartholomæi in illas regiones obmutuiſſe, & omnino defeciſſe, quia ad ſe confugientibus infirmis non conferebat ampliùs ſanitatem (quod Diabolus ad faſcinandos illos populos in illo Idolo faciebat,) imò quòd Apoſtolus obſeſſos à Dæmonibus liberaret, prout videre eſt in Zuſtio, & filia Regis Polymii. Præterea cùm Sacerdotes agnoſcerent ſummam ſanctitatem, & virtutem ejus in coërcendis Dæmonibus, dum Regi Polymio, & aliis præſentibus manifeſtaret fraudes, quibus illam miſeram gentem circumveniebant, efficaciam in perſuadendo, ut idolum illud in minutiſſimas partes contererent, dum viderent multitudinem ab eo baptizatorum, ipſum etiam Regē cum tota ſua familia, quaſi tot malefici faſcinatores ſuis venenoſis aſpectibus, & virulento anhelitu, quaſi tot infectis ſagittis Bartholomæum inficiendo, perſuaſerunt Aſtyagi fratri Regis, ut Barthoiomæum è medio tolleret, quod & obtinuerunt, & quidem crudeliſſimo modo unquam audito.

O miſer Bartholomæe, ô glorioſiſſime Apoſtole Chriſti! & unde adverſū te tantum maleficium, tantū facinus, tanta contradictio etiam uſque ad mortē? Ego aliam non ſcio dare causā, quam invidiam maleficorum ſacerdotum Aſtaroth, qui in te videntes tantam formoſitatē, virtutem, ſanctitatem, perfectionē, virulentis ſuis aſpectibus, & venenoſis verbis te poſuerunt metam ſui furoris, quia fuiſti *Bartholomæus*, quia fuiſti *filius ſuſpendentis aquas*, quia fuiſti *Vir ſummæ ſanctitatis, & virtutis*. Impii enim & ſacrilegi neſciunt, in quos meliùs evomere poſſint ſuum furorem, quàm in Sanctos, Juſtos, & amicos Dei, & quò ſunt ſanctiores, & innocentiores, eò magis ſunt ſubjecti faſcino impio-

impiorum. Dicamus ergo, quòd inſtar cujuſdam Davidis fuiſti adeo malè tractatus, quia non deliquiſti, quia non læſiſti, quia Bartholomæus, *quia filius ſuſpendentis aquas*, & quia fotus à libra innocentiæ, juſtitiæ, & amoroſæ Veneris Spiritus Sancti, ideò adeo infeſtatus es ab hoc malefico Saturno.

Scriptura. VI. De duobus primis filiis Adam, Cain & Abel, colligimus ex ſacro textu, quòd ab initio ſe ſummo complexi ſint amore, cùm nulla adhuc eſſet inter eos orta diſcordiæ occaſio, præterea legimus, quòd unanimes, & ſimul negotia & opera occurrentia expediverint, quia unanimi conſenſu Deo ſacrificarunt, & obtulerunt, quod cujuſque ſuus ſtatus permittebat, Cain fructus terræ, & Abel primogenita gregis. *Geneſ.* 4. *Factum eſt autem*, inquit ſacer textus, *poſt multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino, Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum.* Impoſitis oblatis concorditer ab his fratribus ſuper altare, ignis de cælo labitur, & oblata Abelis abſumit, non verò Caini, quod fuit evidens ſignum, oblationem Abelis, non verò Caini, Deo acceptam fuiſſe. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain autem, & ad munera illius non reſpexit.* Videns hoc Cain, ſummopere iratus eſt Abeli, & poſitâ omni humanitate, debito naturæ & ſanguinis, decrevit occidere fratrem, & patrare ſcelus adeo horrendum, & directè repugnans naturæ. *Iratus eſt Cain vehementer*, & ſtatim proditorie fratrem occidit. *Conſurrexit Cain contra Abel fratrem ſuum, & interfecit eum.* Quales ſunt hæ metamorphoſes? quales repræſentationes tragicas videmus in ipſo exordio mundi? An non ab initio hi duo fratres ſeſe tenerrimo amore proſequebantur? An non animo concordi ſacrificia ſua Deo obtulerunt? Non legimus in ſacra Hiſtoria, quòd ulla inter eos interceſſerit occaſio rixæ, nec ulla contentio, & nihilo ſeciùs ſacrificio peracto, contra eum debitum naturæ & charitatis fraternæ Cain proponit occidere fratrem ſuum? quam hic Caino intulit injuriam? nullam profectò. Verum quidem eſt, quòd Deus acceptum habuerit ſacrificium Abelis, & non Caini, prout ignis de cælo deſcendens intactis frugibus terræ à Caino oblatis, ſola primogenita Abelis abſumendo declaravit, ſed quid contra potuit Abel, ut Cain contra illum crimen adeo execrandum naturæ moliretur?

S. P. Chryſoſtomus valde favet meo conceptui: *Abel quidem, quamdiu nullum excellentis virtutis ſuæ documentum dedit, agnoſcebat illum frater, ubi verò ex ſacrificio placuit, claruſque meritis eluxit, tum jam naturam quoq; ipſam ignoravit.* Non poterat melius dicere. Antequam hi duo fratres ſacrificare inciperent, quando necdum natura primis illis annis erat adhuc adeo inclinata ad malum, dum necdum ſciretur, quis eſſet juſtior, vel gratior Deo, cùm necdum Abel edidiſſet aliquod ſignum evidens ſuæ innocentiæ & virtutis, ſeſe tenerrimè & effectuoſiſſimè amabant, ſed quando Cain vidit, quòd prodiret & manifeſtaretur innocentia & juſtitia Abel, quando vidit non ſuum, ſed ſacrificium Abelis eſſe gratum Deo, indubitanter concluſit, fratrem ſuum eſſe juſtum, ſanctum, innocentem, & ſicut innocentia ſit ſemper meta alterius malignitatis, Cainus feriſſimo & crudeliſſimo operi ſe accinxit, & poſtpoſito omni reſpectu naturæ, ſanguinis, fraternitatis, & ipſius Dei, proditorie innocuum fratrem trucidavit. *Lib. 2. de provident.* *Vbi ex ſacrificio.* Veriſſimum ſiquidem eſt, quòd malitiæ non ſit infenſior hoſtis, quàm innocentia, & quò aliquis eſt juſtior, ſanctior, innocentior, Deo gratior, tantò pejus ab impiis tractatur.

Aſtrologia. Quis fuit juſtior, ſanctior, innocentior, Deo gratior, quàm Bartholomæus, qui à primis annis, in ætate adulta, in occaſu vitæ ſemper in manibus habuit libram, & bilancem æquitatis & juſtitiæ, *Filius ſuſpendentis aquas?* Quis illo fuit dignior honoribus, reverentiâ, & vitâ perenni ob beneficia collata proximo, ob dæmones ejectos, populos ab iiſdem ſeductos, ad veritatem reductos, Idola deſtructa, altaria vero Deo ædificata, fidem Chriſti prædicatam, tot animas converſas, aquâ ſacri Baptiſmatis ablutas, ac ſtatui innocentiæ reſtitutas? His non obſtantibus, quomodo non fuiſti tractatus ab impio Aſtyage ad perſuaſionem Sacerdotũ crudeliſſimo modo, feritate maximè barbarâ, quàm poſſit invenire crudelitas tartarea, nempe vivo fuit pellis detracta. Et cur tanta crudelitas? quia fuit *Bartholomæus, quia fuit filius ſuſpendentis aquas.* Quia eum ſemper fovit conſtellatio libræ incomparabilis juſtitiæ, & innocentiæ, ſecum habens amoroſam Venerem Spiritus Sancti privilegium proprium innocentiæ.

VII. Aſtrologi, vos me hîc juvare debetis. Inter duodecim domos cæli, vos dicitis nonam

nam ordine, *Vocari Domum Religionis.* Ex hac prædicti' caſus ſpectantes ad pietatem, religionem, fidem, dignitates Eccleſiaſticas, ſapientiã, cognitionem particulariter Dei & rerum ſacrarum &c. Additis conſignificatores hujus nonæ domus eſſe conſtellationem, & ſignum ſagittarii, & planetam beneficum Jovis, qui in ſagittario velut in domo ſua reperitur, in quo habet ſuam ſummam & eſſentialem lætitiam. Et ſicut ſol in dicta domo habet ſuam accidentalem lætitiam, ſic & ab eodem ſole eadem domus redditur fortunata; ſicut econtra infortunatam eam reddunt duæ infortunæ, major & minor, Saturnus & Mars. Hinc advertunt, quod Saturnus retrogradus, rebus ſpiritualibus & dignitatibus Eccleſiaſticis ſit maximè noxius, & perſona moleſtetur in religione, & multa adverſa patitur à Saturno. *Religioni & Eccleſiaſticis dignitatibus maximè officit Saturnus retrogradus ſicut etiam regulariter Mars Mercurio copulatus, vel in ejus domo repertus.*

Et quia ſignum ſagittarii figurat religionẽ & pietatem, & hoc ſignum eſt partim humanũ, partim beſtiale, cùm in cœlo in forma tali ſit deſcriptum, ita ut in parte anteriori ſit homo arcu & ſagittis armatus, in poſteriori verò equus; ideo dicunt quod talis, causâ Religionis ſit multas perſecutiones toleraturus, eò quod in animo ſoleat facere illas turbationes, quas facit in aëre, infeſtando illum ventis & turbationibus vehementibus, & ideò vocatur *Signum ventoſum.* Unde & in homine excitat ventos turbationum, litium, rixarum, contradictionũ, perſecutionum circa pietatem & religionem, *Laborabit natus adverſariorum odio atque infeſtationibus. Sagittarius enim naſcentibus inimicus.* Nihiloſecius, quia ex parte ſignum humanum, quod ſignificat religionem, fotam à planeta benefico Jove dominatore hujus ſigni, qui etiam eſt conſignificator religionis ac pietatis, ideò dicunt, quod talis perſona in rebus ſpectantibus ad pietatem & religionem valdè promovebitur, ſicut & in dignitatibus Eccleſiaſticis. Itaque videmus, quod nona domus (ex qua prædicunt religionem & pietatem perſonarum) ſi ſit fœlici loco collocata, grandia anguretur beneficio Jovis; ita tamen, ut & tales ob ſagittarium ſignum ventoſum ac turbulentum, & ſimul partim beſtiale & humanum, & a Saturno & Marte infeſtentur & agitentur. Ita vanè & ſi-

Pontanus ſuprà.

ctè dicunt Aſtrologi.

VIII. Nunc videamus quomodo reipsâ caſus contigerit cum Bartholomæo, & quomodò in ipſo verificatæ ſint hæ prædictiones Aſtrologicæ. Hic ſanctiſſimus Apoſtolus ſemper habuit valde propitiam domum religionis & pietatis, fuit ſiquidem electus Apoſtolus, ſequax Chriſti religioſiſſimus & piiſſimus Magiſter populi, electus ad majorẽ dignitatem Eccleſiaſticã poſt dignitatem Petri, annumeratus fuit duodecim Apoſtolis & Cardinalibus, imò Principibus Eccleſiæ. Nec hoc miror, quia valde ei favorabilis fuit ſupremus Jupiter, æternus ſcilicet Pater, & ſol incarnatæ ſapientiæ, qui valde delectantur pietate & religione. Quam non oſtendit pietatem Bartholomæus, quando ad Gentes cum S. Philippo profectus, ita laboravit, ut illos populos imbueret veritate Evangelicâ? Quis zelus honoris Dei non arſit in ejus pectore, dum crucifixo & mortuo Philippo aſſumpſit Volumen ſacrorum Evangeliorum, & profectus eſt ad Indos, populum tenebris mille errorũ involutum, illos luce Chriſtianæ veritatis illuſtravit, & è ſervitute Diaboli eripuit & fecit ſervos Chriſti? Qualis religio non fuit viſa in Bartholomæo, quando intrans fanum in quo adorabatur Aſtaroth, elinguẽ reddidit Dæmonem, qui in ſtatua loquebatur, eumq; reddidit debilẽ & impotentem, & ita eum ligavit, ut nullũ poſſet deinceps falſum patrare miraculũ, quibus oſtendebat ſe curare infirmos à morbis, quos eorum corporibus induxerat? Quæ pietas comparuit in hoc S. Apoſtolo, dum compatiebatur cœcitati illius gentis miſeræ, quam tam clarè videbat a Dæmone decipi. Manifeſtavit illius religionẽ idolum Berith, quod interrogatũ à ſacrificulis, qualis eſſet Bartholomæus, quamvis alias eſſet fallax, confeſſum tamen eſt, Bartholomæum eſſe verum amicum Dei, & quod motus zelo timoris Divini veniſſet ad illas partes, ut ſcilicet deſtrueret idola ab illis populis adorata; & induceret veram religionẽ. Neq; hâc occaſione obmutuit ipſemet Aſtoroth, qui zelo S. Apoſtoli coactus, coràm Rege Polymio, ſacerdotibus ſacrilegis, & innumerâ multitudine populi circũventi, faſſus eſt ſuas teclinas & fraudes, quibus illam miſeram gentem circumvenerat. Quis ergò audebit negare, imò quis ſe poterit continere, quin literis ſculptis per totum orbem divulget, quomodo domui religionis beneficus

Applicatio.

M'm plane-

planeta Jovis patris æterni & lucidiſſimi ſolis incarnatæ ſapientiæ tam conſtanti animo ab hoc S. Apoſtolo prædicata, ei ſummè propitia fuerit?

Verùm enim verò ò glorioſiſſime Apoſtole, eſto fueris tam pius, tam religioſus, attamen video, quod contra te inſurgant pſeudo ſacerdotes, video quod hi te accuſent apud Aſtyagem fratrem Regis Polimiræ te converſi & baptizati, video Aſtyagem contra te Tigride Hircanâ concitatiorem, pluſquam Diabolica cogitare media, ut veram tibi ſadimat religionem, & cogat te idolis adolere thus, & dum hoc non poteſt aſſequi, irâ percitus jubeat te diré flagellari, tyrannicè tibi pellem detrahi, & impiè decapitari. Quomodo ſtet, quod domus religionis adeò tibi propitia, nihilominus tibi auguretur tot adverſa, tot calamitates, odia, averſiones hominum & quidem Magnatum, qui conſpirârunt in tuam mortẽ? Sed nullus miretur ô religioſiſſime Apoſtole, quia domus religionis in ſphæra recta eſt conſecrata ſagittatio. *Paraverunt ſagittas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde.* Et eſto ei faveat Jupiter & Mars, tamen Saturnus ei eſt adverſus. Hinc quantò fuiſti religioſior, ſanctior & innocentior, tantò aptior factus fuiſti ſcopus telorum à venenoſo & turbulento ſagittario Dæmonis & impiis Saturnis ſacerdotũ idololatrorum, & crudeli Marte Aſtyagis contra te emiſſorũ. Quia quò major eſt ſanctitas, pietas & religio alicujus ſervi Dei, eò crudelius ab impiis & malignis appetitur. *Paraverunt &c.* Ita ab ipſo ortu mundi Sagittarius, Saturnus & Mars ſcelerati Caini circà pium, religioſum, innocentem & S. Abel ſacrificantem ſpectaculo tam inhumano declaravit. *Vbi ex ſacrificio placuit, &c.* Religioſiſſime Apoſtole, innocentiſſime Bartholomæe crudeliſſimè tractate.

Pſal. 10.

Scriptura

IX. Plures conſpicui fuerunt vates & viri: In populo Hebræo Fuit Moyſes, Elias, Eliſæus & plures alii recenſiti in ſacris literis. Demum ultimus fuit Chriſtus, major omnibus Prophetis numeratis, & qui numerari poſſunt. Omnes hi prodigioſiſſima patrârunt, docuerunt altiſſima & myſteria profundiſſima, præterita & futura prædixerunt; Nihilò ſecius evolvite totam ſcripturam, & quantum recordor in nullo loco legetis, quod actiones primorum, vel in minimo fuerint cenſuratæ & taxatæ. Moyſes dividit mare rubrum, conſolidat liquidiſſima Cryſtalla aquarum & undarum, erigit duos altiſſimos muros, ne dicã duos vaſtiſſimos mõtes ſimplici percuſſione virgæ (actio quæ viribus patet cunctipotentiæ)[&] tamen nullum auditur verbum murmuratorium Hebræorum, quod perſtringãt actionẽ tam egregiã Moyſis. Jeſus Nave, die ſabbathi meritò ex juſſu divino ſanctificando profligat exercitus, diſponit in aciẽ milites, obſidet urbẽ, eam aggreditur, ſcindit mœnia pugnat ſonitu tubarum, nec tamẽ vapulat, quod violet ſabbathum Deo conſecratum & tam arctè ab Hebræis obſervatum. Samuel reſuſcitat mortuos, Elias & Eliſæus etiam patrant opera prodigioſiſſima, & quæ vires excedunt humanas & tamẽ à nullo leguntur cenſurati. Chriſtus die ſabbathi illuminat cœcos & ſtatim ei objicitur, quod violet legẽ. *Quis eſt hic, qui ſabbathũ non cuſtodit?* Chriſtus ſanat infirmos, reſuſcitat mortuos, docet in ſynagogis, ſacra evangelia teſtantur, quod à ſcribis & Phariſæis omnes ejus actiones ſint traductæ. Hinc S. Marcus. *Et facto ſabbatho cœpit in ſynagoga docere, & multi audiẽtes mirabantur in doctrina ejus dicentes: unde huic hæc omnia, & quæ eſt ſapientia quæ data eſt illi, & virtutes tales, quæ per manus ejus fiunt?* Ideo S. Petrus Chryſologus hunc modum Hebræorum agendi cum Chriſto demirans interrogat. Unde hæc diverſitas, quod Hebræi nullum aliorum cenſurent, à nullo quærant, cur, quomodo, qualiter talia operetur, & tamẽ à Chriſto tot & tanta ſciſcitentur, tot ei objiciant? *Moyſes ſigna fecerat multa. Elias maxima monſtraverat documẽta virtutũ, nec diſſimilia opera fecerat Eliſæus, cur nemo perſonã diſcutit? Cur nemo ſtatus commovet quæſtionẽ? Cur nemo unde eſſent, quive eſſent, unde iſta, & per quem facerent curioſitate ſic requiſivit ingrata?* Et divinè Sanctus reſpondet. *Indicatur hic ſolus, qui ſolus indicare noluit ne puniret, & cum ſolus innocens invenerit omnes reos, ad judicium pietatis immenſæ ſuſcipere maluit, quam rogare ſententiã.* Non poterat dicere melius *Cum ſolus innocens &c.* Non eſt mirum, quod actiones Chriſti fuerunt cenſuratæ, quod ejus doctrina fuerit examinata, quod ejus perſona fuerit diſcuſſa, quod ejus portenta fuerint taxata, & quod ubique habuerit contradicentes, impugnatores; quia unica innocentia eſt meta horum jaculatorum,, & quantò magis innocentia unius præ altero elucet, tanto majori impetu

Ioan. 9.

Marci 6.

Serm. 48.

pectu impugnatur. Moyſes reipsâ fuit prodigioſus & ſanctus, Elias, Eliſæus, Samuel & alii fuerunt innocentiſſimi, ſanctiſſimi & ſimul ſapientiſſimi & prodigioſiſſimi, & tamen reſpectu Chriſti eorum ſanctitas & innocentia erat culpa, macula & defectuoſa, Chriſtus ſolus verus Deus & homo erat mundus à ſorde, ſolus ſanctiſſimus ſine culpa, ſolus innocentiſſimus ſine defectu, ſolus irreprehenſibilis, & ideò quia ſanctior, juſtior, innocentior, aliis calumniis, perſecutionibus, cenſuris petitur à malignis Hebræis; Nam impii non ſciunt lacerare, appetere niſi ſanctitatem, juſtitiam, innocentiam, magis conſpicuam & excellentem. *Cum ſolus innocens in venerit, &c.*

Sed ſi Chriſtus ſummè innocens, juſtior & ſanctior fuit reliquis, imò ſolus cenſuratus ab Hebræis, Bartholomæus verus diſcipulus & imitator Chriſti, an non debuit eidem ferulæ ſubjici? idolum Aſtoroth loquitur, & tamen Aſtyages & Pſeudoſacerdotes non quærunt, quomodo una ſtatua poſſit loqui: Aſtaroth ſtatua inſenſibilis ſimulat ſe ſanare infirmos, & evidentiſſimè monſtrat ſe falſa patrare miracula, & nullus interrogat, *quâ virtute & poteſtate illa faciat.* Et dum Bartholomæus, Aſtaroth reipſa facit obmuteſcere, dum catenis igneis eum vinxit & coëgit, ut fraudes ſuas fateretur, *quibus miſeros mortales in exitiũ pellebat*, errorem detexit Regi, ſacerdotibus, populo toti, & clariſſimam cognitionem veritatis Evangelicæ & fraudem Dœmonis iis detexit, abluit eos aquâ ſancti baptiſmatis, & reſtituit eos viæ ſalutis, ſtatim hæc omnia ejus opera examinantur & cenſurantur, & audet Aſtyages inquirere. *Quâ arte, quibuſve fraudibus fratrem ſuum Polymium à Deorum cultu avertiſſet.* In Bartholomæo artificium illud, quod erat operatio divina, cenſuerunt eſſe fraudem & mendacium illud, quod erat ſimpliciſſima & clariſſima veritas, præſtigiæ artificioſa ac deceptiones: fraudes autem technæ & artificioſa figmenta Aſtaroth, quæ omnes videbant ac clarè cognoſcebant, nemo taxavit vel reprehendit, ſed omnes ea venerati & reveriti ſunt, & tanquam vera miracula & dignâ laude illâ comprobârunt, unde oritur hæc diverſitas adeò notabilis? Neceſſe eſt, ut id reducamus ad verum principium. Bartholomæus fuit taxatus, reprehenſus, vexatus, in ſuſpicionem tractus, male habitus, quia fuit juſtus, ſanctus, innocens, verus amicus Dei, verus diſcipulus Chriſti, quia *fuit filius ſuſpendentis aquas*, quia habuit adeò ſibi propitiam conſtellationem libræ juſtiſſimæ æquitatis ac innocentiæ, quia inter illos nebulones ſolus fuit innocens.

Meteora.

X. Meteorologiſtæ, revera conditio fulminis valde nobilis. Fulmen eſt exhalatio ſubtilis ignita & ſicca, ſublevata ad ſecundam regionẽ aëris è nube magno impetu excuſſa: quandoque trahit ſecum lapidem in aëre vel nube generatum, quandoque excitetur ſolum.

Hic ſcire percuperem, an omnia poſſint à fulmine percuti, vel num ſint aliqua ab ejus percuſſione exempta. Plinius & alii cenſuerunt exemptam eſſe laurum, forſan, quia conſecrata eſt Apollini, ut fingunt Poëtæ. Similiter corallum & omnia alia, ſi cooperta ſint pelle vituli marini, vitulum eundem, & inter aves aquilam, forſan quia eſt conſecrata Jovi. Alii etiam eximunt, eum qui ſecum habet pretioſum hyacinthum, cætera omnia præſertimque montes & altiſſimæ turres, ſubjiciuntur ictibus fulminis. Hinc Veſpaſianus Gonzaga elegit pro ſymbolo fulmen, quod è cœlo lapſum montem percutiebat, additâ epigraphe: *Feriunt ſummos.* Simeon addidit Spiritum, *Fulmina montes.* Quinimò Olaus affirmat, quod in Gothia & Suecia fulmina altiſſimos & rigidiſſimos montes in illis frigidis regionibus, adeo duros, ut ſuperent omne marmor, non conterant & comminuant, ſed in iis efforment belliſſimas & politiliſſimas columnas & pyramides, non minori artificio fabricatas, quàm ſi eſſent à peritiſſimis Magiſtris elaboratæ.

Plin. lib. 2. c. 55.

Lib. 5. c. 16. de rebus ſeptentrionalibus.

Alii explodunt illam opinionem Plinii de exemptione coralli & hyacinthi; Nam Vicemercatus dicit ſuo ævo laurum fulmine percuſſam, & Scaliger illud de hyacintho, Corallo & vitulo matino irridet velut fabulam.

Lib. 2. c. 18. exercit. 13. in Cardanum.

Sed ego præterea ſcire vellem, cur montes altiſimi & turres ſublimiſimæ, facilius & frequentius percutiantur à fulmine, quàm valles & loca profunda? Reſpondent Meteorogiſtæ, cauſam eſſe, ut advertit Seneca, quod fulmina ferantur & cadant obliquè; Cum enim virtus ignea attrahat illa ſemper ſurſum, & ex alia parte vis maxima nubis frigidæ, illa pellat deorſum, nec hæc poſsit ſuperare illam virtutem, nec illa iſtam, hinc fit, quod ceſſante

Lib. 2. c. 26.

lite fulmina ferantur & cadant obliquè, donec extinguatur vis ignis, & sic faciliùs percutiant res altissimas.

Applicatio. XI. Nunc ad gloriosissimum Bartholomæũ. Hic S. Apostolus fuit altissimus mons, qui supra nubes per viam Apostolicã habuit culmen perfectionis, mons fuit altissimus ob incomparabilem sapientiam & cognitionem rerum cœlestium, mons eminentissimus propter eminentiam suæ contemplationis, nam bis centum vicibus diu noctuq; orationi vacavit. Mons deliciosus in quo pascuabantur oves Indicæ, quibus subministravit pabulũ verbi divini. Mons consitus, cinctus & coronatus lauris ob victorias reportatas contra Astaroth, ejus sacrificulos, tot vitia ac abominationes, quas patrabant Indi instigantibus Dæmoniis. Cinctus lauris ob destructionem fanorum, in quibus colebant Idola ab illo diffracta, & ob ædificationem novorũ pro cultu veri Dei, Mons in quo erigebantur altissimæ turres virtutum & prærogativæ evangelicæ. Mons in quo habitant Aquilæ conceptuum sublimissimorũ ei à Deo in contemplatione communicatorum, Verbo, mons altissimus & sublimissimus, utpote Apostolus Domini, prædicator evangelii, utpote Sanctissimus & innocentissimus servus Dei. *Vtpote filius suspendentis aquas. Nathanael in quo dolus non est.*

Ex altera parte fulmina & tela fuerunt ejus adversarii & persecutores: fulmina fabricata in officina inferni, fulmina fuerunt perversa proposita sacrificulorum Indorum, & Regis Astyagis. Fulmina ignita odio & rancore contra S. Apostolum. Fulmina generata in aëre vano mentium elatarum & superbarum. Fulmina & tela quæ ex obliquo semper infestabant S. Apostolum. Fulmina quæ eum conciderunt diris simis flagris. Fulmina quæ eum cingendo calore iræ decorticârunt. Fulmina quæ eum decapitârunt. Fulmina, exhalationes ignitæ ex odio contra Apostolum, magno impetu ex nube mentis turbæ Astyagis & sacrificulorum, quia Deo luctatus fuerat Polymium Regem, domum regiam & tantam gentem erumpentes. Fulmina, quæ nec in minimo detulerunt huic altissimo monti Bartholomæo, quamvis in eo consita fuerint lauri victoriarum, quamvis rot aquilæ contemplationum in eo habitârint, quamvis fuerit cinctus tot turribus virtutũ, quamvis fuerit fertilissimus ob pascua sapientiæ. Fulmina ob quæ Apostolus poterat sibi eligere pro symbolo altissimum montem cum Epigraphe: *Feriunt summum fulgura montem.*

O Eminentissime Bartholomæe, & cur amabo tam crudeliter fuisti tractatus ab his ignitis fulminibus tuorum hostium? Sum certus, quod melius non possis respõdere, quàm si dicas, quia fuisti *Bartholomæus, filius suspendentis aquas*, quia fuisti *Nathanael in quo dolus non est*, quia fuisti Nathanael, hoc est, *donum Dei*, quia fuisti eminentissimus mons sanctitatis & perfectionis, quia fuisti habitatio laurorum celebertimarum victoriarum, quia fuisti proprius locus regiarum aquilarũ, quia fuisti copiosissimum pascuum divinæ sapientiæ, quia fuisti cinctus altissimis turribus virtutum & evangelicarum, & idcircò debuisti esse meta fulminum. *Quæ feriunt summos.* Quod si Christus mons altissimus laurorum, mons aquilarum cœlestium, mons eminentissimarũ turrium & fertilissimorũ pascuorum paradysi, mons perfectionis fuerit, hoc non obstante ita infestatur à fulminibus persecutorũ Hebræorum, idque ideò, quia fuit mons altissimæ sanctitatis & innocentiæ, adeò ut haberet titulum, *solus innocens.* Quid miri, si tu etiam Apostole S. & innocens tanquam discipulus Christi, velut mons altissimus sanctitatis & perfectionis adeò malè sit habitus à fulminibus tuorum persecutorum. Dicam ergõ, quod quia fuisti *Bartholomæus, filius suspendentis aquas. Nathanael in quo dolus non erat, Donum Dei*, sanctissimus innocentissimus, ideo fueris tam crudeliter tractatus. Sed tandem hæc fulmina ad nil aliud deservient, quàm ut ex his montibus fabricent vastissimas pyramides gloriæ ad cœlum usque pertingentes, & firmissimas columnas pro fulcienda melius Ecclesia.

Scriptura. XII. De adolescente illo Josepho primo à fratribus vendito mercatoribus Ismaëlitis, & ab illis Putipharo Duci exercitus Pharaonis, viro summæ auctoritatis in aula Regis sui Domini, de illo, cui Dominus domus suæ gubernium credidit, refert sacer textus, quod uxor Domini ejus, videns eum non minus aspectu & formâ decorum, quam puritate & innocentiâ conspicuum, ejus venustate valde capta suaviter tentârit sanctissimum adolescentem inducere, ut lectũ illum pollueret, quem Dominus sibi servârat. Sed cernẽs fœmina constantiã indicibilẽ juvenis, relicto pallio fugientis, tota furore percita, illũ ut reũ prætexti adulterii accusare decrevit. *Cumq; vidisset mulier vestẽ in manibus suis,* Gen. 39.

& se

& se esse contemptam, vocavit ad se homines domus suæ, & ait ad eos: En introduxit virum Hebræum, ut illuderet nobis. Porro postquam maritus hoc resciuit, statim *tradidit Ioseph in carcerem.* O mirabile factū! quomodo amabo amor ille vehemens, quo impudica illa fœmina flagrabat erga Joseph, potuit tam cito converti in odium adeo crudele? quomodo illū, quem diligebat, amabat, æstimabat, rogabat, statim accusavit, odio prosecuta ac persecuta est, & incarceravit? quomodo factus est subito transit° ex uno extremo summi amoris, ad aliud extremum odii crudelissimi? Hinc in stuporē actus S. P. Ambros. mecum interrogat. *Quæ causa crudelitatis?* quodnam habuit motivum, ut præter omnes limites justi, ita contra Joseph crudelis efficeretur? Forsā mihi respondebitis Interpretes, hanc fuisse causam. Dum enim videret levis illa Bertha se voto frustratam cum injuria mariti, & timeret id maritum suum forsan de Josepho subodoraturū, ne & adultera punitetur, decrevisse innocentē accusare. Hinc observat idem S. Pater, suo quæsito respondens. *Quæ causa crudelitatis, nisi quod cupiditatibus suis obsistit videbat desideria sua vestita assentione fraudari?* Sed quomodo ejus maritus potuit tale quid qræsumere de Josepho? Tanto tēpore cognovit, & expertus est eum fidelissimum fuisse ministrum suæ domus, & nunc tam faciliter permittit sibi persuaderi facinus adeo enorme? Circum tanto præcipitio recurrit ad accusationes, castigationes & carceres, cum antea nec ullus rumor aliquam infidelitatis Josepho affricuisset, sed potius ex publica fama, & experientia clara, ejus summam fidelitatē compertam habuerit? quomodo non procedit parum circumspectē circa illam accusationem Josephi? Respondet Ambros. Non mireris hoc factū, nam istud est privilegium innocentiæ, ut secum semper trahat crudelitates & persecutiones; Josephus erat innocentissimus, & ideo non est mirum, quod malē fuerit habitus. Carcer debebat aperiri adulteræ, vincula debebant servire pro ornamentis ejus incontinentis libidinis. Hæc erat culpabilis rea, inhonesta & infidelis matito; Josephus vero fidelis, castus, innocens, justus, & ideo creditur malū impositum innocenti, nec adhibetur ulla reflexio vel examen, an credi debeat, an sit aliquod fundamentum in re, & veritati non adhibetur fides. Carceres occluduntur adulteris & reis, & aperiuntur innocentibus & castis. Catenæ dissolvuntur, ut liberentur malefactores, & iis arctē vinciantur justi. Illi, qui promeriti sunt mille cruces dimittuntur, & qui sunt digni æterna libertate ob innocentiam, illi mille supplicijs afficiuntur. Non est aliud remedium quia tale est privilegium innocentiæ, ut semper sit meta persecutionum, & quo quis est sanctior, justior & innocentior, eò etiam ferocius crucietur. *En propter quod aperitur carcer, ut suscipiat innocentes, solvuntur catenæ reis, ut imponantur fidelibus, dimittitur verus adulter, ut includatur, qui fidei adulterium recusavit.* Optica.

De Iosepho c. 5.

De Iosepho c. 5.

Non solum ævo innocentis Josephi hæc doctrina est practicata, sed & quando vixit D. Bartholomæus, & quidē circa ejus personam. Quis promeruit castigari, & puniri, an Astyages & sacrificuli, qui perverterunt gentes, eosq; in suo errore foverunt, & in idololatria suis falsis persuasionibus confirmarunt, an vero Bartholomæus qui vera fide imbuit Polymiū, qui prædicavit legem Evangelicam, qui silentium indixit idolis? Nonne sufficiebant Astyagi ad liberandum Bartholomæum attestationes Dæmonum ab ipso adoratorum, qui à S. Apostolo coacti affirmarunt, quod suis fraudibus & præstigijs circumveniebant illam miseram gentē? nonne erat evidentissimum argumentum pro Bartholomæo, quod catenis ignitis ligaverit falsa numina ab Indis adorata, uti ipsa fatebantur, *se igneis vinctā catenis*, ad ostendendam rei veritatem? Nonne ulterius sufficiebat quod ipsemet dæmon rogaret ab Apostolo, *Ut ipsum alio proficisci pateretur*, ut ostenderet num Bartholomæus prædicator veritatis, an vero sacerdotes amatores falsitatis essent suppliciis digni? Et tamen hoc non obstante, absq; ullo examine inconsideratē & præcipitanter judicavit illum culpabilem, & Bartholomæum justum, sanctū, innocentem, amicum Dei, prædicatorem veritatis declaratum, & canonizatum ab ipsis dæmonibus & sacrificulis, pronuntiavit morte & suppliciis dignum & pervers os, impios, nebulones, & sacrilegos dimisit liberos & impunitos. Sed hoc nihil est miti; cum enim hoc sit privilegium innocentiæ, ut vinciatur, carceretur, & malē tractetur, & Bartholomæus sit innocens & sanctus, idèo tam crudeliter & atrociter fuit tractatus. *Quia filius suspendentis aquas, quia Nāthanael, in quo dolus non erat, quia donū Dei.* Lippolo sup.

XIII. Astrologi, ne quæso vobis molestum sit, in favorem nostri S. Apost. Bartholomæi ob- Astrologia.

ambulare per cælum: vos dicitis, quod ſi homo habeat in ſua nativitate conſtellationem tauri, cum tunc addictiſſimum fore agriculturæ, & maximam voluntatem in rebus ad illam ſpectantibus habiturum; quia illa conſtellatio eſt ſignum terrenum, & hinc fit, quod ſimiles inclinationes in homines influat. Et quia tunc eſt in domo Veneris, à qua dependet voluptas, & delectatio in operando, hinc dicunt, quod ſummo cum guſtu, & voluptate agriculturam exercitus ſit. *Qui in aſcendente cæli cardine, dum in lucem veniunt, ſignum Tauri habuerint, pro natura tum Veneris, tum ſigni colendis ruribus ſtudiis delectabuntur.* Et quia luna ſimul cum Venere dominatur triangularitati Tauri, hinc fit, quod eadem perſona ſit evehenda ad honores & dignitates eminentes ſpecialiter Eccleſiaſticas, & quod ejus curæ committenda ſint templa, res ſacræ, & ſpectantes ad religionem, & quod in rebus ſpiritualibus multos habiturus ſit honores, à populis honorandus & reſpiciendus, dum illæ duæ conſtellationes Lunæ & Veneris feliciter fuerint collocatæ in ejus nativitate. *Vbi hæ ſtellæ luna, & Venus feliciter collocatæ in genitura fuerint, natos ipſos provehent ad honores, præponent illos templis, præficient ſacris, & in his quæ ad religionem, & Deorum cultum pertinent, vivant maxime honorati, ac à populis culti.* Taurus itaq; etiam inclinat hominem ad religionem, & cultum Dei. Præterea hoc ſignum prædicit vitam ſemper laborioſam & arduam, eſto, ut dixi, cum voluptate.

Pont. de reb cæleſt. l. 5.

Sed aliquid magni hic attente obſervo (NN) quod quando Taurus reperitur in aſcendente in prima domo cæli, tũc in cardine ſuptemi medii cæli reperitur ſignum Aquarii, & in cardine occidentali ſignũ ſcorpionis, in angulo vero medio infimi cæli ſignum leonis. Ex quo clarè liquet, quod Aquarius & Leo reſpiciant Taurũ aſpectu quadrato, & ſcorpio aſpectu è diametro oppoſito. Horũ porro aſpectus ſunt valde malefici. Radii itaq; Tauri ſemper ſunt perculſi, & infeſtati à radiis Scorpionis, & ex obliquo quadrato ab Aquario, & Leone. Hinc fit, quod illa perſona in ſuis actionibus, & honoribus ſemper ſit moleſtanda, & ſpecialiter in rebus ſpectantibus ad religionem, & hujus cauſa eſt malignitas Saturni & Martis, quia ſignum Aquarii eſt domus Saturni & ſignũ Scorpionis eſt domicilij Martis; Hinc cum infeſtetur Taurus ab Aquario quadrato aſpectu, etiam vexatur à malignitate Saturni, & cũ præterea aſpicitur aſpectu oppoſito à Scorpione, offenditur etiam Marte. Et eſto Aquarius in medio cælo promittat prælaturas, ac negotia publica, idq; cũ magnatibus, nihiloſecius ab invidis ob malignitatẽ Saturni oppugnabitur, & ex his orientur accuſationes & impoſturæ contra eandẽ. *Laborabit invidiâ, & accuſationibus propter Saturni ſtellã*, & ob malignitatẽ Martis non aberunt lites & rixæ. Per favorem Leonis, qui eſt ſemper domicilium ſolis, & qui cum Jove eſt triangulator ejuſdem Leonis, illa perſona maxima ſuo labore & induſtria faciet lucra. Hæc vidi in tranſitu per cælũ, & ad meum propoſitum valde quadrare videntur.

XIV. Nunc retrogrediamur, ut inveniamus noſtrum Bartholomæum. Si veritatẽ fateri velim, videtur mihi S. Apoſtolus in ſua nativitate habuiſſe in aſcendente conſtellationem Tauri, à quo tam benignè fuit aſpectus. Quod ſignum Tauri fuerit hieroglyphicum Chriſti Domini, apud ſymbolicos notiſſimũ eſt, veluti inter alios obſervat. Pier. Valer. Taurus ſignum terrenum & laborioſum, qui poſtquam irrigaſſet terram Eccleſiæ, ſub jugo crucis, fuit oblata victima æterno Patri, ut eũ generi placaret humano. Conſtellatio. Tauri benevola & manſueta, attamen ſimul laborioſa. quæ ſuis ſequacibus, ſimiles influat inclinationes, & appetitus ſimiles. *Tollite jugũ meũ ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Taurus qui inſtillat voluptates illis animabus, quæ inclinantur ad portandum hoc jugum, ut irrigent cum Chriſto terram S. S. Eccleſiæ *Jugũ enim meum ſuave eſt.* Vbi Aug. *Amanti ſuavi eſt.* Taurus, qui favens animæ ſimul cum influxibus Veneris Spiritus S. infundit ſpiritus pietatis innocentiæ & religionis *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritũ S. qui datus eſt nobis. Religio munda & immaculata apud Deum patrem hæc eſt*, immaculatum ſecuſtodite ab hoc ſæculo. Spiritus influit tam religioſæ innocentiæ, ut ſublevet ad negotia graviſſima, ad honores eminẽtiſſimos in Eccleſia Dei, cum nulla ſit major dignitas quam Deo puro corde ſervire, *Servire Deo regnare eſt.* Taur⁹, qui promittit vitam durã, idq; continuo, quamvis labores ſint jucundi & ſuaves. *Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuã, & ſequatur me.* Tandem Chriſtus fuit conſtellatio tauri, quia toto tempore vitæ directè & ex obliquo paſſus eſt perſecutiones, contradictiones, moleſtias, tũ ab Aquario plebis, tum à ſcorpionibus

Applicatio.

Matth. 11.

Rom. 5.

Iacob. 1.

Luc. 6.

pionibus Scribarum & Phariſæorum, tum leone dęmonis, calumniis & falſis accuſationibus cauſatis ab invido Saturno, tũ ab odiis proveni-entibus ab iracundo Marte. Taurus, qũi eoſdem ſucceſſus ſiniſtros prædicitis, qui reſpiciuntur ab eo in nativitate ſua ſpirituali. *Si me perſecuti* Ioan. 15. *ſunt, & vos perſequentur.* Tandem conſtellationem Tauri habũit in aſcendente noſter S. Apoſtolus, ſupra modum guſtavit ejus influxus. Miniſterium ejus fuit agricultura, ſulcare terram cordium humanorum, plantas vitiorum & infidelitatis evellere, diſſeminare verbũ Dei, plantare flores virtutum, colere agrum animæ. In his toto decurſu vitæ poſt adventum Spiritus S. faciente hac Venere cæleſti, tãta cum delectatione ſe occupavit, ut non ſentiret majus gaudiũ, quam eradicare, excidere, truncare malum, & plantare bonum. *Colendi ruris ſtudio delectabatur.* Cum itaq; habuerit in aſcendente conſtellationem Tauri, debemus dicere, quod fuerit vir valde pius, religioſus innocens, & quod ob hãc magnam religionem, pietatem; & innocentiã decoratus fuerit honoribus eminentiſſimis in Eccleſia Dei, utpote factus Apoſtolus Domini, & unus ex 12. Principibus Eccleſiæ. Honoratus in Polymio, à Regina ejus uxore, à principiſſa ejus filia, & ab innumeris Indis ab eo converſis, qui illum venerabantur tanquam ſuum magiſtrum, protectorem & Dominum; ſignũ evidentiſſimum, quod in aſcendente habueris conſtellationẽ Tauri ſui magiſtri. Et quamvis fuerit tam utilis agricola, tam religioſus & innocens prælatus, attamen directè, & ex obliquo probavit malignos aſpectũ Aquarii plebis, Scorpionis Aſtyagis, Leonis Dæmonum, imo fuit accuſatus opera malefici Saturni, invidorum ſacrificulorum, quaſi fraudibus convertiſſet Regem Polymium, & operâ iracundi Martis Aſtyagis fuit flagellatus, decorticatũ & decapitatũ.

Epilogus. XV. O glorioſiſſime Apoſtole &c. quomodo potuit fieri ut te moleſtarent ab omni parte irradiationes adeo funeſtæ, cum fueris tam utilis agricola Indis, & tam religioſum prælatum te exhibueris? Nunc cauſam hujus capio. Totũ ſic ſucceſſit. Habuiſti in aſcendente taurum Chriſti, recepiſti influxus Chriſti, voluntatem, ſcilicet prompte laborandi cum Chriſto, pro bono communi animarum, voluptatem & gaudium Chriſti in laboribus & difficultatibus, pietatem, manſuetudinem innocentiam Chriſti, utpote ejus diſcipulus. Cum itaq; hic Taurus Chriſti infauſto reſpectu reſpiciatur à plebe Aquarii, à ſcorpione Scribarum & Phariſæorum, à leone infernali, tu etiam neceſſario debuiſti reſpici ab hoc cæleſti tauro in tua nativitate ſpirituali, adeoq; ſubjici iiſdem malis: ut enim dicit Chriſtus. *Si me perſecuti ſunt &c. Si in ligno* Luc. 23. *viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?* Innocentia quippe ſemper fuit meta crudelitatis, ac impietatis hominum, *ſemper enim*, inquit Hier. *virtuti contradicitur.* Quodſi innocens adoleſcens In Ezech. ob innocentiam ſuam fuit vinctus, incarceratus c. 23. & malè habitus, tu innocentiſſime Bartholomæe non debuiſti eximi à moleſtationibus Aſtyagis, quia fuiſti *Nathanael, in quo dolus non erat.* Habuiſti quippe in aſcendẽte conſtellationem tauri. Quodſi David quia non deliquit, quia non læſit, fuit à perverſo Abſolone ob venuſtatem innocentiæ ſuæ faſcino oculorum infectus, an tu debuiſti eximi ab aſpectibus virulentis ſacrificulorum & Aſtyagis, cum fueris adeo formoſus, & adeo innocens? Abel tunc prius fuit à Caino occiſus, quando. *Ex ſacrificio placuit*, quando clarus meritis eluxit. Et tu quia oſtendiſti te habere domũ religionis tam feliciter collocatam, non deberes à Sagittario Aſtyage, & ab iniquis Saturnis ſacrificulorum infeſtari? Ipſe Chriſtus non potuit ſe ſubducere cenſuris, calumniis & morti ipſi, quamvis eſſet filius innocens, & mons altiſſimus perfectionis, quomodo ergo tu poſſes evadere fulmina tuorum perſecutorum? ſi aliter fuiſſet factum, demonſtraſſes, quod non eſſes natus ſub conſtellatione Libræ illibatæ innocentiæ, cum ſis *Bartholomæus, filius ſuſpendentis aquas, donum Dei, & Nathanael in quo dolus non erat.* Non fuiſſes fruiturus privilegio innocentum, qui quò ſunt juſtiores & ſanctiores, eo crudelius tractantur.

O Innocentiſſime Bartholomæe, tua libra ſic tantum menſura juſta noſtræ vitæ, tua venuſtas abigat à nobis faſcinos hominum. Domus tuæ religionis ſit divinatrix, ſeu augurium noſtræ ſanctitatis & puritatis morum. Eminentia tui montis nos defendat à fulminibus Sathanæ. Tua conſtellatio Tauri nos conſervet in noſtra fide, ut edocti à doctrina per te practicata melius poſſimus ſequi tua veſtigia, ut dum noſtros mores conformavetimus tuæ ſanctitati, reddamur digni, ut totum fruamur fructibus dignis tuæ innocentiæ. Et Deus vobis benedicat.

ELO-

ELOGIVM XXVII.

Pro Feſto Nativitatis B V. MARIÆ.

Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus. Cant. 4.

Poëſis. I. DE morte illius adoleſcentis adeo ab antiquitate ob ſuam ſummam venuſtatem celebrati, quem Tireſia prædixit, tam diu victurum, quamdiu ab aſpectu ſui ipſius ceſſaturus erat, non conveniunt Poetæ.

Nonnulli dixerunt, quod cum annis creſcente mole & venuſtate corporis, ſummoperè delectatus fuerit venatione; Hinc cum quadam vice valde laſſus, & acri ſiti vexatus ad fontem aquæ limpidiſſimæ, cujus fundus pelluciditſſimus erat, ſiti reſtringuendæ ſe contuliſſet, genibus flexis, & manibus ripæ fontis admotis, vultu demiſſo, priuſquam labra aquis intingeret, ad vivum effigiem, & imaginem ſui vultus belliſſimi & ſpecioſiſſimi in aquis illis limpidis & tranquillis conſpexit, ejus itaque amore captus, dum neſciret, quomodo votis ſatisfaceret, ex proprio amore ſuiipſius, & ſuæ belliſſimæ formæ inſanus ad ripam illius fontis expiravit. Hinc cecinit Poeta.

Narciſſus liquidis formam ſpectatus in undis
Contemnens alios, arſit amore ſui.
Tabuit & ſenſim venienti in membra ſtupore
Ipſe ſui factus flos Hyacinthus amans.

Alii dixerunt illum ſeſe præcipitaſſe in fontem, ut umbram illius imaginis adeo vivæ in aquis expreſſæ attingeret. Addit Pauſanias in quodam loco Theſſaliæ eſſe fontem nomine Narciſſum, in quo hic juvenis dicitur ſeipſum ſpeculatum. *Pauſan. in Boeoticis.*

Tandem fingit Evantus Narciſſo fuiſſe ſororem eodem ſecum partu editam, adeo ei in forma, capillis, moribus & lineamentis corporis ſimilem, ut in nullo ab ipſo differre videretur, quinimo ſicut in inclinationibus non abibant, ſic eodem planè genere veſtimentorū utebantur. Quodam itaq; die, dum ſimul venatum exiiſſet, juvencula caſu periit. Frater itaq; qui eam tenerrimo complectebatur amore, dum videret ſororem non amplius ſuperſtitem, per ſilvas & nemora quaſi deſperatus oberrando eam quærebat. Tandem ad fontem ſe conferens, è quo ſitim ſolati ſolebant, num forte eam ibi reperiret, dum aquæ ſe admovet, & ſuiipſius imaginem conſpicit, credens illam eſſe dilectiſſimam ſuam ſororem, aliquantulum ejus ſe conſpectu recreando, dolorem mitigavit. Sed quia hic aſpectus eum totaliter non ſatiabat, deſiderans amplecti ſuam charitſſimam ſororem in fontem ſe præcipitavit, & extinctus eſt. Hinc Evantus: *Cum id ſolatium leve videretur, demq; magnitudine deſiderii deperiit, vel ut aliis magis placet, ſe in fontem dejecit & periit.*

II. Narciſſus pulcherrimus fuit filius Dei, ſapientia Patris adeo ſpecioſus, ut ſponſa eum gratioſiſſimum & ſpecioſiſſimum omnium eſſe dicat. *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.* Caput hujus cæleſtis Narciſſi erat auro puriſſimo cinctum & coronatum; capilli erant valde denſi, prominentes & criſpi, ita ut ramuſculi viderentur eſſe palmæ, oculi erant ſimiles oculis columbarum, genæ candidæ & rubicundæ ſuaviſſimum fragrantes odorem, labra velut duo lilia vel roſæ, manus planæ & tornatiles, venter candidiſſimus velut ebur. Criſta inſtar duarum columnarum marmorearum ſolidiſſimarū. O quā venuſtè fuit hic cœleſtis Narciſſus! Applicatio. *Cant. 5. Cant. 1.*

Juvencula pulcherrima ſupra omnes puellas Dei fuit Virgo noſtra Domina. Hæc à ſua nativitate fuit tanta venuſtate ornata, ut appareret eam eſſe ſororem Dei, eodē cum ipſo partu editā in mēte paterna. *Primogenita ante omnē creaturā.* Hujus amore maximo flagrabat Narciſſus filius Dei. Hinc præ amore extra ſe actè dicebat. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.* *Eccleſ. 24.*

Fons aquarum ubertimarum, puriſſimarum, limpidiſſimarum, & cryſtallinarum divinarum gratiarum, & ſupernorum favorum fuit Virgo ſanctiſſima. Fons à ſua origine, non ſolum à nativitate, ſed & conceptione aquis mun-

inundans & ſcatens, quibus hortum Eccleſiæ irrigat. *Fons hortorum, puteus aquarum viventium.* Fons qui hodie ſcaturiit è terra, imò paradiſo uteri ſanctæ Annæ. Fons cui immediatè ſe acclinavit filius Dei, Narciſſus paradiſi, quaſi laſſus ex venatione, qua inſecutus eſt prædam humanæ naturæ. Fons demum in quem ſe hic Narciſſus præcipitavit & ſubmerſit.

Cant. 4.

Sed ô optime & venuſtiſſime Narciſſe, quæ eſt cauſa, quod te præcipitaveris in hunc fontem limpidiſſimum Mariæ? ô ſtuporem mundi! An non vides, quod dum è cœlo volo adire hunc fontem, in illo contempler & ſpeculer imaginem ſpecioſiſſimam mei vultus in fonte Mariæ receptum, ac adeò ad vivum repræſentatam, ut videatur eſſe alter ego. Hinc ejus amore captus, amor me cogit, ut præceps ruam in hunc limpidiſſimum fontem, in quo adeò perfectè me video repræſentari, ac ſi eam contemplando meam figuram & formam ipſi impreſſiſſem. Hinc Ambroſius. *Fons ſignatus ideo dicitur, quod imago Dei inviſibilis in illa exprimatur.* Limpidiſſimus fons, venuſtiſſima puella, imago expreſſa filii Dei, hanc mihi fac gratiam, ut calamo meæ linguæ poſſim orbi dignè demonſtrare, quomodo tu ſpeciali privilegio præ omnibus aliis creaturis rationalibus repræſentaveris ad vivum benedictum Deum. De hoc hodie perorabo.

Lib. 1. de Virgin.

ASSUMPTUM.

Maria Virgo quantumvis adoleſcentula, fuit imago Deum expreſsè repræſentans, cum omnibus ſuis perfectionibus.

III. POſtquam Vates Elias cum famulo ſuo perveniſſet ad verticem Montis Carmeli terræ adgeniculatus, & vultum terræ acclinans ſervo juſſit, ut ſixè intenderet mari, num forſan aliquid in eo videret. *Aſcende & proſpice contra mare.* Famulus obediens ad nutum dictis Prophetæ paruit, & dum nihil cerneret, converſus ad herum dixit: *Non eſt quicquam.* Replicavit Vates, ut ſeptem vicibus diligenter attenderet. Et en ultimâ vice nubeculam valde parvam vidit aſcendentem è mari, quæ veſtigium pedis non excedebat. *Ecce nubecula parva quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* Pagninus legit *quaſi veſtigium viri.* Hæc nubecula non videbatur eſſe veſtigium puellæ, vel pueri, ſed quaſi veſtigium viri, vel hominis adulti. *Quaſi Veſtigium hominis, quaſi veſtigium viri.* S. P. Joannes Hieroſolymitanus affirmat, hanc nubeculam fuiſſe ſymbolum Mariæ, quæ naſcebatur & prodibat in mundum. Et illi accinunt etiam alii Interpretes, quantumvis hæc expoſitio me pellat in pelagum difficultatum; ſi enim hæc nubecula ſignificet Mariam, meo ſenſu debuit dici. *Ecce nubecula parva quaſi veſtigium fœminæ, vel mulieris, vel virginis aſcendebat de mari,* & non *quaſi veſtigium hominis.* Præterea ſi Maria naſcens denotabatur hâc nubeculâ, & in illo ſtatu fuerit puella valde parva. Cur quæſo dicitur, quod fuerit *quaſi veſtigium viri,* & non *quaſi veſtigium puellæ,* aut *pueri*?

Locus Script. *3. Reg. 18.*

De inſtit. Monach. c. 32.

Mirè præfatus S. Pater. *Ecce nubecula &c. quia Maria non fœminam, quam imitaretur, ſed hominem divinum habuit exemplum,* quàm benè! ſcire debetis, quod hæc nubecula etiam in ſua prima origine & comparitione in orbe, tot excellentiis & perfectionibus exornari debuit, ut verè dici poſſet, eam eſſe ideam, imaginem & figuram veram filii Dei. Cum autem in orbe toto, nec in tota ſerie fœminarum, vel maſculorum, potuerit aliqua reperiri idæa, ad cujus exemplar illa formaretur, hinc neceſſarium fuit, ut ipſe filius æterni patris Deus & homo ei pro idea ſerviret, & hanc adeò perfectè repræſentavit, ut ſuo modo nec minima inter Originale & imaginem potuerit notari, ita ut qui videret Mariam, crederet ſe videre filium Dei, & qui hunc contemplabatur, putaret ſe intueri Mariam; adeò vivè fuit in Maria delineata imago ſui ſanctiſſimi & divini filii. Unde eſto in nativitate comparuerit inſtar puellæ parvulæ, tamen impreſſam habuit imaginem & ideam hujus Dei humanati. *Ecce nubecula parva &c. quia Maria, &c.* prærogativa hæc & excellentia ſolæ noſtræ puellæ Mariæ naſcenti debetur.

IV. Domini Muſici, vos habetis in veſtra Muſica arte quandam regulam, quæ vocatur *Perfidia.* Nec hic terminus apud vos malè ſonat, quia non ſignificat fraudem, impoſturam vel fidei ruptionem aut deceptionem, ſed magnam conſtantiam

ſtantiam & firmitatem, quia derivatur à Tò *perfidus*, quod idem eſt ac *valde fidus*. Et ut hoc pateat eſſe verum, vos utimini hâc regulâ muſicali, quando vultis ut cantent duo Muſici certatim & ad æmulationem, ita ut unus repetat alterius voces, tonum, eaſdem modulationes, accentus, ſemitonos, inflexus, vocis depreſſiones aut elevationes, verbo, unus alterius harmoniâ recipiat, & quò perfectiùs unus alterum imitatur, eò cantus eſt ſuavior, & dicitur perfidus æmulator ſocii.

Lib 10. Cap. 29. Quod ſi curioſè indagetis, unde didicerint Muſici hanc regulam & modum cantandi. Reſpondeo ego à Luſciniis. De his refert Plinius, quod dum delectantur voce ſuâ ſonoriſſimâ, & cantu ſuaviſſimo, ſuo modo inter ſe cantando certent, & dum una alteri non vult cedere, adeò *perfidè* & conſtanter concinunt, ut potiùs mori quam cedere velint. *Certant inter ſe, palamque animoſa contentio eſt. Victa morte finit ſæpe vitam ſpiritu prius deficiente quam cantu.*

In confirmationem hujus veritatis recordor me legiſſe in quodam Poëta, neſcio an ſit fabula vel vera hiſtoria, quendam Nobilem iter agentem, cytharam ſuam ſecum portaſſe, contigit igitur, ut caſu ſubtus arborem quandam, cui Luſcinia inſidebat, quieſcendi ergò conſideret. Nobilis animi oblectandi ergò cytharam apprehendit, & digitis perertans modos incepit, Luſcinia velut perfidus imitator cytharæ ſonos & modos non diſſonos repetivit. Nobilis rurſum cytharam tentat & aliam harmoniam canit, quam & luſcinia perfectè æmulata eſt. Aliquamdiu nobilis cytharam pulſavit, ſed tandem tam prolixè modulari cepit, ut luſcinia defatigata melos repetere non poſſet, unde victa, mortua ſuprà cytharam cecidit, potiùs volens juxtà Plinium mori, quàm Antagoniſtæ cedere. Hinc Poëta.

Victoris cadit in plectrum par nacta ſepulchrum.
Vſque adeo & tenues animas ferit æmula virtus.

Et meo judicio non fuit id fabula, ſed vera hiſtoria. Siquidem ut advertit Plinius, inter has aviculas quædam contentio & æmulatio interedit, & pulli docentur ab adultioribus, pullus ſiquidem attentè excipit melos harmonicum adultiorum, illudque ad numerum repetit, quaſi repetendo & recitando lectionem, quod ſi erret in repetitione, corrigitur. Hinc Plinius, *Meditantur aliæ juniores, verſuſque quos imitentur, accipiunt. Audit diſcipula attentione magna, & reddit, vicibuſque retexens.* Nil ergò miti, quod illud factum recenſitum à Poëta non ſit fabula, ſed vera hiſtoria.

Applicatio. V. Nunc ad Mariam. *Ecce nubecula, &c.* Muſicus & modulator excellentiſſimus fuit filius Dei, de quo dicitur in perſona Vatis. *Et David cum Cantoribus cytharam percutiebat in domo Domini.* Modulator cinctus ab infinitis Philomelis, ſpiritibus puta Angelicis, qui ſuaviſſimè laudes & miſericordias Dei choraliter cantant, utentes regulâ muſicali *perfidiâ*. *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum*, primus intonuit ſextus ſuaviſſimo vocis apparatu, alter non minori nec minus gratioſâ inflectione & criſpatione vocis illud repetivit, & hoc modo alternatim laudes Dei decantabant. Luſcinia graciliſſima & quæ ſuaviſſimè cecinit fuit Virgo noſtra Domina, Vocem adeò habuit ſuavem & gratam, ut filius Dei alio non delectaretur, aliud non optaret, quam ſuaviloquis ejus modulationibus paſci. Hinc dicebat in ſactis Canticis, *ſonet vox tua in auribus meis, Cant. 2.* *vox enim tua dulcis.* Luſcinia ſuaviſſima fuit B. Virgo, quæ à Nativitate ſua, ut ſileam de conceptione ejus, in utero materno cœleſtes philomelas imitari conata eſt. Hinc artificioſiſſimis inflexibus vocis repetebat eaſdem laudes, eoſdem concentus, & illos modos continuans à Nativitate ſua uſque ad adventum filii Dei, æmulari cœpit Luſcinias Angelicas.

Sed quid dico Virgo benedicta Luſcinia paradyſi, quod demonſtraris te eſſe æmulatricem Angelorum, ſi & ipſum natum filium Dei conata fueris perfectè imitari? ſemper ejus modos & cantus repetiiſti. Omnes ejus verſus es imitata, omnes ejus vocis inflexiones & criſpationes reſumpſiſti Humillimus fuit Chriſtus, & humillima fuiſti tu, patientiſſimus ille, patientiſſima tu. Pater miſericordiarum ille, mater miſericordiæ tu. Plenus gratia ille, plena tu. Verbo, ita perfectè es eum imitata, ut magnus Areopagita dixerit, niſi fides obſtetiſſet, quod re cradi-

etedidiſſet eſſe Deam, & ut talem te adoraſſet, ita ut ſola fides, & non ſenſus vel intellectus potuerit ſententiam ferre, te non fuiſſe Deam. Meritò ergò te Alanus plenis buccis conclamavit: *Perfidam imitatricem filii Dei.*

Luſcinia Paradyſi, quæ non ſolùm imitata eſt Chriſtum in cantibus lætis & feſtivis, ſed & triſtibus ac doloroſis paſſionis. Hinc ligato Chriſto, & ipſa ligabatur; ſi flagellabatur Chriſtus, & ipſa flagellabatur. Si tormentabatur Chriſtus, tormentabatur Maria. Crucifigebatur Chriſtus, crucifigebatur Maria, ac ſi Maria Luſcinia cœleſtis fuiſſet echo, quod omnes modos & cantus ſanctiſſimi ejus filii reddebat. Carthuſianus ad ſtuporem bene dicebat: *Omnis angor & mœror Chriſti mirabile quoddam echo in Deipara Virgine cauſabat, omnes Chriſti pœnas referens. Vnde cum Chriſtus protulit. Triſtis eſt anima mea, mea reſpondet echo Maria. Cum clamat ſitio, Sitio reſonat in Maria.* Philomela divina, quæ videns tandem non poſſe exactè eum imitari, quippe cum filius tuus non eſſet pura creatura, ac te victam dares, ruiſti in pectus & brachia ejus. *Lava ejus ſub capite meo, & dextra illius amplexabitur me,* quaſi *par nacta ſepulchrum*, neſcires ubi melius poſſes claudere dies tuos, quàm in ſinu illius cœleſtis Muſici, quem adeò perfectè es æmulata, ita ut potius volueris mori inſtar Philomelæ, quàm ceſſare à cantu.

De lamentat. B. V. lib. 12. ho. 6. to. 3.

Cant. 2.

Vſque adeo, & tennes animas ferit æmula virtus.

Dicamus ergò, quod comparueris velut nubecula aſcendens è mari, ſimilis non veſtigio pueri, aut puellæ, vel viri communis, ſed viri gigantei, viri qui fuit ſimul Deus & homo, idque quia tam perfectè, & tantâ perfidiâ illum cœleſtem Muſicum es imitata. *Quia Maria non fœminam, &c.*

Scriptura. *Cap. 8.* VI. In proverbiis loquens Sapientia divina de ſeipſa, & de ſua origine ſine principio, dicit ſe ab æterno electam, prædeſtinatam & præordinatam. *Ab æterno ordinata ſum & ex antiquis antequam terra fieret.* Quod hæc verba etiam intelligantur de Maria, pluſquam notum eſt ex ſenſu Eccleſiæ & plurium expoſitorum. Et quamvis prima facie videantur facilia & elata, tamen ob varias lectiones non poſſunt ita faciliter intelligi. Rabbi Emmanuel legit. *A ſæculo teſſulata ſum.* Lectio, ut verum fateat, valde obſcura. Obſervant porrò Tò *Teſſulata* derivari à verbo *Teſſela*, quod eſt idem ac *Teſſera* & ſubinde ſignificat ſignum, quod gerunt milites; ut poſſit ſciri, cujus factionis aut cohortis ſint; Et hoc ſenſu, dum hoc verbum accommodant Mariæ, ſignificare volunt, quod Mater Dei ab inſtanti ſuæ nativitatis, imò ab æterno fuit ſignata teſſera & ſigno divinæ gratiæ, ut ſic eſſet nota inter omnes poſteros Adæ. Alii volunt Tò *Teſſelam*, vel *Teſſeram* ſignificare figuram cubam, ſeu perfectè quadram, quæ qualitercunque projiciatur, ſemper ſtat erecta inſtar aleæ; volunt ergò, quod Maria hæc ſignum ſibi attribuat, de ſeipſa loquens, de ſe diceret: Ab æterno me formavit Pater æternus, inſtar figuræ pefectè cubæ ſeu quadræ, ne ſicut alii filii Adæ cadere poſſim; Nam ſola ego ſum præſervata ab originaria noxa.

Alii legunt: *Ab æterno tecta ſum*; hoc eſt, ab annis æternis in mente Dei ſum munita & defenſa, ne contraherem originale peccatum, quod alias ex natura contrahere debebam. Alii tranſtulerunt: *Ab æterno princeps initiata, inaugurata ſum*; Cùm enim debuerim eſſe filia æterni Patris, Mater verbi divini & ſponſa Spiritus ſancti, & hi tres ſint ab æterno reges cœlorum & terræ, jure merito ab æterno honorati debui charactere Reginæ.

Rabbi David tandem ſubſtituit: *A ſæculo conflata ſum*; perindè ac ſi diceret Virgo, ab æterno ſimplici flatu producta ſum. O portentum cœli! qualis hæc eſt Hetroclita lectio? A Deo ſum producta, & mea productio non conſtitit plus Deo, quàm unicus flatus. Ego hoc non capio. Nihilò ſecius ſacri Interpretes, pro elucidatione unius paradoxi, adhibendum eſt aliud. Vidiſtine unquàm confici vitrum vel Chryſtallum? ſi ſic, obſervaveritis ſine dubio, quod vitrum quamdiu eſt in fornace, ſit materia quædam mollis, tenera & ita flexibilis, ut ſummâ facilitate quamcunq; formam admittat. Vitriarius fornaci appropinquat, accipit canalem ferreum perforatum, illum intingit fornaci, extremitate ferri attrahit nonnihil ex illa paſta vitri; & per aliam extremitatem ſemel ſufflat, & ſtatim vitrum dum dilatatur, ab alia extremitate recipit formam, quam antea non habuit. Simplici flatu ex forma

imperfecta & infirmi ſit vitrum, quod ſi vitrarius velit vas ſummæ pulchritudinis formare, accipit quoddam ſigillū, cui impreſſa eſt quædam pulchra figura & ſufflando per alteram extremitatem, dum Cryſtallum dilatatur & accurrit ad ſigillum, recipit in ſe omnia illa delineamenta, quæ illi ſigillo erant impreſſa, & ſic fit vas cryſtallinum adeò pulchrum, ut dignum ſit quod inferatur menſis Imperatorum & maximorum magnatum & tamen ſimplici flatu eſt productum ab artifice.

Hic ergò fuit ſenſus Rabbi David. Virgo Mater Dei eſt producta à ſupremo artifice, æterno ſcilicet patre, ſimplici flatu ſui intellectus operativi, & velut mollem paſtam cryſtalli ſigillo ſuæ mentis divinæ eam impreſſit, eique dedit nobiliſſimam & perfectiſſimam formā, quæ naturæ rationali poſſet communicari; Hinc facta eſt vera effigies in ejus mente impreſſa, ita ut per excellentiam vocetur opus hujus ſupremi artificis. *Vas admirabile opus excelſi.* Ad ſtuporem itaque bene dixit Rabbi David. *A ſæculo conflata ſum. A ſæculo conflatilis in modum imaginis quaſi per fuſionem quandam bonā in formam compoſita fui.*

Theologia. VII. Patres Theologi à vobis ſcire vellem, an opera creationis & productionis ad extra ſint communia tribus perſonis, vel an uni tantum conveniant, contra illud axioma Theologicum. *Opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa.*

Origenes cenſuit, patrem eſſe eum, qui dat omnibus eſſe, quod ſi tamen creaturæ præter eſſe, competat eſſe rationalem, voluit illud deberi ipſi communicari à filio, quod ſi præterea competat illi aliqua juſtitia, illam debet habere à Spiritu ſancto. Hæc opinio ſi intelligatur per attributionem ſana eſt, ſed alio modo eſt erronea. Lib. Periarch.

Nonnulli Theologi moderni, ſectatores Raymundi Lulli, qui opinatus eſt myſterium Trinitatis eſſe demonſtrabile naturaliter, dicunt in quolibet effectu reali, reperiri aliquid reale à ſolo filio, & aliquid reale à ſolo Spiritu ſancto. Sed hi ſimplices non advertunt, quod hoc modo pater non eſſet creator univerſalis omnium rerum, quod contradicit primario articulo fidei noſtræ.

D. Thom. 3. part. 4. Tota tandem Theologorum ſchola affirmat, omnes tres perſonas indiviſim concurrere ad productionem rerum, cum axioma ſit veriſſimum, quod *opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa*; juxta illud Dionyſii Areopagitæ. *Communia totius divinitatis ſunt creabilia.* Verum quidem eſt, inquit Doctor Angelicus, in omnibus creaturis reperiri aliquam rem, quæ eſto ſit communis tribus perſonis, tamen per accommodationem aliter attribuitur Patri, aliter Filio, aliter Spiritui ſancto, quia in omnibus creatis rebus reperiuntur hæc tria numerus, pondus & menſura, uti legimus in libro Sapientiæ, modus, ſpecies & ordo, eſſe, forma & ordo. Eſſe, modus & menſura attribuuntur patri, veluti illi, qui eſt principium rerum ſine principio, & quia illa tria reſpiciunt potentiam, quæ attribuitur patri, ideo attribuuntur patri. Numerus, ſpecies, forma attribuuntur filio, qui eſt Idea illius ſuperni artificis, qui *per verbum intellectus conceptum operatur.* Ordo tandem & pondus attribuuntur Spiritui ſancto, & ſic quælibet creatura repræſentat quamlibet perſonam divinam: attamen quia pater in productione horum effectuum creatorum ſe habet ſicut artifex materialis, notandum eſt quod hic, v.g. aurifaber, antequam fabricet, v g. annulum, monile, vel neſcio quid aliud, format ſibi in ſua mente aliquod exemplar vel ideā, & juxtà hanc conatur inducere formam auro, quod parārit ad hunc effectum, & ſi non reperiat in materia reſiſtentiam, quando eſt peritus in ſua arte, eadem exhibet formam in auro, quam fabricaverat antea in ſua mente. Unde ſicut hoc modo poteſt dici, quod aurifaber quodam modo impreſſerit materiam auri & formam monilis in idea, quam antea ſuæ menti, quaſi cuidam ſigillo impreſſerat. Eodem modo dici poteſt juxtà noſtrum modum intelligendi, quod artifex Deus Pater, volens reducere ad eſſe creaturas, illas prius produxerit, quaſi in quodam ſigillo in idea ſuæ mentis, & verbi æterni, & juxtà earum capacitatem & diſpoſitionem ab eo receperint propriam formam. Hoc credo, quod voluerit dicere Evangeliſta Joannes loquens de verbo. *Omnia per ipſum, id eſt per formam & ideam facta ſunt.* Hinc dixit Angelicus ſuprà: *Secundùm autem, quod creatura habet quandam formam & ſpeciem, repræſentat verbum, ſecundùm quod forma artificialis eſt ex conceptione artificis.* Hinc ſic diſcurro. Pater volens reducere ad eſſe lapides, accepit portionem quandam primæ materiæ, & quaſi per-

45. a. 6. Cap 2. de div. nom.

Cap 11.

Sup. art. 7.

perfectiſſimus vitriarius flatu intellectus ſui operativi, illam impreſſit in exemplari, & forma verbi, ſed quia hæc paſtâ vitri non fuit capax, ut reciperet in ſe aliud delineamentum, quam ſimplex eſſe, ideo hoc modo fuerunt producti lapides; volens deinde creare plantas, accepit aliam portionem materiæ primæ, & flatu intellectus ſui operativi impreſſit eam exemplari, ac ideæ verbi, & ſicut hæc fuit capax ad recipiendum delineamentum vegetationis, præter eſſe recepit vitam & ea productam plantam, & ſic conſequenter omnibus creaturis dedit propriam formam cum proprietatibus convenientibus juxta cujuſque capacitatem, omnes ſimplici flatu intellectus operativi impertiendo exemplari verbi; quod ſi non omnes habeant omnia delineamenta communicabilia creaturis hujus exemplaris, id fit ex incapacitate earum. Et ſic ab æterno decrevit in tempore operari.

Applicatio. VIII. Nunc ad Virginem. *Ab æterno &c.* Inſtar mollis paſtæ vitri poſitæ in manu ſupremi vitriarii Dei fuit ſanctiſſima Virgo ex ſpeciali privilegio facta capax recipere omnia delineamenta perfectionum impreſſa à Deo ſigillo verbi ſui. Et ea, dum vellet eam reducere ad eſſe flatu intellectus ſui operativi, inſufflavit in ſigillum verbi æterni. Et ſicut erat capax ad recipienda omnia delineamenta impreſſa illi ſigillo ita omnia tantâ perfectione recipit, ut ad vivum fieret repræſentans ideam, formam & ſigillum verbi æterni. Hinc dixit Imperfectus: *Mariæ ſpecioſior facta eſt quam totus mundus.* Eſt vas quod per excellentiam vocatur opus ſummi vitriarii Patris, *Vas admirabile opus excelſi.* Hinc ſi creaturæ habeant delineamenta ideæ divinæ diviſim & ſeparatim, Maria habet illa conjunctim juxta illud Idiotæ: *Omnium privilegia habet in ſe congeſta, ita ut nullus major ſit illâ niſi Deus*; imo ut ſic dicam, quaſi infinite in illa emicant.

Cap. 2. in Matth. *Eccleſ. 43.*

Comparet Maria hoc celebri die, in bono ſtabilior terra, caſtitate limpidior aquis, contemplatione ſubtilior aëre, charitate calidior igne, virginitate purior cœlis, gratiâ clarior luce, ſapientiâ ſapientior Cherubinis, amore ardentior Seraphinis, verbo, *Omnium privilegia, &c.*

Cap. 2. de contempt. Maria.

Dic ergo ô Virgo ſacratiſſima. *Ab æterno conflata ſum.* Ab æterno fuit decretum, ut inſtar mollis paſtæ vitreæ in tempore, ſcilicet pro te, & nobis hoc ſolemniſſimo die producereris à ſupremo vitriario Dei creantis ſimplici flatu intellectus operativi, & ut reciperes omnia delineamenta verbi divini, quæ ſunt communicabilia puræ creaturæ. *A ſæculo conflatilis, &c.*

O glorioſiſſima puella, & quam es pulchra, quam es perfecta, quam es vera, & expreſſa imago tui ſanctiſſimi filii? conor id oſtendere, ſed acum non tango. Laborare pro te eſt pium, pervenire ad tuam perfectionem eſt impoſſibile, illud velle tentare eſt temerarium. Nunquam præſumpſi me illud velle attingere, quia ſemper judicavi hoc impoſſibile. Solus affectus animi inducit me, ut compendioſe illud dicam, quod diſcurſu prolixiori non poſſem, nempe quod ſis *ſpecies, forma, & imago Dei perfectiſſima.* Sed qualis imago? An imago, quæ repræſenter Deum parvulum, Deum puſionem & minorem, quam ſit in ſeipſo? Minimè? ſiquidem es imago, quæ repræſentat Deum adultum, Deum grandem & talem forſan, qualis eſt in ſeipſo, imo (bene intelligi volo) Deum ſuo modo majorem, quam in ſeipſo ſit, prout ſtatim oſtendam.

Scriptura. IX. Hinc ſponſus cœleſtis alloquens in Canticis Virginem hanc, & deſiderans in ejus ſemper memoria haberi, rogat ut ſuam imaginem, cor & brachium ſibi imprimere velit. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum.* Græcus textus legit: ut *ſigillum.* Hic ſcire velim, cur potius dicatur, ut *ſigillum*, quam ut picturam? Cur quæſo Deus benedictus voluit ſuam ſimilitudinem relinquere Mariæ, ut Maria eâ viſâ haberet occaſionem de ea cogitandi; Cur non dat ei ſuam imaginem pictam, cum ſit tam excellens pictor, ſed ſigillo impreſſam. *Pone me ut ſigillum &c.* *Cant. 8.*

S. P. Athanaſius lib. de paſſione Domini inquirit, qualis ſit differentia inter imaginem penicillo depictam, & imaginem impreſſam ſigillo in cerâ, vel alia materia molli, & capaci impreſſionis? Et reſpondet, quod pictura non ſit ita ſimilis prototypo ſicut ſigillum. Hinc eſto pictor quantumvis excellentiſſimus depingat aliquod objectum, tamen penicillus cum tota ſua arte non ita reddet picturam ſimilem prototypo ut nihil deſit, quod ad ejus perfectionem addi poſſet. Sed imago ſigillo impreſſa adeo ſit ſimilis ſigillo, ut nil amplius requiratur,

quia facta eſt ab ipſo ſigillo, hinc ſi aliquis poſſet imprimere telæ ſuam faciem, non eſt dubium, quin illa impreſſio eſſet perfectiſſima, & ſimillima ejus faciei, multoque melius, quam ſi fuiſſet delineata penicillo.

Athanaſ.

Hinc quando Chriſtus ſuum vultum ſudario Veronicæ impreſſit, illa impreſsio fuit adeo perfecta, ut nil defuerit, ita ut nec ullus pictor quantumvis excellentiſsimus vultum Chriſti, quamvis præſentis, tam perfectè poſsit delineare, ſicut fuit impreſſa velo Veronicæ. Hinc Athanaſius. *Non variat impreſſa imago ab imprimente ſignaculo ſed incommutabilis perſeverat, juxta ſculpturam annuli, ſive in cera, ſive in auro ſignaculum illud effigiatum ſit.*

Nunc ſic dicite: Maria Virgo recepit imaginem Dei non depictam penicillo, ſed impreſſam ab ipſo Deo ſigillo ſuiipſius, & quaſi ipſe fuiſſet ſigillum, ſeipſum cordi, ac brachiis Mariæ impreſsit; Maria itaque facta eſt ſimillima Deo, ita ut ſic loquendo nil ſit in Deo, quod melius non videatur in Maria, quam in omnibus aliis ſimul creaturis, quia reliquæ creaturæ ſunt quidem imagines à Deo fabricatæ, ſed ſunt quaſi penicillo depictæ, adeoq; non poſſunt eſſe perfectè ſimiles Deo, quia per picturam imago non fit planè ſimilis prototypo, ſed in Maria eſt impreſſa ipſa imago Dei quaſi in ſigillo, adeoq; quantum eſt poſsibile, facta eſt ſimillima Deo. Quia *Non variat &c.* Ideo *Pone me &c.* Ad hoc forſan voluit alludere S. Ambroſius dicens.

Lib. de Sacram. c. 2.

Tene imaginem meam in corde tuo, & in brachio tuo, ut exhibeam te mihi ſimilem. Prærogativa ſingulariſſima Virginis.

Philoſophia. De Lapid.

X. Non eſt vulgare portentum, quod in lapide Selenite videatur delineata Luna, cum ejus accretione & decretione, ſic Solinus: *In Perſide Selenites invenitur, translucet fulgore candido, melleoque, continens Lunæ imaginem, quem juxta curſum aſtri ipſius per hibent diebus ſingulis, vel minui, vel augeri.* Non minus eſt ſtupendus lapis ſtellarius in quo repræſentantur ſtellæ cœli; prodigioſiſſima eſt etiam gemma Aſterites, de qua ſic loquitur Iſidorus. *Aſterites gemma incluſam lucem continet, vel ſtellam introrſus ambulantem, reddit que ſolis candidantes radios.* Hæc ſunt portenta, quæ humanum ſuperant captum, dum in terrâ, & lapidibus nobiliſſimum opus maximum Dei videmus fabricatum.

Cap. 38. de mirab.

Lib. 6.

Subintrant hic erudita ingenia & quærunt, à quonam illæ formæ & imagines humanæ imprimantur ſpecialiter in lapidibus An hoc ſit caſu, an à propoſito?

Philoſophia.

Ut dicam quod res eſt, difficilis, adeoque incerta eſt reſpõſio. Philoſophus diceret hoc provenire à variâ combinatione elementorum, ac primarum & ſecundarum qualitatum, quæ dum in contrariis gradibus conjunguntur, ſicut dant lapidibus diverſos colores, virtutes, ac proprietates, ſic & iis dant diverſam formam & figuram; ſiquidem hic nullum poteſt intervenire agens naturale, quod potius figuram ſerpentis, quam hominis inducat. Hinc debet dici quod cùm materia illa ſecunda ſit talis diſpoſitionis, ideo etiam potius illa figura accidentalis inducatur, quam alia.

Aſtrologia.

Aſtrologi vero, ut verum fatear loquuntur ſapientius. Hi dicunt id provenire à cœlo, & influentiis luminum cœleſtium. Cum enim materia lapidum ſit ex ſe ſine ulla forma, ideo ab agente aliquo debet diſponi, ut potius recipiat hanc, quam illam, alias cunctæ res eſſent confuſæ, Porrò prout patet, à ſolo cœlo poteſt fieri hæc diſpoſitio, adeoque & illæ formæ debent induci. Hinc dixit Ptolomæus. *In generatione & corruptione formæ afficiuntur à cœleſtibus formis.* Et ſicut in cœlo ſunt diverſæ formæ, & diverſæ virtutes ſtellarum, ſic in materiam ſublunarem lapidum variæ ab eo inducuntur formæ. Et quia quælibet res naturaliter inclinatur ad ſui communicationem & propagationem, cum id non poſſit fieri in propagatione eſſentiali, conantur agentia id præſtare ſaltem in ſua ſimilitudine; Hinc cum Sol non poſſit producere alium ſolem, nec luna aliam lunam, nec ſtellæ alias ſtellas; Hinc fit quod ad minus inducant in materias ſublunares ſuam ſimilitudinem. Quod ergo petra ſtellaria repræſentet in ſe ſtellas, Selenites lunam, Aſterites ſolem, provenit non à terra, ſed à cœlo. Ideo Ptolomæus. *In generatione &c.*

Propoſ. 9. Centiloq.

Applicatio.

XI Nunc ad Mariam. *Pone me &c* Sol vocatur æternus Pater, veluti ille qui eſt fons primarius omnis lucis. Hinc Abbas Guiſſolenſis. *Sol aliquando peculiariter deſignat Deum Patrem.* Stella & quidem nobiliſſima eſt filius, ſic obſervante Spiritu ſancto *Orietur ſtella ex Iacob.* Luna eſt Spiritus ſanctus, quæ nunc ſe nobis exhibet plenam, nunc ſemiplenam quoad gratias & dona, quæ communicat. Hinc idem Abbas. *Lu-*

Num. 24.

na in Deo eſt menſura nobis domeſtica, quæ nunc vacua, nunc ſemiplena, nunc pleniſſima dicitur, prout chariſmata ſuſcipit à ſuperioribus nobis communicanda. Lapis pretioſiſſimus eſt Maria, & gemma inæſtimabilis valoris producta, & hodie prodiens ex fortiſſimâ Minerâ ſanctæ Annæ. Gemma quæ omnes alias ſuperat, ut dicit
In Pſalt. Doctor Seraphicus. *Gemma mulierum.* Gemma in qua videtur non ſculptus; ſed delineatus, non ab arte & naturâ creatâ Sol æterni Patris. *Electa ut Sol.* Stella increatæ ſapientiæ. *Ave maris ſtella.* Luna Spiritus S. *Pulchra ut luna.* O quam belliſſima & pretioſiſſima fuit hæc gemma etiam mox nata!

Sed quis amabo fuit delineator, pictor agens, qui tam perfectè potuit in hac gemma delineare delineamenta cœli, & imaginem ipſiuſmet Dei? Dicat quidquid quis velit, nec natura, nec ars, poteſt ad hoc concurrere, cum hoc opus in infinitum excedat vires cujuſcunque creaturæ. Nec alium agnoſcit authorem, quam cœlum, naturam creantem Deum, & collegium totius ſanctiſſimæ Trinitatis. Imprimere imaginem ſolis, qui eſt fons lucis, ſtellæ filii, lunæ Spiritus ſancti, nullus poteſt, niſi ipſemet ſit ſol patris, ſtella filii, & lunâ Spiritus ſancti; nullus inquam poteſt præter ipſum cœlum, & hæc omnia ita perfectè fuerunt delineata in Maria, ut potuerit vere dici, quod vera fuerit imago Dei, ac ſi ipſemet Deus quaſi eſſet ſigillum ſuiipſius, & ſeipſum impreſſiſſet Mariæ. Hinc dicebat. *Pone me &c.* Non dicit ut picturam, quia pictor quantumvis ſit expertus, tamen non ita perfectè poteſt imaginem reddere ſimilem prototypo, quam facit ſigillum materiæ impreſſum. Hinc dicebat S. Athanaſius, ut oſtenderet perfectiſſimã expreſsionem Dei in Maria. *Non variat &c.*

Scriptura. XII. Spiritus ſanctus loquens de filio Dei ſapientiâ æternâ dicit, quod ſit candor, ſplendor, vel claritas lucis æternæ, ſpeculum puriſsimũ, tetiſsimum ſine maculâ, imago ad vivum repræſentans Deum. *Candor eſt lucis æternæ, ſpeculum ſine macula, & imago bonitatis illius.* Hæc
Sap. 7. verba abſque ullo ſcrupulo (NN.) applicantur Deiparæ. Sed ſi veritatem velim fateri, videtur mihi paradoxum, quod virgo vocetur imago Dei, & divinæ bonitatis, *Imago divinæ bonitatis.* Quod virgo vocetur *Candor lucis æternæ*, veluti illa, quæ lux eſt, quæ derivatur ab ipſo fonte divinæ lucis, & quæ ob ubertatem ſuperabundantem gratiæ divinæ, quæ in ipſa ab ortu ejus, imo ab inſtanti conceptionis reſplendebat, ab ipſa luce abſorpta fuit, & in eam transformata facillime crediderim. Quod ſimiliter vocetur ſpeculum terſiſsimum & ſine macula, ob ejus puritatem, innocentiam & integritatem, quilibet poteſt capere. Sed quod in certo ſit imago Dei, non intelligo. Lego quippè in ſacra Geneſi, quod Deus volens creare hominem, convocato quaſi toto conſiſtorio ſanctiſſimæ Trinitatis, determinaverit eum producere ad ſuam imaginem & ſimilitudinem. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Ergo non *Gen. 1.* dixit quod deberet eſſe imago Dei. Nunc ſic: Virgo ſacratiſſima non excedit conditionem humanam, deſcendit quippè ab Adamo, ergo dici debet, quod fuerit facta ad imaginem bonitatis Dei, & non quod fuerit *imago Dei, vel bonitatis Dei.* Quomodo ergo poteſt dici, quod Beata Virgo ſit imago bonitatis Dei?

XIII. Patres Theologi, vos inquiritis, an aliqua perſona in divinis poſſit dici imago Dei, ita ut hic terminus imago ſit perſonalis, & non eſſentialis. Scio doceri à Theologis Græcis, quod ſicut filius eſt imago patris, ſic etiam Spiritus S. ſit imago Dei non ſit proprius ſecundæ perſonæ, ſed etiam tertiæ. Ad hujus confirmationem *Lib. 1. c. 18.* adducunt illud dictum Damaſceni: *Spiritus ſanctus eſt imago filii.* Et quia Spiritus ſanctus eſt ejuſdem naturæ cum patre & filio, hinc dicunt Græci, quod ſit imago patris & filii. *Theologia.*

Nihiloſecius Doctor Angelicus cum omnibus Latinis, affirmat non ſolum hunc terminũ imaginis in divinis eſſe perſonalem, ſed quod conveniat ſoli filio. Eſt nomen perſonale, quia juxta Auguſtinum imago eſt terminus relativus, refertur ad aliud; Et hinc non dicitur quod perſona aliqua ſit imago ſuiipſius, ſed alterius. *Quid abſurdius*, inquit Auguſtinus, *quam imaginem ad ſe dici?* Cum itaque ſit terminus relativus debet eſſe in divinis perſonalis, nec ſolum eſt perſonalis, ſed & ſoli convenit filio. Hinc idem Auguſtinus: *Solus filius eſt imago Patris.* *Lib. 7. de Trinit. c. 4.* *Lib. 2. & 7 ſupra c. 2.*

Sed dicite quæſo Patres Theologi, annon forſan eſt verum quod homo vocetur à ſacris Doctoribus imago Dei? Nonne dicit Fulgentius: *Vna eſt ſanctæ Trinitatis divinitas, & imago, ad quam factus eſt homo?* An non id clarius tradit, & exprimit Apoſtolus. *Vir non debet velare caput ſuum, quoniam imago & gloria* *De fide ad Pet. c. 1.*

ria Dei eſt? Quomodo ergo dicitis quod hic terminus imago Dei, ſit perſonalis, ut nulli conveniat non ſolum in divinis, ſed nec in humanis.

Angelicus Thomas dicit duas dari ſpecies imaginum: una eſt perfecta, & altera imperfecta: perfecta eſt illa, quæ in omnibus & per omnia in conditione etiam naturali & ſpecificâ ita eſt ſimilis exemplari, ut nihil ſit ſpectans ad eſſentiam & naturam exemplaris, quod non ſit in imagine. Talis v. g. imago eſt filius Regis, qui & ideo vocatur imago Regis, quia totum quod eſt eſſentiale in Rege, reperitur in filio Regis, & ideo in recto dicitur imago Regis, & quidem perfecta. Imago imperfecta eſt, quæ quidem requirit aliquam ſimilitudinem, ſed non in natura ſpecifica, ſed in alio, & habet ſecum aliquod ſignum ſpecificum & ſingulariter figuram. Et hinc figura & pictura Regis dicitur quidem ejus imago, ſed imperfecta, & hinc potius illa figura & pictura dicuntur eſſe factæ ad imaginem & ſimilitudinem Regis, quam quod in recto ſint imago illius. Et ideo ſit quod in imagine perfecta ſit ſimilitudo cum prototypo ſecundum æqualitatem; in imperfecta vero non ſit talis æqualitas, prout videmus in imagine Regis repræſenta in auro, ſpeculo vel pictura.

Præterea. Imago Regis repræſentata in ſpeculo eſt perfectior, quam repræſentata in auro vel pictura, tum quia (ſic obſervantibus Philoſophis) eſt magis immaterialis & ſpiritualis, tum etiam quia membra propria, & naturalia Regis expreſſius in illa ſunt delineata, quam in aliis; eſt enim impreſſa ab ipſa perſona Regis, tum etiam, quia ut docet optica, in ſpeculo non videtur imago Regis, hæc enim velut intentionalis, & ſpiritualis non poteſt terminare viſionem, ſed ipſe Rex virtute imaginis in diverſo ſitu, in auro vero, & picturis videtur ipſa imago.

Hoc ſuppoſito cum tota ſchola, dicit Angelicus. Filius Dei dicitur imago patris, & non Spiritus ſanctus, quia filius eſt imago perfecta, quia habet eandem naturam patris ad æqualitatem, quia procedit à Patre ut verbum de cujus ratione eſt ſimilitudo; Spiritus S. autem, eſto habeat eandem naturam cum patre & filio, non tamen dicitur imago patris & filii, quia non procedit ut verbum, ſed ut amor, de cujus ratione ut amor eſt, non eſt ſimilitudo.

Præterea filius ut imago perfectiſſima patris, ſemper dicitur in recto *imago* Dei, & non genitus ad imaginem, quia illa propoſitio *Ad* demonſtrat imperfectionem, & tendentiam ad perfectionem majorem. Sed homo, qui eſt imago imperfecta, & in natura diſtante infinitè à natura divina, ideo potius dicitur *Ad imaginem Dei*. Et hinc dicit Deus in Geneſi. *Faciamus &c.*

XIV. Nunc ad noſtram parvulam Mariam *Candor eſt &c.* Imago Dei fuit Maria etiam quamprimum in hoc mundo comparuit, & quidem imago ſummæ perfectionis: hinc de ea loquens dixit Antoninus. *Maria eſt perfectiſſima Dei imago.* Eſt imago adeo perfecta, ut Deum expreſſiſſime repræſentet, adeo etiam ut S. P. Auguſtinus libero ore eam vocet ideam, & formam ipſius Dei. *Si formam Dei te appellem digna exiſtis.* In hac pulcherrima puella manifeſtatur cunctipotentia patris, dum eam elegit in matrem ſui filii. In illa comparet tota perfectio ſapientiæ filii, dum eum ſine ope humana concepit, ſumme reſplendet in ea bonitas Spiritus ſancti, dum virgo permanens concipit. O nobiliſſima puella, quam perfectè in te omnia delineamenta, & perfectiones totius ſacratiſſimæ Trinitatis relucent? Dicamus ergo, quod ideo ſis complementum totius Trinitatis, & imago ad vivum repræſentans Deum. Maria eſt perfectiſſima Dei imago, *ſi formam Dei te appellem digna exiſtis.* Applicatio.

Sed dic quæſo gratioſiſſima puella, an forſan es imago repræſentans Deum ſecundum æqualitatem naturæ? Scio pro certo, quod reſpondebis negative, quia non habuiſti naturam divinam increatam, ſed humanam & creatam, ac ideo à Deo infinitam habuiſti diſtantiam, & ideo potius fuiſti fabricata ad imaginem Dei; ſed in recto diceris imago Dei in natura creata, ſicut alii homines & Angeli. Nihilominus ſi conſiderem dignitatem infinitam, quam tibi dedit Deus non ſolum dum eſſes tredecim annorum, ſed etiam in tua nativitate, imo ab æterno, dum te in ſuo divino intellectu elegit in Matrem ſui filii. Video quod ex hoc capite tua diſtantia non quidem à Deo non ſit infinita, ſed à cæteris creaturis, tam Angelicis, quam humanis. Et hinc debet dici, quod licet in aliena natura repræſentaveris Deum, tamen in recto fueris imago eum repræſentans perfectius, quam omnes aliæ creaturæ,

curæ rationales; Quinimo idcircò debeo addere, quod tu inter omnes creatas imagines jure mereatis vocari *Imago Dei*, & non *Ad imaginem*: Quia esto fueris imago Dei in aliena natura, hæc tamen non fuit lutum, nec tela, neque aurum vel argentum, sicut fuerunt Angeli & homines, sed imago fabricata à Deo, intra speculum animæ tuæ, in qua videre erat omnes delineationes, omnes perfectiones, gratiæ & favores divini; Ita quod sicut in speculo, illud quod videtur non est imago objecti, sed ipsum objectum visum ob reflexionem imaginis in altero situ, sic quod videbatur in te terssissimo speculo repræsentante Deum, non fuit imago ipsius Dei, sed ipse Deus visus per reflexionem in alio loco, in alia natura. Hinc jure meritissimo debet dici, quod tu glorioſissima puella fueris in recto imago Dei, & non ad imaginem, quia perfectissime Deus in te comparuit. *Maria est perfectissima imago. Si formam Dei te appellem, digna existis.* Quid ergo mirum, quod dicat Spiritus sanctus de te, quod sis *Candor lucis &c.*?

Scriptura.

O glorioſissima Virgo, & quàm formosa compares, quàm perfectam te ostentas, quàm es vera & expressa imago tui dulcissimi filii: sed quid dico imaginem? forsan es imago repræsentans Deum parvulum, Deum minoratum, & minorem factum pluſquam in se ipso sit? Non revera. Sed es imago, quæ repræsentat Deum grandem, Deum adultum, Deum taliter, qualiter in seipso est, imò suo modo majorem, quam in seipso sit; Non loquor absolutè, sed sub censura.

XV. Nec permittit me mentiri ipsamet Virgo. Hæc dum moraretur apud cognatam suam Elisabeth, famoſissimum illud intonuit Canticum, illudque his verbis orsa est *Magnificat anima mea Dominum*. Scite debes cognata mea, quod anima mea *magnificat Dominum*. Origines legit *Magnum facit*. O Virgo immaculata, & quis est hic modus loquendi (quomodo est verum, quod anima tua magnificat Dominum? An forsan ignoras Deum velut subſtantiam spiritualissimam, non esse subjectum quantitati, & multo minus, quod possit recipere augmentum, vel diminutionem? Si Angeli & animæ nostræ quà spirituales non possint agmentari, vel decrescere, quomodo Deus totaliter spiritualis, possit subjacere his accidentibus?

Luc. 2.

forsan dices Virgo benedicta, quod Job assignet Deo quatuor dimensiones proprias corpori. *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno est, & unde cognosces? longior terra mensura ejus, & latior mar?* Verum hæ dimensiones attributæ Deo non sunt secundum quantitatem molis, sed virtutis. Sic advertit Doctor Angelicus, nempè per ejus profunditatem significari virtutem ejus, qua cognoscit res occultas, per altitudinem extensionem virtutis super omnes res, per longitudinem æternitatem ejus essentiæ, per latitudinem diffusionem amoris ejus in omnes creaturas. Vel ut dicit D. Dionysius Areopagita. *Per profunditatem Dei intelligitur incomprehensibilitas ipsius essentiæ. Per longitudinem processus virtutis ejus omnia penetrantis. Per latitudinem verò superextensio ejus ad omnia*; ut etiam notat Angelicus. Quomodo ergo tu dicis ô Virgo sacratissima *Magnificat, Magnum facit anima mea Dominum.*

Job 2.

D Th. 1. p. q. 3. art. 1.

De divin. nom. c. 9.

Origines defendens Mariam observat, quamliber animam esse imaginem Dei, hanc potiò imaginem subinde esse parvam, subinde magnam, ac augmentari vel diminui, non corporaliter, sed spiritualiter. Tunc dicitur parva, quando habet gratiam Dei remissam, tunc magna, quando intensam, & quo major est hæc gratia, eò majus est augmentum, quod recipit anima. Et quia anima est imago Dei, ideò ipsius augmentatio etiam redundat in ipsum Deum. *Unusquisque nostrum ad imaginem Dei formans animam suam, aut majorem, aut minorem reddit animam Dei. Quando igitur grandem fecero animam meam, tunc & ipse Deus, cujus est anima mea imago magnificatur.*

In magnificat.

Dicere itaque voluit Virgo. Scias Elisabeth, quod anima mea magnificet, & faciat grandem Deum. Nec mireris hanc meam potentiam, quia advertere debes, quod cum anima mea sit imago Dei per plenitudinem gratiæ, quàm mihi dedit, est imago Dei magni, & ut talis facit, & repræsentat Deum grandem, & quia in me reperitur tota plenitudo gratiæ, quàm in se habet Deus, ut dicit Hieronymus. *Totus gratia, qua in Christo est venit plenitudo in me.* Ita hæc anima mea, quæ est imago Dei repræsentat Deum cum tota sua magnificentia. Et hoc sensu dico: *Magnificat &c.* non in esse reali, sed in esse repræsentativo.

Omnes creaturæ rationales, cum sint imagines Dei, possunt Deum magnificare cum augmento gratiæ, sed nulla potest illum magnum facere, aut magnum repræsentare, sicut ego, quia nulla habet in se plenitudinem gratiæ, sicut ego; Et hinc ex speciali privilegio possum dicere: *Magnificat &c.* repræsentando Deum cum sua magnitudine, & forsan majori.

Optica. XVI. Optici vos declarare debetis hunc locum Scripturæ. Vos observatis duo specula, diversæ figuræ v.g. planum & rotundum, aut concavum diversimode repræsentare objecta. Sed prætermisso rotundo, de quo aliàs, observo, quod speculum planum si sit minus objecto, repræsentet objectum esse minus, quam sit. E contra si sit grandius, vel æque grande ac objectum, repræsentabit illud æque magnum, quam in se est, quod si sit curvum, aut concavum, repræsentabit objectum majus quam sit. Ego hujus rei vellem scire causam.

Dicunt optici, nil posse in speculo videri, nisi prius formentur duæ pyramides. Prima formatur ab objecto, seu illo quod in speculo videtur. Secunda, ab imagine in speculo recepta, vel etiam ab ipso objecto, quatenus per reflexionem imaginis videtur in speculo, & hæc secunda facit, ut videatur objectum, & fabricata est virtute primæ. Hinc si prima est magna, & secunda magna erit, si parva & secunda talis erit. Prima potrò recipitur in speculo juxta capacitatem speculi, unde si speculum sit parvum, & minus objecto, tunc recipit imaginem, esto alias in se magnam diminutam. Quod si speculum sit grande æquale objecto, recipit objectum prout in se est, quia, *Omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur.* Hinc que fit, quod facies grandis in speculo videatur parva & minor, & quod facies grandis appareat grandis, sicut in se est, conformiter ad magnitudinem speculi. Sed unde procedit, quod in speculo curvo & concavo, ac æque magno, ac objectum, objectum grandius appareat, quam in seipso sit? Causa hæc est, quod esto speculum concavum non sit majus objecto è diametro recto, tamen si mensuretur è diametro incurvato, ratione curvitatis est majus, sicut arcus est major chorda. Et quia imago objecti recipitur in illo speculo cum illa curvitate, *Omne enim quod recipitur &c.* Hinc fit, quod à speculo curvo, & grandi fit ut objectum, grandius repræsentetur objectum, quam in se sit. Belissima optica.

Applicatio. XVII. Nunc ad nostram puellam Mariam; *Magnificat &c.* specula spiritualia, quibus repræsentatur Deus, sunt animæ rationales. Sic S. P. Augustinus, Areopagita S. Bernardinus Senensis, *Spirituales creaturæ, sicut Angelus & anima specula sunt quædam spiritualia.* Hinc optimo jure Virgo sacratissima à sua nativitate fuit speculum repræsentans Deum. *Speculum sine macula.* Sed quale habet privilegium majus hoc speculum Mariæ, quam reliqua specula hominum & Angelorum?

De divin. nom. serm. 2. Pent.

O Virgo sanctissima, privilegium tuum in repræsentando Deum, ita excedit privilegium hominum & Angelorum simul, ut infinities superet conditionem reliquorum speculorum. Reliqua enim cum sint parva, repræsentant Deum minorem, quam in se sit, cum enim non possint eum aliter repræsentare, quam in se sit, nec possint eum aliter recipere, quam sint capacia, cum sint valde parva, nec habeant plenitudinem gratiæ, ideò recipiunt eum parvum, & juxta Theologos, repræsentant eum sub quodam esse diminuto.

Sint homines quantumvis sanctissimi & perfectissimi, sint in gratia ditissimi, sint Angeli altissimi & vicinissimi Deo, nihilosecius, cum sint specula parva, non possunt aliter repræsentare Deum, quam sub esse diminuto, & minorem quam in seipso sit. Sed tu Virgo benedicta, esto sis parva, tamen es speculum magnum. *Quia fecit mihi magna qui potens est*, & ideò recipis Deum magnificatum. *Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Et sicut eum recepisti grandem, sic etiam eum repræsentas grandem, adeoque vocaris speculum repræsentans magnificentiam & majestatem Dei. *Speculum sine macula, majestatis Dei*; & eum repræsentas sicuti est. Hinc Gregorius Nyssenus sic de te ait: *Speculum conformatum characteri Dei.*

Sed quid dicam (NN) hanc nobilissimam puellam repræsentasse Deum magnum sicuti est? Exiguum id foret encomium Mariæ, nisi plus dicerem. Hinc addo, quod eum suo modo repræsentaverit majorem. Nonne forsan verum est, quod speculum curvum & concavum ratione curvitatis repræsentet objectum majus, quam in se sit? quinimo: Atque Maria fuit specu-

ſpeculum concavum ob ſuam profundiſſimam humilitatem, ita ut de ea potuerit dici. *Inclinata eſt*, vel ut alius textus legit. *Incurvata eſt ſub pulvere anima mea.* Ergo repræſentavit Deum ſuo modo majorem, quam in ſe ſit. Non loquor abſolute, ſed ſub debita cenſura, quia omnes favores & gratias, quantumvis exiguas & parvas per ſuam humilitatem reputavit eſſe majores, quam fuerint tua merita. Hinc de ſe dicebat. *Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ.* Et ideò *Magnificat &c.* Deus ſeipſum contuitus eſt in ſpeculo concavo animæ meæ humiliatæ, & ideò ſuo modo major apparuit, quam in ſeipſo ſit.

O nobiliſſima puella! quam magna es, quam eminens & immenſa, dum illum magnificas, qui eſt ſine menſura grandiſſimus, ſine comparatione incomparabilis, ſupra omnem eminentiam eminentiſſimus. Veritatem fateor, quoties conſidero eminentiam perfectionis tuæ in ſtatua quadam marmorea, toties ob exceſſivum ſtuporem, tatione, intellectu, & lingua privatus recedo. Quod ſi in aliis occaſionibus quamvis ineruditus, ineloquens & infacundus dem me panegyricis majorum ſanctorum cæli, imò ipſius Dei, puto quod aliquid dicam in laudem eorum. Sed quando de te perfectiſſima puella volo loqui, nil invenio, quod mihi ſatisfaciat. Hinc ab eminentia tuarum perfectionum oppreſſus in medio ſaltus deſilio.

XVIII. Quia ſi dico, quod fueris limpidiſſimus & clariſſimus fons, in quo ſpecioſiſſimus Narciſſus filii Dei vidit imaginem ſuam ad vivum repræſentatam nihil dico. Si addo, quod fueris nubecula repræſentans veſtigium, & plantam humanitati Dei, & fueris perfecta cantrix, perfida luſcinia, quæ exacte uſque ad mortem imitata eſt ſupremum cantorem filium Dei, parum dico.

Si addam, quod ab æterno quaſi delicatiſſima paſta vitri à ſummo vitriario æterni Patris ſtatu intellectus ſui operativi impreſſa fueris in ſigillo ſui verbi, in quo recepiſti omnia delineamenta communicabilia creaturæ, parum proficio.

Si violentando ingenium, prædico te eſſe gemmam pretioſiſſimam inæſtimabilis valoris, in qua comparuit Sol patris, ſtella filii, luna Spiritus ſancti, & tota beata Trias, impreſſa tibi à cælo, & à toto conſiſtorio ſanctiſſimæ Trinitatis, adhuc parum te æſtimo.

Si ulterius pergendo affirmem, quod fueris terſiſſimum ſpeculum, in quo ipſemet Deus ſe contuens fecit, ut in eo repræſentaretur tua imago, & videretur ibi ejus majeſtas, ſic ut ideò fueris dicta in recto imago Dei per perfectam repræſentationem, ſpeculum quod repræſentavit Deum non parvulum, non diminutum, ſed grandem & qualis in ſe eſt, necdum mihi ſatisfeci.

Et aggrediendo aliquem exceſſum, non temerarium, ſed devotum, non audacem, ſed pium, non arrogantem, ſed reverentem, exclamo & dico, quod repræſentaveris Deum majorem ſuo modo, quam ſit in ſeipſo, velut ſpeculum curvum & concavum per tuam profundiſſimam humilitatem, non quidem abſolute loquendo, ſed ſub debita cenſura, & hic Virgo ſacratiſſima ſiſtit lingua mea, quia ulterius non progreditur meus intellectus. Et hic finio, quia ſpeculatione ulterius pergere non poſſum; Hinc cum ruditer locutus ſim, & imperfectus protulerim conceptus, neſcio aliud effari; quam quod ſis *ſpecies, forma, & imago Dei perfectiſſima.* Itaque rogo te, ut hoc exiguum in ſolutionem debiti multo majoris admittas, & da gratiam, ut melius poſsim imitari tuas perfectiones, ut tandem perveniam ad cælum, ubi poſsim te videre facie ad faciem, & tota plenitudine quam ſatisfacere appetitui, & devotioni meæ, te perfectè cognoſcendi & inceſſanter laudandi. Et Deus vobis benedicat.

ELOGIUM XXVIII.

Pro Feſto S. Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ.

Cum tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. Matth. 9.

Litteræ humaniores.

I. REfert Sidonius Apollinaris, antiquitus apud Thraces in uſu fuiſſe nobiliſſimum quoddam Hieroglyphi cum quo ſignificare voluerunt continuum juvamen, quod recipit mundus à Deo. Pingebant hi amatores ſymbolorum ſolem lucidiſſimum, tres radios emittentem, quorum quilibet ſpeciale objectum petebat, & diverſos effectus producebat. Primus fetiebat corpus, illudque vitæ reddebat. Alter urebat lapidem, & eum in pulveres reducebat. Tertius calefaciebat altiſſimum montem nivibus tectum, eumque in aquas reſolvebat; Et quia hi conceptus expreſſi per ſimplicia corpora, non intelligebantur ab omnibus, & videbantur quaſi cadaver ſine ſpiritu & vita, ideò, ut Thraces intelligerentur ab omnibus, hoc lemma addiderunt *Oculi Dei ad nos.*

Et quia hi priſci ſymbolici veluti ſapientiſſimi, in cognitione rerum naturalium tam divinarum, quàm humanarum, quantùm intellectus per rationem naturalem poteſt cognoſcere, erant doctiſſimi, ideò non eſt credendum, quod caſu pinxerint illud Symbolum, ſed quod illo voluerint ſignificare virtutem vitalem ſolis. Hic prout docent Philoſophi & Aſtronomi, etiam continet in ſe virtutem vitalem & vivificam, quia vita conſiſtit in humido & calido rectè attemperatis. Et ſicut luna, quæ dominatur rebus humidis, iis confert humidum radicale, ut dicunt Aſtrologi; Sic Sol, velut pater caloris, comm[illegible]icat corporibus calorem. Hoc ſignificare volentes, depingebant Solem radio ferientem corpus mortuum, illudque vivificantem. Similiter volentes ſignificare virtutem exſiccantẽ Solis pinxerunt radium, qui percutiens glebam terræ, eam reſolvit in pulverem; cum enim terra ex natura ſua ſit ſicca & frigida, amota tota humiditate, quæ particulariter eſt aquea, frigida & viſcoſa, neceſſario reſolvitur in pulverem, cum humidum viſcoſum ſit illud, quod terram conglutinabat; Cum itaque Sol per ſuam virtutem exſiccativam, reſolvat illud humidum aqueum, & calore ſuo calefaciat partes frigidas, hinc fit ut gleba terrea virtute Solis reducatur in pulverem, prout videmus in æſtate. Demum radio Solis feriente montem nivibus opertum, & eum liquefaciente, declarare voluerunt virtutem emollientem, & diſgregativam Solis; Cum enim nix ſit vapor frigidus, condenſatus à frigore aeris ambientis, qui quò eſt frigidior, eò magis vaporem condenſat & indurat, ut videmus in hyeme; Sequitur aere hoc calefacto nivem mollefieri & reſolvi in aquam. Cum itaque Sol calefaciat aerem ambientem, & ejiciat frigus, quod nivem condenſat, liquefacit nivem, eam diſgregat, & reſolvit in aquam.

II. Symbolum nobiliſſimum Chriſti, & quidem ex omnibus rebus aptiſſimum eſt Sol; & hinc Spiritus ſanctus eum ſoli comparat. *Sol juſtitiæ Chriſtus noſter.* Quinimo ipſe appetit vocari Sol & lux mundi; *Ego ſum lux mundi.* Sol vivificans. *Ego ſum via, veritas, & vita.* Sol, qui duriſſimos lapides in minutiſſimum pulverem reducit: *Aſpexit, & diſſolvit gentes, & contriti ſunt montes ſæculi.* Sol corda congelatiſſima calefaciens, & Applicatio. Habac. 3.

& in lachrymas pœnitentiæ reſolvens. *Reſpexit Dominus Petrum, & flevit amarè.*

Cadaver ſine anima & ſpiritu erat Matthæus publicanus, tanquam longè diſſitus ab hoc Sole vitali Chriſto. Gleba terræ indurata à cupiditate opum. Nix gelata à frigore ambiente continuarum uſuratum & contractuum cum publicanis. Chriſtus Sol vitalis approximat cadaveri Matthæi, huic indurato lapidi, huic nivi congelatæ, & non tribus radiis, ſed unico intuitu oculorum divinorum reſpicit Matthæum, & en cadaver vivificatum, lapidem reductum in pulveres, & nivem liquefactam. *Et cùm tranſiret inde Jeſus.* En Solem Chriſti approximatum, *vidit hominem ſedentem*, en cadaver proſtratum, lapidem induratum, & ſolidum, nivem congelatam. Sol Chriſtus ferit Matthæum, *Vidit hominem Jeſus.* Ei dicit, *Sequere me.* Vis hujus radii, & aſpectus divini penetrat cor inanimatum Matthæi, eiq; infundit vitam & motum. *Et ſurgens, ſecutus eſt eum.* Luc. 5. Ferit hunc conglutinatum lapidem, & eum diſſolvit in minutiſſimum pulverem. *At ille relictis omnibus*, dicit S Lucas. Diſſolvit nivem congelatæ avaritiæ. *Et fecit ei convivium magnum in domo ſua.*

O fœlix Matthæe, quàm efficaciter non expertus es virtutem vitalem, exſiccantem, & emollientem hujus Solis divini? Non tres radii, ſed unicus ſolus, & ſimplex aſpectus Chriſti, tot miros effectus operatus eſt in anima tua. Hinc meritò pro ſymbolo portare potes cadaver vivificatum, unum lapidem diffractum à radio Solis, cum inſcriptione: *Oculi Dei ad me.* Hoc emblema tibi melius, quàm aliis convenit; hoc tibi, qui pro aliis probaſti efficaciſſimam vim aſpectus Chriſti, cùm tua converſio, & omne tuum bonum ab illo ſumpſerit originem, appropriatur. De hoc hodie diſcurram.

ASSUMPTUM.

Converſio S. Matthæi Apoſtoli fuit partus efficaciſſimi aſpectus Chriſti.

Scriptura. Luc. 22. III. S. Lucas recenſet lapſum Petri cum triplici ejus negatione. In aula Caiphæ miſer ille ſeniculus cum illa fœce aſſidebat igni. Intrat quædam impudens ancilla, & videns Petrum, oblita honeſtatis fœmininæ, oculos in eum conjecit, & audacter garrula, ſic de eo loquitur: *Et hic cum illo erat.* Petrus ſe videns proditum, rotundè ait: *Mulier, non novi illum.* Paulò pòſt alter illi objicit, quòd ſit diſcipulus Chriſti, & Petrus ſecundò negans dicit, falleris, *O homo, non ſum.* Et tertiò negat ſuum magiſtrum, & tertiâ negatione peractâ, ſubdit Evangeliſta: *Et recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat: Quia priuſquam gallus cantet, ter me negabis, & egreſſus foràs flevit amarè.*

Sacri Interpretes, hic actus mihi prodigioſiſſimus videtur. Paulò antè Petrus aſſiderat menſæ in cœna, & Chriſtus ei prædicit trinam negationem, negat eum ſemel, & bis, & tamen commiſſo errore, non recordatur dictorum Chriſti, nec ſcelus commiſſum deplorat. Tertiâ vice eum negat, & tunc priùs recordatur verborum Chriſti, & pœnitet eum errati. Cur poſt trinam negationem recordatur tantùm dictorum Chriſti? Factum erat recens, & quidem maximi momenti; quodque ſolum Petrum concernebat, & tamen hic ita factus eſt obliviosus, ut illorum non recordetur, quæ prædixit ei Chriſtus. Si inter negationem & verba Chriſti debuiſſent intercurrere plures menſes, vel anni, potuiſſet Petrus allegare oblivionem, ſed paucæ tantùm horæ intercurrerunt. *Non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nôſſe me.* Veſperi cœnatum eſt. Circa mediam noctem cantavit gallus, ſex, vel ſeptem horæ elapſæ erant, & Petrus ita eſt obliviosus, ut non recordaretur eorum, quæ Chriſtus prædixerat? Porrò ſi fuit defectus memoriæ, quomodo recordatur eorum poſt ultimam negationem potiùs, quàm poſt primam vel ſecundam? Præterea cur non plorat, poſtquam Chriſtum primâ vel ſecundâ vice negavit? Quis tertiâ vice memoriam Apoſtoli excitavit, & lachrymas exculſit?

Ut verum dicam, S. Lucas addit verbum, quod viam parat ad reſponſionem. *Converſus* Luc. 22. inquit, (poſt tertiam ſcilicet negationem.) *Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi Domini.* Ex hac itaque recordatione cauſata ab aſpectu Chriſti, Petrus devenit in notitiam erroris commiſſi, & acerbè defleviſt peccatum. *Egreſſus Petrus flevit amarè.* Reminiſcentia itaque Petri, egreſſus ex aula, converſio & planctus fuerunt effectus aſpectus Chriſti. Hujus efficacia eſt tanta, ut calefaciat congelatiſſima corda, & inſtar lapidis Phrygiæ in Aſia, (de quo affirmat Plinius, quòd à Sole Lib. 3. c. 28.

reſpectus, reſolvatur in aquas ubertimas, (reſolvit in copioſiſſimas lachrymas pœnitentiæ.

Lib. 10. in Luc. Hinc S.P. Ambroſius: *Negavit primò Petrus, ſed non flevit, quia non reſpexerat Dominus: Negavit ſecundò, non flevit, adhuc non reſpexerat Dominus; negavit tertiò, & reſpexit Petrum, & ille amariſſimè flevit.* Et clarius S.P. Hieronymus: *Reſpexit Dominus Petrum, & intuitu ſuo eum ad amaras lachrymas provocavit.*

Eodem modo Matthæus oblivioſus ſedebat in telonio, incurius de ſua ſalute, & rebus cæleſtibus, ſolùm memor negotiorum & contractuum, unico ſuo bono nocivorum, privatus omni calore charitatis, congelatus ab avaritia, & eſto audiviſſet plura prodigia Chriſti, tamen non calefiebat, non liqueſcebat, non convertebatur. Ita inquit Deus: Ego tranſibo per telonium, in quo ita congelatus ſedes, te feriam aſpectu & radiis meorum oculorum, & ita calefaciam cor, & inſtar lapidis Phrygiæ convertam in ſudorem, & lachrymas pœnitentiæ, ſi non exteriores & viſibiles, ſaltem interiores cordis; hæc eſt enim vis mei aſpectus, ut calefaciat & liquefaciat corda.

Sed hic objicere poteritis: Nonne Judas etiam reſpectus fuit à Chriſto in cœna, ſub lotione pedum, & in hotto, quando dixit: *Oſculo filium hominis tradis*, & aliàs ſæpe? Quomodo ergo non fuit cor ejus calefactum, & reſolutum in lachrymas? Cur aſpectus Chriſti hæc operatur in Matthæo, & non in Juda?

Symbola. IV. Inter pulcherrima emblemata hoc etiam fabricavit Roſſius: Pinxit Solem percutientem montem, & diſſolventem nives, cum hoc ſpiritu: *Citò dilabuntur*, vel *dilabitur*. Aliud eruditum ingenium Academicum, alterum totaliter diverſum formavit, nempe montem luteum percuſſum à radiis ſolaribus, cum ſpiritu: *Siccabitur æſtu*. Ex his ſymbolis videmus diverſos effectus ejuſdem Solis circa varias materias, uti & experientia manifeſtat. Hic ſubintrat curioſa Philoſophia, & petens cauſas rerum ſcrutari quantum poteſt, quærit, quomodo idem Sol poſſit facere, & deſtruere, condenſare lutum, & liquefacere nivem. Alexander Aphrodiſius proponit, & paucis verbis

Lib. 1. Problem. 89. diſſolvit difficultatem: *Sol luti nimirum ſummumque calorē exhauriens, ſiccat, & indurat.*

Lib. 4. Meteoro. Verùm Philoſophus clariùs & diffuſiùs tractans quæſtionem dè glacie liquefacta à Sole, (eſt enim eadem ratio cum nive ac luto,) dicit, non omnes res ab eadem cauſa indurari; aliquæ enim indurantur à calore, aliæ à frigore. Illæ induratæ ſunt à calore, in quibus prædominatur humidum ſicco; nam cùm ſicco ſuperveniat calor, qui exſiccat ſuperfluam humiditatē, neceſſariò res indurantur. Hinc cùm lutum ſit terra alterata à ſuperfluo humore aquæ, quando ſupervenit calor, & exſiccat illud humidum, reſolvendo illud in vaporem, illa terra fit magis ſicca adveniente calore extrinſeco, & ſic lutum à Sole induratur. Alia ſunt, quæ indurantur à frigore, dum hoc conſtringit, & pellit calorem, hujuſmodi ſunt gelu, nix, quæ per frigus nimium condenſantur, & conſtringuntur, & quò majus eſt frigus, eò magis indurantur, quia efficaciùs pellitur calidum. *Eorum quæ indurantur, alia à calido indurantur. A calido exſiccante humidum, à frigido exprimente calidum.*

Illa ergo, quæ indurantur à frigore expellente calorem, ſi calor ſuperveniat, hic pellit frigus, quod illa indurabat, & remanente humore, liquefiunt ſicut nix & gelu; & hinc fit, quòd Sol, qui eſt calidus, reſolvat quæcunque indurata, cum lex ſit naturæ, contraria contrariis deſtrui. Sol itaque indurat lutum, quia hoc reſolvit in humidum aqueum, quod illud facit molle. Idem Sol liquefacit, & diſſolvit nivem, quia deſtruit frigus extrinſecum congelans. Hinc utrumque emblema bonum eſt, illud Solis indurantis lutum cum ſpiritu, *Siccabitur æſtu*, & aliud etiam Solis diſſolventis nivē, cum ſpiritu, *Citò dilabitur*, vel *dilabuntur*.

Applicatio. V. Nunc ad Apoſtolum Matthæum. Cor Matthæi Publicani erat aqua, & nix congelata, & condenſata à rigidiſſimo frigore criminum, uſurarum, avaritiæ, ita ut planè eſſet conſtrictum, adeo ut non poſſet reſolvi, & dilatari, tum ut curreret ad Deum, tum ut diffunderetur ad opera pietatis & miſericordiæ. *Vidit hominem ſedentem in telonio.* Sedebat, non movebatur, hærebat immobilis, quia à rigido & nimio frigore erat congelatus & condenſatus. Hic enim eſt effectus, quem cauſat peccatum in anima, prout obſervat S.P. Auguſtinus: *Quomodo frigus ligat aquam ne currat, ita & nos alligati frigore peccatorum gelavimus.* O qualis non fuit nix congelata, glacies condenſata & indurata cor Matthæi? Unde provenit tantum gelu? Non niſi à frigore rigidiſſimo ſuorum avarorum appetituum. Hi ex ejus viſceri-

In Pſ. 125

ſcribus pellentes omnem calorem pietatis, liberalitatis, miſericordiæ, amoris erga Deum & proximum ita conſtiparunt, conſtrinxerunt ejus cor, ut factum fuerit durisſimum gelu, congelata nix. *Vidit hominem ſedentem in telonio. Sicut frigus ligat aquam, ita & fuit Matthæus alligatus frigore peccatorum.* Et quòd diutiùs hærebat in telonio, eò magis frigifiebat, & congelabatur. O miſer Matthæe! Et quale ſupereſt remedium, ut hoc gelu molleſiat, & hæc nix liqueſcat?

O Redemptor animarum noſtrarum, tu, qui es Sol, & Sol ardentiſſimus, qui calore tuorum divinorum radiorum noſtra córda calefaciendo pellis intenſiſſimum frigus omnis malitiæ & iniquitatis, tu ſolus potes afferre remedium ſecuriſſimum Publicano. Percute tuis radiis hunc altiſſimum montem frigidi & congelati Matthæi; nam mox, ut tu eum irradiaveris, ſtatim tui ardentiſſimi radii penetrabunt ejus cor, emollient hoc duriſſimum gelu, diſſolvent hanc frigidam nivem, ita ut Matthæus abdicato telonio, aſſurrecturus ſit in pedes, & tuis veſtigiis ſit inſtiturus, & in miſericordiam & liberalitatem ſit reſolvendus, prout de facto evenit: *Et reſurgens &c. Et fecit convivium &c.* Hæc eſt enim efficacia tui divini aſpectus, ut cor inflammans amore, reſolvat in aquas lachrymarum, & miſericordiâ altiſſimos montes frigidæ & congelatæ nivis. Petrus itaque & Matthæus, poſſunt geſtare pro ſymbolo Solem calefacientem montem, & reſolventem in aquas, cum ſpiritu, *citò dilabitur.* Sicut enim ait D. Laurentius Novarienſis in perſona alterius publicani converſi; *aſpectus Domini emendavit prædonem.* Et eſto ſit verum, quòd etiam reſpexeris Judam, & tamen hic non ſit liquefactus, aut converſus, quinimò magis induratus, & perverſus factus inſtar luti, quod ad radios Solis magis induratur; tamen id totum proceſſit ex mala diſpoſitione proditoris, qui cùm eſſet lutum, & terra ſicca ex natura, quamvis alterata ex humido ſuperveniente, hoc eſt, eſto cùm haberet cor totum terreum, arefactum ab avariſſimis ejus affectibus, & humefactum ab exigua aliqua devotione extrinſeca, quam oſtendit erga te, dum degeret inter tuos diſcipulos, juſtiſſimo Dei judicio factum eſt, ut ad tuos aſpectus reſolveretur, & evaporaretur illud exiguum humidum ſimulatæ devotionis, & ex Apoſtolo factus dux lictorum, ſtatim fieret congelatum, induratum lutum, ita ut & illi apprime poſſit ſubſcribi: *Siccabitur æſtu*, prout ejus finis deſperatus demonſtravit. Cùm enim eſſet valde diverſa diſpoſitio cordis Matthæi & Judæ, nil eſt miri, quòd ille ſit liquefactus per radios tui aſpectus, & hic magis induratus. Ad hoc propoſitum loquens Apoſtolus, dicit: *Cujus vult, miſeretur, & quem vult, indurat.* *Rom. 8.*

Nec ſolùm inſtar nivis liquefactum eſt cor Matthæi ad radios hujus Solis ſuperni, ſed præterea, quamvis durus eſſet lapis, ſectus & reductus eſt in pulverem minutiſsimum.

VI. Nec permittit Spiritus Sanctus me errare. Propheta Dei Habacuc in quadam oratione diſſerebat de magna virtute, & poteſtate divinæ Majeſtatis, quamvis ab hominibus non agnita. Et poſtquam retuliſſet, eum in manibus habere incredibile robur, ita ut videretur manibus geſtare duo cornua fortiſſima, quibus quoſcunque obvios feriendo, occidebat, ſubdit: *Cornua in manibus ejus, ibi abſcondita eſt fortitudo ejus, ante faciem ejus ibit mors;* Et poſtquam recenſuiſſet maximum valorem pedum, ita ut ad ſolum motum eorum fugaret totum infernum: *Et egredietur Diabolus ante pedes ejus*, tandem demonſtrat ejus fortitudinem incomparabilem, quam habet in ſuis oculis, & dicit, quòd dum oculos defigit in gentes, & montes, eos diſſolvat, & in minutiſſimos pulveres reducat. *Aſpexit, & diſſolvit gentes, & contriti ſunt montes ſæculi.* Deus immortalis, & quàm ingens eſt vis tuorum oculorum? Ut verum fatear, qui bene conſiderat virtutem divinam, & omnem ejus cunctipotentiam, nullam habet cauſam ſtupendi, ſed quòd hæc virtus & potentia attribuatur potiùs oculis, & aſpectui Dei, quàm ejus manibus & pedibus, aliqualiter admiror; nam reductio montium duriſſimorum lapidum in minutiſſimos pulveres debet fieri per malleum chalibæum duriſſimum, mediante robuſtiſſima & fortiſſimâ manu, infatigabili brachio, & per repetitos ictus. Meo itaque ſenſu, dum Deus ſe accommodat noſtro modo intelligendi & operandi, hinc effectum prodigioſiſſimum potiùs deberet attribuere ſuæ dextræ, quàm oculis. Cur ergo Deus præcisè vult tantum robur attribui oculis, *Aſpexit, &c.* Sol ab initio mundi uſque huc radiis ſuis percutit montes, & nihilominus nullus eſt comminutus in pulverem, imò potiùs ſolidiſſimos lapides magis

Scriptura. *Cap. 3.*

magis induravit; & Deus vocatus Sol, unico ſolùm intuitu contratium operatur, & pro eo quòd induret marmora, ea comminuit? Forſan dicetis, id provenire à natura ipſorum montium ita debilium, ut tacti à manu pueri commiuuantur & conterantur. Verùm hoc nequit eſſe; nam aliàs Vates non ita exaggeraret vim aſpectus Dei: *Aſpexit, & diſſolvit, &c.* Quomodo ergo reſolvimus hoc dubium?

Lib. 18. civit. c. 32. S. P. Auguſtinus reſpondet, montes, de quibus loquitur Propheta, non eſſe montes materiales, ſed myſticos, ſuperbos ſcilicet peccatores, qui non ſolùm volunt veluti ſequaces Luciferi præeminere cunctis, & præeſſe cunctis creaturis, eaſque videre conculcatas ad radices ſuorum montium, ſed etiam ſunt indurati, & ſolidiores duriſſimis marmoribus. Vis igitur & efficacia, inquit Auguſtinus, aſpectus Dei eſt tanta, ut unico aſpectu & intuitu, quem conjicit in hos altiſſimos & duriſſimos montes, iis imprimat radium contritionis adeo vigoroſæ, ut in momento illos ad ſe convertat, reſolvat eorum duritiem & duriſſimam obſtinationem, & per contritionem, ac ſciſſionem induratorum cordium, eos reducat in minutiſſimum pulverem, & per humilitatem dejiciat & deprimat uſque in profundùm. En Auguſtinum: *Reſpexit, & diſſolvit gentes, hoc eſt, fecit populos pœniteſcentes, contriti ſunt montes violentiâ, hoc eſt, electorum contrita eſt ſuperbia. Reſluxerunt colles æternales, hoc eſt, humiliati ſunt ad tempus, ut erigerentur in æternum.*

Aug 18. de Civit. cap. 32.

Hi montes ſunt perſonæ prædeſtinatæ ad cælum, ſed quia per ſuperbiam inſurgunt adverſus ipſum cælum, & per obſtinatam voluntatem in malo magis cor indurant, Deus perſpicacitate & ſubtilitate ſui aſpectus, qui magis penetrat, quàm manus & pedes, pertingit ad cor, & viſcera horum altiſſimorum montium, & eos reducit in minutiſſimum pulverem contritionis & pœnitentiæ, eoſque humiliat, ut poſtea ſublevet ad æternitatem. *Reſpexit*, dicit Auguſtinus, *& tabuerunt gentes, hoc eſt, fecit populos pœniteſcentes, contriti ſunt montes violentiâ, hoc eſt, electorum contrita eſt ſuperbia.*

Et en robur aſpectus Dei practicatum in Matthæo. Matthæus, dum eſſet publicanus, & exactor vectigalium, erat mons altiſſimus, ſuperbus & arrogans. (Tales enim officiales ſumunt occaſionem ſuperbiendi, & duriùs cum ſolventibus gabellas agendi.) Erat etiam mons coacervatus ex duriſſimis petris, ſolidatis, & denſatis à cupiditate avaritiæ. Chriſtus tranſiens oculum conjicit in hunc montem, & ea vi ejus conteritur, & reducitur in pulverem, dum facultates ſuas erogat, terrena relinquit, culpas deplorat. Etiam hic mons dejicitur & deprimitur, dum pauper, abjectus, & contemptus ſequitur Chriſtum. *Relictis omnibus ſecutus eſt eum.*

VII. Nobiliſſima mihi videtur inventio Mathematicorum, dum ſpeculis percuſſis à radiis Solis, volunt accendere ignem. His comburunt, & redigunt in cineres materias quantumvis duras, & ſolidas, & hoc quamvis forent adamantes, indicati ob ſuam duritiem invincibiles, infrangibiles, inconſumptibiles ab igne, & malleis. Et hic ignis non ſolùm elicitur à radiis Solis mediante ſpeculo, ſed etiam per ſcyphum vitreum aquâ plenum.

Hinc doctiſſimum illud ingenium, Andreas Delphinus nobilis Venetus, qui anno ætatis trigeſimo ſecundo à ſereniſſima Republica fuit electus Procurator S.ti Marci, ut demonſtraret, ſe animo lubentiſſimo ſubiturum quamcunque arduam difficultatem pro bono patriæ, hoc ſymbolum delegit. Pinxit Solem ferientem cryſtallinum vitrum plenum aquâ, è quo vitro egrediebantur radii, & petebant adamantem, in qua accendebant iguem, & eum rumpebant cum ſpiritu. *Et duriora.*

Fuit aliquis doctus, qui dum non poſſet aggredi lemma, ſeu ſpiritum, oppugnavit corpus, dicens adamantem non eſſe ſubjectum læſioni ignis, adeoque eum debuiſſe omitti in ſymbolo. Verùm hic non advertit, eſſe falſam in praxi opinionem vulgarem, docentem adamantem non lædi ab igne, quam etiam tenent Plinius, Solinus, Albertus Magnus, & alii antiqui; nam contrarium experiuntur aurifabri & gemmarii; & hinc Delecampius, Garzias, & Petrus Alenſis docent, adamantem malleo frangi, & in mortario conteri. Addit Garzias, adamantem calefieri, & dicit hoc ſe probaſſe, duos adamantes ſumendo, & ad invicem illos confricando; illa enim confricatione dicit illos ita eſſe calefactos & unitos, ut difficulter potuerint ſeparari. Attamen monet, adamantes eſſe debere bonos. Hinc Fortunius

Licet-

Licettus, hos doctores conciliat, aſſerens Adamantes Indicos, qui ſunt ex natura ſua perfecti, reſiſtere igni & ferro, imperfectos vero non reſiſtere. Hoc ſuppoſito, Senator ille excellentiſſimus ingenioſiſſimè fabricavit illud emblema.

Sed quomodo amabo radii ſolis egredientes ex vitro Cryſtallino pleno aqua, poſſint confringere duriſſimum Adamantem? Non debetis admirari, ſi recurramus ad opticam, ex qua habemus, quod radii ſolis, quo magis uniuntur, eò etiam magis fiant potentes & vigoroſi adeo ut producant calorem magis intenſum. Dum ergo illi radii feriunt, & pervadunt vitrum Cryſtallinum, quod debet eſſe rotundum (& ſi illud ſit factum proportione Parabolica ad conum melius erit) ſumme uniuntur, & in unione roborantur magis, quam ante, & augent etiam ſuum robur per antiperiſtaſin vi frigoris aquæ, quæ quò eſt recentior, eò eſt melior; quia magis frigida. Iſti ergo radii egredientes ex parte oppoſita vitri ita roborati, feriendo Adamantem in proportionata diſtantia collocatum retro vitrum, ita ut hi radii reuniti terminentur ad unicum punctum Adamantis, adeò eum calefaciunt, ut dum non poſſunt eum comburere, quia eſt inconſumptibilis, eum frangunt & rumpunt, quod facilius præſtant ſi Adamas non ſit ita pretioſus. Vides ergo quod ingenioſiſſimè excellentiſſimus Procurator formaverit ſuum emblema, & addiderit ſpiritum, *& duriora.*

Applicatio.

VIII. Nunc ad S. Matthæum. *Aſpexit, &c.* Vitrum Cryſtallinum & puriſſimum, plenum aqua limpidiſſima innocentiæ fuit Sacratiſſima humanitas Chriſti, Sanctus enim Pater Baſilius vocavit eam *Vitrea capſula.* Vitrum Cryſtallinum, in quo concluſi erant radii divinitatis tanquam radii lucidiſſimi ſolis. Vitrum in quo hi radii divini videntur accepiſſe majorem vigorem tanquam in eo conſtricti, & uniti eſto alias ſemper eſſent fortes & vigoroſi. Hinc ad ſtuporem bene S. P. Baſilius: *Hom. de Nativit.* *Pellucebat Divinitas per humanum corpus, perinde ac lux quædam per vitream capſulam.* Ibi ita ſunt roborati, ut mundum totum combuſſerint, quando conſiderabat Deum hominem factum. Ideo ſubjungit graviſſimus quidam Doctor: *Divinitas per fragiliſſima parvuli membra, novo induta fuit robore, ut totum mundum illuminaret.*

Adamas valde durus & ſolidatus in malo, erat cor Matthæi, antequam reſpiceretur à Chriſto. Adamas eò durior, quò avarior, Adamas, qui eò magis indurabatur & ſolidabatur, quò diutius hærebat & ſedebat in telonio, ita ut fuerit magis induratus aliis. Hinc S. Petrus Chryſologus. *Sedere ejus, jam erat ſubſidere, non ſedere.* Adamas adeò ſolidus & fortis, ut vinceret vim ignis & inferni. Quam ſolidum erat cor Matthæi, dum obſervante Chryſologo *lucrorum cumulabat peccata!* *Serm. 26.*

O Salvator generis humani, qui veniſti in mundum, ut liberares peccatores à peccatis, & frangeres eorum duritiem, & obſtinationem in malo, quomodo poteris rumpere hunc Adamantem Matthæi, adeo fortem & invictum. Eſto adhibeas malleum tuarum reprehenſionum, ictuſque replices, attamen tam fortis eſt ſpiritus Matthæi, ut ego, credam tuos ictus fruſtraneos fore, non quod ſint debiles, ſed quia ejus obduratio nimis intenſa eſt, quia *non ſedebat, ſed ſubſidebat in telonio.*

Si uſurpes ignem quem miſiſti è cælo in terram, ut combureres viſcera peccatorum & ignitis, amoroſiſque perſuaſionibus eum velis diſſolvere, dubitem, illum ignem ſufficientem futurum, cum Spiritus Matthæi ſit nimis durus, & inſtar Adamantis vim ferri & ignis deludat, quia *Sedere ejus, jam erat ſubſidere, non ſedere.* Quid ergo facies, ut rumpas hunc duriſſimum Adamantem?

O mi Salvator Sol lucidiſſime, & pariter potentiſſime, clarè video, quod *Fulgor ipſe*, ſunt verba Hieronymi, *& majeſtas divinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat*, pervadendo vitrum tuæ ſacratiſſimæ humanitatis ita in eo reſtauret ſuos radios, & virtutem, ut tandem penetrando ad duriſſimum Adamantem Spiritus Matthæi indurati, & conſtipati in malo, illum rumpet, franget & in pulverem minutiſſimum conteret majori celeritate & certitudine, quam Sol viſibilis operetur circa Adamantem materialem. Tunc meritò Matthæus poterit eligere ſymbolum, ſcilicet ſolem, qui pervadens vitrum Cryſtallinum plenum aqua, fra>git Adamantem cum Spiritu. *Et duriora.* Nam efficacia tui aſpectus eſt adeò potens, ut frangat & conterat quævis indura-

durata corda & Adamantinos animos. *Aſpexit & diſſolvit, &c.* Efficaciſſimum aſpectum, fœliciſſimum Matthæum.

Loc. Scrip.

IX. Omnes Evangeliſtæ narrantes converſionem Matthæi conveniunt in hoc, quod Chriſtus tranſiens per telonium, in quo ſedebat Matthæus collecturus gabellas, viderit Principem publicanorum ibi ſedentem. Sic ipſemet Matthæus *Cum tranſiret, &c.* & S. Marcus: *Et eum præteriret, vidit Levi Alphæi, ſedentem ad telonium.* Tandem S. Lucas aſſerit Chriſtum ſanato paralitico exiiſſe è templo, & vidiſſe Matthæum: *Et poſt hæc exiit & vidit publicanum nomine Levi, ſedentem ad telonium.* Conſentiunt ergo in hoc omnes, quod Chriſtus tranſeunter viderit Matthæum. Et quia Chriſtus tranſibat, ego hic ſiſto, & pero an aſpectus Chriſti fuerit caſualis (ſicut ille qui tranſeundo obvium habet aliquem, eumque ſemel intuetur, quia tranſit) an vero fuerit à propoſito? Revera qui conſideraret modum loquendi Evangeliſtarum, crederet eum inturtum fuiſſe caſualem, verum hoc non poteſt dici, quia Chriſtus eſt Deus & homo, Deoque nil caſuale eſſe poteſt. Quinimo, nec reſpectu Chriſti quatenus homo, ille aſpectus fuit fortuitus, quia Theologi nullam actionem in Chriſto admittunt inconſideratam & quæ non ex ſingulari fine ſit facta. Hinc aſpectus Chriſti, quamvis tranſeuntis, non fuit caſualis, ſed à Chriſto intentus.

Marci 2. Luc. 8.

Theologia. ex D. Thoma 3. p. q. 29 art. 1.

Præterea cum Chriſtus fuerit homo & Deus, & actiones humanæ Chriſti attribuantur etiam Deo, hinc Chriſtus, ut Deus & homo vidit Matthæum. Sed hic oritur inſignis difficultas. Ille aſpectus vel fuit actio propria naturæ humanæ, vel divinæ? Sine dubio Patres Theologi, cum ille aſpectus Chriſti fuerit operativus converſionis in Matthæo, & converſio ſit opus ſupernaturale, quam non poteſt efficere ſimplex aſpectus humanus, neceſſario debet dici, quod natura humana fuerit inſtrumentum, quo natura divina, tanquam agens principale produxit converſionem Matthæi, & ideo illa debet aſcribi divinitati, tanquam cauſæ principali, humanitati tanquam inſtrumento. Dum itaque ſacri Evangeliſtæ recenſentes hunc actum dicunt, Jeſum tranſeundo vidiſſe Matthæum, ſignificare volunt quod fuerit aſpectus humanus, ſed ſanctus Pater Chryſologus dicit fuiſſe Deum, qui vidit Matthæum. *Vidit illum Deus*, utique dicunt bene, quia aſpectus proceſſit à divinitate tanquam cauſa principali ab humanitate tanquam inſtrumento. Et quia incidimus in Chryſologum, dicite amabo, quem finem prætendit Deus reſpiciendo Matthæum publicanum, uſurarium, gentilem, paganum ut volunt multi ſancti Patres?

Serm. 30.

Mirè reſpondet S. P. Chryſologus, quod Deus conjecerit oculos ſuos divinos in Matthæum publicanum & peccatorem adeoque cæcum & impotentes videre Deum, ut poſſet ſuo aſpectu Matthæum reddere capacem viſionis Dei: *Vidit illum Deus, ut ille videret eum.* Sed ſiſte Chryſologe, tu meo judicio inadvertenter commiſiſti te pelago inſuperabilium difficultatum. Ego, qui intendo ab itinere meo non deflectere, ſed illud proſequi, unam ſolum difficultatem tibi proponere volo & inſinuare, ut fugere poſſis. Vidit Deus Matthæum, ut Matthæus videret eum. Dico ergo, Ne ergo dicatur finis Dei fuiſſe fruſtraneus, fateri oporter, quod Matthæus viderit eum. Sed cum legamus in Exodo *Non videbit me homo & vivet*, & Matthæus non ſit mortuus, imo electus fuerit Apoſtolus & ſecutus ſit Chriſtum, & tot annis ſupervixerit, poſtquam vidiſſet Deum & ab illo reſpectus fuiſſet, quomodo tota tua arte, & ingenio poteſ evadere hunc ſcopulum?

Cap. 33.

S. D. Gregorius velut antiquior Naucſerus gubernando navem Chryſologi hac vice clavum moderatur. Verum eſt inquit Gregorius, hominem carnalem quidem non poſſe videre Deum, bene tamen ſpiritualem & qui eſt mortuus carni, ſenſibus, vitiis & peccatis, Chriſtus itaque reſpiciens Matthæum, efficaciſſimo intuitu divino penetravit cor Matthæi publicani & peccatoris, interfecitque publicanum & peccatorem, & eodem tempore creavit Matthæum in Apoſtolum Domini, diſcipulum Chriſti, juſtum, ſanctum & ita potuit etiam videre Deum. Hinc aſpectus Chriſti habuit vim occidendi & vivificandi Matthæum, occidendi eum mundo & peccato, vivificandi Deo & gratiæ, & ſimiliter dando virtutem videndi Deum *Nullus*, inquit Gregorius, *Deum ſpiritualiter videt, qui carnaliter vivat. Qui enim Deum*

Lib. Moral. cap. 8.

Deum videt, eo ipso moritur, ab hujus vitæ deleſtationibus tota mente ſeparatus.

Hinc Matthæus Deo reſuſcitatus merito dicitur à Chryſologo reſpectus à Deo, ut poſſet videre Deum. *Vidit illum Deus, &c.*

Liet. Humanior. X. Profeſſores litterarum humaniorum, exiſtimarem à me injuriam irrogari veſtræ profeſſioni, niſi hanc ſcripturam illuſtratem uno veſtrorum ſymbolorum: Illuſtriſſimus & Eminentiſſimus Cardinalis Tridentinorum antiſtes Chriſtophorus Madrucius, pro ſymbolo elegit Phœnicem in rogo, coopertum ſtrue lignorum odoriferorum, reſpicientem cælum, qui rogus percuſſus à ſole, accendebatur & Phœnicem comburebat, quæ novo fervore ſolis reviviſcebat cum ſpiritu. *Vt vivat*: Symbolum revera dignisſimum tali eminenti ſubjecto. Et quantum conjicere licet, credo quod voluerit ſignificare, in ipſo à ſole divino furſſe conſumptos omnes affectus vitæ præſentis, ad hoc ut viveret vita nova & ſpirituali.

Philoſophia. Sed circa hoc ſymbolum, pulcherrima naſcitur difficultas quomodo Sol per ſuum calorem reipſa comburendo, occidat Phœnicem, ita ut virtute ejuſdem Solis ex ejus cineribus naſcatur vermiculus qui paulatim reviviſcens reſurgat ad primævum ſtatum.

Plini. l. 10. cap. 2. Plinius loquens de hac pulcherrima, & rariſſima ave nullam facit mentionem, quod combuſta à Sole moriatur. Dicit quidem, quod attingens annum ætatis centeſimum ſeptuageſimum, ſibi ipſi faciat nidum ex caſcia & thure, & tunc ſeſe ſupra nidum collocet ut moriatur, ſed poſtea ſubdit. Ex oſſibus & medullis Phœnicis naſci vermiculum, qui paulatim accipit alas, ex quo reviviſcit Phœnix, ſed non dicit quod mors, & regeneratio hujus avis proveniat à combuſtione Solis; ſed præterea addit novam Phœnicem jam fortem redditam totum nidum, in quo mortuus eſt primus deferre prope Pancaiam urbem Solis, & in aram ibi deponere. Quod ſi Sol ambureret carnem viſcoſam, & humidam Phœnicis, profecto à potiori combureret nidum confectum ex ſiccis & pinguibus ſurculis. Sed è mente Plinii videmus, quod non comburatur nidus, ergo multo minus dicendum eſt quod comburatur Phœnix, adeoque mors Phœnicis ſenis, & reſuſcitatio novi, non poterit attribui virtuti ſolis. Et hinc ſymbolum Eminentiſſimi innitetur fundamento falſo, nec poterit ſervire ad ejus intentum. Addite, quod Cornelius Tacitus faciens mentionem Phœnicis & recenſens vitam, & mortem primæ & renovationem ſecundæ ex ſeipſa, expreſſe dicat quod non occidatur à Sole. *Confecto quinque annorum numero ubi mors propinqua, ſuis in terris ſtruere nidum, eique vim genitalem adfundere, ex qua fœtum oriri, &c.* *Lib. 5. Hiſtoria.*

Nihilominus Claudianus & Lactantius, ſcriptores valde antiqui & docti affirmant, Phœnicem comburi à radiis Solis, & ex ejus cineribus virtute ejuſdem Solis naſci vermiculum, qui alis implumatis rejuveneſcit, renaſcitur & reſurgit ad eſſe primum. Opinionem hanc moderni omnes ſequuntur, & eſt valde veriſimilis, quia cum ad radios Solis ſit fabricatus nidus Phœnicis, ſignum certiſſimum eſt, quod oculus & radii ſolis ad ejus mortem & renovationem concurrant, & quod hæc avis Soli ſuam mortem in ſenectute, & regenerationem ad novam vitam tribuit. Idcirco Cardinalis Madruccius adhærens opinioni communioti, & veriſimiliori, Phœnicem elegit pro ſymbolo, ſpiritu addito valde vivo, *ut vivat*, vel ut diceret *ut vivam.*

Applicatio. XI. Nunc redeamus ad Matthæum: *Et cum &c.* Matthæus, antequam converteretur ad Chriſtum, merito poteſt dici, quod fuerit Phœnix, quia quælibet anima poteſt decorari tali titulo. Hinc dicere ſolebat S. Job. *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies meos.* *Cap. 2.* Hunc locum Septuaginta ſic vertunt *& ſicut Phœnix multiplicabo dies meos.* Phœnix itaque fuit Mathæus, & Phœnix ſenex non ſolum quo ad ætatem, uti veriſimile eſt; nam alias ei non fuiſſet concreditum munus exigendi gabellas Principis, cum ita teſtante Chriſtiano Drutmaro illi qui tale officium habebant, haberent ſub ſe alios qui vectigal colligerent. Quinimo affirmantibus pluribus, iiſque antiquioribus, inter quos Tertullianus, ut refert S. P. Hieronymus, inveteratus fuit in vitiis & peccatis tanquam gentilis, & ut affirmat S. Cyrillus, erat homo avarus, qui ſumma cupiditate & induſtria rapiebat res aliorum, & cum id non poſſet opere exequi, exequebatur deſiderio: *Publicanus fuerat Levi, vir avarus,*

rus, effranis erga ſuperflua, alieni amator. Fuit Phœnix, quæ dum fabricaſſet in ſuo corde rogum malorum effectuum, inclinationum & cupiditatum animo, & cogitatu ſe poſuit in medio illorum affectuum & inclinationum: *Sedentem in telonio*, & ſe oculo ſolis ſuperni Chriſti, qui tranſire debebat expoſuit. *Cum tranſiret inde Ieſus.*

O decrepite Phœnix, ô Publicane Matthæe, & quid prætendis ab hoc ſole divino? Certus ſum, quod mihi reſpondis *Vt vivam.* Ideo me tantum expono ſupra rogum mearum paſſionũ & appetituum, ut hic Sol divinus ardore ſuorũ radiorum me reſpiciendo, accendat ignem charitatis & amoris cœleſtis in meo corde, ut in eodem tempore hos meos pravos effectus comburat & conſumat, imo & me ipſum cum illis annihilet, & ex cineribus combuſti Phœnicis veteris Matthæi Publicani, virtute hujus Solis divini reſtauretur, & vivat alia vita, non Publicani, ſed diſcipuli Chriſti, non peccatoris, ſed ſervi Dei, non deprædatoris aliorum, ſed deſertoris propriarum facultatum, non magiſtri publicanorum, ſed gentium, non appetitoris opum, ſed amatoris miſericordiæ. *Vt vivam.* Et ita hoc ei ſucceſſit, ut Chriſtus reipſa, efficacia ſui aſpectus penetrans ad cor Matthæi Phœnicis inveterati in malo, eum combuſſerit, redegerit in cineres, occiderit hominem veterem, & regeneraverit ad novam vitam, ita ut Matthæus apparuerit nova Phœnix. Hinc ad ſtuporem bene S. Chryſologus: *Matthæum publicanum ſic in Apoſtolum commutavit, ut qui erat fraudator pecunia, fieret gratia diſtributor & de impietatis ſchola ad pietatis magiſterium perveniret, fieretque doctor miſericordiæ, qui avaritiæ fuerat inſtitutor.*

Dicamus igitur, quod hic Sol divinus Chriſti, conjecerit oculos in Matthæum tanquam in decrepitam Phœnicem Dicat itaque Chryſologus: *Vidit illum Deus, ut ille &c.* Dicamus præterea, quod neceſſarium fuerit ad hoc, ut Matthæus poſſet videre Deum, quod debuerit mori tanquam ſenex Phœnix rebus mundanis, & renaſci ad vitam ſpiritualem. Dicamus denique, quod omnia hæc Matthæus debuerit attribuere aſpectui lucidiſſimi ſolis Chriſti. Hinc Matthæus habuit pro ſymbolo Regali. *Vt vivam*, quia præ omnibus aliis expertus eſt virtutem vitalem aſpectus Chriſti.

Non ſolum aſpectus Chriſti reſuſcitavit Matthæum, ſed etiam effecit, ut fieret imago Chriſti & appareret ſimilis illi.

XII. Spiritus ſanctus recenſet de illa amoroſa ſponſa ſacrorum Canticorum, quod quâdam die viderit ſuum dilectum, qui retro quoſdam cancellos & feneſtras mirabatur, & contemplabatur ſuum amorem, delicias ſuorum oculorum, unicum gaudium cordis, bonum ſuæ animæ & totus in illa abſorptus, eam contemplabatur cum ſumma ſua voluptate: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* Et ſicut cor totaliter erat ſaucium ex ejus amore, ſic omnes ſenſus impendebat, ut illum ſopiret, ita ut dum Ætna hujus amoris intra cor ſe continere non poſſet, erumperet non ſolum per oculos; ſed per os, eique dixit Quantocius ſurge ô ſponſa mea, ut venias ad me, quia tu es mea columba dealbata, domicella totius Orbis ſpecioſiſſima: *Surge propera amica mea, columba mea formoſa mea* Scripturiſtæ, hæc res mihi maximè admiranda videtur. Paulò ante ipſamet ſponſa loquens cum ſuis domicellis, conquerebatur, quod aliquantulum à ſole deformata eſſet, & privata priori venuſtate. *Nolite me conſiderare, quod fuſca ſum, quia decoloravit me Sol.* Quomodo ergo ita ſubito apparet tam pulchra, tam formoſa, ut ſuum amaſium totum ſauciatum & abſorptum poſt ſe rapiat. Quibus quæſo pigmentis, fucis, unguentis Hiſpanis faciem enubilavit, ut facta fuerit adeo bella, pulchra & gratioſa oculis ſui ſponſi? Quis depinxit ejus genas, quis colores induxit vultui, quis indidit ei tantam venuſtatem, ut raperet cor illius, qui eam conſpiceret. Si antea erubeſceret etiam cotam domicellis comparere, quia ita decoloratam & deformatam à ſole ſe videbat: *Nolite me, &c.*? Scio S. P. Ambroſium quâdam vice loquentem de hac ſponſa in illa verba: *Nolite me, &c.* dixiſſe, eam adeo fuiſſe deformatam & turpem, quia à ſole ſui dilecti non reſpiciebatur. Hinc legit: *Quia decoloravit me Sol, quia non eſt intuitus me Sol.* Et addit. Tunc animam deformari, obfuſcari, quando à ſole divino non reſpicitur. *Obfuſcamur enim, quando non videmur à Domino, ſed quando videmur albeſcimus?* Sed his verbis mihi non eſt ſatisfactum, quia experientia plane contrarium docet. Formoſa domicella,

Scriptura. *Cant. 1.*

Cant. 2.

In Apolog. David. c. 8.

micella, quæ maximi facit ſuam ſpecioſitatem, nunquam ut ita dicam exponit ſe oculo ſolis, nec minimo tempore permittit ſe à ſole videri, utpote edocta à naturali Philoſophia, Solem faciem humanam, humidum exſiccando, & eam aduredo deformare, & obfuſcare prout experientia docet in iis, qui diu in ſole manent; Quomodo ergo poteſt dicere Ambroſius, quod ſponſa compareat deformata & obfuſcata, quia non fuit reſpecta à ſole, cum ipſamet dicat ſe à ſole deformatam. *Nolite me &c.* ? Si ergo ſponſa jam antea erat deformata, & in facie aduſta, nec ita amplius formoſa, aut illa pulchra appareat, dum eam ſponſus retro cancellos contemplatur, *En ipſe ſtat &c.*

Hom. 5. in Cant. *Surge propera &c.* S. P. Gregorius Nyſſenus ruminatis his difficultatibus, dubium aliter ſolvit, & quidem valde bene ad rem noſtram. Conſiderat S. Doctor naturam humanam eſſe quaſi ſpeculum, quod in ſe recipit imaginem Dei. Porro cum hic ſit in ſe pulcherrimus, taliter etiam apparet in ſpeculo animæ ejus imago; Et ſicut hinc dicitur ſpeculum pulchrum, quando in ſe habet imaginem pulchram objecti pulchri, ſic ſponſus animæ fidelis conſiderans in hac anima, velut in terſiſſimo ſpeculo, ſui pulcherrimam imaginem à ſuis oculis impreſſam, fecit ut ſpeculum animæ pulcherrimum & ſpecioſiſſimum appareret; quia ergo à ſuo ſponſo fuit reſpecta, ideo adeo bella, venuſta, gratioſa apparuit, ut ſua venuſtate raperet ipſummet ſponſum, qui ſuo intuitu illam pulchram reddiderat, & quæ antequam reſpiceretur, apparebat deformis, ut dicit Ambroſius: *Nolite me conſiderare, quod obfuſcata ſim, quia non eſt intuitus me Sol*, nam omnis ſpecioſitas ſponſæ ab aſpectu ſponſi dependet. Nunc audiamus Nyſſenum ad ſtuporem bene loquentem: *Pulchra redditur, columba nominatur. Quomodo poteſt fieri, ut in ſpeculo pulcher ſit aſpectus. Si non pulchra alicujus formæ acceperit ſimulacrum? Ergo humanæ naturæ ſpeculum non prius evaſit pulchrum, quam pulchro appropinquavit, & informatum fuit imagine pulchritudinis.*

O quam bene ad propoſitum pro noſtro Evangeliſta.

Matthæus ſedebat in telonio totus caliginoſus, & deformatus à crudelitatibus ſuis, uſuris & avaritiis, ardores intenſi ſuarum cupiditatum omnem humorem pietatis & liberalitatis in eo exſiccarant, tranſit Chriſtus juxta telonium, imprimit ejus cordi ſuum eſſe divinum, & efficaciſſimum ſuum intuitum, & en illico Matthæus reformatur, & prioribus deformitatibus deletis, venuſtus, pulcher & gratioſus comparet. Et ubi antea videbatur per crudelitatem tigris, per avaritiam lupus & bufo, à Chriſto reſpectus apparuit homo, & quidem pulcherrimus, ſimilis ei, qui illum viderat. Hinc ipſemet dicit: *Vidit hominem;* Ubi Chryſologus ſubdit: *Non dixit vidit Matthæum, quia in Matthæo hominem liberaverat.* *Ser. 18.* Et quia Chriſtus illos, quos reſpicit ſibi ſimiles facit, juxta illud Gilberti Abbatis. *Similem tibi reddis, quem irradias.* *Ser. 18. in Cant.* Chriſtus, quà homo videns Matthæum lupum avariſſimum, eum mutavit in hominem ſimilem ſibi. *Vidit hominem. Similem tibi &c.*

XIII. Nobiliſſimus ille Senator, qui cum tanta ſui gloria, & honore illuſtriſſimæ ſuæ familiæ poſt plures, eoſque graves ſuperatas difficultates, & præclare geſta in Lombardia, omnibus voris electus eſt Senator Venetus, Bernardus Nani filius excellentiſſimi Jacobi; hic inquam nobiliſſimus Senator ab ipſa natura tam inſignibus donis, & qualitatibus ornatus, ut à teneris annis imitari majores ſuos generoſiſſimos omni niſu ſtuduerit; volens demonſtrare ſe nec in minimo à majoribus ſuis degeneraſſe, elegit pro ſymbolo ſpeculum, quod oppoſitum ſoli ad vivum exprimebat illum cæleſtem & lucidum Planetam cum ſpiritu, *Vt valeo.* Ad idem intentum ſignificandum idem ſymbolum elegit nobilis eques Gori, eſto cum ſpiritu diverſo. *Receptum exhibet.* hoc Symbolum fundatur in natura ſpeculi, quale repræſentat, id quod ſibi opponitur. Ego nihilominus hic ſcire percuperem, cur ſpecula quamdiu ſunt polita & terſa, recipiant in ſe, & remandent objectum ab iis receptum, & tamen ſi ſimplici ſtatu ſint maculata, aut panno ſubtiliſſimo tecta, nullum omnino objectum, nequidem ipſum ſolem repræſentent; & remandent. Symbola.

Reſpondent Optici, ad hoc ut corpus Diaphanum, & tranſparens poſſit repræſentare objectum vel imaginem ejus, neceſſarium eſſe, ut pars externa ejus ad illud terminetur, & fiat opaca, alias recipiet quidem objectum, ſed

illud non repræſentabit. *Corpus Diaphanum*, inquit Opticus, *eſt illud, quod lumini, rerumque formis impunè eſt pervium.* Hinc expreſsè videmus, aerem eſto totus ſit Diaphanus, & tranſparens, & etiam in ſe recipiat lumen ſolis, & imagines objectorum, nihilominus non repræſentare objecta; cum enim non terminetur à corpore opaco, tranſmittit lumen & imagines, quas recipit. Idem facit ſpeculum, ſi retro non terminetur à chalybe, plumbo, aut alia re opaca; nam ſi terminetur ab his, cum non poſſit imaginem objecti ulterius tranſmittere, illam remittit. Sicut ergo ſpeculum à parte poſteriori, debet retro ſe habere corpus opacum, ſic à parte anteriori, quæ opponitur objecto, quod debet recipere & repræſentare, debet eſſe terſum, & politum abſque ulla opacitate; nam corpus opacum juxta opticos prohiber, ne lumen tranſeat, aut à ſpeculo recipiatur. Quinimo, ſi corpus Diaphanum terminatum, veluti erit ſpeculum, recepiſſet ſimilitudinem objecti permanenter, & ſtabiliter (dato quod hoc fieri poſſit, ſi inter objectum, & ſpeculum interjiceretur corpus opacum quamvis ſubtiliſſimum (non poſſet repræſentare imaginem receptam ab objecto, & hoc fieret propter opacitatem interjectam, quæ impedit ne tranſmittatur imago. Cum itaque velum quantumvis tenuiſſimum ſupra ſpeculum poſitum ſit corpus opacum, & per illud non poſſit imago repræſentari. Similiter ſi halitu, vel alia re inficiatur ſpeculum, cum ille aër condenſatus fiat corpus opacum, quamvis tenuiſſimum, non poteſt à ſpeculo recipi, vel repræſentari imago. Hinc ſi panno vel alia re extergatur illa macula, vel aer ſuperpoſitus, ſtatim in ſpeculo repræſentatur imago.

Idcirco illi equites, qui pro Symbolo elegerunt ſpeculum repræſentans lucidiſſimum ſolem, cum ſpiritu *Vt valeo*, vel *receptum exhibet*, ſuppoſuerunt ſpeculum eſſe politiſſimum & terſiſſimum, abſque interpoſitione corporis opaci, aut aliqua macula, quæ partem anteriorem ſpeculi verſus objectum faceret opacam.

Applicatio. XIV. Nunc ad applicationem. Speculum ex ſe ipſo politum & terſum ſine ulla macula vel nævo, eſt anima rationalis à Deo creata ſine peccato, ſumma enim innocentia non poteſt eſſe auctor alicujus peccati. Hinc anima noſtra in ſua primæva origine, plenis buccis poterat ſe vocare ſpeculum ſine macula, & velut tale non ſolum recipiebat in ſe imaginem ſupremi ſolis Dei, ſed etiam repræſentabat & oſtendebat eam aliis, qui contemplabantur in illa unitatem cum Trinitate potentiarum, & hoc in ſtatu originalis innocentiæ, & gratiæ ſanctificantis, per ſanctas & virtuoſas operationes. Sed dum ſupervenit peccatum, hoc ſpeculum ita fuit maculatum & obfuſcatum, ut non potuerit ulterius mediante gratia divina ſimilitudinem Dei gratioſam recipere, cum ex parte illa naturalis imago deturpata fuerit. Sed poſtquam ſupervenit gratia divina, & de novo Deus reſpexit hoc ſpeculum, illud mundando à culpis, fecit ut iterum repræſentaret imaginem divinam. *Expurgata à verbo*, ſunt verba Nyſſeni, *anima ſolis circulum in ſe ſuſcipit.* *In cap. 2. Cant.*

Speculum ex natura ſua politum & terſum erat Evangeliſta Matthæus. Sic illum quadam vice vocavit Rupertus Abbas: *Erat Matthæus ſpeculum prælucidum.* Verum hoc ſpeculum poſtea texerunt, maculatunt & opacum reddiderunt, peccata avaritiæ & nimiæ ejus curæ circa ſæcularia. Tranſit Salvator prope telonium, in quo pendebat hoc ſpeculum Matthæi, & videns illud totum maculatum à culpis, ita ut non poſſet repræſentare amplius imaginem hujus ſolis divini, efficaci ſuo intuitu maculas ex illo diluit, & ſtatim in ipſo ſpeculo Matthæi, apparuit imago hujus ſupremi ſolis, & quia hic Sol, Chriſtus erat ſimul homo, Matthæus refert faciem hominis. *Vidit hominem*, inquit Chryſologus, *quia in Matthæo hominem liberarat.* Verum Rupertus clarius conceptum confirmat. *Erat Matthæus ſpeculum prælucidum, ſed in tenebris recondi-tum, & ſub tecto latens curarum nimis ſæcularium. Vbi ergo vidit eum Ieſus, ubi eum vidit ſolus, & ſol verus, reſplenduit ex aſpectu ejus. Et quia vidit eum talis filius hominis, reddidit imaginem ejus, & formata eſt in ipſo facies hominis?* *De gloria & honore filii Dei lib. 2.*

O purgatiſſimum, ô politiſſimum, ô terſiſſimum ſpeculum, ô glorioſiſſime Matthæe, quam diſtincte repræſentas imaginem hujus ſuperni ſolis? Quam perfecte conſpicitur in te facies & imago humana Chriſti paulo ante

ob

ob maculas tuarum culparum non viſa, non cognita, nec penetrata etiam acutiſſimis oculis? Semper laudetur hic Sol, qui vi ſuorum radiorum hoc ſpeculum purgavit, opacitatem, & has maculas ei ademit, & fecit ad vivum repræſentari imaginem ſuam. *Et formata eſt in ipſo facies hominis.* Meritò ergo pleno ore gloriari potes, quod ſis ſymbolum, nempe ſpeculum terſum & politum repræſentans corpus ſolare, quod in illo imprimit ſui imaginem. Adjunge lemmata tibi multum congrua *Vt valeo, & receptum exhibet.* Dic cum ſacra ſponſa, quod per aſpectum hujus ſolis ſis factus ſpeculum valde terſum & mundum, quod informatum fuit imagine pulchritudinis.

Epilogus. XV. O Sol divinè, & quantas gratias tibi tenemur reddere ob favores tam larga manu Evangeliſtæ Matthæo conceſſos? Tu reſpiciens hunc altiſſimum montem nivibus tectum, radiis ardentiſſimis ex oculis ruis amoroſis emiſſis, & cor totaliter frigidum, & congelatum caleſaciens, velut alterum Petrum eum liquefeciſti, & reſolviſti in lachrymas pœnitentiæ & opera pietatis.

Tu reſpiciens hunc duriſſimum adamantem, à ſpiritu ſuo induratum, & factum quaſi invincibilem & inſuperabilem, & corroborans radios tuæ divinitatis in vitro cryſtallinæ tuæ ſacratiſſimæ humanitatis, & feriens cor Matthæi, illud redegiſti in minutiſſimum pulverem contritionis.

Tu percutiens tuis radiis hanc Phœnicem inveteratam in malo, combuſtam in propriis culpis, ſtatim eam reſuſcitaſti, & occidens eam mundo, ei dediſti vitam ſpiritualem, ut iterum operationes ſpirituales, & dignas vita æterna facere poſſet.

Et quaſi hæc omnia ſint parum vel nihil, dum reſpicis animam illius retro cancellos tuæ humanitatis abſtergendo, & mundando hoc ſpeculum, deformatum & fœdatum à tot culpis, dediſti ei gratiam ut reciperet & repræſentaret tuam pulchertimam imaginem, & ut compareret ſimilis tibi, ac ſi eſſet alter Chriſtus.

Ob hos omnes favores præſtitos glorioſiſſimo Apoſtolo Matthæo, obligamur omnes tibi reddere infinitas gratias, quia non ſolum fuit favor collatus ſoli Matthæo, ſed beneficium commune toti Eccleſiæ. Dignetur tua divina bonitas per interceſſionem hujus ſanctiſſimi Apoſtoli & Evangeliſtæ concedere, ut in nobis etiam experiamur efficaciam tui aſpectus, ut liquefacta corda noſtra congelata reſolvantur in lachrymas pœnitentiæ, rupta reducantur in minutum pulverem contritionis, & percuſſa moriantur mundo, & reviviſcant cælo, & tandem totaliter purificata repræſentent tuam pulchertimam imaginem & ſimilitudinem.

Amen.

ELOGIUM XXIX.

Pro Feſto ſacratiſſimi Roſarii.

Coronemus nos Roſis antequam marceſcant. Sapient. 2.

Theologia. I. NEſcio an nobilior curioſitas poſſit ſubire caput alicujus docti ingenii, quàm illa, quam producit in medium Theologia, videlicet, An Deus in principio mundi, quando omnia creavit, produxerit in paradiſo terreſtri, loco delicioſiſſimo roſam ſine ſpinis, vel cum ſpinis.

S. P. Ambroſius & nonnulli alii, cenſuerunt roſam tunc fuiſſe creatam ſine ſpinis. Et ut verum fatear, fundamentum eorum ſatis bonum eſt; nam ſpinæ ſunt productæ à terra poſt peccatum protoparentum, quos Deus ob tranſgreſſionem ſui præcepti punivit, & caſtigavit hac ſcilicet pœna, ut terra iis produceret ſpinas, &

Geneſ. 3. tribulos: *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Et revera Deus prius poſt peccatum Adami meminit ſpinarum, cum tamen tertio die creationis tam antea in paradiſo terreſtri roſæ creatæ

Geneſ. 1. eſſent, quando Deus dixit: *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, & hoc facto factum eſt veſpere, & mane dies tertius.*

Adamus autem fuit creatus ſexto die. Si ergo Adamo fuerint datæ ſpinæ in pœnam peccati, & Roſæ tamdiu ante creatæ eſſent, quis non dicet Roſas productas in paradiſo terreſtri ſine ſpinis? Hinc S. P. Ambroſius *Ante peccatum, floribus immixta terrenis ſine ſpinis Roſa ſurgebat & pulcherrimis flos ſine ulla fraude vernabat.*

A parte q. 69 art. 2. ad 2. Nihilominus Doctor Angelicus cum aliis Theologis tam Scholaſticis, quam poſitivis affirmat, ante peccatum Adami extitiſſe ſpinas, quia ſpinæ non fuerunt datæ roſæ, ut pungerent & læderent hominem, antequam peccaret. cum enim in illo ſtatu ex privilegio ſingulari eſſet impaſſibilis, nulla omninò creatura ei nocere potuit) ſed ſpinæ fuerunt datæ roſæ, ut eſſent ſpes, propugnaculum, & ſingulariter ornatus illius; Nam ſicut Domicella induitur veſtibus, & coloribus nigris, & ei aſſignantur Æthiopiſſæ deformes & turpes, ut magis appareat ejus deformoſitas, ita ſimiliter, ut roſa flos ita nobilis, & ſuavis appareat pulchrior, cingitur aculeis ſpinarum. Quod igitur poſt peccatum terra ab Adamo culta, vice bonorum fructuum produxerit ſpinas, id fuit in pœnam peccati ab Adamo commiſſi.

II. Quod per ſpinas in ſacris litteris ſignificetur peccatum clarè docent omnes Doctores. Similiter quod per ſpinas denotentur pœnæ, dolores, anguſtiæ, puncturæ ſatis liquet. Quod etiam per ſpinas ſignificentur Judæi aperte affirmat Damaſcenus. Quod tandem per Roſam denotetur MARIA noſtra Domina, nullus negat. Hinc S. Joannes Damaſcenus loquens cum Virgine dicere ſolebat: *O roſa, quæ ex ſpinis, hoc eſt Iudæis orta es.* Roſa ita ſuavis & fragrans, ut odore ſuarum gratiarum & virtutum, recreavit cœlum, terram, homines, Angelos, & ipſum Deum. Hinc idem ſanctus: *O Roſa, quæ divina fragrantia cuncta perfudiſti.* Applicatio. *Orat. 1. de Nat. Mariæ.*

Si per ſpinas velimus intelligere peccatum, quis ignorat, quod hæc Roſa ſanctiſſima ſemper fuerit ſine ſpina actualis peccati, cum in ipſo inſtanti conceptionis fuerit à Deo producta ſine ſpina originalis noxæ, quæ eſt prima origo reliquarum ſpinarum puta culparum? Quòd ſi per ſpinas velimus intelligi populum Hebræum, certum eſt ex ſpinis, hanc ſuaviſſimam Roſam fuiſſe productam, cum prodierit ex iis, & vixerit cum iis. Si denique per ſpinas intelligamus dolores & afflictiones, Maria fuit Roſa plena, & circumdata ſpinis, uti declarant myſteria dolorosa, quæ tanquam ſpinæ intrant ejus ſacratiſſimum Roſarium, & expreſſit Senex Simeon dicens: *Tuam ipſius ani-* *Luc. 2.*

animam pertransivit gladius. Hoc probavit ipsa Virgo dum caperetur in horto ejus dulcissimus filius, dum flagellaretur, dum spinis coronaretur, dum portaret onustissimam crucem & tandem crucifigeretur.

O delicatissima & glorioſissima Rosa, tu, quæ fragrantia, & suavissimo tuo odore, recreasti ipsum Deum, & ita roboras terram, & homines, confotta meum intellectum, ut benè possit percipere virtutem & efficaciam devotionis erga tuam Roseam coronam. Fac ut hæc confortatio intellectus, transeat ad linguam, ut illa possit declarare, quam efficax sit solum nomen tuæ efficacissimæ & suavissimæ Rosæ.

ASSUMPTUM.

Quàm efficax sit devotio Rosarii, corona & ipsius nominis Mariani.

Scriptura. *Cant. 1.*

III. LOquens in sacris canticis Spiritus sanctus de illo sponso cœlesti, & videns quantò amore erga eum flagrarint domicellæ, volens assignare causam tam præcordialis, ac intensi amoris, dicit totum hoc ortum fuisse ab ejus nomine, quod compatat oleo, ac unguento effuso, *oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te.* Nonnulli expositores, ac devoti B. Mariæ, intelligunt hæc verba de hac Virgine sanctissima, & quod nomen ejus sit quoddam oleum, ac unguentum fragrantissimum, quod sua fragrantia, & odore animas cœlestes & terrenas delectat. Hinc Richardus à S. Laurentio. *Rectè hoc nomen Mariæ oleo comparatur:* Et S. P. Ambrosius sic illa legit virgini applicans. *Unguentum exinanitum nomen tuũ;* Ac si vellet dicere: Nomen tuum sacratissima Virgo sæpè ac frequenter nominatum, & à nobis repetitum, est instar olei pretiosissimi, ac unguenti suavissimi, quo recreatæ puellæ, allectæ sunt ad te amandum. Sed ego scire cuperem quænam sunt hæ puellæ. *Ideò adolescentulæ &c.* Ut verum fatear, diversæ sunt opiniones expositorum; nonnulli volunt, per eas intelligi totam Ecclesiam, alii animas justas, alii personas novitias in servitio Dei, alii virgines & simplices, ac innocentes, qui quò sunt puriores & sanctiores, eò magis sunt dispositi ad amandam Virginem? Alii tandem per istas puellas intelligunt Angelos, qui delectati nomine Virginis à nobis ingeminato & repetito, nos excitant ad amandam Mariam, juxta illud Alani à rupe. *Calum gaudet, cum audo Ave Maria.* His ergo omnibus suppositis, & præsertim, quod per hoc nomen intelligatur Maria, & per illas puellas sancti Angeli & beati, quid sibi vult, quod hi spiritus cœlestes moveantur ad amandam virginem, & consequenter etiam ejus devoti, ut sæpius nomen Mariæ, recitando Rosarium, vel coronam ingeminent? Cur hoc nomen à nobis sæpè repetitum comparatur oleo, ac unguento & quidem effuso, ac exinanito & sparso extra vas, ac si hi liquores effusi essent efficaciores?

Lib. 1. de laud. Virg. cap. 2.

De instit. Virg. c. 3.

De psalterio virg. cap. 70.

IV. Hanc scripturam non possum melius explicare, quàm si adducam quandam consuetudinem priscam Indorum. Sapientiores eorum, quando animum alicujus principis sibi conciliare volebant, & aliquid ab eo obtinere, expectabant quousque sol esset in ariete, qui est ejus exaltatio, vel in Leone, qui est ejus domus, vel domicilium, in quibus locis habet majores vires, maximè quando eodem tempore benignè respicitur à luna. Et tunc, manu dextra gestare debebant vitrum plenum oleo rosaceo optimo & perfectissimo, erectum versus cælum, & pedibus erectis, vultu verso ad solem voce clara, & sonora duodecies hæc verba repetere. *Salvere te jubeat Deus, ô planeta, tuo potens lumine ac omnigena felicitatis fœcundissime, qui tam formosus, tamque omnibus exoptatus, tam beneficus oriris radiorum diffatione micantibus,* cum aliis laudibus solis & subdebant.

Literæ humaniores.

Quæ, si ita se habent, exoratum te velim, ut amicitiam, benevolentiam, amplexum, & affectum erga me omnium benevolentia, in hoc oleo mihi concedas, ita ut me omnes appetant, & amicitiam meam ultro concupiscant.

His dictis & interjectis certis verbis conciliantibus animos, summa reverentia reservabant oleum, & dum esset flagitanda aliqua gratia, faciem illo inungebant, & sic gratiam postulabant. *Id ritè cum egissent, oleum summa veneratione susceptum observabant, quo faciem obungerent, quotiescunque principem aliquem adituri essent. Salvere te &c.* Tu es ille, qui tua luce, vigore, & fortitudine regis totum orbem, tu es luminare cæli, lumen omnium rerum, tu auctor, & pater cunctorum generabilium, tu per virtutem tibi à Deo concessam devinxisti tibi omnes creaturas, tu incessanter moves quatuor partes orbis, & tuam lucem communicas indeficienter luci, & omnes pariter illustras stellas. Hæc cum ita se habeant, te rogo, ut per virtutem

tutem hujus olei animas tam magnorum, quam plebejorum mihi concilies, ita ut virtute hujus olei, obtineam ab eis quidquid voluero, & dum deberent se sistere illi magnati, ut gratias, ac favores impetrarent, inungebant se illo oleo roſaceo, & ſic animos illorum Principum ſibi devinciebant taliter, ut quidquid optarent conſequerentur; Ac ſi in hoc oleo roſaceo oblato ſoli in Ariete, vel in Leone, ac benigne reſpecto à luna, omnem ſuam ſpem collocarent, ac ſi amor magnatum erga eos, & obtentio cujuſcunque gratiæ ab ejus virtute penderet.

Nec inutile erat hunc ritum olei roſarum adhibere, quando Sol erat in Ariete, vel Leone, quia juxta Aſtrologos Sol in prima domo cæli *dat principatum, ſublimitatem, & exaltationem, atque amicitiam cum dominis*; Et largius hoc concedit, quando eſt in Ariete; cum hic ſit ejus exaltatio; ſimiliter quando eſt in quinta domo, tunc *ſignificat gaudium cum principibus & hominibus in poteſtate poſitis, facit amabiles, & honoratos, qui omnia facilè conſequuntur*, & hæc ſpecialiter præſtat, ſi quinta domus ſit leo, qui eſt ejus propria domus. Nec eſt abſurdum, quod exſpectaverint, quouſque luna reſpiceret ſolem aſpectu felici trino, vel ſextili, quia *luna ad Trigonum, aut ſextilem Solis multorum bonorum præmia largitur, inſigni felicitate decorat, & nobilium amicitiam cum magno proſperitatis commodo concedit.* Sicut vice verſa Sol directus ad trinum, vel ſextilem aſpectum lunæ, *concitat amicitias Imperatorum, Regum, atque Principum.* Hæc Aſtrologi.

Applicatio. V. Nunc ad MARIAM: *Oleum effuſum es* Sol eſt benedictus Deus luciditſimus, quia eſt ipſa lux, *Lux lucis, & fons luminis.* Joann 1. Fœcundiſſimus, quia ab ipſo omnia dependent. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Pſalm. 44. Venuſtiſſimus, imò ipſa venuſtas: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Coloſſ. 3. Omnibus omnino beneficus. *Non eſt perſonarum acceptio apud Deum.* Luna eſt ſanctiſſima Virgo noſtra Domina. *Pulchra ut Luna*, quæ ab hoc ſole ſupremo recepit plenitudinem omnium gratiarum. *Fecit mihi magna qui potens eſt.* Luna quæ benignè reſpicit, & reſpicitur à ſole dilecto ſuo filio. *Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus.* Ejus ſanctiſſimum nomen eſt oleum. *Recte hoc nomen* MARIÆ *oleo comparatur*, & quidem oleo roſaceo, cum ſit roſa quædam ſine peccatorum ſpina, ſed cum ſpinis infinitorum dolorum. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Cant 1. Oleum roſarum eſt nomen ejus in vaſculo cordis devoto MARIÆ recluſum, & dein effuſum, & ſparſum in recitatione Roſarii, vel ejus coronæ. His poſitis quis neſcit, quod comparens anima devota tota perfuſa oleo ſuaviſſimo ſanctiſſimi Roſarii coram principibus cæli puta Angelis & ſanctis, imò ipſo Deo ſummo Imperatore cæli devinciet ſibi animos paradiſi, ac virtute hujus devotionis conſecutura ſit omnes gratias, & favores? Cum enim Sol benedicti Dei, & luna Mariæ aſpectu benigno, & amoroſo ſeſe invicem reſpiciant, non poteſt aliter fieri quin amore ſingulari illum animum proſequantur, eique omnes gratias largiantur quæ comparebit tota perfuſa hoc oleo roſarum, fragrantiam roſæ virginalis Mariæ ſpirantis. Hinc ſi Germanus. *Tuum Dei genitrix nomen divinis benedictionibus, & gratiis omni ex parte refertur.* Inſuper benedictionibus, & favoribus tibi præſtitis à Deo ſupremo ſole adduntur gratiæ, & benedictiones ſtellarum puta Angelorum, & ſpirituum beatorum, qui certatim ſuccurrunt, & benefaciunt iis, qui oleo roſarum ſanctiſſimi Roſarii ſe aſpergunt. Hinc B. Birgitta: *Angeli boni audito hoc nomine* puta Mariæ in recitatione Roſarii, vel coronæ *juſtis magis approximant.*

Et hoc volebat dicere Spiritus ſanctus in ſacris Canticis, quando dixit nomen Mariæ eſſe oleum effuſum, & ſparſum tantæ virtutis, & vigoris ut alliceat juvenculas, hoc eſt ſpiritus beatos, imò ipſum Deum ad amandam Mariam, ſed & devotos, ut ſæpè recitent ejus roſarium crebrò nominando Mariam, imò præterea ex ejus manibus extorquet omnes gratias & favores, quos poſcit. Hinc S. P. Ambroſius: *Oleum effuſum, unguentum exinanitum nomen tuum, ideò adoleſcentulæ dilexerunt te. Deſcendat*, inquit Ambroſius, *unguentum iſtud in anima præcordia, vi, eorumque ſecreta, quo non deliciarum S. Maria, ſed divinæ gratiæ ſpiramenta redolebat.*

Oleum ſuaviſſimum, ô Roſarium vigoroſiſſimum! Hoc ô anima devota porta in vaſe tui cordis, devote Mariæ inungere hoc oleo cœleſti, recita ſæpè roſarium, vel coronam, quia tunc ſæpius nominabis Mariam, & ſis certa

certa quod habebis amicitiam cæli, ſanctorum ſpirituum, Angelorum, Solis æterni Dei, & lunæ beatiſſimæ Virginis. Præterea te aſſecuto, quod habebis quidquid petieris.

Scriptura. *Lib. 3. c. 2.* VI. Duas inſignes Scripturas reperio, quæ egregiè faciunt ad meum intentum. Primum repetio in lib. Reg. in iis recenſetur, quomodo Berſabea mater Salomonis Regis quàdam vice eum adierit, ab eoque gratiam quandam petierit, rogans ne eum denegaret, utpote exiguam. *Petitionem ego unam parvulam deprecor à te, ne confundas faciem meam.* Rex videns & audiens matrem tam reverenter poſcere gratiam, & allegare ſe rem nullius momenti flagitare ſtatim reſpondit. *Pete mater mea neque enim fas eſt, ut avertam faciem tuam.* Audito hoc gratioſo reſponſo Regina dixit. Detur Abiſag Sunamitis fratri tuo uxor; Salomon audita petitione totus turbatus, & alteratus reſpondit. *Vivit Dominus qui firmavit me &c.* quia hodie occidetur Adonias. Mater mea ego proteſtor, & juro quod per illam petitionem, quam hodie facis pro Adonia, ego eum vita privabo, & ſtatim miſit Banajam: *Qui interfecit eum, & mortuus eſt.* O Deus immortalis, & quale eſt hoc præcipitium; quale hoc factum? Quomodo diſcordas à ſponſione matri facta? Nonne dixeras: *Pete mater mea &c.*? Quomodo ergo poſtquam petiit gratiam tam exigui momenti, ſicuti eſt iſta, ut tuum germanum fratrem copules Abiſag Sunamitidi, adeò turbaris, ut idcirco neci cures eundem tradi, & patres homicidium ob rem adeò levem? Ut verum fatear, hæc reſolutio tua videtur mihi adeò præcipitans, ut melius ſit illam relinquere.

Secundam Scripturam reperio in lib Eſther, quæ comparens coram Rege Aſuero tota ſupplex gratiam quandam una, duabus, vel tribus vicibus poſtulat, & Rex omnia ei addicit, eſto medietatem regni flagiret. *Etiamſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis*; Et obtinuit à Rege mortem Aman, & liberationem ſui avunculi Mardochæi, imò conſervationem totius populi Hebræi, quem ob falſas informationes Amani exterminare decreverat. Nam ſtatim illud revocavit, & declaravit nullas eſſe litteras, commiſſiones, quas Aman pro Regibus ac gubernatoribus regni dedit. *Eas litteras quas ſub nomine noſtro ille direxerat, ſciatis eſſe irritas.* Mi Deus, hic caſus planè eſt contrarius præcedenti. A Salomone Regina mater ſimplicem poſtulabat gratiam, nempè ut fratri daretur in uxorem Abiſag, res exigui momenti, & tamen quamvis fuerit aſſecurata de gratia obtinenda, illam non ſolum non obtinuit, ſed & ipſe frater Salomonis, Adonias, pro quo illam petierat, mortem reportavit. Eſther autem uxor Regis Aſueri flagitat mortem Aman, liberationem Mardochæi, & ſalvationem totius populi Hebræi & ſine contradictione, imò gratioſitate ſumma, ſit voti compos. Unde diverſitas tanta? Eſther erat Regina, & Berſabee erat Regina, Eſther erat uxor Aſueri, ſed hæc erat mater Salomonis, & ut talis debebat magis honorari. Eſther petebat ſalvationem ſui avunculi, & vitam ſui populi. Berſabee rogabat quandam gratiam pro ſuo filio, & matre Regis, & quidem exiguam, & tamen Eſther exauditur à marito Aſuero, & Berſabee patitur repulſam à filio; Cum tamen ſpectatis circumſtantiis potius debuerit pati repulſam Eſther, quam Berſabe, idque à fortiori, cum Aſuerus ſe reſolvere debuerat ad revocanda decreta, quod non ſolent facilè concedere Monarchæ, cum non libenter revocent ſuum verbum. Salomon autem antequam rogaretur à matre, nil decreverat contra Fratrem. Unde ergo hæc diſparitas?

Nullum eſt dubium (NN.) quin Berſabee Regina, & Eſther Regina fuerint figuræ MARIÆ Virginis Reginæ cæli, Regina, quia filia æterni Patris, Mater filii Dei, & ſponſa Spiritus ſancti. En ergo cauſam cur Eſther à Rege omnia gratioſè obtinuerit aſſignat ipſe textus dicens: *Eſther placuit oculis ejus.* Tam formoſa erat Regina Eſther, ut Aſuerus ſupra fidem ejus forma captus, ejus gratia longe aliquid majus feciſſet. Et quamvis ejus venuſtas reluceret ex pluribus capitibus, tamen exinde maximè enituit & micuit, quod genæ ejus eſſent purpureæ inſtar ſuaviſſimæ ac delicatiſſimæ roſæ. Hinc Spiritus ſanctus: *Ipſa autem roſeo colore vultum perfuſa, gratis erat & nitentibus oculis.* Hinc non eſt mirum, quod comparens vultu roſeo omnia obtinuerit, cum talem conditionem non legamus de Berſabee, quamvis alias venuſtiſſima. Et quamvis utraque fuerit figura Ma- *Ibid. c. 16.*

riæ, tamen ſecunda figuravit Mariam Roſarii, & ideò volens ſignificare Spiritus ſanctus quod quando Maria aliquam gratiam poſtulat à ſanctiſſima Trinitate velut Domina Roſarii pro ſuis devotis, quod tunc omnia quæ petierit obtinebit; Nam ideò Eſther voti compos facta fuit, quia *ipſa roſeo &c.*

Litteræ humaniores.

VIII. Pulcherrimam habemus eruditionem ad propoſitum ex adagiis. Si ſit aliquis qui loquitur elegantèr ac ſuaviter, ita ut delectet auſcultantes, & obtineat quidquid velit, dicimus de eo quod *Roſas loquatur.* Tam ſuaviter diſcurrit, ut omnia ejus verba videantur eſſe roſæ germinantes ex ejus ore, hinc meritò obtinet quod vult nec aliquid poteſt denegari ejus pretioſiſſimis verbis, cum ſpiret odorem tam ſuavem roſatum, quæ germinant dum loquitur; *Roſas loquitur.* Hinc Poetæ fabulantur *Iridem* legatam Deorum roſas ore ſpiraſſe dum loquebatur.

Virgilius & Ovid.

Ad quem ſic roſeo Thaumantias ore locuta eſt,

Dum loquitur vernas affiat ab ore roſas.

Ita ut roſa ſit ſymbolum eloquentiæ gratioſæ ac efficacis; ſed ego ſcire percuperem cur roſa ſit ſymbolum eloquentiæ gratioſæ, ac efficacis: Nonnulli dicerent, id meritò feciſſe antiquos, cum roſa habens pulcherrimum colorem, & ſuaviſſimum odorem, alliciat homines ut eam decerpant, ejuſque odore ſe delectent, quaſi loquaci ſilentio ſpectantes invitaret ac moveret. Et quia proprium eſt eloquentiæ adhibere varios colores, & figuras Rhetoricas ad ſuadendum, ſicut & particularem ſuavitatem, ac gratiam in dicendo, hinc meritò dicunt roſam eſſe ſymbolum gratioſæ, & efficaciſſimæ eloquentiæ.

Sed ſi ego debeam edicere quod ſentio, credo meliorem debere adferri rationem. Roſa ſicut floris dedicata eſt Veneri, imò juxta Aſtrologos Planeta Veneris habet ſpecialem influxum in iſtum florem. Nam ab illo dependet ejus vivus color, & ſuavis odor. Hoc poſito dicunt Aſtrologi, quod ſtella Veneris dum in Oriente exoritur, influat ſingularem gratiam, & ſuavitatem loquelæ. Unde qui naſcitur ſub illa ſtella aſcendente, ſi nullus alius planeta ſit impedimento, in dicendo non ſolum ſemper erit loquens, ſed & gratioſus, ſuavis ut perſuadere poſſit quidquid voluerit. Hinc dicit Albomalus: *Venus in aſcendente facit homines eloquentes.* Alii addunt Venus in prima domo in aſcendente facit homines lepore ſermonis gratos. Et ideò volunt quod Roſa ſit ſymbolum ſuavis ac efficacis eloquentiæ.

Alii dixerunt Roſam eſſe Veneri dedicatam eo quod hæc Dea habeat os roſeum, & cecinit Virgilius dum eam induxit loquentem:

Roſeoque hæc inſuper addidit ore;

Et ideò volebant eam eſſe ſymbolum eloquentiæ.

Applicatio.

VIII. Nunc ad applicationem. *Quæ eſt petitio tua &c.* Roſa eſt ſacratiſſima Virgo uti de ſe ipſa dicit, *Ego flos campi*; vel ut alii legunt. *Ego Roſa Saron*; & alibi: *Ego plantatio roſæ in Jericho*; quæ verba intelligit Richardus à S. Victore de Virgine. *Maria quaſi plantatio roſæ exiit,* & quidem roſa Hierichuntina, quia illæ ſunt ſuaviſſimæ & fragrantiſſimæ; Nam ut ait Richardus à S. Laurentio Dicitur Maria Roſa non quælibet, ſed Hierichuntina, quia *In Jericho creſcunt roſæ ſpecioſiſſimæ habentes centum quinquaginta folia*, hoc eſt totidem Ave Maria, quæ ſunt in Roſario Mariæ eſt roſa, & ſymbolum eloquentiæ ſuavis, & verborum efficacium, ac illi, qui devotè recitant roſarium & Ave Maria, dici poſſunt roſas loqui, quia loquuntur tam ſuaviter & efficaciter, ut tot roſæ ex eorum labiis naſci appareant. quot Roſaria & Ave Maria recitat. Ita ut hi devoti Mariæ adeò delectent Angelos, & ipſum Deum, ut majorem delectationem non habeant, quam dum audiunt illam linguam loqui. *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Cant. 2. Hinc hæc anima devota Mariæ, ne ſi eſſet altera Iris, cœleſtis nuntia Junonis, ſponſa Dei his labiis, & verbis roſatum impetrat & obtinet à Deo quidquid vult. Recitat primas quinque decades, prima quinquaginta Ave Maria, Deo recenſet quinque myſteria gaudioſa, quomodo noſtri amore ſit incarnatus in utero Mariæ, quomodo in eodem viſitaverit ſanctam Eliſabeth, quomodo ab illa ſit natus, quomodo ab ea in templo præſentatus, & quomodo ab ea in templo inter Doctores inventus. O Deus immortalis, quam ſuaves ſunt naribus Dei hæ roſæ! Quomodo non dicemus quod roſas loquatur? Quomodo ejus verba non ſint efficacia, ut impetrent quod petit? Recitat alias quinque decades, alia quinquaginta Ave Maria,

Cant. 2.

Ser. 47. de laud. virg. l. b. 12.

com-

commemorat quinque myſteria dolorosa, orationem in horto, flagellationem, coronationem, bajulationem crucis, & ipſam crucifixionem, dolores noſtri amore maximo guſtu tolerati. Cur ergo non dicemus enarrationem talium eſſe ſuaviſſimam auditui Chriſti? Cur non dicemus, talem loqui roſas, cur non dicemus, talem obtinere quod petit? Tandem recitare poſtrema quinquaginta Ave Maria, narrat quinque myſteria glorioſa, Reſurrectionem Chriſti, ejus Aſcenſionem, miſſionem Spiritus Sancti, aſſumptionem Mariæ in cælum, ejus exaltationem ſuper choros Angelorum. Nonne ergo dicemus, quòd roſas loquitur? An non erimus certi, talia verba eſſe Deo ſuaviſſima? An non firmiter credemus, talem conſequi quod poſtulat? Quinimò, quia *Rosas* loquitur, quia velut Dea Iris loquitur labiis roſarum, quia tot roſæ ex ejus ore germinant, quot Ave Maria recitat.

Sed non eſt mirum, Virgo ſanctiſſima, quòd hæc verba auditui tui dulciſſimi Filii ſint adeo ſuavia, imò tam efficacia, cùm tibi Deæ paradiſi, lucidiſſimo Lucifero cæli, tibi ſint conſecratæ hæ roſæ, quia tu in hanc devotionem Roſarii habes particulare dominium & influentiam. Nam dum tu in cælo oritis in primis arboribus animæ tibi devotæ, ſpecialiter iis communicas leporem, gratiam, & energiam in ſermone, ita ut recitans Roſarium vel coronam, ſecutus ſit non ſolùm quòd placiturus ſit Deo, ſed etiam omnia obtenturus quæ petit, quia roſas loquitur, quia tu leporem ſermonis contuliſti.

Quid ergo miri, quòd Regina Eſther figura tui, & animæ tibi devotæ, ac ſponſæ Chriſti, adeò placuerit Aſſuero, Deo, & omnes gratias quas petiit, aſſecuta ſit, antè eum compareat vultu germinante roſas, & labiis roſas loquentibus. *Ipsa autem roseo, &c.* Scriptura.

IX. Reſuſcitatus noſter Salvator, viſus fuit à Magdalena, quæ eum plangebat, & quærebat in forma hortulani, nec tamen ab ea agnitus, quam vis eam alloqueretur: *Mulier quid ploras? Quid quæris?* Imò poſt hanc interrogationem idem Chriſtus dicit, *Maria?* Et ſtatim Magdalena agnovit ſuum magiſtrum. Converſa illa dixit ei Rabboni. Hinc videmus, quòd poſt reſurrectionem Chriſtus inter prima verba nominaverit, & protulerit Mariam. Meritò admiratur S. P. Cæſareus, quòd Chriſtus reſuſcitatus inter prima verba protulerit nomen Mariæ. Quid huic nomini cum glorioſa reſurrectione Chriſti, cum triumpho ejus contra mortem, & totum infernum? Cur acerbitates miſcet gloriis, triumphis, lætitiis, cùm ſecundùm omnes Maria idem ſit, quod mare amarum. Quòd hoc nomen aſſocietur paſſioni Chriſti, quando patiebatur, moriebatur, bibebat amariſſimum calicem paſſionis, ſed quòd Chriſto reſuſcitato, quando totus glorioſus & impaſſibilis ovabat de morte, & ſuis hoſtibus, huic pelago gaudiorum & jubilorum miſceantur amatores & triſtitiæ, res videtur indecens, & vix mihi perſuadere poſſum. Quomodo Mariæ nomen, ita ut ſtatim illud nominet poſt reſurrectionem.

Mirè S. P. Cæſareus: *Mariam poſt triumphum ſtatim extulit Chriſtus, ut innueret, per ſanctiſſimum iſtud nomen triumphum nos de morte, hoſtibuſque conſequuturos.* *Hom. de Viſit. B. Mar.*

Volebat dicere Cæſareus, quamvis Maria ſignificet mare, & quidem amarum, tamen ſcire debetis, hoc nomen eſſe nomen vitale, nomen conferens victorias de morte, nomen frequenter à devotis in Roſario recitatum, conferens victorias contra totum infernum. Hinc ſicut Chriſtus reſuſcitatus voluit Orbi manifeſtare ſe per reſurrectionem, ſuperaſſe mortem & dæmones, ſic inter prima verba voluit profetre nomen Mariæ, ut ſignificaret devotis Virgini, eam nominatam, invocatam, ſalutatam roſario, vel coronâ confetre triumphum contra mortem, hoſtes, & poteſtates tenebrarum, nam hæ nullum magis timent nomen, quam Mariæ, nullam execrantur devotionem actius, quam recitationem ſacratiſſimi Roſarii, in quo tam ſæpe hoc nomen repetitur. Maria poſt triumphum.

X. Illuſtriſſimus & doctiſſimus Simon Majolus in diebus ſuis canicularibus teſtatur, ſcarabæum animal viliſſimum, & vulturem avem rapaciſſimam non ſolùm roſâ fugari, ſed etiam mori, niſi oleo roſaceo inungantur. Idem teſtatur Ariſtoteles, & Clemens Alexandrinus. Philoſophi. *Colloq. 5. & 6. de admirab. cap. 140. lib. 2. Paradag. c. 8.*

Hîc ſummopere ſcire cuperem rationem naturalem hujus facti, cur ſcilicet ſcarabæus & vultur occidantur flore tam gratioſo & fragranti, qui alias ſpiritus vitales confortat? Verum quidem eſt, id quod eſt uni venenum, alteri hoc eſſe medelam, attamen ut verbis Majoli utar, ſcarabæus, qui ex ſtercoribus tantùm gignitur, videtur meo judicio deberi potius ex

rosis vivificari, quàm mori, cùm rosa aliàs deliciosissima sit, nec obstat, quòd vultur etiã rosæ odore moriatur; nam ut inquit Majolus, fortè delectantur cadaverum odoribus, & ideo illis rosa pestifera fit. Sed necdum video rationis hujus naturalis radicem, quia odor rosæ recreat & confortat spiritus; hinc quamvis scarabæus & vultur recreentur fœtidis, non capio quomodo possint occidi odore rosæ.

Verùm enimverò scire debetis juxta Medicos & Philosophos, id, quòd uni est medicina, alteri esse venenum; & ratio hujus est, nam quod unius naturæ conducit, hoc naturæ alterius adversatur, & contrarium semper conatus suum contrarium debellare; Cùm igitur natura scarabæi & vulturis sit contraria odori rosarum, nam delectantur semper putridis & fœtentibus, ideo non est mirum, quòd rosæ odor necet tam faciliter scarabæum & vulturem, naturâ in contrarium operante.

Sed quæso vos, patumper sublimiorem rationem investigemus. Astronomi hanc necem asscribunt cælo; nam scarabæus est consecratus Saturno, qui maximos influxus influit in scarabæum, tanquam animal sordidum, & plane terrestre. Porro vultur dedicatus est Marti, rosa autem est sacra Veneri, à cujus temperata influentia dependet ejus vivacissimus color. His positis, cùm Venus sit stella potens, semper contraria Saturno & Marti, & hos duos planetas suis radiis offendat. Hinc dicunt provenire ab influxu Veneris, quòd rosa adeò infestet scarabæum & vulturem.

Quinimò addit Homerus, cadaver Hectoris occisi ab Ulysse objectum canibus fuisse à morsibus horum præservatum, eò quòd illud inunxerit Venus oleo rosaceo.

Applicatio. XI. Nunc deveniamus ad devotionem Rosarii. *Dicit ei Jesus, Maria.* Dæmon N. N est scarabæus immundus, & vultur rapax. Scarabæus, qui non alitur & pascitur nisi stercoribus, & velut hostis omnis putitatis, nil suggerit homini, nisi libidines, inhonestates, & impuritates, & instar Constantini Copronymi, qui nullo alio delectabatur quàm fœtoribus & detractionibus, etiam vult suos sequaces & amicos talibus delectari. *Tantò*, inquit de Copronymo Theophanes, *delectabatur cujusque rei malo odore, ut animalium brutorum stercoribus se illiniret, & eos, qui cum illo erant, id facere jubebat, quos amabat, & benignè suspiciebat.* Vultur rapacissimus & obscœnissimus, qui nullo alio pascitur aut delectatur, quàm animabus fœtentibus, & cadaveribus ob amissionem divinæ gratiæ, velut inimicus pudicitiæ aliis non recreatur, quàm obscœnitatibus. Dæmon propter nimium frigus causatum ex defectu amoris divini, est Saturnus Planeta infaustus homini, similitet homini est Mars per calorem concupiscentiæ nimirum, quem influxit cordibus humanis, canis est totus furiosus, evomens suam rabiem contra Deum & hominem. Scriptura.

Ex altera parte Virgo sanctissima non solùm est rosa, sed etiam Lucifer pulcherrimus cæli, qui antecessit Solem divinum, priusquam compareret in mundo, assumendo carnem in ejus purissimo ventre, & qui secutus est eum, dum occideret moriendo in cruce. Rosa suavissima, & Lucifer temperatissimus. Rosa, quæ suâ fragrantiâ allicit animas castas & puras; Lucifer, qui suis temperatis influxibus imprimit animabus nostris cogitationes, & effectus temperantiæ. Rosa & Lucifer, qui odio persequuntur Saturnum, Martem, dæmonem, & scarabæos, & vultures impuros & inhonestos. Porro quis nescit, Virgo sanctissima, quòd tu inimica omnis impuritatis, obscœnitatis, inhonestatis, fragrantiâ tui purissimi odoris, & temperatis influxibus tuæ continentiæ & virginitatis fugabis, & destrues Saturnos, & Martes dæmonum, scarabæos, vultures & canes eorum sequaces, econtra autem protectura sis tuos devotos, quoties libenter recitabunt tuum sanctissimum Rosarium, & se inungent oleo rosaceo hujus devotionis, qui alias per suas libidines fierent cadaveta malè olentia, & orbati divinâ gratiâ? Dicat igitur sancta Birgitta: *Omnes dæmones verentur Mariam, audiuque ejus nomine, aufugiunt.* Bene inquit Seraphicus Bonaventura *in Speculo: Non ita metuunt hostes visibiles, quasi castrorum multitudinem copiosam, sicut aëreæ potestates Mariæ vocabulum cedunt, & pereunt, sicut cera à facie ignis, ubicunque invenerunt crebram recordationem, & devotam invocationem.* Dicat igitur Cæsareus, *Mariam post triumphum, &c.* Quia quod nobis est medicina, illis est venenum. Videmus ergo, quòd per repetitionem sanctissimi Nominis Mariæ in recita- Birgitta. Bonav. in Speculo.

recitatione Rosarii liberemur, & vincamus omnes inimicos Saturni, Martis, scarabæorum, &c.

Scriptura. *Ioan.* 20.

XII. Hic idem locus Scripturæ præbet mihi ansam adducendi aliam ponderationem Origenis valde nobilem. Magdalena inquirebat suum Redemptorem in sepulchro, & dum eum non reperiret, lachrymis se consumebat. Porrò Salvator volens eam consolari, apparuit in forma hortulani, interrogans cur fleret: *Mulier quid ploras?* Magdalena credens hunc esse simplicem hortulanum, respondit: *Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Si tu eum sustulisti, dicito mihi, & ego eum* tollam. O me infelicissimam mulierem! cùm sciam hîc tumulatum esse corpus mei magistri, & modò videam illud esse ablatum, nec possim divinare ubi sit, si tu fortè illud sustuleris, fac mihi gratiam ut dicas, ubi illud collocaris, & ego illud humeris meis asportabo. Quàm gratiosè Salvator jocatur cum Magdalena? Attamen ne afflictæ addat afflictionem, imò ut ejus dolores leniat, replicat hortulanus, *Maria?* Ad hoc verbum Magdalena retrospexit, *Conversa illa dicit ei Rabboni.* O mi Magister, salve sis. Res est miranda N. N. quòd ad primam interrogationem Magdalena non cognoverit hortulanum esse suum magistrum, bene tamen ad secundam. Quale est hoc mysterium, cùm idem ipse sit hortulanus, qui utrobique loquitur. Quale est hoc portentum?

Hom. 28. *in Ioan.*

Respondet S. P. Joannes Chrysostomus, illam cognitionem Magdalenæ, quâ agnovit suum Salvatorem, non fuisse visus, sed vocis, ita ut Magdalena per oculum non venerit in cognitionem sui Magistri; siquidem ille, qui prima & secunda vice loquebatur, videbatur esse idem hortulanus, adeoque nil fuisset rari, si eum secundâ vice etiam non agnovisset. Verùm secundâ vice non agnovit eum per visum, sed per intellectum. Verùm pace tuâ Chrysostome, non te intelligo; nam si oculi Magdalenæ non agnoverunt illum hortulanum esse suum magistrum, nec intellectus Mariæ eum potuit agnoscere, cùm nec vox, nec forma exterior hortulani, nec auditus Magdalenæ fuisset mutatus. Cur ergo secundâ vice illum tantùm agnoscit? Advertо ipsummet Chrysostomum unum dicere verbum, quod posset solvere dubium, esto ex se illud non solvat. Asserit itaque hic Sanctus, Magdalenam non agnovisse Christum ex sono materiali, sed ex voce articulata, quæ differebat à prima; nam primâ vice dixit, *Mulier quid ploras?* secundâ autem vice appellavit eam nomine proprio *Maria.* Hinc Chrysostomus, cùm dixit Maria, tunc cognovit. *Ita non visus, sed vocis fuit cognitio.* Sed ego subdo, quàm majorem habet energiam vox *Mariæ* quàm *Mulier*? Origenes ultimatè solvit dubium. Dicit hic gravissimus Doctor, nomen Mariæ præ se ferre quandam fragrantiam, suavitatem & dulcedinem adeò inexplicabilem, ut Magdalena audiens à suo magistro se compellari mulierem, eum non agnoverit, audito tamen nomine Mariæ, statim in ejus cognitionem venerit. *Ubi Maria audivit, Maria? præsensit in nomine quandam singularem dulcedinem, & per eam cognovit ipsum, à quo vocabatur, esse magistrum suum.* O quàm suaviter Origenes! Potuisset hic hortulanus integris horis, diebus, septimanis loqui cum Magdalena, imò millies eam hoc nomine compellare, absque eo quòd crederetur esse ejus magister; attamen dum vel semel, & intra dentes protulit nomen Mariæ, statim illa venit in cognitionem sui magistri. Nec hoc est mirum, cùm enim Christus esset partus Rosæ Mariæ, Magdalena ex fragrantia, suavitate, odore, quem hoc nomen secum trahit, agnovit eum esse filium Mariæ, suum Dominum & Magistrum. *Ubi Maria, &c.* Vide an non sit efficax odor hujus rosæ, & Nominis Mariæ; nam vel unicâ vice prolatum, illuminat intellectum, eumque facit venire in cognitionem. Quid ni ergo & habeat hanc vim, si toties repetatur in recitatione Rosarii, vel coronæ?

Poësis.

XIII. De Apulejo juvene legisse me memini rem memorandam. Hunc adolescentem vultu, & moribus gratiosissimum & venustissimum, nescio quænam stryges, quibusdam unguentis inunxerunt, & omnem venustatem & formam adimerunt, ita etiam, ut figurâ humanâ amissâ, bestiis in moribus & specie exteriori similis factus fuerit. Quilibet videbat hanc miram metamorphosin, nullus tamen erat, qui sciret, quomodo ad statum primæ vũ reduci posset. Tandem dum quadam die obambularet per hortum quẽdam, in quo germinabant vivacissimæ & pul-

& pulchertimæ roſæ, ore beſtiali aliquam decerpſit, aliquantulum eam maſticavit, & comedit. Et en mirum metamorphoſin. Comeſtis roſis, ſtatim evanuit forma beſtialis, & ex aſino migravit in adoleſcentē venuſtiſſimum, ita ut per eſum roſarum recuperaverit primum eſſe humanum.

Hic N. N. me video cinctum coronâ doctorum ingeniorum, quæ curioſè percupiunt ſcire, an Apulejus realiter fuerit converſus in aſinum, & an roſæ naturaliter habuerunt virtutem reſtituendi eum ſtatui primævo. Et quamvis hæc res longum requirat examen, breviter tamen dico, apparitiones illas non fuiſſe reales, ſed tantùm apparentes: vel enim Apulejus ſolus imaginabatur, & videbat ſe eſſe aſinum, vel videbatur ab aliis eſſe talis, quicquid dicatur, utrumque proveniebat à dæmone, qui faſcinabat ſenſus exteriores, & imaginativam adoleſcentis, vel aliorū, quod poteſt facere dæmon.

Quoad roſas etiam dicendum eſt, quòd non habuerint talem virtutem naturaliter; nam quamvis virtus roſarum ſit efficaciſſima, & juxta Avicennam poſſit à Medicis adhiberi contra quoſcunque morbos, tamen non capio, quomodo roſæ potuerint eum reſtituere ſtatui primævo, eſto roſæ à Sacerdote benedictæ multum valeant contra dæmones. Fateor etiā, aquam roſaceam multum prodeſſe contra ſyncopes, jecur, ſtomachū, eumque confortare, & valde juvare ad digeſtionē. Similiter concedo, oleum roſarum eſſe efficax contra inflammationes ſtomachi, & calor heparis, cùm refrigeret calorem. Similiter ſaccharum, juxta Plateārium, ob virtutem ſuam conſtringentem, & confortantem, ſanat Dyſſenteriam, Linteriam, Diaream, morbos provenientes à debilitate virtutis retentivæ. Præterea do libenter, aquam roſaceam valde conducere ad purgandos oculos, & maculas è facie diluendas, ſed quòd habeat virtutem tollendi deluſionem dæmonis, non capio; cùm enim dæmon ſit potentior non ſolùm toto ordine naturæ in univerſali, ſed etiam in particulari; roſa non poterit habere virtutem reſtituendi Apulejum ad ſtatum primævum. Concludendum ergo eſt, ſuppoſito illud de Apulejo verum eſſe, id factum eſſe per faſcinationem diaboli, qui ſicut poteſt unam rem repræſentare pro alia, ſic etiam potuit eo tempore, quo comedit roſas, deſiſtere à faſcinatione. Quòd ſi caſus ſit fabuloſus, jam ſolutus eſt.

XIV. Sed illam virtutem, quam non habet roſa naturalis, longè excellentiùs habet roſa myſtica Mariæ. *Maria! converſa illa dixit ei Rabboni.* Videbitis quandoque aliquam animam per virtutem gratiæ divinæ adeo bellam, gratioſam & formoſam, ut in ſui amorem non ſolùm terram, ſed & cælum rapiat, ſic etiam, ut utraque Eccleſia tantam venuſtatem admirans exclamet: *Quàm pulchra es amica mea, & formoſa tanquam Jeruſalem!* Tanta eſt ejus pulchritudo, ut certet cum pulchritudine cæli. Invidus dæmon magicis & diabolicis artibus producit in hac anima metamorphoſes tam horrendas, ut eam transformet in monſtruoſiſſimam beſtiam. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* O quàm turpis, quàm deformis, quàm monſtruoſa comparet hæc anima peccatrix, quæ faſcinata à dæmone, adhærendo ejus dementationibus, & perſuaſionibus magicis, ſeſe immerſit ejus voluptatibus? Applicatio. Pſal. 48.

Et quantas poſtea dæmon indiſpoſitiones & infirmitates illi animæ non infert! Excæcat tibi oculos intellectus, cordi voluntatis immittit ſyncopes mortales, inflammat hepar iraſcibilis, ſtomachum concupiſcibilis adurit, verbo, turbat totum compoſitum ſpirituale animæ. O miſer peccator, ad quem ſtatum te dæmon non reduxit?

Agedum, vis recuperare priſtinam ſanitatem, & reſtitui primævo ſtatui? Accipe oleum roſaceum, unguentum, mel, aquam roſarum, cape roſam Mariæ, recita roſarium, vel ſalutationem Angelicam, quia nomen Mariæ aperiet tibi oculos, ut cognoſcas non ſolùm ſtatum infelicem tuæ animæ, ſed etiam Deum, quia Maria idē eſt, ac illuminatrix. Cape hoc oleum roſarum, inunge hepar iraſcibilis, & fies pacificus & manſuetus, nam Maria eſt tota pia. Maria enim, inquit Richardus à S. Laurentio: Nomen eſt manſuetudinem præferens, & commendans. Accipe ſaccharum confectum ex roſis Mariæ, nam conſtringet tibi ſtomachum concupiſcentiæ adeò laxatum ad effrænata deſideria. Hinc B. Alanus illud vocat *Sigillum virginitatis.* Verbo, hoc unguentum roſarum tibi ſerviet contra omnes morbos. Sic obſervat Richardus à S. Laurentio: *Mariæ nomen dolori peccatorum medetur melius, quàm unguenta? Peccator, ad Mariæ nomen confugias, ipſum ſolum ſufficit ad medendum?* *Lib. 1. de laud. Virg.* *In cap. 1. Cant. Richard. ibid.*

Vis

Vis recuperare pristinam formam, & ex jumento transmutari in hominem, rationalem, gratiosum, bellum, qui per suam venustatem ipsum cælum rapiat in stuporem? Comede hanc mysticam rosam Mariæ, mande, mastica hoc roseum nomen, prout te exhortatur Bernardus, Mariam cogita, *Mariam invoca*. Frequenter recita ejus rosarium & coronam, & videbis quod brevi recuperabis intellectum, venustatem & gratiam amissam, nam nullum est remedium efficacius contra Præstigias, & artes magicas Diaboli, quam hæc rosa mystica Mariæ masticata, comesta & frequenter à nobis invocata. Hæc solvit omnia maleficia dæmonis, hæc reddit decorem animæ, hæc restituit intellectum perditum, hæc bestiam mutat in hominem & Angelum, hæc reducit te ad cognitionem Dei. Sathan fugit, infernus contremiscit, cum dico Ave Maria. Fœdiores, relaxatiores, pejores peccatores resipuerunt edendo hanc rosam Mariæ, invocando ejus roseum nomen, recitando ejus Sanctissimum Rosarium: Nam tanta est efficacia, vis & virtus hujus mysticæ Rosæ. An non id vides clarè? Magdalena non agnovit Christum in specie hortulani esto ab eo fuisset interrogata cur plangeret, sed mox ut se sensit vocari Maria, statim illum agnovit. *Vbi Maria audivit, &c.*

Alanus in Psalt. B.V.c.70.

Scriptura. *cap.10.*

XV. Deus loquens apud Isaiam de liberatione sui populi ex servitute Ægypti asseveranter promittit se tandem eum liberaturum, & jugum durissimum, quo opprimebatur se ablaturum. *Et erit in die illa; Auferetur onus ejus de humero tuo, & jugum ejus de collo tuo.* Sed ego quæro mi domine quo modo liberabis populum tuum ab hoc jugo? Quomodo, & qualiter illud rumpes? Scio quod mihi idem respõdebis, quod promisisti populo tuo hebræo, nempè ad præsentiam olei à te hoc prodigium patrandum *Et corrumpetur jugum*, vel ut legit Origenes, *Et rumpetur jugum à facie olei*. Esto hoc jugum sit durissimum & fortissimum, tamen volo illud frangere, & in mille partes discerpere, nec aliam adhibebo potentiam, quam pauxillum olei ponendo coram jugo. *Et corrumpetur, &c.* Deus immortalis, certum esse debet quod hoc oleum sit valde forte & potens, cum enim hoc jugum nil aliud sit quam servitus Pharaonis, non possum capere quomodo ad præsentiam simplicis olei, & præsentando Pharaoni pauxillum tantum olei, in minutas partes conterendum sit jugum durissimæ servitutis populi Hebræi? Scio equidem Idiotam per jugum populi Hebræi intelligere jugum & servitutem Populi Christiani subjecti & malè habiti à Pharaone stygio. *Et rumpetur jugum Diaboli à facie olei.* Sed hæc lectio difficultatem auget, cum enim vires Diaboli sint majores, quibus tenet Christianum captivum, quam Pharaonis, quomodo hoc jugum durissimum poterit frangi, dummodo parum olei ante Diabolum ponatur?

Omitto varias expositiones hujus olei, nam Origenes per illud intelligit divinam misericordiam, alii Christum, nonnulli illa verba *à Facie olei*, idem esse dicunt *ac quiete, Non prælio, Non aperto Marte.* Ego adhæreo Idiotæ qui per hoc oleum tam efficax intelligit nomen Mariæ, & per jugum Pharaonis jugum durissimum dæmonis, quo tyrannicè sibi subjicit animas fidelium. *Nullum* itaque inquit, Idiota *remedium est efficacius, nulla vis potentior ad excutiendum & frangendum hoc jugum, ad tyrannicam servitutem Sathanæ destruendam quam adhibere hoc oleum rosaceum nominis Mariæ, illud dæmoni præsentando, eum aggrediendo crebrò recitando rosarium, & coronam.* Mirè Idiota. *Iugum Diaboli extrudit fama tui sanctissimi nominis, clarissima Virgo Maria.* Sit quantumvis fidelis longissimo tempore sub servitute ejus, sit immersus quibusvis peccatis; Si tandem fuerit devotus Mariæ, si ejus rosarium devotè recitaverit, hoc tantas vires habebit, ut rumpat illud jugum, & devotum Mariæ liberet à tyrannide diaboli. *Iugum Diaboli, &c.*

Cap. 5. de nomi. Mariæ.

Meteorum.

XVI. Videmus quandoque solem & lunam cinctam candissima corona vel circulo, quam græci vocant *Alon*, Latini autem coronam, & hæc corona reddit illos nobilissimos & lucidissimos Planetas pulchriores & lucidiores. Non est dubium, quin hæc corona sit quædam impressio Meteorologica, sed ego scire cuperem, quomodo formetur, & ex qua materia, quid significet quando cingit has duas nobilissimas lampades cæli.

Communiter dicunt Meteorologistæ eam esse nubem æqualiter densatam in figura circulari, quæ formatur ex subtilissimis vaporibus, & exhalationibus transpirantibus, & exhalantibus à terra, sublevatis virtute illius Planetæ, quem circumdant. Sublevatis ergo his exhalationibus

bus dum ſunt ſub corpore Planetæ, & hic ſuo radio denſitatem nubis in centro aperit viam, quæ dum reſtringitur, in ſe ipſa formatAlonem, vel coronã, quæ circumdat illos duos Planetas.

Lib. 1. Meteo. cap. 13. Similiter quo ad ſignificata illius, dicunt quod ſi magis, & magis condenſetur eam ſignificare pluviam, ut advertit Ariſtoteles. Nam hæc corona non condenſatur niſi à copia vaporum aſcendentiũ, qui quo copioſius aſcendunt, tantò majores cauſant pluvias. Quod ſi illa corona ex una vel pluribus partibus diſſipetur, tunc prædicit ventos, nam illa diſſipatio non poteſt fieri niſi à vento. Porrò ſi dicta corona ex ſe evaneſcat, tunc prædicit ſerenitatem.

Verum apud Philoſtratum in vita Apollonii Tianei reperio, eum ſenſiſſe dictam coronam eſſe omen mortis alicujus magnatis; Cum enim Appollonius multis nobilibus ſtipatus cælum intueretur, videretque ſolem ei cinctum ab Alone, dixit à quodam milite, vocato Corona, eodem tempore occiſum tyrannum Domitianum, & re ipſa repertum eſt quendam militem nomine Stephanum quod idem eſt ac corona illam cædem patraſſe. Corona ergo illa fuit præſagium mortis Domitiani Imperatoris.

XVII. Nunc ad Roſarium. *Et corrumpetur jugum à facie olei.* Homo eſt terra. *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Ex partibus interioribus & ex ſuperficie, ex corde, ex ore hominis pullulant, & aſcendunt quædam exhalationes, nil aliud ſunt, quam centum quinquaginta Ave Maria ab ipſo repetita, & formant quandam bẽlliſſimam coronam circularem pro ornatu Virginis. Maria vocatur ſol *Cant. 6.* & luna. *Pulchra ut luna, electa ut ſol.* Hæc luna, & hic ſol virginalis attrahunt has devotas exhalationes, & ex iis fabricatur Alon, ſeu quædam corona, vel roſarium, quod ex tribus coronis componitur. Hinc legimus ex ore cujuſdam devoti recitantis coronam, vel roſarium Marianum germinaſſe quaſdam roſas, quas virgo colligebat, & ex collectis ſertum fabricabat, quo caput ejus fuit coronatũ. O quam pulchra comparet hæc Luna! O quam ſplendet, & micat hic Sol Mariæ corona, vel roſario coronatus.

Sed quid amabo ô Sol, & Luna Virginalis præominatur hæc tua corona, quæ tanto decore tuum caput cingit? O virgo ſanctiſſima nemo dubitat, quin hæc corona, quando magis cõdenſatur manifeſtet toti orbi te in procinctu eſſe ut torrentes è cælo, pluvias divinorum favorum, & gratiarum cæleſtium effundas, pro bono illius terræ & illarum animarum, quæ tuum caput tam venuſte cinxerunt? Quis neſcit hanc coronam, quando ex ſe ſuaviter diſſolvitur dũ ſubtrahitur illi fomentem per mortem alicujus tibi devoti, qui à te ſublevabat exhalationes centum & quinquaginta Ave Matia, eſſe prognoſticon ſerenitatis, tranquillitatis, pacis gloriæ, quâ illa anima fruitur in paradiſo? Quis non videt dictum Alonem & coronam, quando in hac, vel illa parte diſſipatur, eſſe ſignum certiſſimum ſuſcitandos ventos, & turbines validarum tentationum contra illam animam indevotam & tepidam, quæ ſi non totaliter, ſaltem partem roſarii omittit, vel diſtractè, aut cum parva attentione fabricat illam coronam?

Verum ô Sol & Luna ſacroſancta, quis neſcit hanc coronam caput tuum cingentem pulchram, candidam, integram attentè, devotè fabricatam & recitatam eſſe mortiferam, & præſagium mortis impii & crudelis Imperatotis, qui tyrannicè dominatur orbi? Tyrannus dæmonis exerat, quantumcunque vult ſuas vires, omni niſu ſubjuget univerſum, acerrimè torqueat fideles, attamen dum tu comparueris inſtat Solis & Lunæ coronata diſſipabis, deſtrues impium tyrannum dæmonis, imperium ejus ſubvertes, & liberabis tuos devotos ab ejus tyrannico imperio. Hinc B. Alan. *Sathan fugit, &c.*

Dicat ergo intrepide Idiota ad ſimplicem, præſentia olei tui ſanctiſſimi nominis diſſipandum, & rumpendum jugum tyrannicum dæmonis. Dicat *Iugum Diaboli extrudit, &c.*

O fidelis vide quam proficuum ſit formare hanc coronam Mariæ, recitare ejus roſarium, & ſæpe replicare Ave Maria. Forſan tentaris à Diabolo? ſubleva verſus cælum hanc exhalationem ex imo tui pectoris dicendo Ave Matia. Forſan immerſus hæres alicui vitio, ex quo non poſſis faciliter liberari? Mitte ad cœlum hanc exhalationem. Forſan te Dæmon jam plurimis annis tyrannicè oppreſſit? O fidelis noli timere, non dubites, brevi liberaberis, ſi exhalando ex tuo corde cum devotione Ave Matia, formes unam coronam, vel roſarium quæ coronet Solem & Lunam Virginis, quia corona hæc ſemper fuit exitialis, & mortalis Tyranno Sathanæ, & debellatrix totius inferni *Iugum Diaboli, &c. Sathan fugit, &c.*

Sde-

Sed væ nobis si noſtrâ culpâ diſſolvatur hæc corona roſea, ſi omittamus hanc devotionem, quia malè ſuccedet animæ noſtræ, ſi diu illam negligentiam continuemus. Hinc mihi videtur Propheta Hieremias hos peſſimos ſucceſſus prædixiſſe, qui obvenient iis, qui roſarium & coronam recitare omittent, dum dicebat: *Cecidit corona capitis noſtri, væ nobis. quia peccavimus.* O nos miſeros, ſi hæc corona, quâ coronamus Mariam & nos ipſos coronamus, ex capite noſtro deciderit, ſi negligamus hanc devotionem, quæ nos efficit quaſi Imperatores & Monarchas, nam labemur in quodvis qualecunque illud ſit enormiſſimum peccatum, dæmon ſubjugabit nos, & opprimet maximâ crudelitate quâ poteſt, & tandem conducet nos ad infernum. *Cecidit corona &c.* nec aliud poſſumus augurari. Quod ſi fulmen è cœlo decidens, & coronam detrahens ſtatuæ ipſius Cæſaris, omen fuit Cæſarem moriturum, prout & factum eſt non multò poſt. Cur nos non dicemus à potiori, quod quando hoc impetuoſum fulmẽ Sathanæ, *videbam Sathanam ſicut fulmen de cælo cadentem*, dejiciet ex capite noſtro coronam & devotionem Roſarii, debeamus colligere pejora mala noſtris animabus obventura. *Cecidit corona, &c.*

Thren. c. 2.

Epilogus. XVIII. O Virgo ſanctiſſima, ô ſuaviſſima & delicatiſſima roſa! Quæſo ne unquam permittas, ut hanc devotionem negligamus, quinimò potius eam augeamus, & ut nos ipſos, & te lucidiſſimum ſolem & clariſſimam lunam coronemus hoc Alone & hâc coronâ, quia tunc certi erimus de noſtro felici ſtatu, & ſecuri noſtros infernales hoſtes confundendos & diſſipandos, & jugum tyrannici imperii quo dominantur nobis rumpendum.

Da gratiam Virgo immaculata, ut in noſtris infirmitatibus ſpiritualibus, & contra maleficia dæmonum, qui compoſitum animarum noſtrarum optimè temperatum turbant, aliam non adhibeamus medicinam quam roſam tui ſanctiſſimi roſarii unicam medelam ad recipiendam ſimilitudinem amiſſam, & depoſita forma brutali edendo hanc ſuaviſſimam roſam, & revertendum ad ſtatum primævum, & agnoſcendum noſtrum Redemptorem, ſicut eum agnovit Magdalena dum audiit à Chriſto dici *Maria*?

Illumina, & inflamma nos ut qualibet die ac nocte dicamus Ave Maria, & hæc ſit prima noſtra vox poſtquam è lecto ſurreximus ad imitationem Chriſti reſurgentis, qui ſtatim poſt ſuam reſurrectionem hoc ſanctiſſimum nomen in ore habuit, quia ſic ſtatim Scarabæi, vultures dæmoniorum Saturni, Martes noſtrorum ſtygiorum hoſtium ad ortum hujus luciditiſſimæ ſtellæ matutinæ cæleſtis non ſolum fugient à nobis, ſed & cum maxima confuſione profligabuntur.

Da gratiam pulcherrima Regina, ut ſiſtamus nos ſuperno Monarchæ vultu & genis roſeis, quia loquendo roſas dum qualibet vice dicemus Ave Maria, &, recitabimus devote tuum Roſarium, erimus certi nos omnem gratiam & favorem à Deo obtenturos.

Inungamus ergo animas noſtras hoc oleo roſaceo tui ſanctiſſimi nominis jam à nobis dedicato Soli tui filii benignè notati à tuo aſpectu pleniſſimæ lunæ; ſic enim flectemus Angelos, ſanctos Paradiſi, imo ipſum Deum, ut nobis concedat quamcunque gratiam & favorem.

O Roſa producta ſine ſpina peccati originalis, non obſtante quod circumdata fueris tot ſpinis dolorum, largire tuis devotis, ut illæſi à ſpinis afflictionum tandem poſſimus decerpere hanc ſuaviſſimam roſam, & cum beatis ſpiritibus æternaliter frui ſuavitate illius, quod Deus concedat. Amen.

ELOGIVM XXX.

Pro Feſto Seraphici Patris S. Franciſci.

Ad quem autem reſpiciam niſi ad pauperculum. Iſaiæ 66.

Philoſophia.

I. MEo judicio (NN.) nobiliſſima ac digniſſima amphitheatro doctorum videtur illa quæſtio ſemper curioſa eruditorum, quis ſit locus primi cœli & primi mobilis maximi inter omnes Sphæras à Philoſophis & Aſtrologis cognitas. Et omnes in illam eunt ſententiam; primum mobile ſe ipſum movere, & ſecum rapere omnes cœlos ſe inferiores. Et cum ſit veriſſimum omne illud, quod movetur eſſe in loco, debet dici hoc cœlum habere ſuum proprium locum. Hoc ſuppoſito diligenter inquirunt, quis ſit locus hujus ſupernæ ſphæræ.

Alexander & Simplicius cenſuerunt primum cœlum nullum habere locum nec per ſe, nec per accidens, nec actu, nec poteſtate; Non proprie, per ſe, vel actu, quia ut affirmat Philoſophus. *Cœlum nuſquam eſt totum, neque in ullo loco.* Nec per accidens, quia non eſt pars alicujus ſubjecti quod ex ſe habeat locum, nec virtute, quia iſta potentia ſemel reduceretur ad actum, quod per tot millenos annos non eſt factum. Hinc ſentit Alexander, primum mobile non habere locum.

Lib. 4. Phyſ. c. 5.

Pontanus, referente Alberto magno, voluit ſuperficiem convexam, & ſuperiorem primi cœli eſſe locum ejus proprium: Themiſtius contrarium opinatus eſt, primum nempè cœlum non poſſe habere locum ex parte ſuperficiei convexæ, ſed bene ex parte concavæ; ideo volebat ſuperficiem convexam cœli inferioris primo fuiſſe locum concavi primi.

Lib. 6. Princip.

Angelicus præceptor in hunc locum Ariſtotelis opinatus eſt proprie loquendo cœlum ſupremum non eſſe in aliquo loco proprie dicto, cum non habeat ſuper ſe aliquod cœlum à quo circumdetur. Concedit tamen, quod ſecundum partes ſit in loco, uti etiam docet Ariſtoteles.

Ultimo Arabes poſt tot diverſas ſententias Græcorum, ac Latinorum, putantes ſe ſcopum attigiſſe litem deciderunt, centrum mundi punctum indiviſibile, & ſine partibus circa quod eum aliis omnibus Sphæris primum mobile continuo movetur proprie eſſe locum primum mobilis, cum alias locum habere non poſſit. Hinc ita cecinit Poeta Manilius

Quod niſi librato penderet pondere tellus,
Non ageret mundi curſus ſubeuntibus aſtris
Phœbus ad occaſum, & nunquam remearet ad ortus
Lunave ſubmerſos regeret per inania currus.

Arabes porro non contemnenda fundantur ratione. Illud debet dici eſſe locus alicujus rei, quod dat ei firmitatem ac ſtabilitatem, quia conſtat quamlibet rem in ſuo centro quieſcere & hærere, atqui primum mobile accipit ſuam mobilem immobilitatem inceſſanter à centro mundi circa quem gyratur æquali diſtantia tam ſecundùm ſe totum, quam ſecundùm partes, ita ut nunquam mutaturum ſit locum, quamvis ſecundùm partes mutet ſemper ubi, ergo centrum mundi debet eſſe locus primi cœli ſupernæ ſphæræ majoris reliquis, quas agnoverunt Philoſophi & Aſtronomi.

Applicatio.

II. Quod in magno ſyſtemate mundi ſpiritualis benedictus Deus ſit cœlum nobiliſſimum primum, & majus omnibus aliis longo intervallo eſt veritas ab omnibus Doctoribus prædicata. Imo ipſe Triſmegiſtus ſic dixit: *Deus eſt ſphæra, cujus circumferentia nullibi eſt.* Quod ſit primum mobile, à cujus motu pendent, & regulariter abſque ullo errore omnes alii cœli ſanctorum & ſpirituum beatorum, ſicut à capite omnia membra, clarè expreſſit Spiritus S. *Chriſtus eſt caput totius corporis Eccleſiæ.* *Ad Eph. 1.*

Quod

Quod insuper cor humillimi Francisci fuerit centrum mundi, locus profundior & abjectior universi, & remotior à circumferentia cœli nullus dubitat, nam si non sine magno fundamento dixit ille alter, quod *Humilitas est centrum*. Cum Franciscus humillimus voluerit omnibus non solùm majoribus, minoribus, sed & æqualibus subjici, prout advertit Author conformitatum. Voluit omnibus tam majoribus, quàm æqualibus & minoribus subjici, ut se verè humilem declararet, imò cognoscens omnes alias se ipso majores, & se minorem cunctis, & minorem minoribus, meritò debet dici, quod Franciscus humillimus fuerit centrum mundi.

Porrò hoc indivisibile centrum, ô stupor mundi, hoc non obstante est locus primi mobilis, majoris sphæræ universi, summi & incomprehensibilis Dei. Locus in quo Deus invenit semper mobilem suam immobilitatem. Locus circa quem Deus sempor motus est in orbem, diffusione suatum gratiarum & favorum cœlestium. *Humilibus autem dat gratiam*. Locus in quo absque quiete Deus quiescit ac firmatur, *Super quem requiescam nisi super humilem*, locus in quo collocavit sedem sua divina Majestas, & à quo semper occupatur & repletur. *Cor humiliatum* est locus Spiritus S. ut in eo quiescat & quod impleat. Locus tandem qui rapuit in admirationem ipsum cœlum, quia duas conditiones adeò incompatibiles apparenter habuit conjunctas, nempe minimã parvitatẽ & summam magnitudinem, minimam parvitatẽ velut centrum mundi, & maximã magnitudinem velut locum majorẽ cœli universi & ipsius Dei. Hic erit scopus, ad quem continuò indiculus meæ linguæ in hoc discursu collimabit.

ASSUMPTUM.

Pater minorum fuit minimus & simul maximus.

Scriptura.

III. POstquàm in lib. 1. Reg. decreviſſet divina Majestas pro Saule elapso ex gratia Domini dare alium Regem, præcepit Samueli, ut se conferret ad Iai patrem Davidis, & ritu consueto unum ex filiis boni illius senis, quem Deus ostensurus erat in Regem ungeret. *Vngas quemcunque monstravero tibi*, ordine suo omnes filii Samuëli unus post alterũ præsentatus fuerat incipiendo à majori, & cuilibet dixit Vates, eum non esse electum à Domino. Tandem adductus fuit David valde juvenis & junior aliis, qui in agro pascebat gregem, & ut hic advertit: Dixit Deus Vati: *Surge unge eum, ipse est etenim*. Subintrat hic S.P. Gregorius, & ponderans illud verbum *surge*, quærit cur Deus mandet Prophetæ, qui ungere debebat hunc filiolum David in Regem ut surgat? Meo judicio potius debebat stare, ut pateret dignitatem regiam esse inferiorem sacerdotali & prophetali. Forsan dicetis Davidem fuisse molis immensæ, adeoq; Samuelem sedendo non potuisse commodè inungere caput? Nequaquàm, nam David erat juvenis & puer, ejusmet patre dicente: *Adhuc reliquus est parvulus*. Forsan inquietis, Davidẽ quamvis juvenem fuisse tantæ authoritatis, ut Samuel coram eo stare debuerit? Nec hoc, nam David erat opilio, & parenti velut famulus serviebat. Si ergò David erat puer & juvenis, & minoris authoritatis quàm reliqui fratres, cur Deus præcipit Samueli: *Surge, unge eum ipse est enim*? 1. Reg. 16.

Divinè S. P. Gregorius, *Quid est surge & unge eum? An tantus erat parvulus, ut sedendo tangi non posset? Sedendo quippe alta tangere non possumus. Magna virtus, magna celsitudo humilitũ, si ad eorum summa nec Propheta pertingant.* O Scitisne inquit Gregorius, cur Deus mandet Samueli, ut surgat, & stans inungat caput David? David quamvis puer, juvenis, & junior reliquis fratribus, tamen iis omnibus erat altior, major, sublimior, ita ut Propheta sedens non posset ejus attingere caput, sed deberet surgere, sedendo quippe alta tangere non possumus. Porrò hoc inde proveniebat, quia David erat humillimus in oculis suis, & qua talis erat minimus & maximus simul, & hæc duo extrema, quæ videbantur incompatibilia conjunxit. Summã parvitatem & summam magnitudinem: Parvitatem, quia erat puer & minus æstimatus quàm reliqui fratres magnitudine, quia ipse Propheta sedens non poterat ejus attingere caput, *sedendo quippe &c.* Reverà portentum inauditum virtutis humilitatis, ut duo incompatibilia extrema connectat. *Magna virtus &c.*

Et en Franciscus velut alter David, homo secundum cor Dei, fuit tam altus, ut totus in Deum transformatus compareret. Minimus non solùm inter fratres suos spirituales, qui

ejus vitam, regulam, mores ſecuti ſunt, ſed etiam minimus inter omnes fundatores religionum, & omnes filios ſanctæ Eccleſiæ, ita ut vocetur *Capitaneus & dux Minorum*, hoc eſt forma, regula, idea humilium. *Forma factus humilium.* Minimus quidem, ſed ſimul maximus, & tantæ eminentiæ, ut præcipui Prælati Eccleſiæ ei ſolemniter occurrerent & maximè delectarentur ejus converſatione. Maximus; Conſpexit enim eum Pontifex, quamvis parvulum & vilem, à Deo electum ut ſuſtentaret proprijs humeris Eccleſiam Dei. *Vidit namque in ſomnis Pontifex ipſe Romanus, Lateranenſem Eccleſiam ruinæ fore jam proximam, quam quidam homo pauperculus, modicus & deſpectus proprio dorſo ſubmiſſo, ne caderet ſuſtentabat.* *In ejus vita.*

Hinc Pontifex dum ad ſe veniret Franciſcus, cognovit eum fuiſſe illum minimum & humillimum homuncionem, quem viderat in ſomno adeò validum & grandem, ita ut ſuſtentaturus eſſet Eccleſiam. Hinc dixit: *Verè hic eſt ille, qui opere & doctrinâ ſuſtentabit Eccleſiam.*

Geometria. IV. Scire vellem à vobis Domini Mathematici, qualis figura inter omnes veſtras figuras Geometricas, Iſoperimetras, & quæ habent ambitum æqualem ſit inter omnes maxima & minima ſimul? Forſan reſpondebitis nullam talem reperiri in tota Geometria, imò nec totam Matheſin talem poſſe fabricare; Cum enim maximum & minimum directè repugnet, non poſſunt convenire eidem ſubjecto; ſi enim ſit minimum, reliqua erunt eò majora, ſi ſit maximum, reliqua debent eò eſſe minora. Conveniant itaque omnes Geometriæ, delineent ſuas figuras regulis ſubtiliſſimis Geometriæ, nunquam tamen poterunt fabricare figuram, quæ ſit maxima & minima. Quinimò nec ipſe intellectus, qui alias poteſt fabricare Chimæras & montes aureos, non poteſt formare figuram maximam & minimam, cum enim hi termini omninò ſint incompoſſibiles, eſſet falſus.

Video Dominos Mathematicos, adeo in hoc caſu indignatos, ut verear cum iis loqui, timens ne ſuis inſtrumentis mihi noceant. Attamen velut amicus veritatis tacere non poſſum. Hinc ſi patienter & amicè iis complacoat me audire, videbunt abſque eo, quod contradicatur regulis Mathematicis, talem figuram non poſſe non ſolùm dari, ſed de facto dari, imò à magis expertis Geometris eſſe fabricatam, nempe figuram Sphæricam, ut cenſent ipſimet Mathematici. Hæc figura dupliciter poteſt ſpectari ſemel quoad capacitatem, quæ provenit ab ejus forma, ſecundò quoad locum, quem occupat. Primo modo conſiderata dico cum omnibus verſatis in hac ſcientia, hanc figuram eſſe omnium maximam, quia in ſe contulit omnes alias, & cum non impediatur ab Angelis, eſt omnium capaciſſima. Hinc hæc propoſitio eſt veriſſima, Figura Sphærica quoad interiorem cavitatem eſt omnium maxima. Secundo modo ſpectata eſt omnium minima, nam juxtà Mathematicos ejus locus eſt punctum indiviſibile. Ex his vides, quomodo in bona Geometria poſſit dari figura habens duos terminos, qui videntur incompatibiles, ſummam parvitatē & ſummam magnitudinem.

Applicatio. V. Nunc ad applicationem Figura ſphærica rotunda & perfectiſſima omnium aliarum in Eccleſia fuit glorioſiſſimus Seraphicus Pater Franciſcus Fundator Minorum. Sphærica ob ſummam & incomparabilem ſanctitatem, à qua reciſi fuêre omnes Angeli, quantumvis minimæ imperfectionis. Figura perfectè rotunda, in qua nulla fuit inæqualitas potens deturbare aut interrumpere rotunditatem exactiſſimam ſuarum virtutum. Sphærica in ſe continens omnes gratias & favores cœleſtes in tanta copia, ut omnes qualitates, virtutes, excellentias, quæ in reliquis Sanctis fuerunt ſeparatæ, in ipſo eſſent unitæ, ita ut vita Evangelica, verus typus & idea omnium virtutum in nullo alio ſancto tam rotunda eluxerit, quàm in Franciſco. Hinc de eo dicitur: *Franciſcus Evangelicum, nec apicem vel unicum tranſgreditur, nec jota* O quam perfectam rotunditatem, quam ſphæricam perfectionem demonſtravit Franciſcus ſanctiſſimus toto tempore ſuæ vitæ! O qualis figura nobiliſſima & rotunda apparuit Franciſcus!

Perfectiſſime Franciſce fuiſti figura ſphærica, adeoque dici debes *Omnium maximus quoad interiorem cavitatem.* Fuiſti major aliis Sanctis, dum in te unitæ videbantur omnes divinæ perfectiones, tam exactè ut

meruo-

merueris comparere vera Idea Chriſti. Verum ſi figura ſphærica etiam ſit omnium minima, cur non diceremte eſſe minorem omnibus ſanctis. Fuiſti vocatus *Minorum minimus*, nec hoc miror, inſtar figuræ ſphæricæ omnia tangebas in puncto. Semper elegiſti locum viliorem, abjectiorem, inferiorem. Semper recuſaſti, & deſpexiſti omnes honores tibi oblatos. Semper elegiſti vilipendi, & ab omnibus vituperati, ita ut non ſolum ſentires in corde, ſed & beato Pacifico interrogati, quid de te ſentires, publicaris & dixeris *te eſſe maximum omnium peccatorum* Ita ut glorioſiſſime Pater in theatro mundi videreris ſtupor incomparabilis, qui in ſe contineret duos terminos apparenter incompatibiles, Summam parvitatem, & ſummam magnitudinem. Cum eſſes vas virtutis & gratiæ, te maximum profitebaris peccatorem. Fuiſti quaſi alter David filius Iſai minor omnibus hominibus per tuam profundiſſimam humanitatem, quâ tangebas omnia in puncto, ſed fuiſti ſimul major omnibus, ita ut eminentiores Prælati ſurgerent ad tuam præſentiam, tibique occurrerent, quaſi *tantus eſſes parvulus, ut ſedendo tangi non poſſes.* Et meritò, quia *magna virtus &c. ut ſupra* Figura perfectiſſimè rotunda, maxima ſimul, & minima gloriosè Franciſce.

Scriptura. *Joan. 1.*

VI. Crede N. N. ſæpius obſervaveritis celebertimam legationem, à Judæis deſtinatam ad ſanctum Joannem Baptiſtam in deſerto, in qua fuit interrogatus an eſſet Meſſias in lege promiſſus, vel potius Elias, aut alius Prophe-ta. Ipſe porro omnibus quæſitis ſic reſpondit: *Non ſum ego Chriſtus, non ſum Elias, Prophe-ta non ſum.* Verum iis importunè urgentibus declararet, quis eſſet, reſpondit: *Ego vox clamantis in deſerto.* Plures expoſitores, imò communiter Patres docent Joannem illis verbis voluiſſe docere ſe non eſſe Chriſtum, ſed vocem Chriſti. Hæc tamen expoſitio me valde torquet, nam videns, Joannes ſe potuiſſe haberi, honorari pro Chriſto & Meſſia, en humilitate ſua in abyſſum humilitatis ſe profundans negavit quod eſſet Chriſtus. *Confeſſus eſt, & non negavit, & confeſſus eſt quia non ſum ego Chriſtus.* Quomodo ergo nunc proprio ore fatetur ſe eſſe vocem Chriſti, vocem verbi? Et ſtupor meus fundetur in quodam dicto Hugonis: *Voce nil immediatius verbo.* *In cap. 3. Luca.*

Si hæc vox ſit vox filii Dei, verbi increati & incarnati, meo judicio humilitas, quâ Joannes negavit ſe eſſe verbum, non debuit permittere, ut tam liberè & abſolutè aſſereret ſe eſſe vocem verbi, cum altiſſima & ſublimiſſima dignitas, quæ poſſit convenire creaturæ ſit eſſe vocem verbi, nam nihil eſt immediatius & ſimilius verbo, quàm vox, nam verbum eſt vox articulata, & vox eſt verbum, ſed non articulatum. *Voce nil immediatius verbo.* Volens itaque fugere Scyllam, incidit in Charybdin. Quomodo ergò negans ſe Chriſtum, potuit affirmare ſe eſſe vocem verbi.

Valdè bene idem Hugo. Verum eſt nil eſſe vicinius & immediatius verbo quàm vox; ſed tamen ſcire etiam debetis, *nihil eſſe humilius voce, quia ſimul ut incipit, & deſinit eſſe.* Non eſt ergò quid magnum, quod Joannes præ humilitate ſe neget eſſe Chriſtum, & tamen ſimul fiat vox verbi, hoc eſt vicinior, proximior, immediatior verbo divino, quam omnes alii, nam nullus adeò ſe humiliavit ſicut Joannes, dum ſe vocavit vocem. *Ego vox, nihil humilius voce,* ſed *Vox clamantis in deſerto.* Voce nihil immediatius verbo; Nam is, qui ſe humiliat, adeò evehitur, ut duo extrema incompatibilia conjungat, dum ſimul per humilitatem ſe vilipendit & reducit ad nihilum, & ſimul etiam exaltetur. Vox, hoc eſt nihil, ſed vox verbi divini, magna dignitas, quam poſſit aſſequi homo. *Nihil humilius voce,* ſed tamen *voce nil immediatius verbo.* Et ab hoc conceptu nec in minimo diſcrepat Sanctus Pater Gregorius, qui loquens de his duabus extremitatibus connexis ait: *Cum ergò non vult appetere nomen Chriſti, factus eſt membrum Chriſti, quia dum infirmitatem ſuam ſtuduit humiliter agnoſcere, illius celſitudinem veraciter meruit obtinere.*

Ac ſi voluiſſet dicer cum Hugone: Joannes quidem præ humilitate negavit ſe eſſe Chriſtũ, Eliam, vel alium Vatem, & ſolùm confeſſus eſt ſe eſſe vocem & nihilum, quia *Nihil humilius voce &c.* ſed tamen factus eſt vox verbi, quod eſt maxima dignitas, quæ poſſit participari creaturæ rationali, cum voce nil ſit vicinius, proximius & ſimilius verbo.

Nunc

Nunc ſic diſcurritur. Inter homines nullus Joanni fuit ſimilior & conformior Franciſco, uti probat Author Conformitatum, qui parallelis nobilibus agit de conditionibus utriuſque, & oſtendit eos adeò fuiſſe ſimiles, ut viderentur quaſi duo gemelli eodem partu editi. Hinc Piſanus: *Pica filium ſuum Joannem in Baptiſmo vocavit, dans intelligere, Beatum Franciſcum puerum filium ſuum ſancto Joanni Baptiſtæ conformandum.* Nec ſolùm fuerunt conformes in nomine, ſed & in vita, moribus, miniſterio, gratiis, prærogativis, ut ſigillatim oſtendit dictus Author; Atqui Baptiſta fuit vox verbi divini, quia illud prædicavit, annuntiavit, manifeſtavit, ergò Joannes Franciſcus etiam fuit vox ejuſdem verbi tanquàm ſignifer, prædicator & promulgator Chriſti crucifixi. Quod ſi Baptiſta velut vox fuerit humillimus & minimus, ſed quatenus vox verbo fuit maximus & altiſſimus. Eodem modo Joannes Franciſcus velut vox fuit minimus & redactus ad nihil: *Nihil humilius &c.* ſed velut vox annuntiatrix fuit grandiſſimus & eminentiſſimus. *Voce nihil immediatius verbo.*

Lib. 1. Fruc. 3. par. 2.

Philoſophia.

VII. Cameleon animal in Africa & Braſilia notiſſimum, juxta naturaliſtas ſi approximet vel acclinet alicui lapidi, ligno vel alteri rei, exhibet in ſuo corpore omnes colores illius rei. Portentum naturæ valde ſingulare, & quod anſam præbuit ingeniis Philoſophicis cauſam indagandi.

Plutarchus agens in quodam opere, an animalia aquatica habeãt plus rationalitatis, quàm terreſtria, cenſuit Cameleontem eſſe animal tam pavidum, ut incidens in objectum conſternetur, & in illius colorem mutetur. Sed pace tuâ Plutarche, eſto à timore poſſit procedere in hoc animali mutatio coloris, ſicut etiam ſæpè fit in hominibus, tamen hoc non oſtendit, cur Cameleon repræſentet colores rei cui acclinat vel approximat.

Lib. 11 de Trin. c. 2.

Hinc S. P. Auguſtinus docet illam mutationem provenire virtute & fortitudine imaginativæ, vel phantaſiæ hujus animalis. Dicit itaque hic ſanctus, quod Cameleon, dum figit oculos in colorẽ, ſimilitudo coloris ab oculo tranſit ad imaginativam, hæc colorem apprehendit, & tam vehementer circà illum hæret, ut corpus Cameleontis tranſmutet, eique imprimat colores apprehenſos ab imaginativa, & hi ſunt ipſi colores, quos hoc animal videt in objecto, cui approximet vel acclinet.

Alii tandem aſſerunt, Cameleontem non exhibere realiter in ſuo corpore dictos colores, ſed tantùm intentionaliter, eo modo quo colores panni variegati videntur per Cryſtallum, cùm tamen Cryſtallum non tingatur illis coloribus; Cùm itaque corpus Cameleontis ſit Diaphanum & tranſparens inſtar Cryſtalli, hinc per illud videntur colores rerum, quibus acclinat. Dicunt inſuper Cameleontis viſcera eſſe adeò exinanita, ita ut careant excrementis & fæcibus, econtra autem caput puriſſimo aëre adeò eſſe repletum, ut videatur ſimpliciter eſſe fabricatum ex aëre. Addunt cutem Cameleontis non habere in ſe determinatum colorem, ſed eſſe denſam ſicut pupillam oculi, Diaphanam ſicut Cryſtallum, ita ut colores objectorum per illam facillimè tranſeant, & ideò non eſt mirum, quo repræſentent omnes colores, cum nullum determinatum habeat & careat excrementis, & caput aëre repletum ſit. Et hinc Philoſophus dicit Cameleontem tunc perfectòs exhibere colores, quando aëre plenus eſt, quia tunc eſt magis translucidus & aërius.

Lib. 2. de his anim. cap. 11.

VIII. Nunc ad glorioſiſſimum Joannem Franciſcum. *Ego vox clamantis in deſerto.* Quod ſanctæ virtutes ſint quidam venuſtiſſimi & belliſſimi colores, nullum eſt dubium. Per eas anima coram oculis Dei apparet tam pulchra, ut hic ſupra modum in illa delectetur. *Quàm pulchra es amica mea, formoſa mea, immaculata mea.* Hæc diverſitas colorum nunquàm tota reperitur in uno ſolo objecto, ſed in hoc reſplendet una virtus, in altero alia, nam juxta Paulum *diviſiones gratiarum ſunt.* Solus Chriſtus fuit omnibus ornatus, ille ſolus potuit gloriari, quod haberet varietatẽ perfectionum, nec hoc eſt mirum, quia quà Deus & homo erat ipſamet perfectio.

Applicatio.

1. ad Cor. 12.

Sed quid quæſo putatis fuiſſe meum Seraphicum Franciſcum? Ego profectò vocabo eum Cameleontem cœleſtem, Cameleontem divinum, in quo omnes colores ſanctarum virtutum & perfectionum Chriſtianarum uniti, qui in aliis ſervis Dei diviſi fuerunt, imò perfectiones ipſius Chriſti in ipſo fuerunt. Hinc ipſe Deus mihi per Prophetam locutus fuiſſe vide-

videtur dum dixit *Nunquid avis diſcolor hæreditas mea mihi? Nunquid avis tincta per totum?* An non Franciſcus videtur vobis quidam cœleſtis Cameleon omnibus ornatus coloribus, exhibens nobiliſſimam varietatem perfectionum Chriſtianarum diviſarum novi & veteris Teſtamenti *Nunquid avis &c.* Hierem. c. 12.

Cameleon, qui acclinans Abeli grato Deo per ſuum ſacrificium, apparet ſeipſum ſacrificans Deo omnibus horis. Si acclinet Noë innocenti, repræſentat in ſeipſo ejus innocentiã. Si Abrahamo deſpectori mundi per obedientiam in ſe exhibet totalem ſeparationem ab omnibus rebus terrenis. Si acclinet pudico Joſeph, pudicitiæ illius etiam in eo comparet. Si patienti Job, patientiſſimus videtur. Si prodigioſo Moyſi, comparet miraculoſus. Si Davidi viro ſecundùm cor Dei, per ſimpliciratem ſimpliciſſimus apparet Franciſcus. Si zelanti Eliæ, zelus honoris Dei in illo relucet. Si Joanni voci verbi, vox verbi comparet Franciſcus. Et ne ulterius me dilatem, dixero, quod acclinans ipſi Chriſto, Chriſtum exactè repræſentet, forſan temerarius arguar. Attamen ſi devotus quidam pictor tam ſimilè eum Chriſtum exhiberet, & eum ſuâ pauperi ſpoliaret tunicâ. Nonne Franciſcum exiſtimares Chriſtum plagatum, & rursùs ſi Chriſtus appareret tibi indutus veſtibus Franciſci, nonne Chriſtum putares Franciſcum? tam perfectè Franciſcus repræſentavit Chriſtum.

O divine Cameleon, & unde fit, quod adeò perfectè & diſtinctè in te eluxerint virtutes maximorum Sanctorum, imò & tam punctualiter perfectiones Sancti Sanctorũ Chriſti? O glorioſiſſime Franciſce, cauſa eſt, quod inſtar Cameleontis, cor tuum & animã evacuaveris, materia craſſa & viſcoſa præſumptionis & ſuperbiæ, quia fuiſti pleniſſimus aëre tenuiſſimo & mundiſſimus ex profundiſſima humilitate, quia te prædicaſti ſemper vacuũ omnibus virtutibus, quia ſemper te negaſti eſſe ſanctũ perfectum & imitatorem Chriſti, & quia exiſtimaſti te eſſe privatum omnibus coloribus ſpecialiter Chriſti, comparuiſti ornatus omnibus virtutibus ejus, ita ut cum ipſo Chriſto certaris in proprio etiam corpore plagas & vulnera Chriſti. Nam ſi verum eſt illud Ambroſii: *Bona humilitas, quæ nihil appetendo totum adipiſcitur.* Omnia obtineat, quia omnia recuſat inſtar Cameleontis, qui nullum in ſe habet colorẽ; Si & jam verum ſit illud Laurentii Juſtiniani: *Humiliare Deo, evacua cor tuum tumore elationis, quia tantâ perfunderis abundantiori gratiæ ſuavitate, quantò mundior fueris face præſumptionis.* Laur. Iuſt.

Quomodo etiam non ſit verum, quod acclinans omnibus coloribus maximorum Sanctorum & ipſius Chriſti, repræſentaveris in te omnes virtutes eorum, etiam Chriſti, uti fusè deducit author conformitatũ. Dicamus ergò quod jure maximo comparueris ſimilis Joanni præcurſori Chriſti, non ſolùm quia habuiſti ejus nomen, ſed ſpecialiter quia inſtar Baptiſtæ, te feciſti totaliter vocem præ humilitate, & ideò cum illo fuiſti vox verbi: *Nihil humilius voce, ſed voce nil immediatiùs verbo.*

Dicamus quod fueris Cameleon totus aër præ humilitate & totus vacuus fœcibus præſumptionis, quia te omnibus virtutibus privatum prædicaſti. Sed addamus, quod ideo comparueris veſtitus prærogativis Sanctorum & ipſius Chriſti. Minimus & maximus, minimus quia ſimplex vox, tenuiſſimus aër. Maximus, quia vox verbi divini & repræſentator omnium excellentiarum Sanctorum, imò ipſius filii Dei.

IX. Loquens in ſacris Canticis Spiritus ſanctus de gratioſa illa ſponſa nunquàm ſatis laudata dicit, quod dum Aulici cœleſtes eam viderent tot prærogativis ornatam, in ſtuporem acti ſint, & ſeſe invicem contuentes admirabundi dixerint: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata?* Quid dicitis ô cives cœleſtes? Nonne hæc eſt illa, quæ paulò ante de ſe dixerat, *Nigra ſum, nolite me conſiderare quod fuſca ſim?* Quomodo ergò apparet pulchra inſtar auroræ, lunæ, ſolis? Nonne hæc eſt unica tantùm perſona; Ita? Quomodo ergò apparet ut acies militum? Hic terminus acies ſignificat totum exercitum, in quo ordine ſuo collocantur tot equites, tot pedites, quomodo ergò poteſt dici, quod hæc ſponſa ſit una tantùm, & tamen compareat numeroſiſſima inſtar exercitus? Præterea nonne hæc eſt fœmina, juvencula, imbellis & inexperta, quomodo ergò poteſt eſſe terribilis ut acies. Tandem ſi ſit unica, quomodo eodem tempore poterit exhibere pulchritudinem auroræ, lunæ, ſolis? Scripturæ Cap. 6. Cant. 2.

Comparente aurorâ necdum ortus eſt Sol, orto Sole evaneſcit aurora, & luna ſe abſcondit. Quomodò ergò hæc fœlix ſponſa eodem tempore ſe exhibet auroram, ſolem, lunam, & quamvis unica numeroſum exercitum, *Quæ eſt iſta &c.*

X. De illa magna Regina Italiæ adeò celebrata & laudata, à Caſſiodoro dicitur, quod fuerit epilogus, quinta eſſentia, Idea omnium antecedentium: Ita ut ſi tota ſeries progenitorum ejus ſucceſſivè fuiſſet eam contemplata, quilibet in ea ſola vidiſſet omnes laudes & eminentias, quæ in omnibus diſperſæ erant, Hinc ſi Rex Amalus conjeciſſet oculos in hanc magnâ Reginam, vidiſſet ad vivum imaginem felicitatis grandis quâ fruebatur in ſuo Regno. Si Regina Oſtrogota eam fuiſſet contemplata, vidiſſet in illa ſuam ſingularem patientiam, Attila ſuam manſuetudinem, Rex Munitaureus ſuam æquitatē & juſtitiam, Unimundus ſuum ſummum decorem, Toriphimius ſuam caſtitatē, ita in illa regina omnes virtutes, prærogativæ, eminentiæ, heroicæ qualitates, quæ in Regibus & Reginis antecedentibus diſperſæ fuerant, in hac fuerint conjunctæ, & hoc non in gradibus ordinariis, ſed excellentibus, ita ut concludat Caſſiodor. *Cognoſcerent hic profectò omnes ſingillatim propria, feliciter fatarentur eſſe ſuperata, quando unius præconium cum turba ſe poſſet æquare virtutum.* Idcircò meo judicio in laudē hujus matronæ optimè poteſt dici, quod reſpectu Agnatorum illa fuerit mundus cæleſtis, illi verò mundus elementatis; Nam ſi juxta Philoſophos communiter, *in cœleſti mundo eſt flos omnium rerum, fax verò in mundo elementari*; Sic in illa pulchriora, puriora, pretioſiora omnium bonarum qualitatum cum tanta excellentia, ut illæ, quæ fuerunt in aliis, viderentur eſſe ſcoria & fæx reſpectu earum, quæ ornabant hanc Reginam Italiæ.

Caſſiod.

Voluit ergò dicere Spiritus ſanctus: Verum quidem eſt, quod hæc mea ſponſa per ſuam humilitatem ſit ſola, ſine comitatu aliarum virtutum, attamen quilibet ſciat eam non eſſe ſolam, ſed eam eſſe ſtipatam venuſtate auroræ, ſolis & lunæ; Verum eſt quod paulò ante per humilitatem in oculis propriis comparuerit nigra & deformis, attamen in oculis cœli prodibat quaſi aurora naſcens, luna in plenilunio, ſol in meridie. Hæc tandem, quæ ſe credebat virtutibus vacuam, prodit virtutibus ſtipata ſicut dux exercitus numeroſiſſimo milite; nam eſto ſit nigra per humilitatem, quamvis ſit ſola per ſui contemptum, tamen comparet pulchra ſicut aurora, luna & ſol. Hinc ſanctus Bonaventura: *Nigra in oculis ejus, ſed formoſa in oculis Dei.* Eſt numeroſior, quàm exercitus bene ordinatus. Eſt epilogus, quinta eſſentia, compendium, Idea continens in ſe omnes perfectiones, quæ in progenitoribus videbantur diſperſæ, ita ut ſit formidabilis hoſtibus, quaſi ingens exercitus. *Quando unius &c.* Hinc dignè Hieronymus: *Admiratur Spiritus ſanctus, quod quaſi novi diluculi aurora reſplendeat multis freta & vallata ſanctorum agminibus: Vnde dicitur terribilis ut caſtrorum acies ordinata, terribilis, id eſt ſuis facta virtutibus, ut caſtrorum acies admodum ordinata.*

S. Bonav.

XI. Sed nonne advertitis N.N. quod hæc ſancta anima ſit quaſi anima magni Patriarchæ minorum, de quo tam inerudité diſcurro? Ignoſce glorioſiſſime, & eminentiſſime ſancte. Quod ſi mea inſufficientia ſive procedens à mea prava diſpoſitione, ſive à totali negatione ſcientiæ maculet encomium tuarum laudum, deturpet tuam venuſtatem, deprimat tuas eminentias, obfuſcet tuam charitatem, agnoſco me culpabilem, quod incœperim, ſed deſiſtere non poſſum, nec debeo, quia obſequens affectus meæ devotionis me ſtimulat ut balbutiam melius, & dicam, quod inſtar hujus ſponſæ cœleſtis fuerit aurora, luna & ſol, quamvis niger & ater. Dicam quod fuerit exercitus bene ordinatus quantumvis ſolus. Maximus quia etiam minimus. Minimus, quia niger per humilitatem, maximus quia pulcherrimus quaſi aurora, luna, & ſol. Minimus qui ſolus & ſine comitatu per humilitatem, maximus quia numeroſus inſtar exercitus.

Applicatio.

Minimus & nigerrimus quia humillimus, adeò etiam ut ſemper majores & minores dignitates recuſaris, æſtimans te indignum & privatum illis conditionibus, quæ ad illas requiruntur. Sed hæc parvitas & nigredo tuæ humilitatis, habuit ſecum maximam excellentiam tuæ formoſitatis, quia apparuiſti ut aurora, luna & ſol. Aurora in tua nativitate, luna in decurſu

cursu vitæ, sol in morte. Sed aurora, luna & sol semper.

Aurora dolendo debiles & incipientes, luna docendo provectos, sol illuminando sapientissimos. Aurora juxta Bernardum per humilitatem, luna juxtà eundem per virginitatem, sol ut idem docet per tuam ardentem charitatem. Sed aurora, luna & sol, quia radiis tuæ sanctitatis illustrâsti Hemisphærium tam militantis, quàm triumphantis Ecclesiæ.

Minimus & humillimus, quia solus maximus, quia numerosus, solus factus tertibilis toti inferno, tanquam exercitus bene ordinatus, sed tamen trahens secum comitatum omnium virtutum. fixistimâsti quidem quod esses solus & vacuus virtutibus, & tamen illæ veluti milites hærentes à tuo nutu & imperio, gubernatæ & rectæ à tua scientia, prudentia, discretione tibi paruerunt. Solus & sine virtute compâruisti in oculis tuis, & talem te prædicasti mundo; Sed sciat mundus totus, quod non sis solus & sine virtutibus, quinimò quod omnes in te eluxerint, veluti in quinta essentia & in Idea Christianæ perfectionis.

Hic continens in te videt suam castitatem, pacificus quietem, patiens tolerantiam, mansuetus benignitatem, benignus pietatem, pius misericordiam, martyr constantiam, confessor mortificationem, Pontifex vigilantiam, doctor sapientiam, virgo puritatem, Apostolus paupertatem. Et quamvis solus possis certare & te opponere omnibus ordinibus cœlorũ certatim. Quando unius præconium cum turba se posset æquare virtutum, tamen solus fuisti terribilis mundo, terribilior peccatoribus, terribilissimus dæmoniis, dum fuisti exercitus bene ordinatus. Hinc non miror, quod terra & cœlum ad tuam comparationem dixerit: *Qua est ista, &c.* Glorioſissime Franciſce, prodigioſiſſime Pater, maxime & minime simul. Sed necdum acquiesco, quia video quod hæc tua maxima parvitas participant aliquid ex infinito.

Scriptura. XII. Observastisne unquam Scripturistæ factum illius Centurionis, viri superbi & mundani, religione gentilis, conditione nobilis & divitis? Dum hujus servus graviter decumberet rogavit Salvatorem, servum sanaret, qui alias vita decessisset, nisi hic Salvatorem rogasset. Sed quia Dominus ei addixit se personaliter venturum Centurio geniculatus protestatus est gratiam illam esse nimiam seque illa indignum, solumque petiit verbo imperaret morbo, & sine dubio illum statim discessurum, nam hoc sufficiebat: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbum, & sanabitur puer meus.* Porro Christus admiratus tantam fidem dixit: *Amen dico vobis non inveni tantã fidem in Israel.* Obstupescit & quidem meritò S. Augustinus, & hunc casum admirans interrogat. Ergone unus gentilis habeat majorem fidem, quam Hebræus? An sit major fides populi Dei, populi electi? necessario debemus dicere, quod cum fides Centurionis superarit fidem totius Israel, cum excessisse finitum, & appulisse ad ipsum infinitum. Sed quomodo, inquit Augustinus, hæc fides potuit esse tam magna, tam immensa. Unde provenit virtus tam eminens?

S. P. Augustinus divinè unico verbo satisfacit: *De minimo id est, de humilitate grandem.* Valde bene: *De minimo &c.* Ne admiremini fidem Centurionis fuisse adeò laudatam & prælatam fidei omnium Israelitarum usque in infinitum; Nam cum hæc fides processerit humilitate tam profũda, à minimò indivisibili quale est æstimare se Centurionem indignum, qui Christum recipiat domo, & palam fateri suam indignitatem hominem nobilem & infidelem, nobilem, divitem, graduatum; hæc fides consequenter debet esse eminentissima & quasi infinita *Tantam quid est? Tam magnam. Vnde tam magnam? De minimo, id est, de humilitate grandem?* *Tr. 43. de tempore.*

XIII. Sed antequam redeam ad Franciscum quæso vos N. N. liceat mihi hanc scripturam illustrare sanctissima eruditione opticæ. Interrogant hi docti an corpus opacum sit tantæ virtutis ut possit producere umbram infinitam? Et respondent non solum quod sic, sed & quod unicum solum punctum id valeat: *Puncti umbra semper est linea infinita.* Optica.

Sed hic subintrat curiositas Quomodo potest simplex, & indivisibile punctum producere umbram infinitam. Respondet Opticus: Experientia quæsitum. Accipe minimum granum milii, vel arenæ, percute illud unico solo radio & videbis quod illud corpusculum si sit densũ & opacum, non permittat transitum radio luminis vel solis, unde cum radius non possit il-

lud pervadere cogitur cohibere ſuam diffuſionem. Et cum nil aliud ſit, quàm privatio diffuſionis luminis, ſequitur juxtà Opticũ illud ſpatium, quod non eſt illuminatum à radio ſolari ob denſitatem corpuſculi eſſe umbratum, quod nullus poteſt negare.

His poſitis ſubjungit Opticus, lineã umbræ productam ab illo minimo corpuſculo extendi in infinitum. En probationem. Eouſque extenditur linea umbræ, quouſque ceſſat diffuſio luminis; atqui diffuſio luminis per interpoſitionem illius corpuſculi prohibetur in infinitum, nunquam ſiquidem ob ſuam denſitatem penetrabitur à radio ſolari: Ergò linea illius umbræ extendetur in infinitum. Vides ergò probatam propoſitionem opticæ, punctum umbræ ſemper eſſe lineam infinitam.

Applicatio. XIV. Nunc ad Franciſcum. Quid quæſo fuit omnis ſua vita & in omnibus ſuis actionibus, hic ſanctiſſimus Patriarcha Minorum? Nil aliud profectò, quàm minimũ, indiviſibile granum arenæ, ſimplex punctũ, quod non admittit extenſionem, vel illam diviſibilitatem, hinc vocatur minorum minimus. Voluit ſanctus filios ſuos non ſolùm nomine, ſed & opere vocari minores; Et ſicut Sanctus prætendebat ſe declaratẽt minores, humiliores aliis, imò inferiores omnibus, ſic magis volebat eos eſſe corpuſcula, Fraterculos minimos, & grana arenæ nomine & vita per humilitatẽ, uti in ſua regula & teſtamento inculcavit. Audite dictum illius: *Ego Frater Franciſcus minimus inter vos*; ex quo inferre licet eum per profundiſſimam humilitatẽ ſuiſſe minimum & indiviſibile punctum.

Fuit hoc indiviſibile punctum, poſitum è regione ſolis, excellentiarum & dignitatum, attamen non potuit radiis ſolis penetrari, quinimò maximâ conſtantiâ & firmitate animi iis ſe oppoſuit, ut clarè liquet, dum nunquam voluit admittere dignitatem ſacerdotalem, ſed potius abdicare dignitatem Generalatus & quemcunque alium honorem; Nunc quæro, quanta debuerit eſſe umbra bonæ famæ, umbra ſanctitatis virtutum, perfectionis hujus grani arenæ, hujus indiviſibilis puncti humilitatis Franciſci? Edicat id quiſque velit, ratio exigebat, ut ſe extenderet in infinitum, perfectio, virtus immenſa, incomparabilis infinitas; Nam puncti umbra ſemper eſt linea infinita. Quod ſi fides Centurionis participaverit aliquid de infinito, quia fuit producta à puncto humilitatis, quomodo virtutes Franciſci, qui indiviſibile punctum ſe fecit in ſuis operationibus, & in ſuis virtutibus ad punctum humilitatis ſemper ſe reduxit, quomodo inquam non pertingerent infinitum? En ergo meum Seraphicum Patrem minimum & maximum ſimul; Minimus quia punctum indiviſibile, maximus quia participabat de infinito, ita ut ſimillimus appareret Deo.

XV. Deus in Exodo capite 6. miſertus populi ſui oppreſſi à Pharaone, vocato Moyſe ſic ajebat: *Ego Dominus. Loquere ad Pharaonem Regem Ægypti omnia, quæ loquor tibi* Moyſes tu te ſiſtes Pharaoni, & cum ſis meus legatus dicam meum ſenſum mandans, ne quid dicas, quàm quod tuæ linguæ inſtillavero. Miſer Moyſes videns ad tantam dignitatem & miniſterium ſe electum, prætexit excuſationem, ſic loquens: Domine ſcis me tanto miniſterio eſſe ineptum. Non habeo qualitates legati, ita ut audeam comparere coram Rege, ſicut eſt Pharao. Balbutio, titubo linguâ, elinguis ſum, & ſolum ovibus, pecoribus in ſilvis & nemoribus invigilare ſcio, nunquam fui in aula, aulicorum mores neſcio. Si Pharao me viderit adeò tardum, & audierit me ita infacundum, aures avertet, & tua divina majeſtas votis ſuis fruſtrabitur. *Incircumcisus labiis ego ſum? quomodo me audiet Pharao.* Deus hoc reſponſo audito ſtatim ſubjunxit: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Audi Moyſes, cum nolis fungi meâ legatione apud Pharaonem abi in bonam horam, ipſo facto te creo Deum Pharaonis, meum pro-Regem in terra, imò mihi ipſi ſimillimum. Ecce conſtitui te Deum Pharaonis? Deus Pharaonis Moyſes? Domine quomodo hoc fit? Moyſes ſi non ſit aptus, ut proferat quatuor verba à te ipſi inſtillata, quomodo poſſit eſſe Deus Pharaonis? Si plus requiratur ut aliquis ſit Deus Pharaonis, quàm quod ſit ejus legatus, quomodo poterit ille agere apud Pharaonem officium Pro-Dei, qui quatuor verba non poteſt obſervare ſibi inſtillata ut legato? Quid ergò ô Deus reperis in Moyſe, ut eum eligas Pro-Deum in terra, tuum ſubſtitutum & tibi ſimillimum!

Rupertus. Divinè Rupertus: *Quoniam tu mitiſſimus virorum*

virorum ad noviſſima terræ te deprimis, ecce ego ſuſtollam te ſuper altitudinem nubium, faciamque te Deum, quem Pharao ſerviliter formidet, ut imperes aquis pro poteſtate Dei, O quam bene! *Quoniam tu mitiſſimus virorum &c.*

Vidit Deus in Moyſe actum humilitatis tam profundæ, quo à Deo electus legatus ad Pharaonem indicavit ſe indignum, ita ut ſuo modo Deus violentatus debuerit excedere, & ut ita dicam tranſilire limites ſuæ omnipotentiæ, conſtituendo Moyſen non amplius legatum ad Pharaonem (hoc ſiquidem munus erat inferius merito ejus profundiſſimæ humilitatis, ſed Prodeum in terra, ſibi ſimillimum, & quaſi alterum Deum. *Ecce conſtitui te &c. Quoniam tu mitiſſimus &c.* Humilis ad illos terminos pertingit, ut duo extrema incompatibilia conjungat, ſummam ſcilicet parvitatem, ſummam altitudinem, & ſummam profunditatem.

Deus ablegaverat in mundum S. P. Franciſcum, ut velut prædicator Evangelicus populo divinam voluntatem, & quidquid ad ſalutem hominum pertinet velut alter Moyſes annuntiaret. Sic Piſanus. *B. Franciſcus de prædicanda pœnitentia accepit à Deo mandatum* Sed quid de ſe ſenſit in hoc ſingulari miniſterio meus Seraphicus Pater? Senſit ſe eſſe incircumciſum labiis, ſimpliciſſimum, viliſſimum, indoctum, imo ſtultum, indignum, qui ab ullo auditetur. Fratrem ſe ipſum dixit, ut verè ſe ipſum abjeciſſe declararet. Ab hac humilitate adeo profunda quem Deus non elicuit fructum pro Franciſco? O mi Pater Seraphice, quis negare poſſit te à Deo conſtitutum Deum in terra, velut alter Moyſes, ejus Protegem, & ſibi ipſi ſimillimum? Ita de te ſenſiſſe prædicat & laudat dilectiſſimus, & devotiſſimus tuus filius Bartholomæus, qui in omnibus oſtendit te eſſe conformem tuo amato Jeſu. *Dominus Ieſus beatum Franciſcum ſimilem ſibi fecit.* Debuit ſiquidem ſummè ſublimari, qui ſummè depreſſerat, ut appareret ſummè grandis, qui ſe fecerat ſummè parvum.

Lib 1. fruct. part. 2.

Meteora.

XVI. Inter impreſſiones Meteorologicas in aëre genitas pulcherrima, & admiratione digna eſt illa quæ vocatur Iris cœleſtis, vocata à Platone Thaumantis filia, nam ejus comparatio ſapientiſſimos in ſtuporem rapit, qui dum conantur inveſtigare quid ſit, & qualiter formetur valde deſudant.

Plato in Theæt.

Omitto hic fabulas, & fictiones Poëtarum dicentium Iridem fuiſſe non ſolum legatum Junonis, ut notat Lactantius Placidius, ſed & nuntium omnium Deorum, imo eſſe Deam veſtitam pallio variegato, ſed ſuccincto, ut expeditior & promptior ſit ad legationes à Diis ſibi imponendas. Similiter ne prolixior ſim omitto ea, quæ dixerunt Metrodorus, Anaximones, Anaxagoras & alii plures Philoſophi, & adhæreo opinioni Meteorologiſtarum affirmantium Iridem nil aliud eſſe, quam multitudinem confuſam innumerabilium, & quaſi infinitarum imaginum ſolis, & formatur hoc modo. Dicunt in nubecula, in qua comparet Iris repetiri quaſi infinitas guttulas aquæ, quæ in parte verſus ſolem ſunt Diaphana & tranſparentes, ex altera vero parte opacæ, ita ut videantur eſſe quædam ſpecula, ſed minima & quaſi inviſibilia; Hoc poſito cum illa nubes ſit oppoſita ſoli, & ab hujus radiis verberetur & illuſtretur, hæ guttulæ aquæ recipiunt in ſe imaginem ſolis: Sed quia quælibet ob ſuam parvitatem non poteſt repræſentare corpus ſolare integrum & perfectum, cum ſua reali mole, quia *omne quod recipitur ad modum recipientis recipitur*, ideo illæ infinitæ quaſi imagines ſunt confuſæ & indiſtinctæ, & ſolem tantum imperfectè repræſentant. Iris itaque tam venuſtus, ut habitus ſit legatus Deorum, imo à Poëtis Dea, nil aliud eſt, quam imago ſolis repræſentata à multitudine quaſi infinita minutiſſimarum guttarum aquæ concluſarum in nebula.

Lib. 2. Achilleidis.

Advertit præterea Albertus Magnus Iridem nunquam formari ex nube aſcendente, ſed deſcendente, & declinante verſus horizontem, tam reſpectu partis Orientalis, quam Occidentalis, quæ eſt pars infirmior hemiſphærei, & vicinior terræ quo ad apparentiam.

Applicatio.

XVII. Nunc ad minimum & maximum Franciſcum *Incircumciſus labiis &c. Ecce conſtitui &c.* Glorioſiſſimus Franciſcus toto tempore vitæ fuit nubes repleta aquis divinorum favorum. Nubes quæ mundo pluit aquam ſalutiferam divinæ ſapientiæ, qua ubertim irrigavit hortum Eccleſiæ Dei & animas fidelium, quæ tractabant cum ipſo. Nubes formata ex guttulis quaſi infinitis aquæ virtuoſiſſimarum, & ſanctiſſimarum operationum, in quibus videbatur diminuta imago & forma Jeſu Chriſti. Nubes non aſcendens per ſuperbiam, velut

nonnulli de quibus Pſaltes: *Superbia eorum, qui te oderunt aſcendit ſemper.* Nubes ſemper cadens, & declinans verſus terram ad pedes omnium per ſuam profundiſſimam humilitatem. Nubes ſemper conſiderata à ſole divinæ ſapientiæ Deo, *Qui humilia* reſpicit. Nubes, in qua cum ſtupore cœli & terræ videtur formatus Iris, arcus cœleſtis, filia Thaumantis & admirationis, filia divinæ ſapientiæ ad cujus formationem hæc concurrit per applicationem omnium potentiarum & virium. O Iridem cœleſtem, ô glorioſiſſime Franciſce, in te apparet neſcio quid, quod mundus & cutia cœleſtis admiratur, nec nos capimus. Nonnulli ſiquidē dixerunt quod fueris nuntius cœleſtis, legatus Paradiſi, amandatus à conſiſtorio Sanctiſſimæ Trinitatis, ut declaret mundo te reſolviſſe ſalvare mundum perditum. Hinc author conformitatum: B. *Franciſcus fuit Angelus à Deo directus in mundum ad annuntiandam pœnitentiam.*

Lib. 1. fruc. 21. part. 2.

Arcus pulcherrimus, in quo ad ſtuporem uſque relucent tres pulcherrimi colores obedientiæ, paupertatis, caſtitatis. Arcus qui viſus eſt in habitu ſuccincto & paupere, ut eo eſſet expeditior ad munus ſibi impoſitum. Hinc qui diceret te fuiſſe Angelum, nuntium, legatum Dei, valde bene loqueretur, quamvis parum videatur mihi dixiſſe, Nam in hoc arcu cœleſti videtur quædam res nobiliſſima contineri, ita ut acutiſſimus viſus in hoc arcu videat non unam, ſed quaſi infinitas imagines ſupremi ſolis Chriſti. *Beatus Franciſcus fuit factus ad imaginem impreſſam, & expreſſam Domini Ieſu, & ejus ſimilitudinem.* Uti manifeſte apparet in tuo corpore ſtigmatizato, ut optime dicere poſſis cum Paulo. *Ego ſtigmata Domini mei Ieſu Chriſti in corpore meo porto.* Imago, quæ eò vivacius repræſentat ſolem Chriſtum, quo in nube tui corporis, & carnis fuit perfectius impreſſus ipſe ſol Chriſtus crucifixus.

Piſanus ubi ſupra.

Ad Gal. 6.

Sed quid dico ego ingratus, & degener filius, imaginem Chriſti in te glorioſiſſimo arcu cœleſti comparuiſſe. Infinitæ fuerunt imagines. Quamvis unica tantum fuerit Iris, & unus tantum Chriſtus repræſentatus. An non ſanctiſſime Pater omnes tuæ operationes fuerunt guttulæ aquarum toridarum Diaphanæ, & tranſparentes per lucem charitatis & perfectionis, cum in cunctis tuis actionibus ſpectaveris Deum? An non etiam fuerunt opacæ & denſæ, cum eas quantum fuit poſſibile ſemper hominibus celaveris? Nonne etiam in oculis tuis fuerunt minimæ cum omnes gubernarit tua humilitas, quæ quidquid boni feciſti, tibi quaſi nihilum ſemper fecit? An actiones tuæ bonæ quaſi infinitæ toto curſu vitæ à te elicitæ non fuerunt guttulæ aquæ? Nonne melioti ſemper modo pro poſſibili ſtuduiſti imitari tuum dilectum Jeſum? Omnia hæc recenſentur in tua vita. Cur ergo mihi non licebit affirmare, quod fuerit arcus cœleſtis fabricatus ex infinitis guttis aquæ virtuoſatum, & humilium operationum, in quarum qualibet repræſentabatur Deus imperfectè quidem ſecundum ſe, ſed perfectè quo ad te? Si fuerunt infinitæ, cur non dicerem te fuiſſe Iridem repræſentantem per infinitas humillimas & minimas actiones, ſolem æternum Chriſtum?

Dicamus ergo, quod ſi Moyſes jam electus à Deo Iris, & legatus ad Pharaonem ſe per humilitatem fecit guttulam aquæ, & quia cum eſſet nubes torida declinans verſus terram æſtimando ſe indignum, & inſufficientem ad tantum munus, fuerit diſpoſitus ut in ſe reciperet, & repræſentaret imaginem Solis Dei, & videretur eſſe quaſi alter ſol, & Deus in terra. *In circumciſus labiis, &c. Ecce conſtitui, &c.* Quomodo non dicemus à potiori, quod fueris Iris cœli repræſentans non ſolū ſemel, ſed infinities imaginem ſolis divini, & quod in omnibus tuis actionibus viſus fueris eſſe alter Deus, dum in te habuiſti tot guttulas aquæ toridæ, Diaphanæ, & tranſparentis per puritatem operum humillimorum? Dicamus ergo à potiori jure de te, *Quoniam tu, &c. quem Pharao*, puta Dæmō, cui terribiliſſimus fuiſti ſerviliter formidet, ut imperes aquis, & omnibus creaturis quæ tibi ſemper paruerunt pro parte Dei. Pulcherrima Iris, minimus, & maximus Franciſcus. Minimus, quia nubes declinans verſus terram, compoſita ex minimis guttis aquæ. Maximus, quia repræſentans imaginem ſolis Dei, & factus ſimillimus Deo.

XVIII. O ſanctiſſime Pater, ô glorioſiſſime Franciſce tu ſis complementum meatum cogitationum, perfectio & ornatus meorum conceptuum, Epilogus mei diſcurſus, quia tu es tam eximius ut omnibus non ſolum indoctis ſicut ego ſed & ſubtilioribus & ſapientioribus adimas ſpem te ſufficienter laudandi. Hinc eſto

ſim confuſus per meam inſufficientiam, tamen contentus ob debitum meæ obſervantiæ aliud neſcio dicere, quam quod ſis ſtupor mundi, prodigioſiſſimum portentum, partus perfectiſſimus, minimus ſimul & maximus.

Tu glorioſiſsime Franciſce fuiſti illud punctum indiviſibile mundi, omnibus humillimum, ſed tamen factum locus primi nobilis, & ſupremæ ſphæræ magni Dei. Tu es figura perfectè ſphærica, & rotunda, omnium figurarum minima & maxima, quia fundatus in puncto tuæ parvitatis continuiſti omnes alias figuras virtutum Evangelicarum. Tu es ille Cameleon cæleſtis ornatus omnibus coloribus perfectionum Chriſtianarum, quia omnibus vacuum te puraſti.

Tu es Epilogus, quinta eſſentia, Idea, quæ quantumvis unica, tamen continet in ſe nobiliſsimas conditiones omnium ſtatuum Eccleſiæ. Tu es illud corpuſculum minimum, indiviſibile punctum, quod producit lineam infinitam ſanctitatis, & perfectionis; Tu nubecula ſemper declinans ad terram, & compoſita ex minimis guttis aquæ humilium actionum apparuiſti, velut Sol in cælo militantis Eccleſiæ.

O centrum mundi, da ut animæ noſtræ ſint ſtabiles, ut nunquam devient ab æquitate, ſed ſemper moveantur in lege Dei. Sphæra rotunda, & perfectiſsima, reſcinde angulos noſtrarum imperfectionum, & plana colles noſtræ ſuperbiæ. Cameleon ſuperne largire nobis picturam venuſtam virtutum Chriſti in te tam perfectè relucentium; Idea, & quinta eſſentia Eccleſiæ, communica nobis tuas nobiliſsimas prærogativas. Indiviſibile punctum, recipe nos ſub umbra infinita tuæ ſanctitatis, rorida nubes, Iris pulcherrima, fac ut animæ noſtræ recipiant & repræſentent lucidiſſimum ſolem æternæ ſapientiæ; ô cœleſte prodigium, ô ſanctiſſimum portentum, tu ille es, qui miro modo conjunxiſti ſummam humilitatem ſummæ magnitudini omnis perfectionis. Minimus ſicut David inter fratres, ſed tamen adeò procerus, ut maximi deberent ſurgere, ſi non dicam caput, ſed pedes tuos tangere vellent.

Aër & vox inſtar Baptiſtæ, ſed tamen vox verbi & proximus Deo, anima tua fuit imbellis & ſola, ſed tamen habens ſecum auroram, lunam & ſolem, & ideo tori inferno terribilis, tanquam exercitus omnium virtutum bene ordinatus. Balbutiens & inſufficiens velut Moyſes, ſed tamen factus ſimilis Deo & pro-Deus.

O glorioſiſſime Franciſce, prodigium mirandum, Minimus ſimul & Maximus, altiſſimus & humillimus. Fateor quod parvitas tuæ humilitatis me alliceat & ſpem det te laudandi, ſed eminentia tuæ incomparabilis ſanctitatis illam mihi ſuccollat, linguam erudit, & conceptu meos confundit. Quod ſi parvitas tuæ humilitatis me animet ad diſcurrendum, video, quod ſtatim obruar ab eminentia tuæ humillimæ ſublimitatis, ita ut confundar, & ſilere cogar teque rogare, ut ſub tua capaciſſima parvitate poſitus, à tua humillima eminentia ſemper defendar & protegar.

Amen.



ELO-

ELOGIVM XXXI.

Pro Feſto SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ.

Hæc mando vobis ut diligatis invicem. Joan. 15.

Hiſtoria. I DE famoſo Gerygone qui juxta opinionem Juſtini hiſtorici fuit Rex trium Inſularum fertiliſſimarum Hiſpaniæ Balearicæ ſcilicet majoris & minoris, nec non Ebuſæ, vel ut Paleffatus Urbis Trinacriæ ſitæ in Ponto Euxino, referunt hiſtorici quod dum Hercules cupidine raptus ejus pecorum, & armentorum, pecudes illius abſtuliſſet, Gerygon furti certior factus armis facillimè prædam ab Hercule recuperavit.

Finxerunt Poetæ Gerygonem ob ingentem fortitudinem, & robur fuiſſe tricorporeum, tricipitem, ſex manus habentem. Habebat itaque tres manus dextras. Una gerebat ignem, alia ſagittas & arcum, tertia clavam nodoſam ex quercu. Hinc cecinit Poeta:

Qualis Atlantiaco memoratur littore quondam
Monſtrum Geryones immane tricorporis ira.
Cui tres in pugna dextræ varia arma gerebant
Vna ignes ſævos, aſt altera penè ſagittas
Fundebat, validam fundebat tertia quercum
Atque imo diverſa dabat tria vulnera niſu.

Porro reipſa non erat Gerygon monſtrum tricorporeum, bene tamen erant tres fratres ita unione animorum, & amore reciprico conglutinati, ac ſi tria corpora fuiſſent unita ab uno ſolo corde, & anima informata. Gerygones vocabantur in numero plurali. Sed dicebantur Gerygon in numero ſingulari qui tria corda, & tres animas ita concordes, ac ſi uno conſtarent corpore habebant. Hinc antiqui tam Poëtæ, quam ſimbolici ſignificare volentes quanta ſit vis & valor concordiæ inter duas, vel plures perſonas ita ut reddat eas inſuperabiles etiam à robuſtiſſimis pingebant Gerygonem tricorporeum, vel unum corpus ſolum cum ſex manibus, ſex pedibus & tribus capitibus.

Sic fundatus in fabula, & hiſtoria Alciatus formavit hoc nobiliſſimum emblema. Pinxit hominem veſte indutum Regia capite ſertato, tricipitem, cum ſex manibus & pedibus. Omnes ſiniſtræ manus innitebantur clypeo. Una dextra geſtabat lanceam, altera enſem, tertia ſceptrum. Tribus capitibus ſignificabant magnam prudentiam, & conſilium quibus debet pollere Princeps, nam ſibi ſoli non debet fidere ſed libenter acquieſcere conſiliis aliorum ſi velit bene gubernare. Scuto eoque unico tantum à tribus manibus gubernato denotabant ab eo juncto favore ſubditorum ei adhærentium inimicos devincendos. Lancea denotabant, quod eſſet à longe feriturus hoſtes, gladio, quod eſſet transfoſſurus inimicos vicinos & domeſticos. Sceptro tandem, & corona volebant demonſtrare omnibus prædictis dependuiſſe ejus regnum, & per concordiam illud erat augendum, & amplificandum, & ipſe contra quoſcunque inſuperabilis reddendus prout inſcriptio clarè exprimebat. *Concordia inſuperabilis.* Alciatus hiſtoriæ inhærens hunc ſuum conceptum inſigniſſimo carmine deſcribit. Emble-mate 40.

Tergemines inter fuerat concordia fratres
Tanta ſimul pietas mutua, & unus amor;
Invicti humanus ut viribus ampla tenerent
Regna, uno dicti nomine Geryonis.

II. Non

Applicatio.

II. Non credo quod aptius Hieroglyphicum, convenientius ſymbolum, clarius emblema mihi poſſint dare libri tam novi, quam antiqui ad celebranda encomia, laudes, virtutes, prærogativas, geſta heroica SS. Apoſt. Simonis & Judæ. Hi juxta Sacros Dd. fuerunt proles Alphæi, & Mariæ Cleophæ adeoque fratres Jacobi minoris. Fuerunt itaque tres Geryones uniti, & concordes, non tam ratione ſanguinis, quam per charitatem, & perfectum amorem, dum tenacitet inhæſerunt mandato Chriſti, qui nil frequentius iis inculcavit. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* In hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. Habuerunt hi tres Geryones per concordiam unum tantum cor, voluntatem & animam, nam *concordia eſt cordium unio.* Cum eſſent ſervi Dei, *cui ſervire regnare eſt*, erant coronata capita. Habebant tria capita, cum eſſent tres Apoſtoli, & tria capita Eccleſiæ diſtincta. Unus enim fuit Antiſtes Hieroſolymitanus, alter Meſopotamiæ, tertius Ægypti, ſed fuerunt ſimul unita. Quilibet ſuam ſiniſtram accliinabat ſcuto, quia profitebantur eandem fidem. *Vna fides* In dextra portabant ignem, ſagittas, fuſtes, enſem, lanceam, & ſceptrum. Ignem amoris ad comburendum mundum, ſagittas ad ſaucianda corda humana Verbo Dei. *Sagittæ ſunt verba Divina;* Fuſtem valde fortem ſcilicet S. crucem ab iis amplexam, & prædicatam lanceam ad ſauciandum peccatores à longè, enſem ad truncandum caput vitiis à prope. Sceptrum per regiam poteſtatem, quam habebant ut Principes Eccleſiæ, Geryones à quibus ſuperatus fuit Hercules robuſtiſſimus puta Dæmon, qui deprædatus fuerat gregem Domini, & furatus animas fidelium, & à quibus per prædicationem dæmoni præda erepta fuit. Geryones cum ſex pedibus per eorum velocitatem peragrando mundum, & nomen ac fidem Chriſti per univerſum promulgandi.

Pigrius.

Glorioſiſſimi Apoſtoli, ſi tam concinnè vobis quadret figura Geryonis, quomodo etiam vobis non conveniat emblematis inſcriptio: *Concordia inſuperabilis.* Nam revera invincibiles & inſuperabiles vos demonſtraſtis erga peccatores, tyrannos, imo ipſos dæmones inferni, quos viciſtis & ſuperaſtis. Et mediante veſtra unione, & concordia voluntatum, cordium, & fidei, eſto corpore diſtincti, & ſeparati augmentaſtis & dilataſtis imperium, ac fidem Chriſti per univerſum: *Concordia inſuperabilis.* Et cum à fratre veſtro S. Jacobo corpore ſeparati fueritis, & de illo ſuo loco peroraritis, vos veſtro auxilio S. Simon & Juda, quorum ſolemnitas ſimul hodie celebratur ab Eccleſia, ſuccurrite, ut digne bonum, quod veſtra unione attuliſtis cælo, & terræ omnibus propalare poſſim. Hoc erit materia mei diſcurſus.

ASSUMPTUM.

Concordia, & unio horum duorum Fratrum utiliſſima fuit Eccleſiæ Dei.

Scriptura. *Pſal.* 134.

III. LOquens Propheta David de Dei Omnipotentia, quæ ſuos confines à centro terræ protendit, uſque ad convexum ſupremi cæli, imo uſque in infinitum, dicit, quod potentia ſua nubes ab extremis finibus terræ congregans fulgura reſolverit in copioſiſſimam pluviam: *Educens nubes ab extremo terræ fulgura in pluviam fecit.* Revera peregrinus eſt hic modus loquendi, eſto ſublimiſſimis conceptibus ſcateat. Sed quid amabo prætendit Spiritus S. illis verbis? Abbas Guiſſolenſis hic obſervat in S. Scriptura ſæpe fulgur pro fulmine ſumi. Verum in iſto loco id dici non poteſt, cum fulmen nunquam convertatur in pluviam, idcirco juxta eundem Abbatem. *Fulgur eſt ignis ſplendens in nubibus præcipue cum tonat.* Hoc ſuppoſito quid ſibi vult quod Deus hoc fulgur in pluviam reſolverit. Fulgura in pluviam fecit? Idem Abbas reſpondet fulgure denotari Doctores Eccleſiæ, SS. Apoſtolos, qui per doctrinam in ea relucent & illuminant fideles. *Fulgura dicuntur Doctores ſcientiæ ſplendore fulgentes.* Et hæc fulgura in pluviam Deus reſolvit, dum facit ut effundant aquam Verbi Divini, quæ irrigando cordium humanorum terram, & in ea ſeminando gratiam divinam efficit, ut producant fructus bonorum operum. Sed non acquieſco, quia Origines loquens de his nubibus, dicit iis ſignificari ſacros Doctores, adeoque in hoc loco non poſſunt hi ſimul deſignari per fulgura. Et hinc addit Guiſſolenſis: *Fulgura etiam deſignare poſſunt ſplendorem doctrinæ & veritatis, verba Chriſti & manifeſtationem divinitatis.* Et hæc expoſitio videtur magis convenire cum illa, quæ per nubes intelligit SS. Doctores Eccleſiæ, & Apoſtolos. Sed quid ſibi vult quod Deus ex finibus extre-

extremis terræ educat nubes SS. Doctorum, & Apoſtolorum, & reſolvat fulgura in pluviam?

Meteora. IV. Non poſſum ita clare intelligere hanc ſcripturam, ſicut vellem niſi recurram ad meteora. Inquirunt Profeſſores Meteorum, quomodo generentur fulgura quæ ſubito ſuo ſplendore totum orbem, ex uno polo ad alterum illuminant. Ariſtoteles cenſuit fulgur eſſe exhalationem ealidam & ſiccam concluſam intra nubes, quæ ibi accenſa concipit ignem, & dum non poteſt coërceri intra illas anguſtias, quærit & tentat exitum, & tandem maxima violentia perrumpit nubes, & ſonitum illũ edit, & fracta nube videtur fulgur, quod faciliter & ſubito diſparet conſumptâ exhalatione Et ſi quæras à quonam accendatur illa exhalatio? Reſpondet Philoſophus vel à motu, & curſu ipſiuſmet exhalationis (nam dum currit per nubes tentando exitum calefit & accenditur) vel per antiphraſin, qua frigus nubis cum calore exhalationis certat.

Fulgur quid?

l. 2. nat. c. 47. Seneca opinatus eſt tonitru non cauſari à defractione nubium producta ab exhalatione tentante exitum, ſed quod eædem nubes ſibi occurrentes vel in fronte aut latere ſe collidant impetuosè, & hanc colliſionem eſſe ipſum ſtrepitum tonitrui. Opinio quam multi moderni probabilem cenſent, & juxta hanc dici debet motum illius occurſus dum nubes uniuntur etiam accendere exhalationem, & cauſare tonitru & fulgur, quod terram illuſtrat.

Applicatio. V. Nunc intelligetis ſenſum Davidis prophetæ, juxta mentem Origenis: *Educens nubes &c.* Per has nubes inquit Origenes intelliguntur Moyſes, Jeſus Nave, Jeremias, Batuch, Paulus & Silvanus; & quamvis horum tantum brevitatis ergo faciat mentionem; nihilominus hic etiam poſſunt intelligi alii Doctores. Sicut etiam per dictas nubes ſignificatur unio, & eorum concordia in diſcurſibus & ſermonibus mutuis & conformibus. Ex hoc concurſu uniformi harum nubium, earum congreſſu, unione & concordia inquit Origenes cauſantur fulgura, tonitrua, adeo micantia & fulgida, ut in momento illuſtrent omnes fideles totius Eccleſiæ & mundi. *Conſiderate nunc nubes rationales. Moyſes nubes erat, Ieſus Nave nubes erat, iſti ſi lucem ſequantur, ex ſermonibus eorum fulgura micant. Hieremias & Baruch nubes erant, ſermocinentur invicem, & videbitis rutilare fulgura. Paulus & Silvanus duæ nubes in unum convenerunt, & ecce totum mundum epiſtolæ eorum fulgore illuminant.* Ac ſi dixiſſet Origenes, Vultis videre bonum, quod reportat Eccleſia ab unione, concordia, convenientia & amore nubium rationalium puta ſanctorum Doctorum, Magiſtrorum populorum & Apoſtolorum Domini? Conſiderate illud quod evenit in aëre noſtri Hemiſphærii, quando duæ nubes conveniunt & uniuntur. Tunc enim videmus fulgura illuminantia aërem, tenebras & totum mundum tanta claritate & ſplendore, ut oculus humanus obfuſcetur. Eodem modo unio, & concordia primatum Eccleſiæ tantam adfert claritatem & ſplendorem fidelibus & toti mundo, ut omnes in rebus cæleſtibus & divinis accendantur, & inflammentur. *Paulus & Silvanus &c.*

Origenes. Nunc ſic diſcurramus, Sancti fratres Simon & Judas fuerunt duæ nubeculæ. Nubes aëris ſunt Apoſtoli. Hæ duæ nubeculæ per aliquod tempus ſejunctæ & ſeparatæ. Simon pertexerat in Ægyptum, Judas in Meſopotamiam, ubi pluvia prædicationum corda illorum incolarum irrogarunt, & ad fidẽ Chriſti converterunt. *Hic* ſcil. Judas, *Meſopotamiam, ille* puta Simon, *Ægyptum Evangelica prædicatione peragravit.* Demum ex his diſſitis Provinciis Deus collegit, & univit in Perſia has duas nubes, & en hæc unio produxit in illa regione fulgura, tonitrua tanti ſplendoris, ut Perſia, quæ erat antea tota tenebris involuta ob infidelitatem, & infinitos errores, it a fit illuminata, ut ex nocte obſcuriſſima in diem clariſſimum mutata videretur. Hinc legit Eccleſia in eorum feſto. *Poſtea in Perſidem convenientes, eu unionem harum nubium, cum innumerabiles filios Ieſu Chriſto peperiſſent, fidemq; in vaſtiſſimis illis regionibus, & efferatis gentibus diſſeminaſſent,* en pluviam doctrinæ confirmatam etiam ſanguine, *doctrina & miraculis, ac denique glorioſo martyrio ſanctiſſimum Ieſu Chriſti nomen illuſtrarunt.* En fulgura & tonitrua. Dicatur ergo de his duobus SS. Fratribus, quod ſua unione & concordia illuminarunt mundũ & ſupra modũ profuerint Eccleſiæ. Dicatur *Educens nubes &c.*

Brevis. Roma.

Scriptura. Gen. 46. VI. Poſtquam bonus ſenex Jacob certior tandem fuiſſet redditus dilectiſſimum ſuum filium Joſeph non ſolum adhuc eſſe in vivis, ſed & eum agere Proregem Ægypti, ſummopere eum videre cupiens illuc iter inſtituit. Ut venit ad puteum juramenti, duas victimas accepit, & Deo obtulit, hocque promeruit, dum noctu

quieſce-

quieſceret, appareret ei Deus, & repetitis vicibus eum compellaret *Iacob, Iacob. Venit ad puteum Iuramenti, & mactatis ibi victimis Deo Patris ſui Iſaac, audivit eum per viſionem nocte vocantem ſe, & dicentem ſibi Iacob, Iacob.*

Et Deus ſubjunxit, abſque metu perge in Ægyptum, nam ibi te favore maximo afficere volo, nempe te creabo ducem, capitaneum innumerarum gentium. Verbo in terra te magnificare volo. *Noli timere, ſed aſcende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi.* Magna revera promiſſio, & favor extraordinarii affectus. Quod velit illum magnificare in Ægypto, & quidem regione extranea non eſt favor parvi momenti. Sed quæſo vos interpretes obſervate mecum, in quo loco, qua occaſione benedictus Deus promiſerit S. Patriarchæ ſuam aſſiſtentiam & ſuos favores. Dum eſſet in itinere verſus Ægyptum. Poſtquam diu iter egiſſet, eſſetque laſſus, *venit ad puteum juramenti*, & ibi quievit; Ibi quieſcens Deo ſacrificavit, forſan ut Deus reliquum iter in Ægyptum regionem extraneam, in qua nullum habuit notum præter Joſephum ſuum filium proſperum faceret & dirigeret. Sed quale eſt myſterium quod Deus ita præciſe appareat ei ad puteum juramenti, & in illo loco tam magnificum ei promiſſum addicat: *Faciam te in gentem magnam?* Cur non promittit illa ipſis, dum adhuc eſſet domi, ut hoc modo eum alliceret ad inſtituendum alactius illud iter in regiones longinquas, & excitatus promiſſo tam largo non probaret, vel ad minus non ſentiret difficultates itineris? Qualem habuit eminentiam ille locus puteus ſcilicet juramenti, ut à Deo debuerit eligi tanquam locus deſtinatus tam magnificæ ſponſionis: *Venit ad puteum juramenti*, & tunc ei dixit: *Noli timere, ſed deſcende &c.* Si velimus capere myſterium, neceſſe eſt, ut pauliſper retrogrediamur, & eamus ad caput 26. ejuſdem Geneſis, ibi inveniemus hunc puteum eſſe conſtructum ab Iſaac patre Jacob, porro ei indidit illum titulum, quia ibi arctam cum Abimalech Rege Paleſtinæ contraxit amicitiam, & ut hæc eſſet firmior, ſolemni utrimque illam ſtabiliverunt juramento; Ita ut ab illo tempore illi duo Principes amiciſſimi & unitiſſimi fuerint. Sit juramentum inter nos & ineamus fœdus, ut non facias nobis quidquam mali, ſicut & nos nihil tuorum attigimus, & ſtatim ſubdit textus, Juraverunt ſibi mutuo. Poſtquam igitur Jacob filius Iſaac perveniſſet ad illum puteum juramenti, ubi illi duo Principes illuſtres pacem iniverunt ita celebrem, tunc dixit Deus Jacob, volo exhibere & oſtendere quod ſim tuus fautor, & amicus, hic ſpondeo quod te velim promovere, & magnificare in Ægypto, ut ſciat totus mundus quam efficax ſit apud me concordia, & ſola ejus memoria, quia ab illa volo dependeant majora bona, & excellentia meorum ſervorũ. Mitè Gl. Interlinearis in hunc locũ. *Merito in loco pacis, & concordiæ videtur Deus, quia ibi mandavit Deus benedictionem.* Non poteſt aliter fieri quin in illos qui vivunt pacificè & concorditer ubertim cælum gratias & favores pro bono totius mundi effundat. Quales favores, gratiæ, privilegia, non fuerunt collata his duobus ſanctiſſimis & glorioſiſſimis Apoſtolis? Ad quas ſublimitates & eminentias non ſunt exaltati? à retibus, à piſcatione vocati ſunt à Chriſto ad piſcationem hominum. Simon in Ægypto, Judas in Meſopotamia, ambo in Perſia. Hi à Domino fuerunt electi Apoſtoli, & principes Eccleſiæ tanta cum auctoritate, ut nõ ſolũ ſibi ſubjecerint homines plebeos, in locis in quibus prædicarunt, ſed & Reges ac Principes potentes, veluti Judas Regẽ Abagarũ, & uterque ducem generalẽ Regis Perſiæ, qui hos duos SS. fratres venerabantur & adorabãt tanquã duos Deos delapſos de cælo inſtar hominũ geſtaminibus vulgò Liburni humanis veſtitos. Hinc videntes eorũ prodigia dicebant: *Iſti ſunt dii latentes ſub effigie hominis.* Sic refert hiſtoria Lombardica. Quomodo ergo præſides Meſopotamiæ, Ægypti & Perſiæ facti nõ poterãt dicere cum Jacob, quod à Deo erant facti *in gentem magnam.* Sed nullam aliã ob cauſam fuerunt ita honorati & ſublimati à Deo pro bono Eccleſiæ, quam quod fuerint unanimes, & concordes, non ſolum per conjunctionẽ carnis, ſed multo magis per unionem cordis, & voluntatis, & ſpiritus, velut fratres uniti amore & charitate Chriſtiana. *Hoc mando vobis ut diligatis invicẽ.*

VII. Valde huc quadrat id quod Poetæ finxerunt de duobus fratrib. Caſtore & Polluce. Finxerunt hos fuiſſe filios Jovis & Ledæ editos, uno partu ita ſibi ſimiles, ut unus ab alio diſcerni non poſſet, neque quoad exteriorem effigiem, veſtes, profeſſionem. Erant enim in bello equites, ſtellam in fronte habebant. Sed quod plus eſt, ita erant corde & animo uniti, ut vitam ſibi mutuo communicarẽt, ei alternatim morerẽtur Poeſis.

& reviviſcerent. Hinc prometuerunt reponi in cælo, in quo formant ſignum geminorum deſcriptum in globo cæleſti, in figura duorum juvenum ſe invicem amplexantium, vel inſtar ſtatuæ, quam iis erexerunt Lacedemones. Duo ligna æqualiter aptata conjunxerunt, & duo alia ejuſdem formæ iis addiderunt. Hac figura voluerunt demonſtrare amorem reciprocum illorum fratrum qui equitatum Locienſem ducentes 10000. tantum equitum, centum & viginti millia Crotoniatum teſte Juſtino profligarunt. Et quia hæc conſtellatio comparet in forma gemellorum, ideo vocatur ſignum duplex, & bicorneum.

Aſtrologia.

Sed hæreamus pauliſper apud hos gemellos. Vos Domini Aſtrologi dicitis hoc ſignum geminorum eſſe valde propitium, & favorabile, ita ut ſi aliquis in ſua nativitate habuerit hanc conſtellationem, ille erit diſpoſitus ad penetranda ſecretiſſima naturæ; erit valde deditus ſtudiis, prudens diſpenſator, provide curabit res domeſticas, erit amator honeſtatis & juſtitiæ, erit mercator & quidem valde felix. Quando etiam reperiuntur in medio ſupremi cæli, tunc ob dignitatem loci omnia præfata eminentius influent, tunc enim perſona per ſuam ſcientiam & prudentiam acquiret auctoritatem docendi alios, præſidebit in rebus ſacris, in quibus maxima emolumenta habebit. In cardine etiam occidentali hæc omnia non cum minori felicitate promittunt, imo tunc addunt filios & nepotes. Hinc cecinit Uranias:

Bntan. l. 5. de reb. cæl.

Hi rerum occultas cauſas arcanaque ſacra
Rimantur verbiſq; modos, & carmina nervis
Adjungunt, pretio aut captiſora multa frequentant.
Aut veterum monumenta docent, & ſcripta virorum,
Aut operam impendunt linguis interprete cura
Et decus, & quidquid monſtrat ſapientia, norunt
Caleſtes gemini concordi fœdere juncti.

Præterea advertunt, quod eſto hoc ſignum ſit bicorporeum, nihilominus ſit tantum unica conſtellatio, & ideo hi Gemini ſemper ſunt conjuncti, & æquali paſſu cælum percurrunt, ita ut quando unus aſcendit ſuper horizontem, aſcendat etiam alius, & dum unus reperitur in medio cæli, reperitur etiam alius; dum unus occidit, occidit etiam alius. Addunt conſtellationem Geminorum dominari præter alias regiones, Meſopotamiæ, & Ægypto, ut obſervat Pontanus ſupra.

Applicatio.

XIII. Nunc ad noſtros Apoſtolos. Hi gloriosiſſimi Apoſtoli fuerunt velut alter Caſtor, & Pollux Gemini cæli. Velut illi fuerunt fratres non ſolum carnales utpote ex eodem patre nati, ſed etiam ſpirituales eodem partu editi, quando à Chriſto ſimul fuerunt vocati ad Apoſtolatum. Semper ſimul vixerunt dum viveret eorum Magiſter, & eſt veriſimile eos ſimul manſiſſe, quando Chriſtus diſcipulos veluti ſuos prodromos permiſit: *In omnem civitatem, & locum, quo ipſe erat venturus*; Et referente S. Luca, *Miſit illos binos.* Præterea hos duos Apoſtolos conjunxit, ut tanquam fratres magis concorditer ſimul iteragerent, prout videmus poſt adventum Spiritus S. dum unus eſt deſtinatus ad Meſopotamiam, alter ad Ægyptum, Regiones non multum diſſitas, & tandem majori nexu juncti in Perſiam ſunt miſſi. Conſtellatio Geminorum fuerunt Simon & Judas Apoſtoli, quia ſicut ſunt ſimul nati, & à Chriſto ſimul ad Apoſtolatum vocati, & in vita ſemper ſimul fuerunt, ſic mortem eodem loco & tempore oppetierunt; nam non erat decens, ut ſimul nati ſpiritualiter à Chriſto in morte ſeparatentur, & ideo ſimul in Perſia occiderunt in horizonte vitæ præſentis, & ſimul in oriente Paradiſi comparuerunt, & quaſi duo Gemini, aut conſtellatio Geminorum relucent in Zodiaco cæli annumerati conſtellationi 12. Apoſtolorum.

Luc. 9.

O unionem ſine exemplo, ô concordiam incomparabilem! Quæ non commoda mundo protuliſtis? O glorioſiſſimi Gemini! O valoroſiſſimi Caſtores veſtra concordi fraternitate? Vos ſimul prædicaſtis & docuiſtis influxibus doctrinæ & ſcientiæ miſeros Perſas ſepultos in ignorantia infidelitatis. Vos velut magiſtri evecti, & experti in ſacris litteris non ſolum docuiſtis ignorantes, ſed & præterea habuiſtis filios & nepotes, qui alios poſtea inſtruxerunt. Vos animoſi Gemini arma ſumpſiſtis contra infernum totum, qui in Perſia dilatarat ſuum imperium, & omnes illas gentes ad Chriſtum convertendo, glorioſam reportatis victoriam. Vos experti mercatores prudenter negotiando cum talento vobis à Deo dato augmentaſtis veſtra merita pro cælo & meſſem pro granariis cæli. Vos unitiſſimi Caſtores concorditer geſtatis in fronte diviſam ſtellam fidei Chriſti micantem & ardentem, illâ illuminaſtis mun-

dum

dum, & inflammaſtis corda divino amore. Idcirco tu Simon diceris Zelotes, & ut advertit S. Fulgentius. Simon *Fulget de iſta corona igneo vigore decoratus.* Et tu ô Sancte Juda idem es quod leo (ſic enim tuum nomen interpretantur) animal in terra valde calidum, & in cælo valde ignitum. Ambo eſtis ſtellæ orbem illuſtrantes. *Vos eſtis lux mundi.* Caſtores, & Gemelli quidem bicorporei, attamen ob unionem voluntatum, & eundem finem unica tantum conſtellatio; Vos compatuiſtis grandes in Eccleſia Dei. Vobis valde favorabile fuit cœlum? Vos repleti eſtis benedictionibus divinis. Vobis promiſſum eſt, quod in Ægypto, Meſopotamia, Perſia adeò in gentem magnam eſſetis augendi, dum veniſtis ad puteum juramenti, hoc eſt, dum fuiſtis ſemper pacifici & concordes. Ob hanc concordiam fuiſtis magnificati non ſolum pro bono veſtro, ſed & totius Eccleſiæ, & ſingulariter illarum Regionum, quibus prædicatis fidem Chriſti. Dicamus igitur. *Merito in loco pacis &c.* Subjungamus tandem *Et decus & quicquid &c.* Unitiſſimi Gemini, cõcordiſſimi Apoſtoli.

Serm. 9.

Scriptura. IX. Petrus cum Jacobo & Joanne ſuis condiſcipulis erat in monte Thabor. Et dum Moyſes & Elias videbantur diſcurrere cũ Jeſu, bonus ſenex charitate motus judicabat congruum, ut tria extruerentur tabernacula, per quæ ab ardoribus ſolis, qui in illo campo aperto intenſiſſimi erant, tres illi viri illuſtres defenderentur. Verum nil voluit fieri inconſulto magiſtro. *Domine ſi vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.* Hinc videmus Petrum voluiſſe hæc tria tabernacula conſtrui ſeparatim, ſic ut quilibet ſuum tabernaculum ſpecialiter, tanquam Palatium Regale incoleret. Verum dum adhuc verba faceret, nubes luciditſſima & clariſſima Chriſtum, Moyſen, & Eliam inſuper & diſcipulos tanquam tentorium obtexit *Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbravit eos.* Magnum hoc eſt factum ſcripturiſtæ! Petrus vult conſtrui tria tabernacula diſtincta, & ſeparata, ut quilibet habitaret in ſuo, & Chriſtus adducit nubem, quæ inſtar tabernaculi operit omnes, & ſervit omnibus tanquam unica, & communis domus. Si Petrus pro majori commodo illorum trium Principum voluit tria fabricari tabernacula, vel domos, ut quilibet ſicut decens erat ſuum ſpecialiter incoleret, cur Chriſtus unicam adducit nubem quæ tanto cum commodo uniuſcujuſque, omnibus eſt communis habitatio. Præterea obſervate illam nubem, quæ communis omnibus eſſe debebat domus, ſimul fuiſſe lucidam, & umbroſam. *Ecce nubes lucida obumbravit eos.* Si lucida, quomodo amabo potuit eſſe umbroſa, & à radiis ſolis defendere illas perſonas? Ut docent Optici, Lux pellit umbram, quæ non eſt niſi privato lucis, & cum habitus & privatio ſimul non poſſint eſſe, umbra non compatitur lucem. Quomodo ergo illa nubes fuit lucida, & ſimul umbroſa *Ecce nubes &c.* Ego credo quod Tò *obumbrare* in hoc loco non ſignificet facere umbram, prout denotat ejus primum ſignificatum, ſed quod hic idem ſit ac operire, defendere, & circumdare, perinde ac diceret textus: dum Petrus cogitat & molitur tria tabernacula diſtincta, Chriſtum unicum tantum adducit tabernaculum ex clariſſima luce formatum; Sed ego replico, cur dicit textus illam nubem fuiſſe lucidam? Si debebat agere vices tabernaculi defendendo illos principes ab injuria aeris, eoſque tegendo, idem plane feciſſet eſto feciſſet tenebroſa, denſa, opaca. Cur ergo tam ſingulariter dicitur quod fuerit lucida, *Ecce nubes* Lucida?

Matth. 17.

Optica.

S. P. Chryſoſtomus mirè reſpondet: per illa tria tabernacula, quæ Petrus volebat fieri ſeparata unicuique, ſignificatam fuiſſe diviſionem, ita ut humanitus loquendo defendiſſent quidem illas perſonas à radiis ſolis, non tamen id facere potuerunt abſque excluſione lucis ſolaris, ideò illâ exclusâ induxiſſent tenebras, & lucem. Veruntamen tabernaculum conſtructum à Chriſto ex unica nube pro illis tribus perſonis ſignificabat unionem & concordiam, & quia cum ubi eſt diviſio & diſſenſio, non poſſit eſſe lux gratiæ & Spiritus Sancti ut illuminet mundum, & econtra cum ubi eſt unio, & concordia ibi intret clariſſima lux Spiritus Sancti, quæ noſtra corda illuſtrat, & dat robur, ut illuminemus alios, ideo Chriſtus volens abolere memoriam diviſionis ad propoſitionem Petri, de tribus tabernaculis reſpondit adducendo, unicam nubem, quæ vices tabernaculi ageret. Præterea volunt illam eſſe lucidam, ut ſignificaret, quod unio & concordia includat & communicet illam lucem, & claritatem, quæ excludit unionem & diſcordiam. Divinè Chryſoſtomus. *O Petre, qui vis tua facere tabernacula, reſpice unum tabernaculum Spiritus Sancti, qui nos pariter protegit.*

Hom. 16. in Marcum.

Chryſ. Hom. 10. in Marc.

regit. Si feciſſes tabernacula, utique feciſſes humana, quæ lucem excluderent, umbram includerent. Nubes autem ipſa lucida & umbrans, hoc eſt unum tabernaculum non excludit ſolem juſtitiæ, ſed includit.

Quamdiu ſumus uniti, ac ſi haberemus unum cor, & unum velle, neceſſario illuminamur à Deo, ita ut alios etiam poſſimus illuminare, & tenebras ignorantiæ ex eorum mentibus pellere.

Hinc iſti duo Apoſtoli quamvis reſpectu numeri Apoſtolici fuerint duæ nubes diviſæ & ſeparatæ, & duo tabernacula, quæ debebant obumbrare & protegere fideles, nihilominus in ordine ad unitatem cordium conjunctorum erant quaſi unica tantum nubecula in ſe valde clara & lucida, utpote plena luce cœleſti, fide & doctrina Evangelica. Et quo magis fuit unita, eo efficacius illuminavit populos abigendo umbram, & tenebras infidelitatis & ideo facti quaſi unica tantum nubecula, lucida & clara, ſimul intrarunt Perſiam, ut ibi pro bono illius populi diffunderent & lucem doctrinæ Chriſti, quod ad ſtuporem iis bene ſucceſſit.

Optica. X. Optici, vos docetis, quod duo corpora luminoſa æqualis magnitudinis, & virtutis æqualiter illuminent; V. G. duæ lucernæ in diverſis locis æqualis magnitudinis, & virtutis illuminativæ illuminant illa loca æqualiter, ita ut una illuminet pari illuminatione, qua alia, quia agentia æqualia æqualem producunt effectum. Verum ſi hæc duo corpora luminoſa ſibi invicem conjungerentur, docetis lumen ab illis productum eſſe intenſius lumine quod quodlibet ſeparatim producit. Hinc hæc eſt veſtra aſſertio: *A pluribus ſimul luminaribus in eadem parte medii intenſius lumen profluit, quam à ſingulis.* Porro ratio hæc eſt: Nam effectus procedens à duobus agentibus unitis eſt intenſior, quam effectus qui procedit à quolibet agente ſeparatim; Virtute enim illius unionis agentia redduntur fortiora, adeoque effectus qui producitur ab iis ſic unitis eſt fortior illo qui producitur à quolibet ſeparatim. *Virtus unita fortior.* Hinc Opticus *A pluribus ſimul &c.*

Franciſ. Agavil.

Neque ſolum provenit ex hac unione duarum lucernarum lumen ab iis productum ſit intenſius, ſed & quod ſe magis diſtendat. Explico. Si una lucerna ſolum illuminet, V. G. viginti brachia ſpatii & alia ejuſdem virtutis totidem brachia, unita illuminabunt viginti & unum brachium ſpatii; Vetiſſimum ſiquidem eſt, quod omne corpus luminoſum ſicut eſt finitum & limitatum, ſic etiam habeat ſphæram, intra quam ſolum poſſit agere, & lumen quo magis abſcedit à ſuo principio, eò magis deficit & langueſcit: *Lumen longius provectum langueſcit, quia omnia agentia creata præſcriptum habent ſuæ activitatis terminum.* Alias ut dicit Opticus, Actio eorum protenderetur in infinitum. Dum igitur illa duo lumina unita attingunt extremitatem ſuæ ſphæræ, virtute illius unionis redduntur aliquo modo fortiora, & aliquantulo magis diſtenduntur, & ſimul magis procul illuminant. Hinc ſi ſeparatim quodlibet illuminabat viginti brachia ſpatii, unita illuminant viginti & unum. Idcirco Opticus *Singula luminoſa junctis viribus longius agunt quam diſtincta.* Virtute itaque illius unionis lumen productum non eſt tantum intenſius, ſed etiam magis diffunditur.

Applicatio. XI. Nunc ad applicationem. Duo clariſſima lumina Eccleſiæ, & orbis fuerunt hi duo fratres Simon & Judas, nam de illis eſt dictum *Vos eſtis lux mundi &c.* Quilibet eorum habuit determinatam ſphæram activitatis, Simon eſt enim miſſus ad illuminandum Ægyptum, Judas ad Meſopotamiam. Quanta fuerit illuminatio producta à quolibet horum luminum ſeorſim in propria ſphæra, & quod populi à quolibet ſeorſim ſint illuſtrati in doctrina, & fide Chriſti, quamvis non clare exprimant hiſtorici, nihilominus credendum eſt, quod fuerit intenſiſſima & copioſiſſima, fieri enim nequit, quin lucernæ, & candelabra mundi maximum lumen emittant, idque eo magis, quo à Chriſto ad hoc fuerunt deſtinata. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* *Matth. 5.* *Marci 16.*

Verum enimvero, ſi quælibet ex his lucernis ita fuerit fortis in propria ſphæra prout teſtari poterunt Ægyptus & Meſopotamia, quale non produxerunt lumen unitæ? Si juxta Opticum *A pluribus ſimul &c.* Cur id à potiori non verificabitur in his lucernis ſpiritualibus unitis in Perſia, cum à Deo ad hunc finem eò ſint deſtinata? Nonne illa duo luminaria eſſent fortiſſima, quæ ſuo ſplendore in tenebras denſiſſimas converterent, & obfuſcarent duo maxima luminaria univerſi, ſolem & lunam. Has duas lucernas univerſi Perſæ in quadam Urbe Sacrilega vene-

veneratione fabricatas ex auro & argento adorarunt, ſed eo compatuerunt hi duo fratres, & videntes tantam cæcitatem illius gentis, obtulerunt ſe ad demonſtrandum in illis duobus ſimulachris non eſſe ſolem & lunam uti credebant, ſed duos dæmones. Præterea obtulerunt ſe velle mandare dæmonibus ut exirent, & illa ſimulachra comminuerent. Et dum ſimul eodem tempore hi SS. Apoſtoli convenirent, & Simon mandaret dæmoni latenti ſub ſimulachro ſolis, ut exiret & Judas idem juberet dæmoni latenti ſub luna, & inſuper confringerent dicta ſimulachra, ſtatim paruerunt, ſiquidem in figura duorum nigrorum Æthiopum exſilierunt, & dictas ſtatuas confregerunt *Statim duo Æthiopes nigri, nudi, horribileſq; ſpecie viſi ſunt egredi, ſimulachris in fruſta conciſis cum magno clamore abierunt.* O quam robuſtæ fuêre hæ duæ lucernæ unitæ in eadem parte medii & eodem tempore, nam eſto ibi ſimul micarent ſol & luna, tamen hæc luminaria adeo grandia totaliter obfuſcarunt, ita ut illuminare viderentur omnes Regiones.

Sed an forſan ô luminaria Paradiſi hæc ſtitit veſtra unio & concordia? Nequaquam. Dicit opticus, quia *Singula luminoſa &c.* In vobis verificatur hoc dictum, quia veſtra illuminatio non fuit conſtricta ad illam tantum Urbem, ſed ſe diffudit per totam illam Provinciam, & regnum vaſtiſſimum cum tanta veſtra gloria, & bono illarum Regionum. Siquidem *Innumeros filios Chriſto peperiſtis, fidemque in vaſtiſſimis illis regionibus, & efferatis gentibus diſſeminaſtis.* Nec hoc admiror, quia ex duabus lucernis eſtis redacti ad unam, & ex duobus tabernaculis eſtis facti unum, lucidiſſimæ nubeculæ, aliter fieri non potuit, quin fieretis lucidiores & conſequenter, quin intenſior fieret veſtra irradiatio, & in remotiores partes mundi diffunderetur. *Ecce nubes lucida &c.* Luminoſiſſimæ lucernæ mundi glorioſiſſimi Apoſtoli, maxime uniti & concordes fratres.

Scriptura. *Ezech. 37.* XII. Ezechielis trigeſimo ſeptimo factum tam memorabile quod contigit eidem Prophetæ recenſetur. Divina Majeſtas vatem duxit in vaſtiſſimum campum ex omni parte repletum non dixero montibus oſſium humanorum, ſed acervis per diuturnitatem temporis arefactis maximis ardoribus ſolis. Deus vati impoſuit, mandaret oſſibus denuo ad vitam & ſtatum primævum rediret. *Hæc dicit Dominus Deus oſſibus his: Ecce ego intromittam in vos ſpiritum & vivetis. Et dabo ſuper vos nervos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes, & ſuperextendam in vobis cutem, & dabo vobis ſpiritum, & vivetis & ſcietis, quia ego Dominus.* *Ezech. 37.*

Paret Propheta & vix incepit diſcurſum, & en illico vidit commotionem vehementem & tumultuoſam inter illa oſſa, quæ propriis locis & juncturis ſe repoſuerunt, in quibus fuerant antea, ita ut Propheta, illa ſtatim viderit veſtita nervis, arteriis, venis & carne. *Factus eſt autem ſonitus prophetante me, & ecce commotio & acceſſerunt oſſa ad oſſa, unumquodq; ad junctionem ſuam. Et vidi & ecce ſuper ea nervi, & carnes aſcenderunt & extenſa eſt in eis deſuper cutis.* *Ibid.*

Et quia necdum vivebant, vates juſſit ex parte Dei ventis ut ſufflando ex quatuor partibus cæli reſuſcitarent illa cadavera. *A quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos & reviviſcant.* Dictum, factum, ſtatim enim conſpexit numeroſiſſimum exercitum, qui totum mundum conſternere ſufficiens erat. *Ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt ſteteruntq; ſuper pedes ſuos exercitus grandis nimis valde.* Hic caſus in cordibus humanis tam ſtupendos & mirabiles effectus producit, quam aliquis poſſit imaginari & deſiderare, ita ut niſi ſcirem Deum eſſe omnipotentem illum, dicerem figmentum. Sed quia Spiritus S. non poteſt mentiri, ſcire percuperem, cur Deus volens vitæ reſtituere illa oſſa arida & ſicca, non jubeat id fieri dum adhuc ſunt in illo vaſtiſſimo campo coacervata, ſed ut recenſet propheta prius oſſa propriis locis ſeſe coaptarunt, & dein nervi acceſſerunt, poſtea caro & cutis, & tandem ſpiritus & vita? Ad quid iſta ſucceſſiva graditio, ſi Deus ab initio juſſerat vati, ut intimaret oſſibus in acervo confuſis, ſe iis redditurum ſpiritum & vitam: *Hæc dicit Dominus &c.* Cur non infudit iis vitam, dum adhuc in acervo formarent colles & montes?

S. P. Gregorius Nazianzenus obſervat illis oſſibus aridis populi Hebræi non fuiſſe datam vitam, niſi poſtquam ſeſe univerant, & in locum à natura deſtinatum rediverant. Hinc optimè advertit, quod ante omnia illa oſſa mortua, quæ in acervum coacervata ſeparata & diviſa erant, non potuiſſe reſurgere in corpora humana, niſi prius unita. Ab hac unione velut prima- *Orat. 32.*

ma basi, & fundamento dependebat vita illorum mortuorum, & comparitio illius numerosissimi exercitus. *Postquam enim* inquit Nazianzenus *Semel ab eo, qui mortuos ad vitam revocat, ossa cum ossibus, & commissura cum commissuris jungi cœperunt & siccis rebus spiritus vitæ, & regenerationis datus est, resurrectionem utique omnibus numeris, partibusque perfici, atque expleri necesse est.*

Nunquam fuissent resuscitata illa corpora, nunquam numerosissimus ille populus, qui erat quasi innumerus, recepisset spiritus vitales, nunquam illa cutis distensa fuisset supra carnem, nunquam ipsa caro, nervi, venæ, arteriæ, aut aliquid aliud fuissent visum adhærere ossibus nisi prius illa ossa fuissent unita, & redivissent ad primas commissuras & musculos. Potuisset quidem Propheta vociferari & exhortari illum populum, ut resurgeret ad vitam, veruntamen frustra se fatigasset, nisi ante omnia ossa sese conjunxissent: Nam hæc unio erat fundamentum, cui debebat inniti fabrica & vita populi Hebræi, *Postquam enim semel &c.*

Nunc mecum sic discurrite. Per ossa Ecclesiæ significantur Sancti Apostoli, quia sunt fundamentum carnis, & partium magis debilium fidelium in hoc corpore mystico a spiritu Dei vivificato & animato. Hinc dixit Sanctus Pater Basilius: *Quemadmodum ossa connectuntur inter se juxta articulos & juncturas, idque per nervos & ligamenta inserta, & adhærentia. Sic sane fuerit etiam dilectionis & pacis ligamentum, concretionem quandam, & unionem spiritualium ossium in Ecclesia Dei efficiens.* Q. 2. de dilect. erga Deum.

Et sicut corpus humanum non potest recipere vitam, nisi prius ossa connectantur & uniantur musculis & nervis, sic corpus mysticum Ecclesiæ non animabitur à spiritu Dei nisi ossa fundamentalia Sanctorum Apostolorum per charitatem fuerint prius unita. Hinc subdit Basilius: *Quemadmodum ossa &c.* Volens itaque Deus spiritum vitalem suæ gratiæ infundere Ecclesiæ Persarum multo tempore per infidelitatem Deo mortuæ, duplici vinculo amoris fraternitate scilicet sanguinis, charitate Christiana conjunxit hæc duo ossa Simonem & Judam; Et sic uniti dederunt initium firmamento fidei, & hac unione tam utiles fuerunt illis populis, ut pulcherrimum fabricarint corpus vivificatum à Spiritu Dei.

XIII. Quod simpathia, concordia & unio sint fons omnium bonorum, econtra antipathia, discordia origo omnium malorum passim perhibent auctores sacri & profani. *Nihil civitati*, inquit Plutarchus, *pernitiosius est, quam divisio.* Et Halicarnassæus: *Concordia omnibus hominibus est bonorum dux: ab ea omnibus maxima commoda proveniunt, incredibiles utilitates proficiscuntur.* l. 3. præcept. de Epitha.

Discordia monstra horrendissima produxit, demonstravit casus Tragicus duorum fratrum Eteoclis & Polynicis, qui semper discordes vixerunt; dum enim alter alterum patrio solo expelleret, ad arma venerunt & dum mutuis vulneribus cadunt, uterque vincitur & vincit. Ita testatur Sabellicus: *Dum ambo vincunt, uterq; victus est, mutuis ambo vulneribus confossi seipsos & regnum prius à patre perditum perdidere.* Historiæ. Lib. 3.

Nec morte discordia finiri potuit, nam impositis cadaveribus iidem rogo flammæ, ut ostenderent eorum hostilitatem, se diviserunt: Hinc cecinit Ovidius:

Scinditur in partes geminoq; cacumine surgit,
Scinditur in partes atra favilla duas. Ovidius.

Econtra prodigia jucundissima peperit concordia, uti cernere est in Oreste & Pylade. Hi accusati & capti de furto Simulachri Palladis, dum Orestes velut author furti esset damnatus ad mortem; ne sciretur, quis illorum esset Orestes, idem nomen sibi indiderunt, ut sic quilibet ad mortem paratus, alteri vitam servaret. Hinc Ovidius: 3. de Pont.

Alter uti ex vobis dixit, cadat hostia sacris,
Ad patrias sedes nuntius alter eat.
Ire jubet Pylades carum moriturus Orestem,
Hic negat, inque vicem pugnat uterq; mori.

Inquirunt Academici, unde oriatur vis odii, ut causet tot mala, & unde gignatur amoris robur, ut producat tot bona. Philosophi semper recurrunt ad simpathiam & antipathiam, & dicunt quod si duo corpora sint similis complexionis, ea tunc etiam in moribus, studio & benevolentia convenire. Morum & studiorum, inquit Plutarchus: *Similitudo conciliatrix amicitiæ est.* Verum contrarium videmus: nam æqualitas ingeniorum, artis parit invidiam discor- De amicit. & adulat.

Probl. 1. diſcordiam. *Paritas ingeniorum* inquit Gellius *amulationem parit*, & Plutarchus.

Invidet & cantor cantori & egenus egeno.

Aſtrologia. *In centiloquio Aphoriſ. 33. Ptolom.* Aſtrologi meo judicio melius reſpondent. Hinc dicit Ptolomæus: *Amor, odiumque tum ex luminarium concordia, diſcordiaque, tum ex utriuſq; genitura aſcendentibus deprehenditur. Adaugent autem benevolentiâ obedientiâ ſigna.*

Verbi gratia naſcitur Matius in ſigno Arietis, & eodem tempore ſol reperitur in dicta conſtellatione, quæ eſt ejus exaltatio, & luna in capricorno. Similiter naſcitur Paulus, dum aſcendit Capricornus & cum ſol ſit in illo ſigno, & luna in ariete, dicunt Aſtrologi inter Matium & Paulum inceſſuram ſtrictiſſimam amicitiam ob mutuam commutationem, quàm fecerunt duo luminaria ſignorum in utriuſque ortu. Sed ſi contingat, quod aſcendens unius ſit etiam aſcendens in iiſdem gradibus alterius, & ſol & luna unius reſpiciat aſpectu trianguli, vel ſextili ſolem & lunam alterius, & ſigna aſcendentia ſibi invicem non imperent, ſed ſint ejuſdem conditionis, tunc, ut obſervat Pontanus, illi duo connectentur amicitia, & unione adeò arcta, ut videantur unum cor in duobus corporibus. Sic Aſtrologi: Ab hac igitur unione Planetarum, & ſignorum cœleſtium naſcitur, & dependet unio, & concordia tam complexionum quam affectuum, & animorum in hominibus, & conſequenter omnia bona oriuntur à concordia, & omnia mala a diſcordia.

Applicatio. XIII Nunc redeamus ad duos fratres, duo luminaria Eccleſiæ fuerunt hi duo Sanctiſſimi Apoſtoli. Poteſt dici quod Simon fuerit Sol velut ille qui deſtruxit idolum à Perſis adoratum. Quod ſi Scipio quamvis Romanus ob Africam ſuperatam fuerit cognominatus Africanus, & Sanctus Antonius ob converſam Paduam Paduanus, cur Simon non dicatur Sol ob deſtructum idolum ſolis: Similiter cur ob deſtructum idolum lunæ Judas non dicatur luna.

Hæc duo luminaria quamvis ſpiritu ſemper conjuncta, tamen aliquamdiu corpore ſejuncta fuêre. Quia Simon qui fuit Sol primo peregravit Gemnos, dum ivit in Ægyptum Regionem ſubjectam illi ſigno. Similiter luna Judas per Virginem dum ſe contulit in Meſopotamiam Virgini ſubditam. Sed tamen ambo rediverunt ad Taurum eundo in Perſiam ſubjectum eidem ſigno. Uniti ſunt in tauro ſymbolo robotis, nobilitatis & conſtantiæ, & ibi opponentes ſe ſacrificulis, imò ipſis Dæmonibus tantâ conſtantiâ animi, ut potius mori, quàm deſiſtere ab opere incepto vellent ſuam perſeverantiam in bono oſtenderunt. Uniti ſunt in tauro ſymbolo Religionis, quia eandem fidem Chriſti prædicarunt. Uniti ſunt in tauro, quia ſubjecti eidem jugo legis Evangelicæ. Uniti in tauro, quia in Perſia cui Taurus præerat Deo Sacrificati, & Taurus ſit ſymbolum ſacrificiorum. O felicem conjunctionem! ô fortunatam unionem! ô utilem concordiam! Major profectò incomparabiliter, quàm illa Pyladis & Oreſtæ, Eunemidis, & Attali, majoris Africani & Lucii, Tiberii Cæſaris & Druſi, & aliorum fratrum, qui præ aliis unitiſſimi fuerunt.

O feliciſſimam, ô fortunatiſſimam Perſiam! quam utilis tibi fuit unio, & concordia horum duorum luminarium Cæli! Tu ex eorum unione in Tauro probaſti extinctionem infidelitatis, deſtructionem idolorum & Dæmonum qui te decepterunt, & converſionem ad Chriſtum, ac fidem Catholicam. Tu expertus es vitam corporalem, quàm tibi dederunt hi ſancti fratres quando tuus Rex ſerpentibus, quibus plena erat veſtis Judæ voluit occidere illos magos, qui ſuis Diabolicis incantationibus impediebant eorum prædicationem, & illi reſponderunt: *Nos miſſi ſumus reducere de morte ad vitam non à vita præcipitare ad mortem.* Quibus aliis debet Perſia attribuere gloriam, quam retulit ex martyrio ſuorum Perſarum Marii, Marthæ, Audifacis, Anaſtaſii, & aliorum innumerorum, qui ſuâ conſtantiâ fidei & ſanguine illuſtrarunt & glorificarunt Perſiam, niſi unioni, & concordiæ horum duorum luminarium cæleſtium in Tauro habitantium, & quæ Perſis dominata ſunt? A quibus habet Perſia ſimpathiam, & concordiam humorum, convenientiam in fide, moribus, virtutibus, à quibus dependet ſanitas ſpiritualis animæ niſi ab hoc ſole & luna. Hæc oſſa deformia, cadavera mortua cui debent vitam, niſi unioni, & concordiæ horum luminarium, & oſſium fundamentalium Eccleſiæ Perſarum? Uniantur itaque hæc duo oſſa, ut videamus ab illorum unione dependere vitam Perſarum. Uniatur hic ſol & luna in tauro, ut ex eorum unione Perſæ fruantur omnibus bonis cogitabilibus, tam temporalibus, quam æternis, tam corporalibus quam ſpiritualibus. *Poſtquam oſſa cum oſſibus &c.*

Epilogus. XV. O unitiſſimi Geryones & quàm fuiſtis invincibiles, & inſuperabiles per hanc veſtram concordiam? O nubeculæ gravidæ, & plenæ aqua cœleſtis doctrinæ, & qualia fulgura ſupernorum ſplendorum non emiſiſtis in Perſia, quando vos univiſtis in illa Regione? Valoriſſimi Caſtores, conjunctiſſimi Gemini, tam fortunatos influxus ſanctæ doctrinæ Evangelicæ communicaſtis Perſis vobis ſubjectis, ut non ſolum digni facti fueritis in vobis ipſis recipere ſed & aliis communicare benedictiones, & favores cæli, qui meritò debentur illis, qui uniuntur ad *puteum juramenti*, & vivunt concordes. Lucidiſſima tabernacula, luminoſiſſimæ nubeculæ quæ ad unam ſolam per veſtram concordiam reſtrictæ illuminaſtis cum tanto lucro Eccleſiam Dei, veſut duæ maximæ lucernæ, quæ per unionem ſuam intenſius, & diffuſius producunt lumen, oſſa fundamentalia Eccleſiæ à quorum unione habuit originem ſpiritualis populi. Luminaria majora ſolis & lunæ, à quorum conjunctione in tanto producta fuit pax, & ubertas omnium bonorum. Conjunctiſſimi fratres, veſtra unita concordia tot commoda protulit Perſiæ, favete nobis è cælo ut nos etiam participes reddamur harum gratiarum, ut per augmentum receptorum favorum magis pateat efficacia veſtræ unionis, & concordiæ ut Deus magis glorificetur, qui pro bono ſuæ Eccleſiæ nil aliud à vobis petivit *Hæc mando vobis &c.* Et Deus vobis benedicat.

ELOGIUM XXXII.

Pro Feſto omnium Sanctorum.

Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Matth. 5.

Aſtrologia. I. ILlas ſtellas firmamenti, quas vocant Aſtrologi Pleades, ſeu Vergilias dicunt eruditi in illa arte ex propria natura eſſe turbulentas, & pluvioſas, ita ut dum comparent, cauſent pluvias diutinas & copioſas, & multas turbationes in aere. Nihilominus ſi hæ ſtellæ dum ſunt in Horoſcopo habeant ſecum lunam, tunc vult Gauricus Aſtrologus famoſiſſimus perſonam, quæ in ortu ſuo habuerit hanc diſpoſitionem ſtellarum, progreſſu temporis futuram magnam, illuſtrem, & conſpicuam: *Pleades eu Vergilias*, inquit Gauricus, *qui cum luna Horoſcopante habuerit, magnus & clarus erit.* Et hujus dans rationem advertit, quod eſto hæ ſtellæ fixæ ſecundum plures ſint ejuſdem conditionis & naturæ cum Marte & Luna, nihilominus juxta Ptolomæum magiſtrum primarium in hac facultate, & cui ideò major debet adhiberi fides, habent conditionem Jovis & Lunæ. Cum ergo Planeta beneficus Jupiter in prima domo aſcendentis, juxta Aſtrologos, promittat honores & dignitates, & idem etiam præſtet Luna in eodem loco ſituata, hinc cum ſtellæ Pleades, & Vergiliæ habent conditionem Jovis & Lunæ, ſi reperiantur cum illis in aſcendente, tunc promittunt ei, qui naſcitur ſub tali configuratione cæli & ſtellarum honores, dignitates, & alia bona, eſto alias Pleades ex ſe reſpectu aeris ſint pluvioſæ & turbulentæ. Quod ſi caſu ſecum habeant Venerem vel Martem, tunc minitantur per plures dies imbres pluviarum, & ſubinde ventos, ſubinde tonitrua juxta naturam Planetarum, qui illos comitantur.

II. Veniunt in mundum illi, quos Deus ab æterno prædeſtinavit, & præordinavit, ut fruantur amœnitate floridiſſimorum, & jucundiſſimorum camporum Eliſiorum. Et en ſtatim ſe iis jungunt ſtellæ Pleades, & Vergiliæ, turbidæ, & tempeſtuoſæ lachrymarum, contrarietatum, afflictionum, laborum, tormentorum, Martyriorum diſſectionum, mortis, idque in tanta copia, & abundantia, ut videatur eſſe in periculo, ut ſubmergantur à pluvia afflictionum. *Fila cedens ad jervitutem Dei, prepara animam tuam ad tentationem.* Valde ſiquidem decens eſt, ut electi habeant eundem aſcendentem quem habuit Chriſtus primus prædeſtinatorum, Applicatio. Eccleſ. 2.

natorum, qui à patre æterno fuit miſſus in mundum ſub conſtellatione eorundem Pleadum. *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.* Ubi ſic Chryſologus: *Mitto ad tolerantiam famis, ad onera vinculorum, ad ſqualorem carceris, ad perferenda omnia genera pœnarum.* O Pleades pluvioſæ & Vergiliæ turbulentæ, ô aſcendens affligens. *Ad tolerantiam famis &c.* Verùntamen hi electi à cælo amati, qui habent ſimilem diſpoſitionem ſtellarum & aſcendentis, tandem videntur facti grandes, illuſtres & conſpicui, & erecti ad verticem beatitudinis. *Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſus vos.* Videns ſuos planctus mutatos in plauſus, afflictiones in ſolatia, triſtitias in lætitias, & omne malum in aliud ſimile bonum. Hinc toti læti, & jubilantes exclamant cum regio vate: *Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala.*

Luc. 10. ſerm. 84.

Matth. 5.

Pſal. 89

O glorioſiſſimi ſancti, & quomodo poteſt fieri, ut hæ Pleades adeò pluvioſæ, & tempeſtuoſæ mutentur in ſtellas adeò beneficas? quomodo poteſt fieri, ut tot pluviæ, & tempeſtates afflictionum, & adverſitatum vertantur in ſerenitates adeò lætas, & jucundas? Non miror quia vobiſcum habuiſtis Jovem propitium verbi æterni, & lunam favorabilem ejus ſanctiſſimæ æternitatis. *Iuxta eſt Dominus iis qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſalvabit. Cum ipſo ſum in tribulatione eripiam eum, & glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.*

Pſal. 90.

Quod ſi hic Jupiter, & Luna non poſſint influere niſi gaudia, ſolatia, glorias & honores, quid miri, quod vos glorioſiſſimi incolæ cæli, qui in vita præſenti habuiſtis in aſcendente Pleades tempeſtuoſas innumerarum adverſitatum, & contradictionum, nihilominus ita apparueritis divites ſplendoribus & gloriis? Quid miri quod vos, qui in vita ita perfectè repræſentaſtis perſonam Heracliti flentis, nihilominus jam exhibeatis multò melius Democritum ridentem? *Beati qui lugent &c.* De hac materia hoc ſolemniſſimo veſtro die diſcurram. Vos mihi aſſiſtite, ut digne omnibus declarem, vos ideò excellentius repræſentare cum jubilo, & gloria Democritum ridentem, quia ita ad vivum in vita veſtra cum Pleadibus adverſitatum egiſtis perſonam flentis Heracliti, ut fideles diſcant, & ſint certi eò majorem futuram gloriam eorum in cælo, quo vita eorum in terra turbulentior fuit. *Beati qui lugent &c.*

ASSUMPTUM.

Sancti eò hodie ſplendidiores apparent in cælo, quo in terra magis obfuſcati fuerunt ab adverſitatibus in terra.

III. POſtquam Deus mundaſſet labia Prophetæ Hieremiæ, eique infudiſſet donum eloquentiæ, quatenus poſſet evellere, & deſtuere vitia, & plantare virtutes, & ſanctos mores in ſuo populo, etiam reddidit eum participem miſterioſatum viſionum. Porrò ante omnia oſtendit ei virgam oculatam. *Virgam vigilantem ego video.* Omitto hic per hanc virgã oculatam, & vigilantem intelligi vigilantiam, quàm volebat habere Deus prout Prophetæ promiſit: *Vigilabo ego ſuper verbo meo, ut faciã illud.* Sed hic ſcire percuperem, ex qua materia fuerit illa virga. Porrò invenio quod S. Hieronymus ſatisfaciens meæ curioſitati reſpondeat fuiſſe virgam Amygdalinam, quod & confirmat Theodoxius. Sed nolo me ipſum decipere, quia ex uno modo videor intrare alium, & ex uno labirintho venire in alium. Si Deus per hanc virgam volebat ſignificare ſuam curam, cuſtodiam, & vigilantiam, cur oſtendit vati virgam Amygdalinam? Vigilantia non ſignificatur per virgam, nec per Amygdalum, ſed per gallum ob ſuum cantum tempeſtivum, leonẽ, lepores qui dormiũt oculis apertis, Amygdalus autem eſt ſymbolum fertilitatis, nam hæc arbor ante omnes alias floret. Præterea Amygdalus ſignificat juventutem, quæ nutrit flores ſpei. Si ergo Deus volebat ſignificare vati ſe populi curam geſturum, eumq; defenſurũ, cur oſtendit vati virgam Amygdalinam, & non potius rem quæ talem vigilantiam ſignificet? Poteritis reſpondere hanc vigilantiam non denotari ſimpliciter per virgam Amygdalinam, ſed quia virga fuit oculata, aut vigilans, & quia oculus apertus eſt ſymbolum vigilantiæ, ideò Deus ei oſtendit virgam Amygdalinam, ſed oculatam. Optica reſponſio: veruntamen non plenè exhaurit dubium, quia aliquis poſſet replicare Deum ſimpliciter potuiſſe oſtendere vati oculum vel ſi volebat aliam addere materiam, potuiſſe oſtendere & oculatum caput Leonis, oculatam Petram, aut virgam oculatam alterius arboris. Quale ergo hic latet myſterium, quod Deus volens ſignificare vati ſuam vigilantiam,

Scriptura.

Hierem. 1.

S. Hieron.

curam, & providentiam de ſuo populo oſtendat ei præeiſe virgam oculatam Amygdalinam?

S. Hieron. Divinè Sanctus Pater Hieronymus ait profundiſſimum hic latere myſterium. Singulariſſima eſt vigilantia, ſapientia, & providentia divina demonſtrata per virgam, non quamcumque, ſed oculatam Amygdalinam. An forſan non videtur illa eſſe magna vigilantia, ſapientia & providentia Dei, quod ſub cortice amaritudinis abſcondat fructum dulcem & ſuavem, quod ex aſperitate, & rigoribus pullulent fructus ſuavitatum & conſolationum, quod in amaritudinibus ſuppliciorum, adverſitatum, afflictionum, tormentorum, imò mortis reperiantur gaudia, jubuli, ipſa vita & gloria. Revera hic effectus à nullo alio poteſt provenire quam à ſumma ſapientia & providentia divina. Nunc attendite, inquit Hieronymus, Amygdalum ex ſua natura habet quidem corticem valdè amarum, ſed ejus fructus eſt valdè dulcis & ſuavis. Volens itaque Deus demonſtrare quod aſperitates, ſupplicia, contradictiones à ſe in hoc ſæculo immiſſæ, demum producant conſolationes, & ſuavitates præmii æterni, effectus revera ſummæ ejus vigilantiæ, ſapientiæ, & providentiæ fuit, ideò oſtendit Pro-

Hieron. 1. phetæ Virgam oculatam, ſed Amygdalinam. *Virgam amygdalinam. Quia ſicut amygdalum amariſſimum habet corticem, quo detracto dulcis fructus percipitur; ita Dei ſupplicia, quantumvis pœnæ & amaritudinis continere videantur, adhuc ſub cortice gratiæ & meriti dulcedo latet.* Valdè benè. Et nonne ô glorioſiſſimi ſancti experti eſtis has amaritudines in veſtris vigiliis, jejuniis, pauperrare, mortificatione, ſupplicii, pœnis, imò ipſa morte à vobis tolerata propter amorem veſtri Dei. Sed videte hujus vigilantiam, ſapientiam, providentiam, quia ex his afflictionibus, & amaritudinibus tandem eduxit ſolatia, ſuavitates & glorias, quibus nunc cum ipſo fruimini. *Dei ſupplicia &c.*

Hiſtoria. *Lib. 5. c. 9.* XV. Refert Alexander ab Alexandria in ſuis diebus genialibus Neapoli utbe nobiliſſima, dum pro quodam ædificio marmora diffinderentur, in parte interiori cujuſdam marmoris repertum fuiſſe Adamantem pretioſiſſimum non tudem & impolitum, prout educuntur ex venis in quibus ſunt producti, ſed politum, & ad artem ordinariæ perfectionis reductum. Et quia fuit magis æſtimatus prodigioſus, quàm naturalis, Regi præſentatus fuit, & inter raritates pretioſas aſſervatus.

Eodem loco refert Palamedem ſuum intimum amicum, dum durum diſſecaret lapidem, in corde illius, quod alias non poteſt frangi niſi vi malleorum, inveniſſe vas olei pretioſiſſimi, adeò ſuavis & clari, ut omnibus ſtupotem ingereret, maximè cum fuerit valdè medicinale. Et quia manus Palamedis leniter eo inuncta fuit longiſſimo tempore fragravit odorem ſuaviſſimum, & indicibilem.

Philoſophia. Subintrant hic erudita ingenia, & quærunt quomodo fieri poſſit, ut pretioſiſſimus ille adamas, & oleum pretioſiſſimum reſtringantur in viſceribus duriſſimorum marmorum; & poſt multa tandem, quo ad adamantem reſpondent, illum non fuiſſe natum in viſceribus marmoris, cum nulla intercedat inter utrumq; ſimpathia, & affirmant poſſe dici circumquaque illum adamantem fuiſſe conglobatam terram, quæ ſucceſſu temporis in duriſſimũ marmor tranſiit, & ſic intra illam adamas manſit concluſus. Et ut verũ fatear melior ratio aſſignari non poteſt.

Quo ad oleum difficilior cauſa dari quit. Nihilominus ego dicam, quod eodem modo ſicut circa quaque marmor terra condenſata eſt, ſic ab initio circa illud vas olei terra condenſata ſit, & poſtea mutata in duriſſimum lapidem, ita ut oleum ſemper in ſuo eſſe manſerit quod per tractum temporis purificatum fuit inſtar pretioſiſſimi balſami adeoque ſuavius, & purius factum eſt, quam ſit oleum commune. Et hoc modo Philoſophi ſatisfaciunt ingeniis curioſis. Revera magnum portentum quod inter marmor rigidiſſimum reperiatur politiſſimus adamas, & in corde duriſſimi lapidis oleum præſtantiſſimum & ſuaviſſimum.

Applicatio. V. Nunc ad ſanctos: *Virgam vigilantem &c.* Marmora & lapides duriſſimi ſunt ſancti à Deo cælo deſtinati. Marmora viva, quibus Deus cæleſtem Jeruſalem conſtruxit. Et ipſi tanquã lapides vivi ſuperædificamini in domũ ſpirituale, & ſicut cantat Eccleſia. *Urbs Jeruſalem beata, dicta pacis viſio, quæ conſtituitur in cælis vivis ex lapidibus.* Marmora, & lapides adeò duri, ut ſuo invicto animo conſtantia, fortitudine repulerint ictus robuſtiſſimorum malleorũ, quibus eorum perſecutores illos diſſecare, & vincere ſperabant. Hinc S. P. Cyprianus: *Toleraſtis u/q; ad conſummationem gloriæ duriſſimè quaſſionem, nec ceſſiſtis ſupplicia, ſed vobis potius ſup-*

Lib. 2. epiſt.

plicia

plicia cesserunt. Marmora & lapides, quamvis à persecutionibus insecabiles, tamen ab iis politi & perfecti & facti digni, ut à superno artifice adhibiti sint fabricæ cælesti. *Tunsionibus, pressuris expoliti lapides, suis coaptantur locis per manus artificis, disponuntur permansuri sacris ædificiis.*

Adamas pretiosissimus, & oleum suavissimum est æterna beatitudo, & gloria paradisi. Adamas pretiosior omnibus aliis gemmis virtutum, tanquam ille, qui est complementum & præmium omnium creaturarum, qui ob æternitatem nullo tempore potest corrumpi, vel destrui. Æternitas quippe finẽ non habet. Oleum suavissimum, quod sua unctione beatos confortat, & recreat inæstimabili gaudio, sine fine duraturo: *Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ cõsortibus tuis:* Oleum ita perfectum, ut sanet omne vulnus, pellat omnem dolorem, restauret jacturam vitæ præsentis, & recreet inæstimabili lætitia, liberet à morte, & dotem immortalitatis tribuat. *Et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* O pretiosissime Adamas, ô suavissimum oleum, ô beatitudo æterna, & ubi lates, ut te non possimus videre vel invenire? Sum certus, quòd objectivè & formaliter degis in cælo, sed nisi erro, credo, quòd etiam moreris extra cælum, & dum contemplor hæc marmora, & lapides Sanctorum, videor mihi videre te intra illos reclusum. Nonne ô gloriosissimi Sancti, verum est, quòd *Regnum Dei intra vos est*, etiam adhuc in hac vita existentes? Nonne verum est, quòd in vestris visceribus in medio vestrorum pectorũ duriorum marmore, & plusquam lapides ab adversitatibus & contradictionibus condensato portaveritis illum pretiosissimum & politissimum adamantẽ, illudque oleum suavissimum & præstantissimũ gloriæ æternæ, & objecti beatifici, quo formaliter sperabatis frui post fractam duritiem hujus vitæ præsentis? Dicat id vobiscum Apostolus Paulus, qui ad clangorem tubæ toti Orbi hanc veritatem etiam in se ipso expertam propalavit, dum dixit: *Gloriamur in tribulationibus. Thesaurum habemus in vasis fictilibus.*

Psal. 44. *Apoc. 21.* *Luc. 17.* *Rom. 5.* *2. Cor. 2.*

O pretiosissima marmora, ô gloriosissimi Sancti, si pretiosi fuistis per duritiem & soliditatem in vobis causatam per vim malleorum, & scalprorum afflictionum & tormentorum, sanè pretiosissimi fuistis ob adamantem ditissimum, & oleum purissimum gloriæ, lætitiæ, & beatitudinis, qui in vestris visceribus, in intimo cordis vestri clarissimè eluxit cum stupore totius mundi, qui extra se actus, & raptus capere nequivit, quomodo sapientia & providentia divina in durissimis illis marmoribus, adamantem adeo pretiosum, & oleum ita suave, & sub cortice amygdali adeo amaro, fructum ita dulcem abscondere, & occultare potuerit. Dei supplicia, &c.

VI. S. Apostolus Paulus scribens Romanis, iisq; manifestans suas eminentias, in quibus adeò gloriabatur, quasque tanti æstimabat, dicit, quòd in duobus singulariter posuerit suam gloriam, primò in maxima spe, quam habebat, se asscribendum olim filiis Dei, in quo consistit quinta essentia omnium gaudiorum desiderabilium; secundò in afflictionibus & ærumnis, quibus Deus se exercuit in vita præsenti. *Gloriamur*, inquit, *in spe gloriæ filiorum Dei, non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus.* Scripturistæ, magna curiositate ducor, de quibus glorietur Apostolus, an de re una sola, an de pluribus? Quilibet absque dubio dicet, quòd de duobus; sic enim in modo loquendi Apostolus demonstrat. Sed ex his duobus quodnam præfertur ab Apostolo? An forsan magis æstimat gloriam quam sperabat? An gloriæ anteponit afflictiones & contradictiones, quibus in hac vita exercitatus fuit? Ut veritatem fatear, Apostolus tribulationes gloriæ prætulit; de his enim loquitur magna cum energia & emphasi: *Gloriamur in spe &c.* Ac si diceret, fateor, quòd valde glorier me esse electum & prædestinatum, ac me esse asscriptum numero filiorum Dei: attamen sciatis, & firmiter credatis, à me magis æstimari capitale gloriæ, quod repono ex adversitatibus, quàm quòd sim filius Dei, vel sperem iis annumerari. Verùm si gloria filiorum Dei sit perfectio omnium gloriarum, ad quam omnes aspiramus, & sine qua reliquæ sunt defectuosæ & nullæ, quomodo ô Paule tu gloriam provenientem ab ærumnis hujus mundi præponis gloriæ, quæ tantùm convenit electis, & qua in cœlo fruuntur filii Dei?

Scriptura. *Rom. 5.*

S. P. Bernardus forsan, ut hunc nodum effugiat, advertit, Paulum de uno solùm gloriatum fuisse, nempe de spe fruendi gloria debita filiis Dei, ad quam omnes aspiramus, cùm re ipsa sit complementum omniũ gloriarum. Et quamvis adjungat illum modum loquendi ita emphaticum, id tamen non facit ideo, ut ostendat

gloriam ſuam fundare in illo fundamento, in quo ſuam gloriam fundant Electi Dei, nempe in adverſitatibus in hac vita præſenti toleratis, ex quibus quilibet certò poteſt concludere, ſe annumerandum Electis Dei, & beatitudine æternâ donandum, quâ nullus poteſt frui, niſi priùs patiatur adverſa, & quia ab adverſis tanquam à primo principio dependet gloria filiorũ Dei, imò, quia in illis eſt concluſa, ſicut ipſa ſpes fructus, imò & ipſe fructus conſtringitur in ſemine, ſine quo nec fructus, nec ſpes ejus poteſt haberi, ideo tantâ energiâ ſubdit: *Non ſolùm autem, &c.* Non quòd gloria Beatorum ſit major, quàm tribulatorum, ſed quia hæc eſt fundamentum & radix, à qua dependet, & in qua clauditur & occultatur gloria & beatitudo filiorum Dei, qui nunquam forent glorioſi & beati in cælo, niſi priùs guſtaſſent adverſitates & contradictiones vitæ præſentis. Mire S. Bernardus: *Non altera gloriatio commendatur, ſed additur, ubi ſpes gloriæ, ubi ipſa ſpei gloriatio reperitur; ſiquidem in tribulatione ſpes gloriæ, imò & ipſa in tribulatione gloria continetur; ſicut ſpes fructus, & ipſe fructus in ſemine eſt.*

Bern. ſer. 37. in Pſ. Qui habitat.

Nunc videte, an non ſit glorioſum pati pro Chriſto, quia adverſitates pro ipſo toleratæ ſunt fundamentum gloriæ beatorum, imo ipſam in ſe continent & germinant, ſicut ſemen continet & germinat fructum.

Philoſophia.

VII. Nobiliſſima intercedit digladiatio tam inter antiquos, quàm inter modernos Philoſophos circa productionem formæ ſubſtantialis. Quærunt hi, an in generatione de novo producatur forma ſubſtantialis, vel ad minus reperiatur abſcondita in prima materia ſecundùm rationes ſeminales.

Anaxagoras putavit, omnes formas delituiſſe in materia prima, ſicut pictura pulcherrima latet ſub panno, caſque ab agente naturali fuiſſe manifeſtatas eo ipſo, quo illud velamen, putà materia prima, remotum eſt.

Plato voluit, formam fuiſſe inductam in materiam à ſuis Idæis ſeparatis. Attamen huic directè adverſatur Avicenna, affirmans, illas formas inductas ab ultima intelligentia, ad quam ſpectat cura & providentia ſublunarium.

Ariſtoteles autem opinatur, omnes formas educi ex potentia materiæ, in qua delituerunt, ab agente naturali. Verùm ejus aſſeclæ in tres dividuntur partes. Primi voluerunt, formas eſſe in materia tanquam in ſubjecto purè recepti-vo. Alii non conſiderantes materiam ſpoliatam omni formâ, ſed veſtitam illa forma incompleta, quam materia recepit in ſua creatione, dixerunt eam formam latuiſſe in materia tanquam in potentia quodammodo operativa, quia dixerunt illam formam eſſe certo modo operativam; quæ juncta agenti naturali habeat virtutem producendi ipſammet formam.

Alii denique volunt, formas dependere à materia non ſolùm tanquam à principio, *in quo & à quo*, ſed & *ex quo*, non quòd in materia ſit aliqua pars formæ, quæ ex materia debet produci, ſed quia Deus cum qualibet materia creavit aliquid neſcio quid inſtar ſeminis, circa quod ſi operetur agens naturale, educit actualiter formã. Et hoc non eſt aliud, quàm ipſa forma, quæ latet in materia & quæ poſtea ab agente naturali reducitur ad eſſe actuale. Et hoc dicunt voluiſſe Auguſtinum per rationes ſuas ſeminales, tanti ab ipſo factas. *Quæcunque producuntur, ſecundùm rationes ſeminales producũtur.* Secundùm hos Doctores itaque omnes formæ naturales quoad eſſentiam ſuam continentur in materia prima, & ab illa tanquam à principio *in quo, à quo* & *ex quo* ſuo modo, ſicut fructus à ſemine ab agente naturali ad eſſe actuale educuntur.

Applicatio.

VIII. Nunc ad applicationem: *Gloriamur in ſpe, &c.* Forma & quidem omnium nobiliſſima meo judicio debet vocari gloria paradiſi, quæ animam cæli informat, idq; magna cum ratione; cùm enim forma à Philoſopho vocetur quid divinũ, cùm ſit participatio eſſentiæ divinæ, etiam ipſa gloria beatorum in alia vita debet dici quid divinũ, quia ſi de illa loquamur objectivè, eſt ipſe Deus objectũ beatificũ animas noſtras beatificans. Quòd ſi agamus de formali, eſto ſit quid creatũ, tamen vocatur à Theologis participatio divinæ eſſentiæ. Et ſi forma vocetur à Philoſopho quid pulchrũ, utpote quæ ornet & illuſtret univerſum, ſic etiam gloria debet dici quid pulchrũ, tanquam illa, quæ cælũ nobilitat & illuſtrat. Hinc illi etiam convenit illud dictũ Ambroſii: *Gloria eſt clara notitia cum laude*, ſi forma vocetur quid optimũ, eò quòd ſit ſummè perfecta & appetibilis, quid poterit inveniri perfectius & deſiderabilius, quam ipſa gloria, quæ eſt omnium bonorum externorum & internorum maximum? Si forma ſit finis, quem generans intendit, & reſpectu cujus operatur, gloria æterna eſt etiam finis, ob cujus conſecutionem ſapiens omnia operatur, & omnia

bene

bene collocata dat. Hinc quidam: *Gloria finis eſt omnium bonorum.*

Et quamvis veriſſimum ſit, hanc nobiliſſimam formam gloriæ æternæ eſſe productam à perfectiſſima Idæa, & ſuperna intelligentia eſſentiæ divinæ, tamen etiam certum eſt, quòd deliteat & abſcondita ſit ſub materia prima animæ afflictæ & tribulatæ pro amore Chriſti. Hinc Bern. *Latet gloria, & abſcondita eſt nobis in tribulatione.* Latet in illa tanquam principio *in quo*, & potentia receptiva. Latet in illa tanquam in ratione & principio ſeminali *à quo*, quia hæc prima materia animæ afflictæ habet virtutem producendi hanc nobiliſſimam formam gloriæ. Hinc adſtuporem bene S. Paulus: *Momentaneum hoc, & leve tribulationis noſtræ in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in cælo.* Latet in illa tanquam principio *ex quo*, quia gloria paradiſi eſt in materia prima animæ afflictæ, ſicut fructus in ſemine. Hinc Bernardus: *In momentaneo hoc latet æternitas, in hoc levi pondus ſublime & ſupra modum.*

2. Cor. 4.

In Pſ. Qui habitat, ſer. 17.

O glorioſiſſimi Sancti, quàm meritò gloriamini, dum vos videtis afflictos, cruciatos, tormẽtatos in vita præſẽti præ amore Chriſti? quis vobis non inviderit, & velit vobiſcum dividere angustias, cùm ſint adeo glorioſæ, ut in ſe contineant ipſam gloriam beatorum? Vos eſtis, qui diſpoſitione tormentorum inveniſtis illud pulchrum, quod ſuperat omnem pulchritudinem, illud optimũ, quod excedit omnem aliam bonitatem, illud divinũ, quod eſt participatio Dei, illud ultimum, quod eſt & complementũ omnium gloriatũ. O fortunatæ catenæ, ô felices cruciatus, ô beatæ angustiæ, ô glorioſa tormenta! ô beatiſſimæ depreſſiones, quæ non fuiſtis, niſi ſcalæ eminentiſſimæ, per quas aſcenditur ad ſupremam altitudinẽ! ô vituperia, quæ fuiſtis fœcundiſſima ſemina gloriæ! ô infamiæ, quæ nil aliud peperiſtis, quam honores & glorias majores! ô afflictiones, ſeminaria verorum gaudiorum! ô ignominioſæ mortes, quæ fuiſtis origines glorioſæ vitæ! ô tenebroſi carceres, è quibus prodivit ſplendidiſſimus dies gloriæ, ſic ut nullus antea adeo clarus eluxerit. Gloriamini itaq; ô beatiſſimi Sancti cum S. Apoſtolo in veſtris afflictionibus operativis velut fœcundiſſima ſemina gloriæ, & beatitudinis æternæ. Dicite læti: *Gloriamur in ſpe, &c.* Et emphaticè ſubjungit: *Non ſolùm autem &c. ubi ſpes gloriæ &c.* Beatiſſimi Sancti, glorioſiſſimæ afflictiones.

IX. In Geneſi recenſetur lapſus noſtrorum protoparentum, in quem illos ſerpens induxit, dum mendacibus verbis eos fecit violare præceptum divinũ. Volens itaque Deus punire violationem & peccatum, condemnavit Adamum ad comedendam terram etiam maledictam. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ.* Quia præbuiſti aures tuæ uxori à dæmone deceptæ, terra ſit maledicta, dum eam coles, & tu ejus frugibus veſceris: Portò has non tibi dabit ſponte nè, ſicut feciſſet, ſi non peccaſſes, ſed illas tibi portiget mediantibus tuis ſudoribus & laboribus. *In laboribus &c.* Magna profectò pœna. Verùm ego replico, ſi ſerpens ſeduxiſſet noſtram matrem ſuis impoſturis, & conſequenter fuerit prima radix peccati, an fortè manebit impunitus? Nequaquam (NN. ſiquidem Deus eadem pœnâ cum Adamo eam involvit. *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Et tu ô ſerpens, quia induxiſti protoparentes in peccatum, pro pœnitentia tua toto tempore vitæ tuæ terram edes. Hic ſiſto cum S. P. Ambroſio, & quæro, cur non dicatur ſerpenti ſimpliciter, ſicut dictũ fuit Adamo: *In laboribus comedes terram*, ſed ſimpliciter, *terram comedes.* Facillimè mihi aliquis reſpondebit cauſam eſſe, quòd ſerpens non potuerit colere terram ſicut Adam. Acquieſco huic reſponſo, ſed ulteriùs inſto, cur Adamo, qui eſt capax laborum, imponatur, ut comedat terram mediantibus ſudoribus & laboribus, cùm ſerpens fuerit prima origo peccati? Videtur ob hanc cauſam ſerpentem debuiſſe gravius puniri. Scio è ſenſu S. P. Ambroſii, illa verba *in laboribus* dicta fuiſſe Adamo, ut per hoc diſtingueretur à ſe pente. *Adjectio iſta in laboribus, ſeu triſtitia diſcretionem facit.* Verùm ſi homo ex ſe diſtinguatur à ſerpente, cùm neceſſe fuit eum à ſerpente diſtinguere per labores & afflictiones? Cur Deus ſupplicio Adami addidit illa verba: *In laboribus*, quæ omiſit in punitione ſerpentis.

Scriptura. Cap. 3.

Valde bene S. P. Ambroſ. *Adjectio iſta, nempe in laboribus, ſeu in triſtitia diſcretionem facit, diſcretio quam vim habeat, conſidera: Bonum eſt mihi in triſtitia magis terram manducare, quàm in delectatione; nam triſtitia ſecundùm Deum fructum operatur.* Ac ſi diceret non ſerpenti, ſed Adamo non abſque ratione fuit dictũ, in laboribus comedes terram, quia per hoc principaliter differt Adamus à ſerpente, quòd hic non ſit capax ſalutis & gloriæ, ſicut ille.

Porrò

Porro hanc salutem amiserat Adamus peccando, & Deus voluit, ut illam recuperaret, sed quia scivit, ad hoc non esse efficacius medium, quàm labores & sudores ideo addit illa verba: *In laboribus*, non per modum pœnæ, sed in ejus bonum; nam labores debebant ei esse medium efficacissimum ad recuperandam gloriam & salutem, quam perdiderat Deum offendendo. *Bonum est mihi &c.*

Medicina. *L. 2. Aphor. 9.*

X. Domini Medici: Magnam mihi præbet ansam illustrandi hunc locum Scripturæ vester Hippocrates, dicens: quòd si Medicus præmanibus habeat infirmum, quem restituere vult sanitati, necessarium esse, ut ante omnia pellat pravos humores, qui sunt origo morbi, ad hoc autem esse necessarium, ut illud corpus reddatur fluidum: *Corpora ubi quispiam purgare voluerit, oportet fluida facere.*

+ facere

Sed ego præterea scire vellem, expertissimi Domini, quomodo corpus reddatur fluidum & dispositum, ut pellatur humor peccans? Nonnulli expertissimi dicebant, attendendum esse, an illa concavatio debeat fieri per medicinas provocantes vomitum, an verò per medicamina, quæ humores pellant per alvum, & hoc modo dixerunt corpus reddi fluidum.

Hoc non obstante, Galenus vult juxta Hippocratem, hoc non sufficere, sed præterea præmittendam esse dispositionem & præparationem corporis; nam qui sine hac vellet purgare corpus, non assequeretur intentum, nisi cum maxima difficultate, & periculo infirmi. Hinc quando purgandum est corpus sive per vomitionem, sive per alvi subductionem, debet illud reddi fluidum, dispositum & præparatum ad evacuationem humoris peccantis. Sed quomodo debet fieri hæc præparatio: Respondet Galenus duobus modis, incisione scilicet, & attenuatione humoris crassi & viscosi, qui debet purgari apertione meatuum, per quos debet exire. Fluidum verò fiet corpus meatibus omnibus reclusis, & humoribus incisis ac tenuatis. Hâc præparatione præmissâ datur purgatio, quæ corpus purgabit sine difficultate, & sic sanatur infirmus.

Jacobus Holerius Medicus expertissimus docet, quatuor requiri ante evacuationem humoris peccantis sive per vomitionem, sive per alvi subductionem. Primum, ut corpus infirmi sit bene dispositum ad humoris pravi evacuationem; secundum, ut humor ille non nimium radicetur. Tertium, ut meatus, per quos debet expelli humor, sint aperti. Quartum, ut medicina habeat convenientiam cum humore expellendo. Hinc ad expellendum humorem pituitosum debet adhiberi diagrydion, ad melancholicum ellebrus, & sic de aliis. Hoc assertum in nullo discrepat à Galeno, & hinc videmus sanitatem infirmi effectivè contineri in illo medicamine.

Applicatio.

XI. Nunc ad Sanctos: *In laboribus, &c.* Imperfectiones, quas habet homo in hac vita, sunt velut humores peccantes, qui reddunt animam indispositam & infirmam eò gravius, quò sunt majores, eò levius quò sunt leviores, & si sint mortales, privant animam salute æterna; si veniales, retardant salutem, donec evacuentur. Hinc S. P. Ambrosius: *In exercitu infirmi esse non possunt.* Sancti, qui modò fruuntur beatitudine Paradisi, in hac vita fuerunt infirmi, exceptis illis, qui in utero sunt sanctificati, aliqui gravius, aliqui levius, prout fuerunt humores peccantes imperfectionum. Nonnulli fuerunt molestati multis humoribus grossis, viscosis, pituitosis, & radicatis infidelitatis, & aliorum gravissimorum peccatorum, alii imperfectione tantum aliqua levi, non privante animam gratiâ Dei, quia *septies in die cadit justus.* Omnes hi, qui non poterant consequi salutem, nisi priùs animæ essent purgatæ, & ad salutem consequendam dispositæ. *L. 5. in c. 6. Luc.*

Sed quid egit Deus proto Medicus expertissimus, qui optimè cognovit morbum, & medicinam magis aptam pro præparatione? Invenit afflictiones, mortificationes, vigilias, jejunia, contumelias, verbera, tormenta, imò ipsam mortem, medicamina valdè apta, & quæ continent effectivè salutem æternam. Sic advertit S. P. Augustinus: *Intelligat homo Deum esse Medicum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem.* Hæc reddit animam fluidam, & præparatam ad recipiendam gratiam divinam, quæ justificat & sanat animam, ut tandem fruatur vitâ æternâ. Hæc aperit meatus intellectus & voluntatis; nam ut dicit Gregorius: *Vexatio dat intellectum, & aurem cordis tribulatio aperit.* Hæc incidit humorem peccantem, uti patet in filio prodigo, qui tunc agnovit suam inobedientiam, quando se vidit torqueri fame. Hæc est medicina, quæ maximam habet analogiam & convenientiam cum humoribus imperfectionum, à quibus debet anima purgari. Hinc *S. Augusti.*

Sapiens:

Sapiens: *In paucis vexati, in multis bene disponentur.* Hæc tandem est illa, quæ effectivè continet & producit patientiam, probationem vetorum filiorum Dei, spem gloriæ & tandem salutem æternam. *Tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, si enim compatimur & conglorificabimur.*

Edicite glorioſiſſimi Sancti, quam fortis, quam apta fuerit hæc medicina, hoc alteratus, hoc præparatus ad conſequendam ſalutem æternam. Vos qui tanto ardore illam medicinam deſideraſtis, tanta lætitia illam ſumpſiſtis, tanta efficacia eam probaſtis, & nunc cum tanto ſolatio experimini effectum ab ea productum; ſi dicite quanta fuerit. Videor mihi audire illos choros beatorum unanimiter in cælo cantare. O chari labores, qui terminati eſtis in tantam quietem. Charæ vigiliæ cauſantes tam dulcem ſomnum. Chara jejunia cauſæ tantæ ſatietatis, chara tormenta cauſæ tot jubilorum, chara mors producens tam jucundam vitam, charæ afflictiones, quæ omnes ſunt medicamentum tam efficax, ut tam levi tempore nobis dederit ſalutem æternam. Exultet vobiſcum Adamus, quod ſumpſerit hoc præparans edendo terram in laboribus & ſudoribus, quia ex illa maximam utilitatem vobiſcum tandem ſenſit. *Triſtitia enim ſecundum Deum ſalutem operatur.*

Scriptura. *Pſal. 9.*

XII. David Propheta videns ſe acriter ab inimicis ſuis oppreſſum & agitatum, Divinæ bonitati confidens ad Deum converſus rogat, & petit ut in tanta neceſſitate ſe velit defendere & protegere, eumque alloquitur hoc tenore: *Miſere mei, vide humilitatem meam de inimicis meis.* Domine & Deus meus, quem nil latet, eſto in abditiſſimis tenebris ſit patratum reſpice è cælo per infinitam miſericordiam tuam, & vide quam vexer, crucier & agiter à meis inimicis, ut cernens me adeo depreſſum, digneris mihi ſuccurrere. Et te rogo mi Domine, ut mihi hanc gratiam præſtes, quia tu es ille, qui me inter portas & fauces mortis conſtitutum magnificas. *Qui exaltas me de portis mortis.* Duæ particulæ in hac periodo conſiderandæ occurrunt. Prima τὸ *exaltas*, ſecunda, *de portu mortis.* Scire hic cupio cur vates dicat de portis in plurali, & non de porta in ſingulari, cum ſit tantum unica mors, quæ cum ſit privatio vitæ, eſt unica tantum? S. P. Chryſoſtomus reſpondet, quod eſto mors ſit unica tantum, portas tamen, quæ ad illam ducunt eſſe multas, puta adverſitates, pericula, afflictiones. *Non dixit autem ex porta ſed ex portis, multa pericula ſignificans.* Acquieſco, ſed particulam *Exaltas* non intelligo, credo enim quod debuerit dicere *qui liberas me de portis &c.* Cum enim miſericordia Dei in hoc ſpecialiter conſiſtat, quod liberet à periculis & quidem maximis, exaltatio autem, & magnificatio nullam habeant affinitatem cum afflictionibus, & tribulationibus, cur non dixit, *qui liberas*, ſed *qui exaltas*

Divinè Sanctus Pater Chryſoſtomus. *Non dixit, qui liberas, ſed qui exaltas; non enim in eorum malis tantum ſolvendis ſubſiſtit Dei beneficium, ſed faciet eos etiam admirabiles, inſignes & clariores.*

Propheta rogans auxilium à Deo dum eſſet oppreſſus, humiliatus & vexatus à ſuis inimicis multo convenientius dixit: *Qui exaltas*, quam *qui liberas*; Nam miſericordia Dei non ſolum conſiſtit in adverſitatibus, ex iiſque nos liberat, ſed & contra omnem ſpem in oppreſſionibus, & tribulationibus nos reddat illuſtriores & celebriores; Et quò magis hoſtes noſtri nos conantur deprimere, eo altius nos Deus exaltat, ut mundus errorem ſuum deponat & agnoſcat in ſanctorum depreſſionibus conſiſtere eorum veram exaltationem, in adverſitatibus vera ſolatia, in vituperiis verum honorem, in afflictionibus & tormentis veram conſolationem & jubilum paradiſi. *Non dixit &c.*

Aſtrologia.

XIII. Dicunt aſtrologi, quod dum ſol intrat in conſtellationem Aquarii, dum tendit ad occaſum cauſare frigus & humiditates intenſas, pluvias & nives copioſas, & in fine dicti ſigni ventos horrendos, frigida & horrida tempora. Hinc vocatur ſignum hybernum, hoc eſt frigidum & humidum. Et quoad nativitatem hominum, & decreta cæli dicunt Aſtrologi Impoſtores, quod illi, qui ſub ejus conſtellatione naſcitur, parum propitium ſe oſtendat, in quocunque etiam angulo, & cardine cæli reperiatur. Et hujus cauſa eſt malignitas Saturni, qui eſt dominus dicti ſigni. Itaque in cardine aſcendente ſituatum, facit ut perdantur bona parta. In cardine medio ſupremi cæli facit, ut qui ſub illa naſcitur, probet invidiam hominum, & inconſtantiam fortunæ. In cardine occidentali facit ut homo ſicut antea fuit fortunæ proſpe-

ræ favoribus magis dotatus, ſic poſtea majoribus incommodis & adverſitatibus ſubjiciatur, & ſuſcitat contra illum accuſationes, lites & mille contradicentes. In cardine tandem medio infimi cæli minatur ſiniſtros eventus & pericula in aquis.

Attamen addunt Aſtrologi illum, qui habuerit in ſuo ortu gradum vigeſimum octavum Aquarii cum minutis viginti talem futurum felicisſimum, honoratiſſimum, ditiſſimum & glorioſiſſimum. Porro ratio hæc eſt quia ſtellæ primæ magnitudinis, quæ omnes ſunt ſtellæ regiæ, ſemper promittunt maximas felicitates ut aſſerit Ptolomæus, in gradu autem vigeſimo octavo, & viginti minutis Aquarii invenitur belliſſima ſtella regia primæ magnitudinis, quam vocant Arabes *Fomahand* quæ ſemper donat æternam memoriam. Hinc dicunt quod conſtellatio Aquarii, eſto alias infauſta & adverſa tamen in fine ſit feliciſſima, & amicisſima ob comitatum ſtellæ regiæ *Fomahand*.

Addunt præterea, *medium cæli ad Fomahand, quæ eſt de natura Saturni & Iovis, patrocinius Saturninorum & Iovialium, ut Eccleſiaſtici Antiſtitis ſeneſcentis, denotat, quod ita genito alta dignitas cum ingenti exiſtimatione, gloria & divitiarum abundantia demandabitur.* Hæc blaterant hi Aſtrologi.

Applicatio. Cap. 48.

XIV *Qui exaltas me &c.* Conſtellatio Aquarii valde rigida, frigida, pluvioſa, nubiloſa & ventoſa, ſunt adverſitates & contradictiones quibus ſancti in hac vita agitati ſunt. Hinc Spiritus ſanctus per Iſaiam. *Adducet ſuper eos dominus aquas fluminis fortes & multas.* Dum vellet flagellare populum per perſecutiones Regis Aſſyriorum. Conſtellatio Aquarii, quæ multis in nativitate ſe exhibuit valde infauſtam, & infelicem eos privans omnibus bonis deſiderabilibus vitæ. Aliis præbuit in progreſſu vitæ guſtandam inconſtantiam fortunæ, invidiam hominum, ablationem bonorum temporalium, falſas accuſationes, maledicentias, infamias & vituperia. Aliis portexit in ſenectute, & fine vitæ infortunia fluviorum & marium, aliis dedit contradictiones per totam vitam. Hinc S. Paulus mentionem faciens ſiniſtrorum influxuum hujus ſigni Aquarii, quibus fuerunt ſubjecti a mici Dei dixit: *Alii ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt,* Ad Heb. 11. *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes in ſpeluncis & in cavernis terræ.*

O quam infelix, infauſta & infortunata conſtellatio Aquarii, prima fronte videbantur eſſe adverſitates, contradictiones, afflictiones, perſecutiones, infamiæ, tormenta & mors ipſa à ſanctis tolerata in hac vita.

Sed vos glorioſiſſimi ſancti, qui ad medullam uſque penetraſtis, clare vidiſtis & reipſa experti eſtis fortunam proſperam, felicitatem, honores, opes, gloriam, quas in ſuo occaſu promittebat & donabat hic Aquarius, qui exterius apparebat infelix. Hinc dixiſtis cum Apoſtolo: *Omnis autem diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris, poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitia.* Dum enim in dicta conſtellatione reperitur illa ſtella regia *Fomahand*, adeo pulchra, & magnifica benedictus ſcilicet Chriſtus, qui vos ſemper comitabatur, prout advertit glorioſus Stephanus. *Ecce video cælos apertos, & Jeſum ſtantem à dextris virtutis Dei*, ille è veſtris infortuniis eduxit majores felicitates, è veſtris infamiis majores honores, è vituperiis majores dignitates, è tormentis majora ſolatia, è dura morte glorioſiorem vitam. Dicite ergo cum Davide huic ſtellæ regiæ Chriſto. *Qui exaltas &c.* Nam influxus hujus divini *Fomahand*, ſunt ut non ſolum liberet ab his influxionibus, ſed ut & eas convertat in glorias & felicitates æternas. *Non dixit &c.* Ad Heb. 12.

XV. O jucunditima ſolatia, unde provenitis niſi ab amaritudinibus afflictionum! O felicitates ſummè honorabiles unde pullulatis niſi à maximis vituperiis & infamiis? O vita feliciſſima, ô gloria incomparabilis, quis te efficacius produxit niſi tormenta atrociora, rigores truculentiores, mortes contumelioſiores? O amaritudines dulciſſimæ, ô jucundæ afflictiones, ô contumeliæ honorificæ, ô rigores benigni, ô mors vitalis? O Pleades infelices tranſmutatæ in ſtellas adeo propitias! ô pluviæ & tempeſtates mutatæ in ſerenitates ita lætas! O virgæ amariſſimæ Amygdalinæ quos non producitis fructus dulces & ſuaves? O marmora, ô lapides duriſſimi quam continetis pretioſos adamantes, & olea ærelata? ô contradictiones affligentes, à quibus tanquam à ſeminario dependet maxima gloria electorum! ô rudis materia prima, Epilogus.

ma, in qua latet nobiliſſima forma gloriæ! ô ſudores laborioſi qui producunt ſalutem animæ! ô depreſſiones profundiſſimæ, à quibus derivantur glorioſiores exaltationes! O infortunate Aquarie, in quo habitat honoratiſſima ſtella regia, quæ regit in cælo!

O beatiſſimi incolæ paradiſi, ô glorioſiſſimi Sancti: verum quidem eſt, quod in aſcendente præſentis vitæ habueritis Pleades, & Vergilias pluvioſas afflictionum, imo veſtra vita fuit, quaſi vita Heracliti, ſed mundus cognoſcat has Pleades, favore fortunati Jovis, Verbi æterni & Lunæ, ejus ſacratiſſimæ humanitatis, comitante vobis inſtillaverunt jucundiſſimas lætitias, quas expertus eſt ridens Democritus.

Fateor quod Deus ſuper vos vigilaverit virga Amygdali amatiſſimâ, ſed tamen voluit ut cognoſcat mundus ejus magnam prudentiam & ſapientiam, quia ſub cortice amaritudinum, abſcondit fructum dulciſſimum, fructum conſolationum, & quaſi indurisſimo marmore, & rigidiſſimo lapide abſcondit adamantem pulcherrimum, & oleum præclariſſimum beatitudinis.

Non eſt dubium quin guſtaveritis amaritudines tentationum mundi, carnis & dæmonis, ſed indubitatum præterea eſt, in hoc ſitum fuiſſe maximum veſtrum capitale, quia exiſtimaſtis vos eſſe glorioſiores per afflictiones & tormenta, quam quod fueritis electi & prædeſtinati, ſciviſtis quippe ſub informi materia adverſitatum delituiſſe tanquam ſemen fructum nobiliſſimæ formæ gloriæ.

Nutriti quidem eſtis cum Adamo laboribus, ſudoribus veſtris, & cibati eſtis pane lachrymarum, & reipſa probaſtis hæc non fuiſſe afflictionem, niſi apparentem, & præparationem efficacem, ac medicinam aptam, & convenientem ad purificandas animas veſtras & dandam ſalutem æternam.

Vos humiliavit, depreſſit Deus, vos ſubjecit pedibus veſtrorum perſecutorum, vos injecit faucibus mortis, ſed in vobis probaſtis virtutem divinam, quæ non ſolum liberavit vos ab omnibus illis periculis ſed & magis vos exaltavit, magnificavit & honorificavit, & quamvis per totam vitam ſubjecti fueritis frigido & infelici Aquario Adverſitatum, tamen ultimo ſuper vos fecit comparere fortunatiſſimam ſtellam regiam *Fomahand*, quæ efficaciſſimis ſuis influxibus vos clariores, illuſtriores, ditiores, glorioſiores reddidit, ut ſciamus veriſſimum dictum Spiritus S in adverſitatibus vitæ præſentis conſiſtere veram beatitudinem. *Beati qui lugent &c.*

Vos itaque glorioſiſſimi Sancti, qui nunc fruimini gloria æterna, veſtris laboribus meritò debitâ, impetrate ut cognoſcamus hanc veritatem, ut etiam hanc vitam tranſigamus cum plangente Heraclito, ut poſtea repræſentemus perſonam ridentis Democriti, quod nobis concedat Deus

Amen.

ELOGIVM XXXIII.

Pro Feſto Præſentationis B. Virginis.

Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis.
Cantic. 2.

Aſtrologia.

I. DE conſtellatione Virginis, quæ quidem eſt ſignum fœmininum, ſed ſignum imperans, maſculinum, & quod corporibus communicat decorem membris proportionem, quod ingenia tribuit valde ſubtilia, quod reddit homines amatores veritatis, eoſque facit moderatores & rectores ſcholarum, ut cum applauſu doceant alios, de hac inquam conſtellatione dicunt Aſtrologi, quod in quocunque angulo cæli reperiatur, ſemper ſe homini, qui ſub illa naſcitur propitium & favorabilem exhibeat.

De reb. cæleſt. l. 5.

Hinc dixit Pontanus: Illos, qui in ſuo ortu habuerint aſcendentem conſtellationem Virginis, fore valde prudentes, ſapientes, amatores pietatis & religionis, orationi addictos, jucundos, affabiles amicorum amicos, doctos facundos, eloquentes, arcanorum ſcrutatores, opulentos, divites, omnibus bonis & qualitatibus abundantes.

Quod ſi in nativitate talis perſonæ ſignum Virginis contigerit commorari in angulo medio ſupremi cæli, illa perſona promovebitur ad magiſtratus, ad regimina ſublimia & honorifica, magnâ pollebit poteſtate & auctoritate apud ſubditos, hi ipſi exactè obediunt, ita erit beneficus aliis, ut multi ex vili ſua ſorte ad dignitates fiunt evehendi.

Sed ſi contingat in nativitate illius perſonæ dictum ſignum morari in cardine occidentali, illa affluet multis opibus, miniſter fidelis & ſecretus Principis, & valde officioſus erga ſuos amicos.

Quodſi in alicujus nativitate ſignum Virginis moretur in cardine, vel angulo medii infimi cæli, qui cardo eſt ſubterraneus, ille eſto in ætate tenera agitandus & vexandus ſit variis moleſtiis & laboribus, tamen poſtea ſolium vertetur, & vitam deget valde felicem & tranquillam. Videmus itaque hanc conſtellationem Virginis in quocunque angulo cæli reperiatur, ſemper ſeſe homini propitium, & favorabilem exhibere.

Quod ſi ab Aſtronomis hujus cauſam inquiras, reſpondebunt id non ſolum provenire à bona natura hujus ſigni, ſed etiam à ſocietate ſigni geminorum, qui mirabiliter favent ſigno Virginis; Dum enim Virgo naſcitur, Gemini ſunt in cardine ſuperiori medii ſupremi cæli, & dum Virgo moratur in dicto cardine, Gemini ſunt in angulo occidentali. Rurſus quando Virgo appulit ad hunc angulum, Gemini incolunt medium infimi cæli. Et tandem quando Virgo attigit hoc medium cæli infimi, tunc Gemini ſunt in cardine aſcendentis. Porro maximè prodeſt uni conſtellationi bonæ, ſi aſſocietur & reſpiciatur ab alia conſtellatione bona, quia cum ſint bene collocati in cardinibus, una debet alteram juvare, cum utraque ſit in puncto principali & primario cæli. Hinc concludit Pontanus: *Plurimum enim adjumenti confert, ut eadem ſtella præſertim bene collocata, duobus ſimul cardinibus domicilii ſui authoritate præſideat.*

II. Quin MARIA Domina noſtra ſicut hoc ipſum nomen demonſtrat ſit conſtellatio Virginis

Applicatio.

Virginis, non eſt dubium. Signum fœmininum, quia fœmina, & ſuper omnes fœminas benedicta, prout cecinit Sancta Eliſabeth: *Benedicta tu in mulieribus* Signum imperans, quia Regina Angelorum & hominum, ſic eam ſalutante Eccleſia: *Salve Regina. Ave Regina cœlorum Ave Domina Angelorum.* Signum Virginis ex ſe ipſa pulcherrimæ, quæ & ſuam pulchritudinem ſibi devotis communicat : *Tota pulchra es amica mea.* Conſtellatio Virginis ſemper propitia generi humano, & omnis ſtatus perſonis tam juſtis, quam peccatoribus. Hinc Sanctus Bernardus: *Omnibus omnia facta eſt ſapientibus, & inſipientibus copioſiſſima charitate debitricem ſe facit, omnibus miſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi.*

Cant. 4.

Serm. 7. de B. V.

Conſtellatio Virginis, quæ efficit peccatorem prudentem, doctum, amatorem pietatis, & Religionis, lætum, conſolatum, amicum Dei, ſapientem, facundum, & eloquentem in precibus, & habilem ad penetranda occulta arcana Dei. *Si quis diligit ſapientiam ad me declinet, & eam inveniet.* Signum Virginis, a quo dependet regimen & auctoritas Principum in ſubditos, æquitas & juſtitia in eoſdem, & obedientia ſubditorum erga ſuperiores. *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt; Per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam.*

Proverb. 8.

Conſtellatio Virginis, quæ in occaſum noſtræ vitæ nobis confert opes ſpirituales, ut abundantes & divites meritis tranſeamus ad cœlum. *Mecum ſunt divitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, juſtitia.* Signum Virginis, quod in cardine medio infirmi cœli, hoc eſt, poſt noſtram mortem nos protegat & nobis favet. Et eſto permittat, ut divinæ juſtitiæ ſatisfiat, & aliqualiter cruciemur & torqueamur, nihilominus faciliter ex illis nos liberat, & conducit ad fælicem & fortunatam vitam Paradiſi. Hinc S. Bernardus Senenſis dicere ſolebat Ser. 3. de Nomine Mariæ: *Beata Virgo in regno Purgatorii Dominium tenet. Ab his tormentis liberat maximè ſuos.* Nec ſolum protegit juſtos in eorum vita & morte, ſed & illud, quod magis regnum ejus miſericordiæ conſpicuum reddit eſt, quod curam etiam ſingulariter aſſumat peccatorum in eorum morte, qui conſcii peccatorum quibus provocarunt iram & gravem vindictam Dei, teſolvunt protegi ſub ejus alis protectionis, & illa illos gratioſè contra rigorem divinæ juſtitiæ defendit. Hinc idiota. *Sæpe quos juſtitia filii poteſt damnare, matris miſericordia liberat, quia Theſaurus Domini eſt, & Theſaurarius gratiarum ipſius.*

Ibidem.

Art. 2. c. 3.

In prologo de V. M.

Sed unde provenit ô Virgo Sanctiſſima, & feliciſſima noſtra conſtellatio cœli, ut peccatoribus in vita, & morte ſis adeò propitia? O Virgo Benedicta, id non tantum oritur ex eo quod ex natura ſis Mater miſericordiæ, adeoque pia, & efficax protectrix hominum etiam miſerrimorum; Sed quia tecum ſemper habes conſtellationem Geminorum tui pientiſſimi filii. Hic conſtellatio eſt Geminorum ob duplicem naturam, divinam ſcilicet & humanam; & cum fluxerit à te Matre miſericordiæ, & refugio peccatorum lac clementiæ, & non poteſt aliter, quin à te pulſus ſuam miſericordiam mediante tua protectione peccatoribus exhibeat. Hinc Richardus Victorinus : *Carnalia in te Chriſtus ubera fluxit, ut per te nobis ſpiritualia fluerent. In te ergo concrevit lac divinæ miſericordiæ, & ex te nobis profluxit. Ipſa prius repleta es, & ex te nobis deſcendit hæc abundantia.*

Parte 2. cap. 23.

Et ideo in teneris annis te præſentaſti Deo in templo, ut à Deo pietatem & miſericordiam impetrares. De hoc hodie diſcutam.

ASSUMPTUM.

Maria Virgo uſque ad mortem eſt protectrix obſtinatiſſimorum, deſperatiſſimorum peccatorum.

III. APud S. Matthæum, & reliquos Evangeliſtas proditionem, & deſperationem invenio ſcriptis conſignatam, ignominioſam etiam mortem Judæ. Hic videns Chriſtum in horto captum, & hoſtibus traditum deſperatus vitam laqueo ſibi adimere decrevit. *Et projectis argenteis in templo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* O finem nobilem diſcipuli Chriſti! Sacri interpretes; hic ſcire velim an nullum fuerit medium ut ſalvaretur Judas, nam meo judicio res eſt mira, quod diſcipulus Chriſti, Apoſtolus Domini, Princeps Eccleſiæ Dei finem adeo ſortiatur malum, & ignominioſum. Scio nonnullos ſanctos Patres opinari quod ſe ſuſpenderit, quia abivit ex cœnaculo antequam cantaretur Hymnus, qui fuit gratiarum forſan

Scriptura.

Matt. 27.

actio poſt refectionem decantari ſolita. Alii dixerunt, quia abivit de nocte. *Erat autem Nox.* Voluerunt forſan demonſtrare animam Judæ ob proditionem incæptam plane fuiſſe tenebroſam, ita ut non ſupereſſet amplius ſpes ſalutis. Alii dicunt nullum fuiſſe remedium quia erat reprobus &c. Sed Deus nullum damnat, niſi eum, qui finaliter perſeverat in malo, adeoque antequam ſe ſuſpenderet, poterat ſalvari, Verbo hic illud, iſte iſtud dixit, & bene. Sed ego apud Philippum Abbatem cauſam apprime meo propoſito congruentem reperio. Dicit hic ruinam, & præcipitium Judæ ex illo manaſſe, quod nimis cito ſe ſuſpenderit, nam ſi exſpectaſſet quouſque Chriſtus in cruce protulit illa verba: *Mulier ecce filius tuus*, quibus Virgini ſibi chariſſimum diſcipulum Joannem commendaſſet, abſolutè ſe non ſuſpendiſſet, nec fuiſſet damnatus. Sed replico ego cur non fuiſſet damnatus? Quid poterant ei prodeſſe verba in favorem Joannis prolata.

Lib. 5. in Cant. Reſpondet mirabiliter Philippus Abbas Judam tunc fuiſſe adjuvandum à Virgine; Nam cum nos omnes Chriſtus in Joanne per illa verba *Mulier ecce filius tuus* fecerit filios Virginis, talis etiam factus fuiſſet Judas ſi ſupervixiſſet, & Maria tanquam protectrix deſperatorum adeò ſuâ interceſſione eum defendiſſet, & protexiſſet, ut propoſitum ſuicidii mutaſſet, proditionem deflevisſet, & ſic per Mariam fuiſſet ſalvatus Sed quia nimis acceleravit ſuum propoſitum, & ſe ſuſpendit antequam Maria à Chriſto inſtitueretur noſtra mater, ideo ille miſer laqueo ſe enecavit, & damnatus eſt. Mire Philippus: *Ex hoc traxit ille ruinam, quia laqueo præoccupatus non pervenit ad hoc tempus, quo filius poſſet eſſet tanta matris* Ut intelligas quanta ſit protectio Matiæ erga Peccatores, quamvis obſtinatos, & deſperatos, ita ut Judas per eam fuiſſet ſalvatus niſi acceleraſſet ſuam mortem.

Lex Civilis. Lib. 1. Tit. 13. IV Juriſtæ: veſter Juſtinianus in ſuis inſtitutionibus agens de tutoribus, qui relinquuntur pupillis, tres eorum aſſignat ſpecies. Prima ſpecies vocatur teſtamentariorum, quando ſcilicet pater filiis ſuis pupillis ſub poteſtate ſua conſtitutis aſſignat aliquem qui primario ſuſcipiat curam filiorum, ſecundario facultatum. Et hi vocantur tutores teſtamentarii.

Sed quia poſſet contingere quod pupillus careat tutore, vel quia pater in teſtamento nullum inſtitueret, aut illius obliviſceretur, vel etiam tutor teſtamentarius moreretur, hinc leges induxerunt aliam ſpeciem tutorum legitimorum à lege conſtitutorum, & dividuntur in tutores agnatorum, & Patronorum, Parentum, & fiduciarios.

Et ſi jam fieret quod pupillus careat tutore legitimo, & teſtamentario, tũc leges ſubſtituunt tutorem dativum, quem judex aſſignat illis qui non habet tutorem teſtamentarium, & legitimum. Hunc tutorem aſſignavit lex Attilia, adeoque vocatur Attilianus, & dativus.

Sed hic curioſa oritur difficultas an fœminæ harum tutelarum ſint capaces.

Nonnulli Juriſtæ, imo omnes ſpectato jure antiquo negant dicendo tutelam eſſe officium, quod propriè ſpectat ad viros; Fœmina enim non videtur poſſe præſtare omnia illa, quæ ſunt pro bono pupilli, pura contractus inire, comparere in judicio, in omnibus occaſionibus pupillum defendere. &c. Hinc Imperator Juſtinianus dixit: *Tutelam adminiſtr. re virile munus eſt, & ultra ſexum fœmineæ infirmitatis tale officium eſt.* Præterea digeſta vetant Patribus, ne in teſtamento matres tutrices filiis aſſignent. Quinimo ut mater eſſet tutrix prolium debebat hoc privil. gium impetrare a principe, quod non obtinebat, niſi juraret ſe non tranſituram ad ſecunda vota. *Lib. 1. c. Quando Mulier fungi poteſt L. jure noſtro ff. de Teſtam. Tutorum. Lib. 3. c. Quando Mulier. Authen. Mari, & Avia c. Quando mulier tuto offici.*

Nihilominus in Authenticis hæc jura correcta ſunt, ita ut mater & Avia poſſint à patre dari tutrices prolibus, imo poſt tutores teſtamentarios præferuntur tutoribus legitimis, & Dativis. Et lex, quando volunt acceptare illud officium abſque eo quod hoc impetrant à Principe, inſtituit eas tutrices. Et deficientibus tutoribus teſtamentariis & legitimis, poſſunt à judice aſſignari tutrices, & ſic vocari tutrices Attilianæ, & Dativæ, & ad eas ſpectat cura, & protectio pupillorum non tantum, ſed & minorenum.

V. Nunc redeamus ad Virginem: Non eſt dubium (NN) Quin ſanctiſſima Virgo ſit mater fidelium, utpote, quæ eos tempore paſſionis filii ſui in doloribus acutiſſimis peperit. Sic Rupertus Abbas: *Proinde quia ibi dolores ut par-* Applicatio. *Lib. 3. in Ioan. c. 19.*

ut parturientis in passione Vnigeniti omnium nostrum salutem B. Virgo peperit, plane omnium nostrum mater est. Quinimo ipsemet Christus instituit illam omnium nostrum matrem dum nos omnes in Joanne ipsi commendavit dicens: *Mulier ecce &c.* Christus noster Pater satis concessurus illis verbis in testamento Virginem nostram tutricem instituit, & ideo vocatur nostra tutrix testamentaria. Et quamvis Christus illam in testamento non instituisset, tamen cum sit mater nostra, adeoque conjunctissima nobis miseris pupillis, tamen ad eam spectat tutela legitima, & ideirco nostra tutrix legitima est.

Sed forsan mihi dicetur, Pater: Maria eatenus potest esse nostra tutrix legitima, & testamentaria, quatenus est mater nostra (quia vi legis tutela nullis fœminis competit, nisi matri, Aviæ tantum, ita ut etiam Amita, sorores, & reliquæ fœminæ à tutela excludantur) atqui Christus in Joanne non instituit Mariam Matrem universalem omnium fidelium, sed solum electorum, uti dicit Sanctus Bernardinus Senensis: *Intelligimus in Ioanne omnes animas electorum, quorum per dilectionem B. Virgo effecta est mater.* Ergo miseri peccatores cum ad minus secundum præsentem justitiam non sint electi, sed reprobi, carebunt tutore, & tutrice, à quibus defendantur, adeoque sunt pupilli molestati à Diabolo, à carne vexati. Sunt privati tutore testamentario, quia cum fuerint mancipati æterni Patris, & eum tunc male tractarint sunt exhæriditatæ, & sic requirente paternâ justitiâ careant tutela, ita ut nemo sit, qui habeat curam, & tutelam ingratorum filiorum, qui manus temeratiè contaminarunt sanguine paterno. Ob eandem rationem non habent tutorem legitimum, quia eum nullum alium habeant nisi parentes, & hi meritò, cum ingratitudo tollat debitum naturæ, nolint habere curam filiorum ingratorum, manebunt hi miseri sine tutore, & tutrice.

Tomo 1. ser. cap. 3. act. 1. parte 2.

O miseri peccatores ita est, merito deberetis ob vestras ingratitudines, & scelera carere omni tutela, legitima, testamentaria, & dativa. Verumtamen pietas & misericordia nostri Dei tanta est, ut dum videt nos esse pupillos, & in faucibus hostium constituros, qui animæ & corporis bona deprædantur, & dum insuper scit, quod ab hostibus citemur ad tribunal divinæ justitiæ, ne reipsa pereamus, judex divinus voluit nobis dare tutricem Attilianam, sanctissimam scilicet Virginem Matrem nostram, quæ datur illis, quibus nullus omnino tutor est. Hæc proprie est tutrix Attiliana, quæ assumit curam, defensionem, protectionem pupillorum puta miserorum peccatorum, qui nullos habent alios tutores, & dati sunt præda hostibus, & omni malæ fortunæ. Hos singulariter defendit, hos protegit in corporalibus & spiritualibus, pro his se sistit coram judice divino, horum agit causam, his impetrat favores & gratias. Idcirco mirabiliter Idiota. *Peccatoribus impetras gratiam, quia advocata es miserorum.* Et velut bona tutrix Attiliana prompta est, ut nobis benefaciat, quamvis non rogata. Ita ut ipsemet Judas, esto hoc non mereretur ob ingratitudinem, qua suum magistrum hostibus tradidit, nihilominus eam habuisset tutricem, & per ejus intercessionem fuisset salvatus, nisi mortem sibi intulisset ante institutionem hujus prudentissimæ & efficacissimæ tutricis.

VI Sacra sponsa desiderans invenire suum sponsum, postquam frustra eum diu quæsivisset tota desiderio flagrans secum tacita rogabat sponsum, ut sibi indicaret locum in quo circa prandium degeret: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Et sponsus cœlestis respondet. *Si ignoras te ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hados tuos.* Ut verum fatear (NN.) quoties pondero hanc scripturam nec ejus sensum penetro, toties extra me ab ignorantia agor nesciens quomodo responsio interrogationi conveniat. Sed omissis difficultatibus aliis assentio. Ruperto & aliis, inter quos etiam est Guilielmus, qui per hanc sponsam intelligunt sanctissimam Virginem. Sed quid sibi vult quod Christus Virgini recommendet pecudes & capras? Quales sunt hæ pecudes & capræ. SS. Patres communiter per greges pecudum intelligunt justos & electos, per hædos vero peccatores, qui supremo die judicii, & in præsenti vita à judice superno collocabuntur ad sinistrā, sicut justi, & pecudes ad dextram. *Statuet oves quidem à dextris, hados autem à sinistris.* Itaque tam oves, quam hædos commendat protectioni Mariæ. Sed quomodo amabo hædi id est reprobi, & peccatores, qui jam ob innumera peccata

Scriptura. *Cant. 1.*

Matth. 25.

peccata, & obſtinationem in vitiis ad minus ſecundum præſentem juſtitiam ſunt deſtinati flammis inferni, veluti illi, qui collocati ſunt ad ſiniſtram Judicis poſſint eſſe protecti à Maria? Quomodo poteſt illos protegere, ſi jam ſint ad ſiniſtram Dei, ut deſtinentur flammis, etiam ob eorum demerita à Judice ad Orcum damnati ſint? Præterea cur ſponſus loquens de ovibus, hoc eſt juſtis, & electis, & de hædis hoc eſt peccatoribus non dicit, quod oves ſint Virginis dicendo *Gregum tuorum*, Sed hoc tantum aſſerit de hædis! *Paſce hædos tuos?*

Guilielmus, ut refert Delrio divinè reſpondet, quod eſto hædi ſecundum præſentem juſtitiam ſtent ad ſiniſtram Judicis, ut deſtruantur ad carceres caligineſos inferni, nihilominus tanta ſit protectio tam efficax cura ergo eos, ut per ejus interceſſionem (cognoſcente Deo vim, & efficaciam illius) collocandi ſint ad dextram ejus, & ſuo modo Maria decretum Dei ſit mutatura, ita ut ex peccatoribus in juſtos, ex reprobis in electos ſint migraturi: Et quamvis Deus decreverit illos æternaliter punire, mutabit propoſitum ob interceſſionem Mariæ, illoſque ad cœlum conducet, & ſi autea erant ad ejus ſiniſtram, ſuo modo cogetur illos collocare ad dextram. Ideo hos hædos commendat Virgini illoſque dicit ad eam ſpectare, quia ipſa ſpecialiter eos protegit. Mirabiliter Guilielmus: *Paſce hædos tuos, quia eos qui à ſiniſtris in judicio erant collocandi, tuâ interceſſione efficies ut collocentur à dextris.* Non poterat dicere melius *Quia eos &c.* Videte per animam veſtram, an non ſit efficaciſſima protectio quam habet Virgo ſanctiſſima de maximis, & obſtinatiſſimis peccatoribus.

In hunc locum.

Optica.

VII. Sed ut melius intelligamus quomodo reprobi, qui ſunt ad ſiniſtram poſſint collocari ad dextram per interceſſionem Matiæ liceat mihi veſtrâ veniâ, ut hunc locum illuſtremus Optica. Docent omnes Optici, in ſpeculo non videri imaginem objecti, ſed ipſum objectum diverſo tamen ſitu ob reflectionem imaginis receptam in ſpeculo Objice verbi gratia ſpeculum tuo vultui, juxta Opticos in ſpeculo non videbis imaginem tui vultus. Cum enim hæc non habeat eſſe reale, ſed intentionale, non poteſt eſſe objectum terminativum viſus, qui eſt ens reale, & debet terminare objectum reale, ſed videbis tuum vultum, ſed alio ſitu ob reflexionem ſpeculi. Sicut contingeret, ſi tu eſſes alter à te, videres enim te ipſum, ſed ante oculos tuos. Hoc ſuppoſito cum Opticis; Qualis quæſo eſt differentia inter vultum tuum realem, & vultum intentionalem, qui videtur in ſpeculo? Certum eſt, quod quidquid vident alii in te, etiam à te videatur in ſpeculo, hac tamen differentia, ut illud, quod in te eſt ad dextram, in ſpeculo ſit ad ſiniſtram, & quod in te eſt ſitum ad manum ſiniſtram, ſit in ſpeculo ad dextram. v. g. Oculus & brachium tuum ſiniſtrum in ſpeculo ſunt ad dextram.

Verum dicetis, ſi illud quod video in ſpeculo ſit meus vultus, meum brachium, qui ſit ut in me ſit ad partem ſiniſtram, & in ſpeculo videatur ad dextram, cum enim ſit ipſummet meum brachium, deberet etiam in ſpeculo videri ad ſiniſtram & non ad dextram. Verum hoc reſpondeo ex illo provenire, quod in ſpeculo mutavetis ſitum, & habeas oppoſitum ſitum quem habes in te ipſo, ita ut ſi poſſes eſſe diverſus a te ipſo, & in aere te opponeres oculis tuis inſtar alterius Antiphorontis, revera etiam in aere videres brachium & oculum tuum ſiniſtrum ad partem dextram, & hoc quia in aere habes ſitum diverſum, & oppoſitum, quam habeas in te. Hinc concluditur in bona optica non videri in ſpeculo imaginem, ſed te ipſum, verum diverſo ſitu, & ideo pars ſiniſtra in ſpeculo videtur ad dextram. Hinc Opticus: *Formæ rerum permutatâ incedunt via, & contrariè reſpondent dextra ſiniſtrorſo, & dextrorſum ſiniſtra.* Nobiliſſimum contrapunctum.

Applicatio.

VIII. Nunc ad Virginem: *Egredere &c.* Speculum eſt ſanctiſſima Virgo, & Domina noſtra, ſpeculum puriſſimum & terſiſſimum ſine ulla macula, & hinc vocatur *ſpeculum ſine macula,* Speculum quod ad vivum exhibet ejus dulciſſimum filium qualis eſt in ſe ipſo. Speculum in quo ſe ipſum Deus videt cum omni ſua omnipotentia & excellentia. Hinc appellatur *Speculum ſine macula Dei majeſtatis.* Speculum quod repræſentat Deum non ſolum pompoſum per omnipotentiam & miſericordiam, ſed & per juſtitiam, unde & ab Eccleſia hic titulus Virgini tribuitur: Speculum juſtitiæ.

Sap. 7.

Ibid.

Per

Per partem dextram in ſacris Litteris juxta omnes Patres intelligitur gloria & beatitudo æterna, ſicut econtra per ſiniſtram infernus, & damnatio. Hinc reprobi deſtinati flammis ultricibus inferni ſtant ad ſiniſtram ſeveri judicis, electi vero ordinati ad gloriam ad dextram ejuſdem. *Statuet oves quidem à dextris, hados autem à ſiniſtris, tunc dicit Rex his, qui à dextris ejus erunt, Venite benedicti Patris mei poſſidete paratum vobis Regnum, à conſtitutione mundi. Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris erunt; Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.*

Matth. 25.

O miſeri Peccatores, jam per veſtras culpas damnati, veluti illi qui ſtant ad ſiniſtram ſuperni & ſeveriſſimi Judicis. Quid agetis miſeri? Jam eſtis à Deo reprobati. Jam veſtræ culpæ vos collocarunt ad ſiniſtram Dei. Jam illis promeruiſtis flammas infernales? Jam eſtis ſeparati ab Electis. Quid ergo facietis miſeri? an ſupereſt remedium veſtræ ſalutis? Quinimo, dummodo cum Electis eſſetis locati ad dextram. Sed quomodo ad illam poteritis collocari? Requiritur Artificium, cui debet applicari caput. O Virgo ſanctiſſima, exigitur tuum auxilium & juvamen. Niſi tu ſuccurreris, actum eſt. Tu ſola efficere potes, ut hi peccatores videantur ad dextram Dei. Tu Virgo benedicta es ſpeculum, quod repræſentat Deum judicem ſicut eſt in ſeipſo. Si itaque Deus oculos ſuos in te terſiſſimum ſpeculum conjiciat, videbit diſtinctè non ſui Imaginem, ſed ſeipſum, uti in ſe eſt, videbit ſeipſum, ſuam dextram & ſiniſtram, videbit peccatores & juſtos, videbit illis pœnam, his gloriam debitam; ſed dum ſeipſum vide in te ſpeculo ſine macula, videt ſe diverſo ſitu & quaſi alium à ſe. Cum ergo ſit verum, imo veriſſimum illud quod eſt ad ſiniſtram conſpicientis ſpeculum, videri in ſpeculo ad dextram. O Virgo ſapientiſſima, oppone te inſtar ſpeculi juſtitiæ Judici tremendo, ut reprobi peccatores, qui facto ſunt ad partem ſiniſtram Judicis ob eorũ de culpas, videantur in te ad dextrã. Et dum viderit ſeipſum, & reprobos in te ad partem dextram, non poterit minus, quin illis ſicut electis, & juſtis ſuper tuam Interceſſionem det gloriam. Nec alius eſt modus ſalvandi peccatores. Quinimo dicam te hunc in finem à Deo eſſe factam ſpeculum ejus Omnipotentiæ & ſeveræ Juſtitiæ, ut illi, qui per culpas ſuas ſunt ad ejus ſiniſtram, in te videantur ad dextram, & illis veluti electis detur gloria æterna; & ideo hædos peccatorum dixit eſſe tuos: *Pajce hados tuos*, ut per Interceſſionem tuam collocentur ad ejus dextram, *Quia eos &c.*

IX. Diſceſſerat Jacob è Meſopotamia, & cum pervenisſet ad *Vadum Iaboc*, præmiſit prolem, uxores, pecora, omnemque comitatum, & ſolus remanſit. Porro ingruente nocte, adeſt Deus in forma Angeli, cumque ad duellum provocat, Jacob generoſus acceptat, luctam, & totâ nocte pugnando, tam ſtrenuum ſe exhibet ut ab Angelo vinci non potuerit. Verum videns Angelus prodire auroram, percuſſit Jacob in femore, & ita eum læſit, ut deinceps ſemper claudicarit? Nihilominus valoroſus Jacob luctam proſequitur, nec deſiſtere, vel deſerere vult Angelum, quem arctè conſtrinxerat. *Qui cum videret, quod eum ſuperare non poſſet, tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit.* Videns itaque Angelus quod Jacob nollet deſiſtere, & jam prodiret aurora, quaſi laſſus cœpit ſe proclamare victum, rogans dimitti: *Dimitte me, jam enim aſcendit aurora.* Jacob animoſior factus noluit abſiſtere, ſed hoc modo proteſtabatur: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* Et Angelus ſi vellet dimitti, dedit ei ſuam benedictionem. *Et benedixit ei in eodem loco*, Magnum robur (NN.) & animoſitatem obſervo in Patriarcha ſanctiſſimo, ſed valde admiror dum video & audio Jacobum poſtquam totâ nocte dimicavit ad adventum auroræ, quando magis debebat eſſe feſſus, fortiorem & robuſtiorem ſe oſtenderat, ita ut Angelus eſſet primus, qui pacem peteret; *Dimitte me, &c.* Eſto, te reddiderim quaſi claudum, attamen non amplius poſſum reſiſtere, me agnoſco victum, permitte me abire, quia jam prodit aurora. Videmus ergo ad auroræ adventum prævaluiſſe Jacob, qui totâ nocte ſuccubuerat, vel ad minus Angelo non erat ſuperior, eſto in fine noctis fuiſſet factus claudus. Deus immortalis, quale eſt hoc myſterium? Angelus infatigabilis ſe proclamat victum ad ortum auroræ? Angelus invincibilis ſe dicit ſuperatum? Jacob fatigabilis & vincibilis, Angelo inferior, poſtquam totâ nocte dimicaſſet, & circa auroram debuiſſet eſſe feſſiſſimus & exhauſtiſſimus, nihilominus ſe robuſtiorem demonſtrat? Quomodo hic vigor, & robur ei communicatur ab aurora, *Dimitte me, &c.*? Quale eſt hoc Myſterium?

Scriptura. Geneſ. 32.

Divinè reſpondet Oleaſter: Dicit hic, in hoc duello Angeli, qui erat ſimbolum Verbi Incarnati, & Jacob qui denotabat peccatores, myſteriosè ſignificari duellum, quod gerit Deus cum peccatoribus in nocte præſentis vitæ. Per auroram quoque ſignificatur Maria juxta illud: *Cant. 6.* *Quæ eſt iſta quæ pregreditur quaſi aurora conſurgens.* Deus itaque totâ nocte præſentis vitæ dimicat cum peccatore dum huic exhibet miſericordiâ, & hic gravius eum offendit, ſed en in fine noctis hujus hoc eſt vitæ, videns Deus peccatorem abuſum ſua miſericordia, indignatus non vult ei ignoſcere, eum reddit claudum, & impotentem ad cælum. Sed en Maria velut aurora, & protectrix peccatoris cernens ejus neceſſitatem, comparet coram Deo, & ſua præſentia peccatorem debilem ita excitat, animat & reſtaurat, ut Deus tandem videns ſe ſuperatum & victum, conſtringatur per protectionem hujus ſanctæ auroræ ei ignoſcere, & dare ſuam benedictionem, & facere quidquid vult peccator roboratus protectione Mariæ. Hinc clamat. Dimitte me ô peccator, ceſſa pugnare, faciam quidquid vis, dabo tibi meam benedictionem, condonabo tibi peccata, & donabo te gloria. Dimitte me, quia roboratus ab aurora, factus eſtam fortis, ut non poſſim amplius te ſuperare & ad ortum hujus auroræ non poſſum ulterius reſiſtere tuis precibus & violentiis. Me agnoſco victum, inermem, debilitatum ad præſentiam hujus ſanctoſanctæ auroræ, Divinè Oleaſter. *Quod igitur magni teſtamenti Angelum victum ſe eſſe aſcendente aurora confitetur, nihil eſt aliud quod Chriſtus Mariæ aſpectu ſe eſſe infirmũ oſtendat, & peccatori dicat. Dimitte me, jam enim aſcēdit aurora.* *Oleaſt. ad hunc loc.*

Non poſſum amplius tecum pugnare, tibiq; reſiſtere, quia degis ſub protectione auroræ Marianæ, ad hujus ortum nil aliud poſſum quam tibi ignoſcere. Hinc videtis efficaciſſimam eſſe protectionem quàm gerit Maria circa obſtinatiſſimos & maximos peccatores. Sed quoniam cum aurora redimus è cælo, quæſo vos ne à cælo abeamus, imo rogemus à cælo ſubſidium illuſtrandi hanc nobiliſſimam ſcripturam.

Aſtrologia. X. Aſtronomi, qui omnia, quæ homini adveniunt etiam uſq; ad mortem volunt dependere à cælo, unanimiter aſſerunt, à prima domo cæli pendere totam conſtructionem vitæ, & a ſtatu proſpero, vel adverſo ejuſdem domus prædicũt bonam diſpoſitionem membrorum, nuttimentorum, ſanitatis, infirmitatis, morum & aliorũ, quæ homini in vita accidere ſolent, & maximè in teneris annis. Et ſicut in cælo aſſignant domum vitæ, ſic & aſſignant domum mortis. Verum in hujus aſſignatione non omnes conveniunt, nam aliqui dicunt domum mortis eſſe domum octavam cæli, alii ſeptimam, uti Cardanus Pontanus, & alii Aſtronomi inſignes, nec ſine fundamento; Nam ſi ex prima domo quæ eſt in aſcendente auguremur vitam illius qui naſcitur, ſic pro morte, quæ eſt contraria vitæ debet aſsignari domus oppoſita, atqui ſeptima directè opponitur primæ ergo &c. Hoc poſito dicunt Aſtrologi, ſi ſeptima domus fuerit fœlix, & habuerit ſecum aliquam ſtellam beneficam cum præſentia corporis Planetæ, vel alio fœlici aſpectu mors illius perſonæ, quæ habuerit talẽ configurationem ſtellarum erit fœlix, honorata, ſuavis & non violenta, nec dura. *Res mortis bene ſe habebunt, ſi altera fortuna erit in ſeptima.* Idem dicunt contingere ſi præſens fuerit Planeta Veneris. *Venus dat levitatem mortis, & removet malam, atque horribilem, omnia tragica mortis ſigna infringit, & tollit, mortemque tranquillam & placidam largitur.*

Econtra ſi ſeptima domus fuerit infeſtata à Planeta malefico Saturni & Martis, erit mors peſſima & ignominioſa. *Saturnus, & Mars in domo martis malam mortem deſignant.*

Addunt mortem fore fœliciſſimã, & honoratiſſimã, ſi ſeptima domus fuerit conſtellatio piſcium, & ratione dant dicendo Conſtellationẽ piſcium eſſe locum exaltationis Veneris, quæ ſemper eſt propitia ſuæ domui, & throno: Et quamvis Mars ex angulo medio ſupremi cœli aſpectu quadrato, malefico & irato minaretur mortem violentã per diſcerptionem membrorum, attamen benigna Stella Veneris in piſcibus ſita cum favore conſtellationis Virginis in Nativitate taliter mitigabit influxus iratos Martis, ut impediat mortem violentam, & inferat mortem ſuavem. Hinc dicunt: *Natus tunc non morietur malâ morte*

Applicatio. XI. Ad Mariam *Dimitte me* &c. Quod ſtella propitia Veneris ſignificetur amor indicibilis quo Maria flagrat erga genus humanum, & ſpecialiter miſeros peccatores expreſsè ſentit Eccleſia. Hinc eam beliſſimo Elogio decorat. *Mater Miſericordiæ. Refugium peccatorum. Conſolatrix afflictorum.* Per piſces adumbrantur Peccatores, qui inſtar piſcium ſemper natant & merguntur in aquis concupiſcentiarum & mille vitio-

vitiorum. Hi piſces tandem perveniunt ad ſeptimam domum mortis, ad finem vitæ, & tunc in cardine medio ſupremi cœli reperitur Mars iratus, hoc eſt Deus Judex aſper & terribilis, qui influxibus ſuæ ſeveræ juſtitiæ oſtendit, minatur piſcibus, hoc eſt, miſeris peccatoribus mortem crudeliſſimam, violentiſſimam, infœliciſſimam damnationem æternam. Quam rigidum iratum ſe oſtendit Deus iis, qui toto tempore vitæ natarunt velut piſces in aquis peccatorum, & in tali ſtatu pervenerunt ad articulum mortis! O miſeros piſces, O infœlices peccatores! Quid agetis in illo articulo dum ſeverus Mars ſupremi Judicis, qui *Apparebit in nubibus cum poteſtate magna & Majeſtate*, tam torve vos aſpiciet? Quos influx⁹ poteritis exſpectare, niſi indignationum ſeverisſimæ juſtitiæ, mortis horrendiſſimæ, infœliciſſimæ, & æternæ damnationis? O miſeri, quid in illa ſeptima domo, in illo articulo mortis agetis? *Luca 21.*

O Virgo ſanctiſſima, aliud non reſtat remedium his miſeris piſcibus quam ut recurrant ad te, quæ es *Refugium peccatorum*. Nil aliud agendum eſt, quam recurrere ad tuam pietatem, clementiam, miſericordiam veluti quæ es benigniſſima non ſolum ſtella matutina, quæ favet noſtro adventui in mundum, ſed etiam veſpertina quæ nos comitatur in occaſu & morte.

Tu es illa, quæ protegis *nunc*, ſed ſpecialiter *in hora mortis noſtræ*. Tu es illa lucidiſſima Stella, quæ exaltatur in piſcibus, quæ tunc oſtendit ſuam vim, Majeſtatem, Triumphum, Miſericordiam erga piſces, hoc eſt peccatores, quando ſunt in ſeptima domo, in articulo mortis. Tu es illa ſtella benefica, quæ temperat, & mitigat influxus Martis, pura ſeveri Judicis Dei in occaſu noſtræ vitæ. Tu es illa propitia ſtella, quæ ſe opponit Deo nobis juſtè irato. Tu es illa, quæ teſte meo Seraphico Patre in tuo Pſalterio. *In furore Dei non ſinis corripi nos, neque in ira ejus judicari.* Tu es illa, ad cujus compatitionem in conſtellatione piſcium ſuo modo Mars aſper ſeveri Judicis Dei debilitatur, & cogitur dicere ad Jacob peccatorem *Dimitte me, &c.* Dicat itaque Oleaſter, *quod Chriſtus Mariæ aſpectu, &c.* *D. Bonaventura.*

XII. Chriſto in Crucem acto legimus, quod Latro, qui ad dextram innocentis agni pendebat, ad Salvatorem verſus ſic eum rogarit: *Memento mei dum veneris in Regnum tuum.* Et ſcimus ita referente Evangeliſta eum optimum retuliſſe reſponſum: *Hodie mecum eris in Paradiſo* & tandem ſalvatum eſſe. Subintrant hic ſancti Patres, & curioſè quærunt, quo modo ſit ſalvatus. Mi Deus, & in hoc facto ubi eſt tua juſtitia? Uni Latroni, uni homicidæ, qui tot annis ad minus triginta duobus, vel triginta tribus nil aliud egit, quam ſpoliare viatores, eos occidere, committere furta, homicida cum tanto damno proximi, tali inquam in articulo mortis adeo propitium te exhibes, ut eodem die illi promittas Regnum cælorum. *Hodie mecum?* Forſan dices quod abſque intuitu demeritorum ejus voluerit ei præbere hanc gratiam? Cur ergo & eam non feciſti & alteri Latroni crucifixo ad finiſtram, qui forſan pauciora ſcelera patrarat? Dices forſan, prout dicit ſanctus Vincentius Umbram tuam dum in cruce penderes, tetigiſſe latronem, fuiſſeque tantæ efficaciæ, ut latro moveretur, & converteretur? Idem mi Domine feciſſet alter, ſi eâdem umbra tactus fuiſſet. Dices forſan, prout volunt Hieronymus, Auguſtinus, & alii, eum ſalvatum, quia audiens illa verba: *Pater ignoſce illis.* In ſpem aſſurrexit, ſe convertit & ſalvatus eſt? Optimè, verum cum converſio ſit opus tuæ omnipotentiæ, opus quod à te dependet, ſi voluiſſes, idem alter feciſſet. Dices forſan bonum Latronem, cooperatione ſuæ correſpondiſſe ſuis bonis inſpirationibus, malum vero fuiſſe obſtinatum? Scis bene Domine mi id, quod docent Theologi cooperationem eſſe quidem opus noſtrum, ſed principaliter tuum qui ejus es motor principalis, unde ſi alter habuiſſet tuam gratiam efficacem, fuiſſet etiam cooperatus & ſalvatus. Ne fatigemus nos ulterius dicit Petrus Damianus indagando, cur unus ſit ſalvatus, alter non. Omnes quidem bene reſpondent, ſed ego dico, quod fuerit ſalvatus per protectionem Mariæ. Hic ego replico, qualia merita habuit, ut Virgo voluerit ejus eſſe protectrix in articulo mortis? *Ser. 6. in Paraſc. 5*

Divinè reſpondet Petrus Damianus, ut refert Salmeron: Recordariſne, quando Virgo cum Sponſo ſuo, & pueto Jeſu fugit in Ægyptum? dum iter agerent per deſertum, inciderunt in quoſdam Latrones, inter quos & hic erat. Alii voluerunt ſpoliare hos pauperes viatores, ita ut Beata Virgo eſſe valde afflicta. Bonus itaque Latro pietate motus erga Virginem, miſerum ſenioulum, & tenerrimum infantem, tã- *Tom. 1. tract. 47.*

Scriptura. Luca 23.

tum egit apud alios, ut liberi dimitterentur, & nemo vel in minimo, his ſanctis itinerantibus noceret. Virgo igitur videns hunc miſerum cum Chriſto crucifixum, memor beneficii recepti, grata eſſe voluit, & ſeſe interponens inter Chriſtum & Latronem tam conſtanter, & efficaciter filium pro illo miſero in illo articulo mortis rogavit, ut filius ei daret gratiam efficacem, mediante qua ſalvatus eſt. Divinè Damianus: *Idcirco reſipuit bonus Latro, quia B Virgo inter Crucem filii, & Crucem Latronis poſita, filium pro Latrone deprecabatur, hoc ſuo beneficio, antiquum Latronis obſequium recompenſans.*

Petr. Damian.

Videte quam ſit efficax Protectio Mariæ erga miſeros Peccatores in articulo ſingulariter mortis.

Medicina. XIII. Hippocrates volens docere diſcipulos, quamdiu ſint duraturæ febres & an ſint fatales, vel non, dicit hoc eſſe deſumendum ex diebus morbi & ſignis, quæ in illis habentur. Verum cum febres ſint diverſæ, non omnes habent eadem ſigna, nec iidem dies in omnibus obſervandi ſunt. Et ſicut aliquæ ſũt ſimpliciſſimæ, id eſt, mitiſſimæ, aliæ peſſimæ & acerrimæ, ſic ſigna in utriſque ſunt certiſſima & evidentiſſima, ex quibus certo concludi poteſt, quod brevi terminabuntur, peſſimæ quidem in mortem, ſimpliciſſimæ in ſanitatem & hoc quarto, vel etiam forſan tertio die. Hinc Hippocrates: *Simpliciſſima enim febres, ac ſignis firmata ſecuriſſimis quarta die, aut citius deſinunt; deterrimæ autem & ſignis firmatæ difficillimis quarto die, aut citius interimunt.*

In pronoſ. l. 3 Aphoriſ. 2.

Sed ſi quæreres ab Hippocrate, ſi febris duret ultra quartum diem, unde ſciri poſſet an ſit fatalis, vel non, reſpondebit primum impetum febris deſinere dicto modo, tertio, vel quarto die, & ſic hos dies in febribus criticos & decretorios, quia tunc fit mutatio in morbo ſubita, ſive ad ſalutem, ſive ad mortem. Sed ſi febris duret ultra quartum diem, ſecundus impulſus producitur ad ſeptimum diem & ſi duret, ultra ſeptimum ad undecimum & ſi duret ultra hunc, ad decimum quartum, & poſtea decimum ſeptimum, & tandem ad vigeſimum orbis acutiſſimis. Hinc Hipocrates ſupra. *Itaque primus impetus hunc in modum finitur. Secundus vero ad ſeptimũ producitur, tertius ad undecimum, quartus ad quartum decimum, quintus ad decimum ſeptimum, ſextus ad vigeſimum,* & concludit: *Hi igitur ex morbis acutiſſimis per quatuor ad viginti ex additione terminantur.*

Aphoriſ. 8. ſupra.

Quod ſi itaq; febris acuta non deſinat quarto die, ſeptimo die colligere licet an febris ſit fatalis, vel non, ſi nec ſeptimo deſinat, undecimus feret ſententiam num infirmus ſit moriturus, vel ſanandus & ſic conſequenter. Vult itaque Hipocrates ſuperato quarto die omnem ſeptimum diem eſſe criticum & decretorium, & omnem quartum eſſe indicativum ſeptimi. Hinc ait: *Septenorum quartus eſt judex. Alterius ſeptimana octavus principium, eſt autem & undecimus contemplabilis, ipſe enim quartus eſt alterius ſeptimanæ. Rurſus vero & decimus ſeptimus contemplabilis. Ipſe ſiquidem quartus eſt à quarto decimo. Septimus vero ab undecimo.*

Lib. 2. Aphoriſ. 22.

Igitur ex quarto die, ſive is ſit primus quartus dies, ſive ſecundus, h. e. ex prima, ſecunda, vel tertia ſeptimana, & ſic conſequenter cognoſcitur quid futurum ſit ſeptimo die primæ, ſecundæ, vel tertiæ ſeptimanæ. Nam ſi quarto die ſint ſigna bona bene res ſe habet, ſi inquam v. g. infirmus faciliter reſpiret, ſi non doleat, noctu bene dormiat, ex hoc quarto die licet cognoſcere infirmum, ſeptimâ die convaliturum, vel ſaltem non moriturum. Sed ſi quarto die ſigna ſint peſſima utpote ſi difficulter reſpiret, deliret, ſit inquietus, ex continuo vigilet, ſignum eſt quod ſeptimo die ſit moriturus, vel pejus habiturus. Quartus igitur dies indicat, quid ſeptimo futurum ſit. Hinc dicit *Septenorum*, &c.

XIV. Nunc ad Virginem: *Memento mei*, &c. *Hodie mecum*, &c. Per numerum ſeptenarium, qui eſt numerus perfectionis Philo, & omnes alii intelligunt totum curſũ noſtræ vitæ. Sic Pier. Valer. Septenarius numerus totius humanæ vitæ curſũ ſignat, & id probat ex Levitico, ubi ſic præcipit Deus: *Septem* diebus comeditis azima, ut ſignificaret nos per totã vitã debere eſſe putos, & mundos à peccatis juxta illud Apoſtoli: *Epulemur non in fermento veteri, neq; in fermento malitiæ, ſed in azimis ſinceritatis, & veritatis.* Perinde ac diceret; nos debere abſtinere à fermento peccatorũ, & veſci azimis ſinceritatis & veritatis, non per aliquod tempus, ſed ſeptem diebus prout Deus præcipit: *Omni veſtrã vitã ab hujuſmodi pravitatis fermento mundi eſſe debemus.* Per numerũ itaq; ſeptenariũ intelligitur dies judicii, tã particularis, quã univerſalis. Hic dies eſt decretorius, quia in illo Deus fert ſententiam

Applicatio.

Lib. 35. Hierogl.

1 ad Cor 5.

vitæ

vitæ aut mortis. Per quartum diem ego credo intelligi debere Virginem noſtram Dominam, quia juxtà Auguſtinum : Quælibet perſona in divinis eſt una dies : *Pater dies eſt, Filius eſt dies, Spiritus ſanctus eſt dies.* Cùm autem ſit vetum, quod Virgo ſit complementum totius Trinitatis, illa erit dies & quidem quarta. Hoc poſito vultis ſcire quomodo ſe habebit veſtra anima die ſeptimo & in fine vitæ ? Vultis cognoſcere num negotium veſtræ ſalutis in articulo mortis declinaturum ſit in veſtrum bonum vel malum? Vultis ſcire an ille articulus ſit vobis ad vitam vel mortem ? Obſervate quomodo nunc vos habeatis cum quarto die, puta Maria. Attendite, an hic quartus dies ſit vobis propitius & bonus, an verò adverſus & noxius, quia hic dies eſt inditiù diei veſtræ ſeptimæ articuli mortis, criſis & judicii Dei, quia ſeptenorũ quartus eſt judex. Et nemo ſalvatur niſi habuerit ſibi propitium hunc quartum diem Mariæ, quod ſi ſic eum habuerit, ſeptimus etiã ſalutaris erit. Hinc Richard. à S. Laurentio : *Quis apud filium illum accuſare audeat, cum Matrem viderit patrocinantem ? & ſi Maria pro nobis, quis contra nos ? & ſi ipſa eſt quæ juſtificat ? quis eſt qui condemnet.* Lib. 2. part. 1.

Sed obſerva hunc quartum diem Mariæ eſſe bonum indicium pro die ſeptimo, ſi bona ſigna concurrant. Quod ſi ſigna ſint peſſima, neſcio quomodo habebis tibi faventem criſin judicii. Si tibi ſit tempus in hac vita faciliter reſpirandi ad Deum, petendi veniam tuarum culparum, ſi faciliter ſuſpires ad Virginem petendo ejus auxilium, habendo erga eam devotionem. Si non delires aprehendendo malum pro bono, & bonum pro malo, ſed rectè diſcurras judicio ſano apprehendendo verum bonum, & fugiendo verum malum. Si fueris pacificus, quietus, modeſtus, circumſpectus in tuis actionibus, potes eſſe ſecurus tibi bene fore cum quarto die Mariæ, nec ſeptimo periturum. Sed ſi ſigna non faerint talia, ſi non fueris quietus, modeſtus, morigeratus, ſi ſe non bene habueris cum Maria, aſſecuro quod in articulo mortis, criſis & Dei judicium non tibi cedent ad ſalutem ; ipſa enim certiſſimè adjuvat ſibi devotos, ſed indevotis & ad eam non confugientibus, quomodo poſſit ſuccurrere in articulo mortis, ignoro. Videſne bonum latronem ? Hic bene ſe habuit cum quarto die Mariæ, cum enim illam ejuſq; ſponſum & filium Jeſum à periculo liberaſſet, ideò meruit, ut B. Virgo ei impetraret ſeptimo die & in articulo mortis. *Idcircò reſpuit, &c.* Et quamvis aliàs eſſet dignus morte, tamen meruit audire à Protomedico Chriſto : Ne timeas fili, criſis tua ſeptimæ diei tibi cedet ad ſalutem, & non ad mortem, *Hodie mecum eris, &c.* Quia quarta dies meæ ſanctiſſimæ Matris cum qua te bene habuiſti, eſt certum indicium tuæ ſalutis. O Virgo ſanctiſſima ! vera & unica Protectrix peccatorum, quæſo ne reſpicias noſtra demerita & culpas, ſi enim illas reſpexeris, quis noſtrum poteſt ſperare tuum juvamen : Attende Mater ſanctiſſima, quod nobis ſemper fueris conſtellatio fœliciſſima Virginis, quæ non ſolùm in noſtro ortu & toto tempore vitæ, ſed quod plus eſt in articulo mortis nos protegis, nobiſque faves. Conſidera Virgo benedicta, quod à filio tuo in Cruce inſtituta ſis noſtra mater, tutrix, & data iis miſeris peccatoribus, qui carent tutore, tutrix Attiliana, ita etiam ut juviſſes Judam, filii tui traditorem, niſi mortem ſuam acceleraſſet, antequam fieres tutrix. Epilogus.

Recordare, quod Deus tibi commiſerit hædos peccatorum, & quod hos ſingulariter tuæ commendãrit cuſtodiæ, ut tu inſtar ſpeculi terſiſſimi comparens, coram judice irato, facias videri ad dextram gloriæ illos, qui deſtinati erant ad ſiniſtram damnationis.

Memineris te eſſe illam auroram, quæ dum oreris, ita corroboras Jacob peccatorem dimicantem cum Deo, ut hic cogatur ſe fateri victũ, & dare ei benedictionem. Sed non miror ; es enim ſtella matutina benevolentiſſima, quæ commorans in domo piſcium peccatorũ, dum hi reperiuntur in ſeptima domo & articulo mortis, ita tuis benignis influxibus temperas influentias adverſas irati Martis judicis ſuperni, ut non permittas peccatores incurrere mortem infamem, duram & violentam, ſed jucundam, ſuavem & honoratam cœli.

Nec ulterius pergere auderem, niſi viderem illum latronem crucifixum ad dextram Chriſti in tantum ſalvatũ, in quantum tu fuiſti ei propitia & benigna, & ſignum certiſſimum eſt, infirmos peccatores ſeptimo die judicii habituros criſin ſalutis ſibi favorabilem, & ſalvandos, ſi tu quarta dies, ſis illis bonum indicium, nam non poteſt perire, qui tecum bene ſtat, & quem tu protegis. Hanc protectionẽ Virgo ſanctiſſima, nos miſeri Peccatores rogamus, nunc & in hora mortis noſtræ. Amen.

ELOGIVM XXXIV.

Pro Feſto S. Andreæ Apoſtoli.

Cornua in manibus ejus, ibi abſcondita eſt fortitudo ejus, &c.
Habacuc. cap. 3.

Aſtronomia.

ASTronomi eruditiſſimi in cognitione ſphæræ mundi docent, hanc grandem Machinam, inſtar rotæ volvi in orbem circa lineam, ab ipſis in cœlo fictam & vocatam Axis, quæ ab una extremitate circumferentiæ tranſit per centrum ejuſdem ſphæræ ad alteram extremitatem. De hac linea cecinit Poëta Manilius:

Manil.

Aera per gelidum tenuis deducitur axis
Libratumque gerit diverſo cardine mundum;
Siderius medium circa quem volvitur orbis.

In extremitate lineæ hujus reperiuntur duo puncta vocata à Profeſſoribus hujus artis *Poli*. Horum unum eſt ſuperius, & vocatur Polus Antarcticus, Auſtralis, Meridionalis. Vocatur Antarcticus, quia è Diametro opponitur alteri, qui vocatur Arcticus, & ſicut ille dicitur Auſtralis & Meridionalis Tum quia eſt in illa parte, è qua perflat Auſter, tum quia ſituatur in parte Meridionali, ſic hic dicitur Borealis & Septentrionalis, quia eſt in illa parte ſphæræ, ex qua perflat Boreas, tum etiam quia in illa parte cœli ſunt ſeptem ſtellæ, quæ motu valde lento moventur & formant conſtellationem Urſæ. Hi duo Poli ſeu cardines ſunt ſemper immobiles in cœlo, ſicut & linea, quæ ab illis terminatur, in quorũ orbem tota movetur ſphæra.

Arcticus nunquam occidit Europæis; & ab his ſemper videtur, Antarcticus autem nunquam occidit Antipodibus, & nunquam videtur ab Europæis, ſicut Arcticus ſemper occultatur Antipodibus. Hinc cecinit Virgilius.

Hic vertex nobis ſemper ſublimis, at illum
Sub pedibus Styx atra videt, Manesque profundi. *Georg. 2.*

Virg.

Utrumque Polum diligentiſſimè obſervant Nautæ, & juxtà hos ad ſtuporem dirigunt ſua itinera in vaſtiſſimis Oceanis. Sed quomodò amabo hæc puncta cœli, ſi ſint inviſibilia, poſſunt regulare itinera Nautarum? Reſpondent quod illi, qui vident Polum Arcticum, dirigantur à quadam ſtella viciniſſima iidem polo, & ſituatæ in extremitate caudæ Urſæ minoris, illi verò, qui vident Polum Antarcticum regulant ſuum iter juxtà ſtellas, quæ formant belliſſimam Crucem, & vocantur *Cruciformes*.

Sed ſcire percuperem, an quilibet horum Polorum ſit regula æqualiter & indifferenter omnibus Nautis, & dico quod non, nam Polus Arcticus eſt tantùm Regula illis, qui navigant in mari reſtricto intra lineam Æquinoctialem, & eundem Polum ab illis viſum, & Lancea Magnetis cuſpide tacta ſemper movetur verſus hunc Polum Arcticum. Sed Polus Antarcticus ſolùm dirigit navigantes per maria ſubjecta alteri Hemiſphærio, ab altera parte lineæ æquinoctialis, inter hanc lineam & ipſum Polum Antarcticũ, & quando lanceola Magnetis pertranſiit aliquatenus lineam æquinoctialem non declinat amplius verſus Arcticum, ubi eſt conſtellatio Urſæ, ſed verſus Polum Antarcticum, ubi eſt conſtellatio cruciformis. Hinc videmus ab utroque Polo dirigi navigationes Hemiſphærii ſuperioris & inferioris, atq; ſiſti & pelli acum Magnetis, ut ſemper verſus illos Polos declinet.

II. Sphæ-

Applicatio.

II. Sphæra eſt humana natura ex duabus partibus compoſita ſuperiori & inferiori, veluti duobus hemiſphæriis conjunctis. Duo Poli Cardines movent hanc grandem machinam, Arcticus & Antarcticus, Puta Chriſtus & Dæmon. Antarcticus eſt Chriſtus, qui eſt ſuperior, Arcticus Dæmon, quia eſt inferior. Chriſtus eſt Antarcticus, quia Auſtralis & Meridionalis, à quo perflant Auſtri divinarum miſericordiarum. *Veni auſter perfla hortum meum.* Arcticus

Cant. 4.

eſt Dæmon quia Borealis & Septentrionalis à quo ſpirant frigidi Aquilonates culparum. *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Polus Antar-

Hierm. I.

cticus eſt Chriſtus, quia amore & charitate inflammatus. *Deus Charitas eſt.* Arcticus eſt Dæmon, quia totus gelu & frigus. Arcticus eſt Dæmon, quia totus gelu & frigus. Arcticus quia motus ab Urſis & Draconibus ſcelerum & concupiſcentiarum. Chriſtus eſt Polus Antarcticus, quia ſignatus & motus à *Cruciformi* ſanctiſſimæ Crucis. Dæmon eſt Polus Arcticus, quem incolunt homines dediti ſuis beſtialibus appetitibus. Chriſtus eſt Polus Antarcticus, quem inhabitant illi, qui amando Chriſti crucem reſiſtunt propriæ carni, Dæmon eſt Arcticus, quia ab illo regulantur, qui ſubduntur parti inferiori ſenſuum. Chriſtus eſt Antarcticus, quia dirigit illos, qui ſequuntur portionem ſuperiorem rationis. Arcticus Dæmon, ad quem declinant omnes illi, qui obediendo appetitui proprio non habent aliam regulam in ſuis actionibus, quàm concupiſcentias carnis. Chriſtus Antarcticus verſus quem moventur illi, qui nil aliud ſpectant, quam gloriam crucis Chriſti. *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Polus Arcticus Dæmon, quia quò efficacius dominatur ſuis ſequacibus, eò minores illis addit vires in operibus pravis, Deo contrariis. Antarcticus eſt Chriſtus, qui ſervos ſuos ſemper magis confortat, roborando eos in virtuoſis actionibus, Dæmoni totaliter contrariis.

Ad Galat. 5.

Incola hujus Poli Antarctici fuit Valoroſiſſimus, glorioſiſſimus Apoſtolus Andreas ſemper Chriſti Diſcipulus. Ab eo tempore quo vocatus eſt à Chriſto: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum,* ſemper navigavit & habitavit ſub Polo Auſtrali & meridionali hatitatis Chriſti, tanquàm verus amator illius. Hinc Andreas juxta Bernardum, idem eſt ac totus ignitus. Intrepidum ſemper ſe exhibuit in navigatione prædicationis Evangelii, quantumvis periculoſa. In hac tot agitatus eſt fluctibus, tot tempeſtates probavit, quot contradictiones habuit, ſuperavit & vicit contra inimicos Chriſti, ejuſque ſanctæ legis, quam in Achaia prædicavit. Semper animoſus & invictus gubernavit hanc navem, eſto furentes venti & minæ Proconſulis Ægeæ viderentur illam velle mergere & ſepelire ſub martyriis.

Ser. in Vigil. S. And.

O valoroſiſſime Nauta, O fortiſſime Andrea, & unde tibi tantus valor, ut adeò conſpicuus & glorioſus fueris redditus mundo? Si reſpiciam Polum, ſecundùm quem regulaſti tuam navigationem, ceſſabunt ſtupores. Tuus Polus fuit *Cruciformis*, Crux Chriſti à te ſemper prædicata, exaltata, honorata, adorata & portata in corde. *O bona crux diu deſiderata, ſolicitè amata, & ſine intermiſſione quæſita, & jam concupiſcenti animo præparata.* Hanc ſemper ſpectâſti tanquàm unum Polum Antarcticum, hic te reddidit intrepidum, animoſum, conſtantem & lætum in tua periculoſiſſima navigatione. *Securus & gaudens venio ad te,* nam non poteſt niſi ſecurè navigare, qui ſicut tu, dirigitur à *Cruciformi* Chriſti: O fortiſſime Apoſtole robora linguam meam, ut in hoc meo diſcurſu à tua cruce directa mundo oſtendat tuum invictum animum, quo meruiſti dignitates à Chriſto & poſſeſſionem Paradiſi: hæc erit materia mei diſcurſus.

In ejus Vita.

ASSUMPTUM.

Sanctus Apoſtolus Andreas, ſicut à cruce accepit ſuum valorem, ſic per illam obtinuit honoratiſſimos titulos & poſſeſſionem Paradiſi.

Scriptura.

III. Poſtquam Moyſes Ægypto egreſſus perveniſſet ad deſertum Sin, locum ſteriliſſimum & omnibus carentem, ita ut nec hauſtulus aquæ in illo haberi poſſet, ſcimus quod Moyſes binis vicibus percutiens duriſſimam petram, illa virga tot prodigiorum patratrice abundantiſſimè populo Dei proviserit *Cumque elevaſſet Moyſes manum percutiens Virgâ bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ.* Hic obſervate ſcripturiſtæ, aquas e ſilice manaſſe non ad primam, ſed ad ſecundam percuſſionem. Duo in hoc facto me valde angunt. Primum quod è lapide, è marmore aquas & quidem in tanta copia effluxerint, ut ſuffecerint imò ſuperfluæ fuerint populo adeò

Num. 20.

numeroſo, ejuſq; armentis & pecoribus. Quod fons, lacus, flumen, mare præbeat aquas, non eſt mirum, ſiquidem illas in ſe continent, ſed quod id faciat petra duriſſima, quæ cum aquâ careat, eam non poteſt ſcaturire, eſt ſtupor adeò magnus, ut excedat omnem intellectum, qui non poſſet capere quomodo id ſit poſſibile. Et ut verum fateat, ego aliud dicere non poſſum, quàm quod id fuerit opus excelſi Dei. Secundum non eſt minoris conſiderationis, quod ſcilicet lapis bis fuerit percuſſus ut redderet aquas: *Percutiens bis ſilicem*, &c. Si hæc ſcaturitio aquarum ſit prodigioſa, meo judicio debuit ſcatutire ad primam percuſſionem, cum ſecundâ non fuerit efficacior primâ. Cur ergò hoc non eſt factum. Addo ſi Deus hoc prodigio volebat carpere populi exiguam fiduciam & confidentiam, quam in ſe habebant, videtur quod ad primam percuſſionem debebant manare aquæ. Præterea non capio quomodo Moyſes percuſſerit hanc petram, ignoro enim, an percuſſerit eam elevando Virgam, & dein eam deprimendo, prout ordinarie percutere ſolemus, an verò per lineam tranſverſalem. S P. Macharius Philadelphius reſpondet: *Semel & iterùm percuſſit, non quidem eadem figura ictu illato, ſed in ſpeciem Crucis, primo ictu directè librato, ſecundo obliquè & tranſverſim.*

Orat. de exhor. Crucis.

Sed hic novum exurgit dubium, cur Moyſes ut eliceret aquas è petra, percuſſerit eam, bis formando ſignum crucis. An abſque hac formatione crucis, petra non dediſſet aquas?

Reſpondet idem Sanctus, Petram carentem aquâ, ut tam ubertim illas daret, bis debuiſſe percuti, nam ſemel percuſſa, non fuiſſet percuſſa in forma crucis, ideò non dediſſet aquas, eſto centies & millies fuiſſet percuſſa per lineam rectam, quia ex nulla percuſſione fuiſſet formatũ ſignum ſanctiſſimæ crucis. Verùm dum primò Moyſes eam percuteret per lineam tranſverſam formata fuit crux, quam lapis videns tranſcendens ſuas vires & conditionem, ubertimè aquas dedit. Hinc homo diſce efficaciam crucis, quæ creaturam ſupra vires ſuas potentem reddit. Mirè Macharius: *Quod ſignum petra conſpicata, & quæ ſuprà ſuam naturam erant, præſtitit, & quæ non habebat, præbuit.*

Tanta eſt virtus ſanctiſſimæ crucis, & tantum robur confert hominibus illa ſignatis, ut illos reddat ſuperiores ſe ipſis, & operati faciat ſupra proprias vires. Ad hoc ſignificandum Petra aliàs ex ſe carens aquis percuſſa in formâ crucis, aquas dedit. *Quod ſignum &c.*

Eundem effectũ prodigioſum crux in S. Andrea operata eſt. Quis neſcit NN. quod hic Apoſtolus ratione humanæ naturæ debuerit pavere & timere minas Tyranni Ægeiæ, & conſternari ad pronuntiationẽ ſententiæ, quod deberet cædi virgis? Quis neſcit, quod ratione humanitatis debuerit timore exhauriri, videns lictores paratos ad ſe cædendum, & dum tam diris flagellis exciperetur, ſine dubio timere debebat ſed crux Chriſti, quam in corde portabat, quamque ſemper ante oculos habebat, tantum ei dedit animum, ut ſupra proprias vires robuſtior appareret. *Cernens à longè ſibi paratam crucem exclamavit. Antequam te aſcenderit Dominus timorem terrenum habuiſti, modò verò amorem cœleſtem obtinens pro voto ſuſcepto.* *Lipello de ex Sur.*

IV. Profeſſores Aſtronomiæ, qui degentes in terra percurrunt cœlum, dum agunt de duodecim ſignis Zodiaci, inter alia aſſerunt, quod ſingulariter in corpus humanum habeant particularem influxum, & prædominium. Et ſicut ſunt in corpore noſtro multa membra, & in Zodiaco multa ſigna, ſic volunt illas conſtellationes dominari membris noſtris. Et quia in Zodiaco primũ ſignũ eſt aries, & in noſtro corpore prima pars & primum membrum eſt caput, ideò dicunt quod aries dominetur capiti, & à bona diſpoſitione illius ſigni tempore nativitatis volunt dependere bonam diſpoſitionem capitis humani. Et quia Planetæ habent proprium domicilium in iis ſignis, cum quibus in qualitatibus conveniunt, & Mars habitet in ſigno Arietis, ideò dicunt Martem prædominari capiti hominis, & ſic conſequenter diſcurrunt de planetis prædominãtibus membris corporis humani. *Aſtronomia,*

Portò veniendo ad ſignum Geminorum, quod tenet tertium locum in Zodiaco, docent illud præſidere & prædominari humeris, brachiis & manibus Et quia Mercurius eſt Dominus hujus ſigni, cum hic ſit domicilium domus & habitatio illius, ideò Mercurius dominatur humeris, brachiis & manibus. A bona itaque diſpoſitione Mercurii & Geminorum, augurantur Aſtronomi bonam diſpoſitionem membrorum in corpore humano, puta robur, agilitatem & ſanitatem, ſicut è contra è mala diſpoſitione & debilitate illarum ſtellarum

pravam

pravam disposition em, debilitatē illarum partium. Hinc Julius Maternus: *Caput hominis in Arieta est, Cervix in Tauro, humeri in Geminis.* Voluit teste Joviniano Pontano significare præfata signa prædominari illis partibus, sicut & illis prædominantur Planetæ, qui habent domicilium proprium in illis constellationibus. Hinc subjungit Pontanus cum aliis Astronomis. *Mercurius scapulis, brachiis & manibus præsidet Geminorum gratia.* Ego hic ulterius scire averem, quomodo hoc signum geminorum in cœlo formetur? Observate Characteres, quibus efformatur in sphæra materiali & videbitis, quod in forma Crucis. Idcircò Lacedemones hic in terra exstruentes simulachrum Geminis, duo ligna ejusdem rectitudinis duobus aliis lignis æqualis longitudinis transversim imposuerunt, sic ut efformârint insignissimam Crucem. Hoc modo Gemini apparuerunt Locrensibus, ut refert Cattarrus ad Lacum Regillum in victoria, quam reportavit à Latinis Aulus Posthumius dictator, uti attestantur Valerius Maximus, Plutarchus & alii, prout videre est in nonnullis antiquis Monetis hac occasione cusis, in quibus repræsentabatur constellatio & signum Geminorum cum his signis in forma Crucis efformatis.

Lib. 2. c. 27

Lib. 3. de reb. cœl.

V. Nunc è cœlo redeamus ad Apostolum S. Andream in terra crucifixum. *Cumque elevasset &c.* quod per humeros, brachia, manus, apud Symbolicos significetur robur, vis, fortitudo, non solum corporis, sed & animi notius est & clarius, uti symbola & hieroglyphica demōstrabunt. Hinc debet dici, quod S. Andreas fuerit in humeris, brachiis, manibus valde bene dispositus & fortis, ita ut ei apprimè convenerit inscriptio, *agere & pati*, quia ut ex Ethimologia deducitur, Andreas idem est ac forissimus. Fortissimus in operando, quia in ministerio Apostolatus, & prædicatione Evangelica, ac magnificatione Crucis coram Ægæa se intrepidum demonstrat: *O si velles*, inquam, *divinissimum Crucis mysterium agnoscere.* Fortissimū coram Tyranno, cujus minas flocci duxit, dicens: *Non per audaciam*, sed per fidem, pœnā non timeo mortis. Quinimò, omnia supplicia, terrores, injurias velut fumum & umbram habuit, & Christianis volentibus eum apud Ægeam defendere dixit. Humanus terror, & injuriæ, & supplicia fumo sunt similia, quæ excitata subitò evanescunt.

Applicatio.

Fortissimus fuit in patiendo, quia videns crucē summo gaudio & indicibili jubilo est affectus, ita ut aliud nihil desiderare se ostenderet, quàm Cruci affigi. *O bona Crux diu desiderata, & jam concupiscenti animo præparata. Securus & gaudens venio ad te.* Fortissimus in patiendo, è Cruce enim prædicavit, populis maxima energia, imò victoribus volentibus eum jussu Ægeæ è Cruce deponere, intrepidè respondit. Ego hinc vivens in corpore deponi non potero. Præterea suum Dominum & Magistrum sic rogavit. *Ne permittas me ex hac Cruce deponi, nisi prius spiritum meum susceperis.* O invictissimum, ô robustissimum, ô fortissimum Andream! Quam bene opera tua & martyrium correspondet tuo nomini.

Sed unde, O glorioſe Apostole tibi tantum robur & bona dispositio humerorū & brachiorum, & tam invictus animus, tum in cruce invenienda, tum in illa sufferenda & portanda? ô fortissime Apostole, & quis non videt totum hoc provenisse à constellatione Geminorum rectè conjuncta, ac à Mercurio æquè fæliciter collocato in cœlo pro bono tuo? Hic Mercurius qui tibi è cœlo favet, est Verbum divinum, Filius æterni Patris, tuus Magister Jesus habitans in Geminis, seu in signo duorum lignorum ex transverso conjunctorū, volo dicere in signo Geminorum Crucis, ab hoc superno Mercurio accepisti tantum honorem & vigorem. *O bona Crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini susceptisti.* Hæc constellatio Geminorum formata ex duobus lignis transversim positis, hæc Crux, in qua habitavit tam feliciter & quietè Mercurius, puta filius Dei, & quæ ex hujus humeris adeò est decorata & roborata, illa communicando tibi suas supernas influentias, ita disposuit, roboravit, animavit tuos humeros non tam corporis, quàm animæ, & quamvis fueris alias homo debilis & infirmus, tamen supra humanam conditionem te roboravit, & tantam virtutem tibi indidit, ut indicibili desiderio eam concupisceres, & constantia plus quàm humana eam prædicares, velocitate inenarrabili eam subires, & in ea sederes, ac gaudio nunquam percepto, in illa esses affixus, nam nihil adeò timuisti, quàm ex illa deponi, prout jusserat Ægeas, quamvis frustrà. *Si autem ad hoc venisti ut me solvas, ego hinc vivens in corpore deponi non potero.* Quid ergò miri, quod

Lipeloe ex Suri.

quod fueris fortiſſimus & robuſtiſſimus, habueriſque humeros adeò vigoroſos in portanda Cruce, cum tibi tuus magiſter cœleſtis Mercurius & conſtellatio Geminorum formata ex duobus lignis tranſverſim poſitis, quæ non fuerunt aliud, quam crux Chriſti tibi adeò faverint. Hæc crux namque tantum addit vigorem & robur, ut faciat aggredi opera vires excedentia, prout videre eſt in duriſſima illa petra, quæ quamvis arida & privata aquâ, percuſſa virgâ Moyſis in forma crucis ubertim aqua manavit? *Semel & iterùm &c. Quod ſignum petra &c.* Fortiſſime Apoſtole, invictiſſime Andrea.

Locus Script. Cap. 15.

VI. Niſi erro inter aſperitates Crucis videor mihi inſigniſſimum reperire locum ſcripturæ, Memineritis quod Chriſtus, ut pervenit ad montem Calvariæ, in quo ſpectante tota Hieruſalem fuit crucifixus, antequam autem fuerit exaltata crux, Salvator in illa fuit extenſus & Cruci affixus. Hoc facto vexillum illud victorioſum fuit erectum adeò, ut dum Cruci Clavis affigeretur pauci hoc viderent, ſed erectum illud vexillum omnes præſentes conſpexerunt. Maria Magdalena & aliæ fœminæ, quæ à longè ſtabant, Salvatorem videbant. *Erant autem mulieres de longè aſpicientes, inter quas erat Maria Magdalena & Maria Iacobi &c.* O Maree ſanctiſſime, quomodo dicis, quod hæ mulieres aſpexerint Chriſtum de longè. An forſan te latet illud, quod tuus Conſodalis Joannes teſtatur de fœminis iſtis devotis, hiſce verbis: *ſtabant autem juxtà Crucem Ieſu mater ejus, & Soror Matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalena.* Quomodo ergo tu dicis: *Erant autem mulieres à longè aſpicientes.* Tuum & Joannis dictum non videntur poſſe ſimul ſtare, & neceſſe eſt unum falſum dicere; tibi indubitata debet adhiberi Fides quia es Evangeliſta, verùm & illa debet adhiberi Joanni, cum & ipſe ſit talis, & quod plus eſt, adfuerit cum illis ſanctis fœminis crucifixioni. Quomodo ergò Scripturiſtæ conciliabimus hos duos, cùm Marcus dicat: *Erant autem, &c.* Joannes verò *Stabant autem &c.*

O vim crucis Chriſti! Advertite ad illud, quod in initio hujus Scripturæ dixi. Dum Cruci affigerent Salvatorem, crux necdum erat erecta & terræ impoſita, ſed in terra collocata, & dum vellent Cruci affigere Chriſtum, cum menſurârunt, ac extenderunt ſupra crucem, fœminæ quaſi meticuloſæ, animo dejecto, totaliter timidæ ſtabant de longè ut bene advertit Marcus, *Erant autem, &c.* Nec audebant quamvis devotiſſimæ propius accedere. Sed Chriſto cruci affixo & hoc trophæo crucis erecto totâ Hieroſolymâ ſpectante, hæ fœminæ viderunt crucem & Crucifixum, & ex hujus viſione tantùm iis accrevit robur & vigor, ut animo reſumpto turbas illas perfregerint, & ad ipſam crucem appropinquârint, prout teſtatur Joannes: *Stabant autem &c.* Mirabiliter Euthimius *Stabant verò juxta crucem, tunc nactæ ſecuritatem primum enim omnes diſcipulæ cominus conſpiciebant, veluti cateri doceuerunt Evangeliſtæ.* Euthim.

Notate quæſo, quomodo Euthimius conciliet utrumque Evangeliſtam, *Primum enim, &c.* In illud quod dicit Marcus: *Erant autem, &c.* timidæ, paventes aderant, quia necdum erat erectum hoc trophæum, attamen quando viderunt erectam Crucem, animum ita reſumpſerunt & roboratæ ſunt, ut invincibili generoſitate perfregerint turbas, & ita approximârint, ut ad pedes crucis pervenerint, ibi æſtimantes ſe ſecuras, nec ipſum infernum metuebant, ſileo lictores & ipſos Principes. *Tunc nactæ ſecuritatem, &c.*

Eandem generoſitatem videtur acquiſiviſſe Andreas, dum pervenit ad locum in quo debebat crucifigi: Viſo Cruce tam invicto & intrepido animo ad eam feſtinavit, ut non averteret oculos ab illa, ſed his in eam defixis, verbis tenerrimis & affectuoſiſſimis eam ſalutavit & honoravit titulis eminentiſſimis, eam rogando, ut tanquam Thronus regalis & mollis lectus ſua membra recipere vellet. *Salve Crux pretioſa, quæ ex membris Domini decorem & pulchritudinem ſuſcepiſti, diu deſiderata, ſollicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, accipe me ab hominibus, & redde me magiſtro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.*

Hæc encomia tam illuſtria, hos affectus adeò tenellos erga crucem in Andrea nemo vidit, audivit, antequam videret crucem, ac ſi à crucis aſpectu accepiſſet majores vires, animum & vigorem ſpiritus. Nam dum vidit quod eſſet prope illam, indicibili conſtantiâ veſtes proprias exuit, manus & pedes lictoribus præbuit,

vos monens, ut ſuum munus exſequerentur, & id perficerent, quod tanto deſiderio concupiſcebat. Et dein ex cruce prædicans, tyranno Ægeæ verbis amoroſiſſimis, dum eum à falſa religione abducere non potuit, ex ipſa cruce verbis aſperis & duris tonare incepit, ac ſi à cruce vires & robur accepiſſet: *Nactus ab illa ſecuritatem.*

Aſtrologia. VII. Domini Aſtrologi vos majori vanitate, quàm quis imaginari poſſit gloriamini, vos reperiſſe in cœlo quandam configurationem ſtellatum, quæ promittit perſonæ, cui in nativitate eſt bene affecta, maximam generoſitatem & conſtantiam, & inſuper hoſtibus ejus timorem & horrorem. Quod ſi interrogemini qualis ſit hæc conſtellatio & configuratio. Reſpondebitis Arietem, ſed quia hoc ſignum ſolum non habet tantas vires, ut influat robur & generoſitatem tam exceſſivam, ideò dicunt ad hunc effectum neceſſe eſſe, ut in illo commoretur Mars, verus Dominus hujus domus. *Si quis editus ſit Marte decurrente ſignum Arietis, homo ille terribilis erit inimicis ſuis.*

Et quia hi Aſtrologi maximi faciunt ſuam mendacem profeſſionem, ut concilient illi majorem fidem, volunt ſua aſſerta probare rationibus, & hinc dicunt Martem tanquam planetam calidiſſimum & ferventiſſimum, communicare virtutẽ ſuam & calorem ſigno Arietis, quod eſt propriè ejus habitatio, & quia ambo communicant calorem & vigorem ſpiritibus vitalibus ſanguini, & poſtea ſingulariter flavæ bili, & talia in corpore dein operatur, ut ſpiritus reddat adeò generoſos, conſtantes & intrepidos, ut hoſtibus terrori illa perſona ſit. Itaque hoc ſignum Arietis non habet hanc virtutem ex ſe, ſed eam illi communicat Mars, dum in ejus confinibus habitat.

Sed Domini Aſtronomi mihi necdum plenè eſt ſatisfactum, hinc præterea ſcire vellem, an Mars quando exiit ex hoc ſigno, tunc hoc ſignum iis qui naſcuntur, adhuc communicet vigorem & animoſitatem? Et reſpondebitis affirmativè; Cum enim Mars in illo habitaverit per duos menſes, toto tempore communicavit illi ſuam virtutem, quæ eſto non ſit tanta ac foret, ſi Mars eſſet præſens, tamen adhuc eſt ſatis fortis, maximè cum Mars poſtquàm exivit ex Ariete habitet in tali ſitu cœli, Eſto per exiguum tempus, ut aſpectu ſextili & poſtea trino, aſpectibus ambobus benignis & propitiis, illi ſigno domum Arietis reſpiciat, & ex his aſpectibus virtus communicata à Marte, non exiguum vigorem recipit. Ex his liquet ſignum Arietis non habere hanc vim inſtillandi nobis animoſitatem, niſi forſan valde parvam, antequam in illud intret & illud reſpiciat; Sed quia ex ſigmentis Aſtronomorum licet deducere doctrinas ſpirituales veriſſimas, videamus paulumper veritatem hujus doctrinæ.

VIII. Nunc ad Applicationem: *Erant autem, &c.* Nullum eſt dubium, (NN.) quin per Martem militem & Ducem generoſum & valoroſum ſignificetur Chriſtus noſter Salvator. *Dominus exercituum, Dominus fortis & potens; Dominus potens in prælio.* Et in manu ejus gladius utraque parte acutus. Per ſignum Arietis præterea video denotari non ſolùm Chriſtum, ſed & ejus Paſſionem & Crucem, quæ fuit maximum ſignum ejus Paſſionis. Hinc dicit Guiſſolenſis in ſuis allegoriis. Aries ſignificare poteſt Chriſtum & Paſſionem ejus. Signum Arietis fuit Crux, nam cum Aries ſit exaltatio ſolis, in quo fuit Chriſtus magis exaltatus quàm in Cruce? *Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum.* Crux eſt Aries, quia ſicut Aries eſt Aula, Thronus & habitatio Martis, ſic Crux eſt Thronus & Aula Chriſti. *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi; Virga directionis, Virga Regni tui.* Crux eſt Aries, nam ſicut Aries dum in horizonte oritur, influit animoſitatem, robur, conſtantiam & vim terrendi hoſtes, ſic Crux Chriſti dat vigorem & robur Chriſtianis, ita ut illa ſola fugent & terreant potentiſſimos hoſtes; *Crux*, inquit Sophronius Patriarcha, *eſt vitale lignum, Scutum magni Regis Chriſtianorum tutelaris & fidiſſima cuſtos. Univerſorum ex adverſo occurrentium inſultum potentiſſima profligatrix.* Applicatio. *Guiſſol.* *Phil. 2.*

Crux eſt Aries, quia ſicut Aries, antequàm in eo habitet Mars, non habet illam vim influendi, vel ad minus non tantam, cum autem in illo Mars habitaverit, maximam vim influendi acquirat, ſic Crux, antequam in illa penderet Chriſtus, nullam habuit

vim vel rigorē, ſed illam recepit ab hoc cœleſti Planeta, dum in illa pependit. *Verbum Crucis,* 1. Cor. 1. inquiebat Paulus, *pereuntibus quidē ſtultitia eſt, his autē qui ſalvi fiunt, id eſt, nobis Dei virtus eſt.* Crux eſt Aries, quia hoc ſignum cœleſte & jam poſt abitum Martis retineat vim influendi animoſitatē, cum ab hoc reſpiciatur ſingulariter aſpectu benefico trino vel ſextili, ſic crux Chriſti, eſto non ampliùs pendeat in ea Salvator, tamen retinet virtutem à ſacratiſſimis ejus membris acceptam. *Nec timetur,* inquiebat Cyprianus, ubi tantæ *reverentia conſpicitur ſignum.*

Hom. de Nativ. Ex altera parte video S. Andream Apoſtolū prædicantē fidem Chriſti, myſteriū ſacroſanctæ Crucis coràm Ægea Tyrāno tam intrepidè, animosè, eloquenter & audacter, ac ullus facere poſſet.

Video Andream verè fortiſſimū non timentē minas Tyranni, nec per capillum metuentem mortem, ſed intrepidè reſpondentē Tyranno. *Si crucis patibulū expaveſcerem, crucis myſterium non prædicarem.* Quid amplius! Damnatus ad patibulum totus lætus & gaudens feſtinavit ad locum ſupplicii, ſedat populum ob hanc injuſtā ſententiam inſurgere volentem in Tyrannum. Viſam crucem verbis expreſſivis ſummi ejus gaudii ſalutat, adorat, rogat ut ſe ſuſcipere velit. *Salve Crux pretioſa, ſuſcipe diſcipulum ejus, qui pependit in te. Securus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans ſuſcipias me.*

E cruce étiam magis intrepidè & animoſius auditur prædicari plebi, obſtinationem arguere tyranni, proteſtari ſe è cruce nolle deponi, rogare ſuum magiſtrum ne hoc permittat. O conſtantiam, ô animoſitatem invincibilem, ô fortiſſimum Andream! Jure optimo vocaris Andreas, hoc eſt fortiſſimus.

Sed quæſo à quo dependet hoc tuum invictiſſimum robur, ob quale ita es terribilis tuis inimicis & perſecutoribus? O glorioſiſſime Apoſtole! Aſtronomia cœleſtis & divina docet me rationem valde bonam. *Si quis editus &c.* Propitia & favorabilis tibi fuit conſtellatio Arietis, crux Chriſtū illo tempore, quo generoſiſſimus Mars Chriſtus in illa pendebat. Tempore tui Martyrii, quod fuit dies tuæ nativitatis pro cœlo, habuiſti Arietem crucis, & pro bono tuo vidiſti crucem erectam, elevatam, & benigno & favorabili aſpectu à Marte tuo ſcilicet gratioſiſſimo magiſtro notatam. Quid ergò miri, quod habens tibi adeò propitiam configurationem ſtellarum, quæ influunt robur & terrorem contra hoſtes Chriſti & crucis, fueris animoſus, intrepidus, fortis & terribilis: ſi illæ ſanctæ Matronæ in Evangelio ex aſpectu & elevatione crucis tantum acceperint animum, vires, robur, ſecuritatem, ut dum antequam crux elevaretur, quaſi meticulosè & ſine corde ſteterint a longè, videntes eam elevatam in monte Calvariæ, ita factæ ſunt generoſæ & intrepidæ, ut perrumpentes turbas, ſine metu prope crucē ſe poſuerint. *Stabant autem &c. Tunc nacta ſecuritatem &c.* Cur Aries Crucis Chriſti circa te non habuiſſet eandem virtutem communicandi tibi robur, conſtantiam, animum, terrorem adverſus tuos hoſtes?

Sed quid? An forſan ô invictiſſime athleta contentus fuiſti, quod è cruce Chriſti ſis factus adeò formidabilis, & ab illa acceperis robur & conſtantiam? majora ab illa prætendiſti, majorem gloriam, excellentias incomparabiles.

IX. Nec permittit me mentiri Spiritus Sanctus, ſaeer Evangeliſta Marcus. Hic in ſua hiſtoria recenſens Magdalenam & alias matronas ad ſepulchrum Chriſti petrexiſſe, ut ungerent ejus corpus, aſſerit illas, ut ad monumentum perveneruntꝰ conſpexiſſe formoſiſſimum juvenem, albis indutum intra monumentum ſedentem, ac ſi illius cuſtodiæ eſſet deputatus. Et certum eſt, quod fuerit Angelus cœli. Devotæ illæ fœminæ metu perculſæ, neſciebant quid dicerent, ſed Angelus, ut illas ſolaretur, dixit: *Jeſum quæritis Nazarenum crucifixum? ſurrexit, Non eſt hic.* Ne paveatis charitſimæ Matronæ, apprimè ſcio quod quæratis Jeſum Nazarenū è cruce depoſitum & hic ſepultū. En locum ejus ſepulturæ, ſed ſciatis eum non amplius eſſe hic, ſed reſurrexiſſe totaliter glorioſum. *Jeſum quæritis, &c.* O Angele benedicte, tu miſſus es ad monumentum, ut exſpectares adventum iſtarum Matronatū, ut iis fœliciſsimum nuntium glorioſiſſimæ reſurrectionis Chriſti referres, ſicut etiam feciſti. Sed cur in hoc nuntio miſces *Tò crucifixum*? ſufficiebat te dixiſſe, *Jeſum quæritis Nazarenum, ſurrexit non eſt hic.* Cur notificas iſtis Matronis, Jeſum Nazarenum ab iis quæſitum & reſuſcitatum, antea fuiſſe crucifixum? Id non debebas dicere Magdalenæ ejuſq; conſodalibus, quæ crucifixioni Chriſti interfuerant, & quidquid contigerat, benè norant, imò

Scriptura Marci 16.

quæ

quæ cadaver ejus uſque ad ſepulchrum hoc comitatæ fuerant, & ſciebant hic eum eſſe ſepultum, ſed aliis, qui id ignorarunt. Meo videri debuiſſes omittere illud Τὸ *Crucifixum*; etenim quid Cruci & Crucifixioni, cum Reſurrectione? Quæ connexio Paſſionis cum gloria? Quæſo te Angele benedicte, ne mentionem amplius feceris Crucis, quæ nimis dolorosa, pœnosa & contumelioſa Magiſtro & Diſcipulis fuit. Cum reſurrexerit glorioſus, age de gloria ejus, nec loquere de ignominiis, quæ ita depreſſerunt ejus Majeſtatem & excellentias.

Inſigniter Victor Antiochenus in hunc locum: *Non erubeſcit Crucifixi nomen; hoc uno enim nomine & re, omnium bonorum noſtrorum ſumma continetur.* O quam egregiè! Erras ſi putes Crucem eſſe ignominioſam, infamem & opprobrioſam. En Angelus, qui optimè cognoſcebat honorem, gloriam & Majeſtatem, quam Chriſtus à Cruce reportarat, ut hunc tuum errorem pelleret, dum nuntiando ejus glorioſiſſimam Reſurrectionem, per quam manifeſtavit ejus authoritatem, & infinitam virtutem, intermiſcuit ipſam Crucem, ut intelligeres inter honoratos, & glorioſos titulos Chriſto convenientes, titulum Crucis nullo eſſe inferiorem, quinimo in hoc maximè gloriatur, cum dependeat ab eo, & in eo contineatur omnium bonorum ſumma *Non erubeſcit, &c.* Hinc ille titulus eſt ipſi valde deſideratus, quia titulus Crucis eſt glorioſior titulo Regis, Imperatoris, Monarchæ totius Univerſi, imo cœlo & terrâ. Et eſto hi tituli ſoli Chriſto ſint proprii, tamen fit mentio ſolius tituli Crucis, hic enim ample&ctitur quemlibet titulum, quamvis honoroficentiſſimum mundi, & continet in ſe velut in compendio omne bonum deſiderabile. *Hoc uno enim, &c.* Hoc ſciens S. Andreas Apoſtolus, tanquâ verus Diſcipulus Chriſti, à quo hanc doctrinam didicerat, certus lætus erat in Cruce latere omne bonum, & ab illa depẽdere honoratiores titulos, & ideo à longè eam conſpiciens, tanto velocius ad illam volabat, quo majori affectu eam deſiderat. Hinc clamabat: *O bona Crux diu deſiderata, & jam concupiſcenti animo præparata*; Et cum à membris Chriſti mei Magiſtri retuleris honorem, totus, & gaudens ad te recurro, ut à te illam gloriam & honorem accipiam, quam mihi non poſſunt dare majores Monarchæ mundi cum omnibus ſuis divitiis, & honoratioribus titulis.

X. Inſigne recenſetur factum NN. in hiſtoriis Galliæ, in vita Regis Ludovici XII. Regis revera maximo valore & prudentia præditi, filii Caroli VIII. cui in Regno velut hæres ſucceſſit. Hic ut ad ſolium eſt evectus, adferri ſibi juſſit Catalogum omnium nobiliſſimorum Principum, qui erant conſpicui in Aula, aut qui habuerant, aut de facto habebant titulum aliquem celebrem. Fuit qui uti Rex optarat, catalogum deſcriptum obtulit. Ludovicus illum legit, coram multis Magnatibus Galliæ, qui attentiſſimè actionem illam Regis obſervabant, & notarunt Regem calamo duas Cruces formaſſe ſuper nomina duorum nobilium abſentium. Aſtantes, qui Myſterium non capiebant, ſiniſtri aliquid augurabantur, & duobus illis Nobilibus, ut ſibi caverent, factum Regis inſinuarunt. Hi putantes de ſe eſſe actũ, fugâ ſibi conſuluerunt, timentes, ne præter diſgratiam Regis, carceres, aut mortem ipſam eſſent incurſuri. Reſcivit Ludovicus, illos nobiles ex metu fugiſſe, & ad aſtantes verſus dixit. Quam craſsè errant iſti duo equites? Necdum addidicerunt Alphabetum Chriſti, quod glorias orditur à Cruce. Ego notando eorum nomina Cruce, ab aliis eos ſequeſtrare volui, & decrevi eos nobilioribus & celebrioribus muneribus mei Regni honorare. Illi ex hoc ſigno Crucis maxima mala ominati ſunt, ſed mihi ſervit pro memoriali, ut eos magis honorem & exaltem. Revera hi Nobiles non benecallent Alphabetum Chriſti, nam nos formavimus Crucem in charta, in qua ordine ſuo notatæ ſunt omnes litteræ Alphabeti, quæ incipiunt à Cruce, & poſtea omnes litteræ ſequuntur, ex quibus formantur verba, quibus manifeſtamus noſtros conceptus, Verba hiſtorici hæc ſunt: *Hallucinati ſunt hi duo Aulici, utpote neſcientes Alphabetum Chriſti, qui à Cruce gratiam auſpicatur. Ego Cruce diſpeſcui nomina eorũ quia volo eos præcipuis dignitatum titulis inſignire.* Verba egregia, & inſignes Conceptus capitis ſertati.

Hiſtoria.

Duplex Gall. in Lud. XII.

XI. Nunc redeamus ad Apoſtolum ſanctum Andream, *Teſum quæritis, &c.* Salvator intravit in mundum regimen temporale ſuæ Eccleſiæ adminiſtraturus, nec multi effluxerunt dies, & plures Aulici ejus famulatui ſeſe dare ſunt viſi, qui ejus veſtigia, mores & doctrinam imitari deſiderabant. Horum aliqui erant Apoſtoli, aliqui Diſcipuli, nec eſt dubium, quin illi fuerunt his præſtantiores tanquam illi, qui debebant eſſe

Aſtrologia.

fundamenta Eccleſiæ Dei. E numero horum Apoſtolorum fuerunt duo Germani Petrus & Andreas, qui ante omnes, dum piſcationi intenderent, à Chriſto ambulante juxta ripam maris
Luc. 5. electi, & vocati ſunt: *Ambulans Ieſus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus.* Hi duo Equites, & Nobiles fuerunt à Chriſto ſignati teſſerâ Crucis, uterque enim Cruci appenſus è vivis diſceſſit.

Dum fideles Achaiæ viderent Andream Cruce notatum, ad Crucem damnatum, unanimiter tentarunt eum morti tam ignominioſæ ſubtrahere. Hinc vociferando, Tyrannum in
Expelloo. clamabant: *Iuſtus homo, & amicus Dei, quid fecit; ut ducatur ad Crucem?* Exiſtimabant Crucem eſſe ignominioſum ſupplicium, ſicut omnes cenſent qui non ſtuduerunt Alphabeto
1. ad Cor. 1. Chriſti: *Verbum Crucis pereuntibus ſtultitia eſt.* Sed ſapientiſſimus, & fervidus Apoſtolus, qui multo tempore frequentarat Scholam Chriſti, & ejus Alphabetum didicerat, optimè ſciebat Crucem eſſe initium ejus doctrinæ, eamque non eſſe ignominioſam in aula Chriſti, ſed potius eſſe ſignum maximarum eminentiarum quæ poſſunt à Chriſto reportari. Hinc vocatur
Hom. 1. de Lazaro. à Chryſoſtomo: *Signum nobilitatis ſpiritualis, bonorum omnium ſumma.* Et idcirco ſanctus Andreas Ægeæ Tyranno, qui ei minabatur ſupplicium ignominioſum Crucis, audacter reſpondit: *Tanto Regi meo ero acceptior, quanto pro ejus nomine in tormentis certavero conſtantior. Si Crucis patibulum expavescerem, Crucis gloriam non prædicarem. Ego Crucis Chriſti ſervus, Crucis Trophæum optare potius, quam timere debeo.*

Ac ſi voluiſſet diceret: *Hallucinaris neſciens Alphabetum Chriſti, qui à Cruce gratiam auſpicatur.* Craſſe erras Ægea, ſi credis mihi Crucem ignominioſam futuram, & malum omen. Planè oppoſitum docetur, probatur & defenditur in aula ſupremi Monarchæ univerſi; *Qui à Cruce gratiam auſpicatur.* Et hic adeo glorioſum ſe æſtimat ob titulum crucifixi, ut quamvis reſurrexerit glorioſus, ovans, impaſſibilis, tamen inter titulos ſuos glorioſos voluit annumerari titulum crucifixum. *Ieſum quæritis, &c. Non erubeſcit, &c.* Nil ergo miri, quod præter alias vites, quas accepit Andreas à Cruce glorioſior, & excellentior effectus fuerit, imo per illam obtinuerit Regnum cœlorum.

XII. Præluſtriſſimum locum Scripturæ in Geneſi obſervo, ſanctiſſimus Patriarcha Jacob, dum ſomno ſuaviſſimo gravatus quieſceret, Scalam longiſſimam & altiſſimam conſpexit, quæ è terra ad cœlum pertingebat, cujuſque ultimus gradus acclinabat muris & feneſtris cœli. *Vidit in ſomnis Scalam ſtantem ſuper terram, & cacumen ejus tangens cœlum, Angelos quoque aſcendentes, & deſcendentes per illam.* Hic adverto illuſtriſſimum Veronenſium Epiſcopum ſanctum Zenonem velle illos Angelos fuiſſe homines nobiles & eximios, à Jacob Angelorum titulo dotatos: *Angelos puto homines appellatos.* Præterea vidit Deum utroque brachio innitentem Scalæ, vel ne caderet, vel ut aſcendentibus animum daret. *Et Dominum innixum Scalæ.* Deus immortalis, & quam peregrina eſt hæc viſio? Quod per illos Angelos ſignificati fuerint homines cœlum ſubeuntes, quod nemo poteſt intrare, niſi ſit conditionis Angelicæ purus, innocens concedo; videtur enim rationabile, ut locus ſumme mundus & purus non recipiat niſi mundos, perfectos & ſanctos. Similiter, quod Deus innitatur Scalæ, ut animet aſcendentes, & ſecuros reddat eos, non caſuros, bene eſt. Sed ut verum fatear, non intelligo, qualis ſit hæc Scala. Ergone, ut iratemus cœlum, opus eſt ſcalâ tam altâ, & longâ? O vos infœlices, qui caretis manibus, vel pedibus, aut habetis illos male affectos, quia vel excludemini è cœlo, aut tardè ad illud pervenietis. O mi Deus, cœlum non indiget ſcalis, nec iis opus eſt, ut ad illud aſcendamus, Creaſti cœlum pro omnibus, & ſi eſſent neceſſariæ ad illud ſcalæ, multi ſine ſua culpa excluderentur. Non, non dicit Deus, Qui vult intrare cœlum, debet ſubire per ſcalam, ſit agilis, vel craſſus, aptus vel ineptus, indiget ſimpliciter ſcalâ, prout conſpexit Jacob. *Vidit ſcalam &c.* Sed qualis eſt hæc Scala, ſine qua non poſſumus aſcendere cœlum? Reſpondet ſanctus Pater Zeno Crux. *Scala proprio nomine Crux vocatur.* Crux? Quinimo, adeo eſt enim neceſſaria, ut ſine ea Chriſtus non potuerit cœlum intrare. *Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* Si Do-

Scriptura. *cap. 28.*

Zeno

ſerm. 8. de ſomno Iacob.

Luc. 24.

minus

minus eguit ſcalis, quanto magis ſervi? Sed quomodo amabo, hæc Crux neceſſaria ad cœlum, ſignificatur per ſcalam Jacob? ſcalæ Jacob una extremitas innitebatur terræ! altera cœlo, ſi hæc ſignificet Crucem, cur neceſſe eſt, ut pertingat ad cœlum?

Valde bene ſanctus Pater Chryſoſtomus. Tu viſne intrare cœlum? Quinimò. Vis intrare cito, & infallibiliter? Quis dubitet? An neſcis, quod dicat Chriſtus cœlum eſſe vi expugnandum, & à nullo obtineri, niſi qui per totam vitam conſtanter pugnaverit. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud?* Si inhæreatis dictis Chriſti, vel forſan pauci, vel nemo intrabit, cum rari ſint, qui ſibi hanc vim inferant. Sed ſi ſubeatis per Scalam Jacob, nempe Crucem, & hanc admoveatis mœnibus Paradiſi, à Cruce ad cœlum opus eſt tantum ſimplici paſſu, quia nil inter Crucem, & cœlum interjacet, ideo poſiti in Scala Crucis protendite pedem, & eritis in cœlo. Idcirco Scala à Jacob viſa, ad cœlum uſque prominebat, eique acclinabat, ita ut immediatè ex ultimo gradu cælum intrarit. Matth. 11.

Mitè Chryſoſtomus. *Qui in Cruce eſt, non vim facit, nihil medium eſt, & Crux, & ſtatim Paradiſus.* Hom. de divite.

Cognovit hanc veritatem ſanctus Andreas, ideo nil aliud exoptabat, quam ſubire per Scalam Crucis, certus, abſque difficultate ulla ſe cœlum intraturum: Hinc eam videns dicebat: *Securus & gaudens venio ad te, &c.*

XIII. Milites, vos hunc nodum ſolvere debetis. Vos vultis expugnare, & ad deditionem cogere quandam arcem magni momenti in vertice Montis ſitam, & munitiſſimam, ita ut cenſeatur inexpugnabilis; quæro à vobis, quis ſit modus facilior, & ſecurior eam occupandi? Si velitis illam cogere per obſidionem, impediendo, ne invehatur annona, negotium eſt longum, & ſi obſeſſi omnibus abundent, majus erit damnum veſtrum, quam obſeſſorum, quia illi ſunt ſub tecto, vos ſub dio expoſiti inclementiis aeris. Et ſi ſuppetiales copiæ adveniant, ex utraque parte vos aggredi potuerunt. Eſto itaque via obſidionis ſit ſecurior, & minus periculoſa, tamen non eſt ita expedita. Ars militaris.

Quod ſi velitis illam expugnare vi, rem aggrediemini periculoſam & incertam; Cum enim arx ſit ſita in loco eminentiſſimo, non poteritis illam quaſſare vi machinarum æneatum, nec muros ejus verberare; & diffringere, ut viam aſcendendi militibus paretis. Et dato quod aſcendere poſſetis, certatim pugnandum eſt, & Monomachia ineunda, & locus magis favet obſeſſis, quam vi aggredientibus, unus enim illorum præſtat his duobus. Et hinc invadentes crebrò non ſine magna clade repelluntur, invaſio igitur & occupatio arcis in monte ſitæ per vim nòn multum conducit ad propoſitum. Si velitis illam cogere cuniculis, nimium vos fatigatis, & timendum eſt, ne veſtris cuniculis, cuniculos objiciant cum ingenti veſtra ſtrage.

Si ad partes veſtras trahere velitis quendam ex primariis officialibus arcis & intrare vi auri, decipiemini, ſi talis ſit fidelis ſuo Principi. Inducere etiam milites partis veſtræ, dum portæ ſunt clauſæ & benignè cuſtoditæ, vobis non conducet. Nec hic itaque modus eſt ſecurior, & facilior pro veſtro intento. Hinc dicitis non eſſe meliorem modum eam occupandi, quam per viam ſcalarum. Sed ut hic modus melius ſuccedat, neceſſe eſt prius menſurare altitudinem mœniorum, & Scalas iis omninò æquales conſtituere; Si enim ſcalæ fuerint breviores eum magnâ veſtrorum ruinâ, tentabitis aſſenſum, uti multis Ducibus contigit, qui ob brevitatem ſcalarum, magnam ſtragem paſſi ſunt. Si autem ſcalæ ſint æquales, levi negotio arcem occupabitis. Quod ſi præterea ſciatis præſidiarios arcis epulari aut occupati ealicibus epotandis, invaſio per ſcalas adhuc ſecurior, & facilior erit. Et hoc modo aviâ, plures belli duces, arces inexpugnabiles occuparunt.

XIV. Nunc intelligetis conceptum Jacob. *Vidit Jealam ſtantem &c.* Quis neſcit (NN.) quod cælum ſit illa opulentiſſima & pulcherrima Urbs, de qua dixit S. David: *Ieruſalem quæ ædificatur ut civitas?* ſita eſt in altiſſimo monte: *Fundamenta ejus in Montibus ſanctis.* Mœnia ejus ſunt adeo ſublimia, ut obſervante Joanne, ſint alta centum quadraginta quatuor cubitis: *& menſus eſt murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum.* Adeo eſt munita, ut à nulla vi expugnari poſſit: *Regnum cœlorum, &c.* O quam dives, & pretioſa eſt hæc urbs Applicatio. Pſal. 121. Pſal. 86. Apoc. 21.

ctos? Quam fortis & inexpugnabilis! Et cui quacumvis generoso & perito in arte militari sit animus adeo munitam arcem expugnandi? Quis modus militaris adhibendus, ut expugnetur?

Vultis forsan illam occupare via obsidionis, & bene disposita circumvallatione? Sed an non videtis, quam sit vasta & ampla, ita ut ab exercitibus totius Orbis, qui fuerunt, sunt aut erunt non possit cingi, aut circumvallari? Nonne videtis, quod hoc modo vos frustra consumetis, maximè cum annona præsidiariis nunquam deficere possit, sed abundent omnibus bonis excogitabilibus? *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.*

Forte vultis eam expugnare vi, quatiendo ejus muros per vim tormentis bellicis? Est adeo alta hæc arx, ut non sit dabilis machina ænea, vel glans, quæ usque ad illam possit pervenire. Addo eam esse occupandam absque clade aliqua, ut in illa possitis delitiari & gaudere.

Vultis forsan eam vobis subjicere per immissionem jumenti auro onusti, ut sic vobis concilietis nonnullos rebelles? Frustra id tentabitis, aurum enim in illa æstimatur vilius, quam lutum, & omnes præsidiarii ejus sunt adeo fideles suo Principi, ut ex amore illius potius profuderint vitam, quam ut minimū quid ignominiosum, quantumvis leves committere voluerint. Quâ ergo viâ facili, & securâ poterimus occupare hanc arcem.

Speculemini quamdiu vultis, non invenietis modum faciliorem & meliorem, quam viam scalarum. Sed qualis debet esse hæc scala? S. P. Hieronym. teste Abbate Guissolensi respondet: *Scala designare potest Crucem Christi.* Per hanc Scalam admotam mœnibus cœli occupare possumus urbem Jerusalem, arcem Paradisi certissimo & facillimo modo, quia omnes cœlestes præsidiarii, continua agunt festa, continuo epulantur, & spiritualiter jucundantur. Libere ergò potestis admovere scalas, & secure intrare.

Hieron. in psl. 91.

Hac via S. Andreas hanc magnam urbem expugnavit. Admovit mœnibus illius scalas Crucis, & è Cruce unico passu cum stupore præsidiarorum insiliit in arcem. Attamen hic magnus Dux prænotavit scalas fuisse æquales mœnibus, ita ut ex supremo gradu sine difficultate posset intrare, hinc decursu suæ vitæ, semper ascendit aliquem gradum hujus scalæ, nunc in hac, nunc in illa occasione patiendo, donec ab Ægea damnatus ad Crucem, supremum subiit gradum, è quo Deum conspexit. *Iam enim Regem meum video, iam adoro, iam in conspectu ejus assisto.* Unico passu intravit in arcem. Et quamvis invidus Ægeas eum vellet cogere, ut descenderet è scalis, ne tam cito occuparet arcem, attamen tam generosum se exhibuit, ut nec sponte vellet descenderet nec permittere, ut detruderetur. Imo sic rogavit Dominum. *Suscipe me Domine Iesu Christe, neque permittas me ex hac Cruce deponi.* Cum ascensio ad Crucē non sit aliud, quam ingressus in illam arcem, quam scalis diuturnæ perseverantiæ, infatigabilis Crucis, & Passionis obtinuit: *Non permittas me ex hac Cruce deponi, nisi prius Spiritum meum suscepueris,* uti & factum est. Quid ergo miri, quod Patriarcha Jacob viderit illam scalam è terra usque ad cœlū protensam, qua significatur Crux, per quam intramus cœlū, si Crux unico tantum passu è cœlo distet? *& Crux, & statim Paradisus!* Valorosissime athleta glorioissime Andrea.

Lipsius. in vita S. Andr.

XV. O Crux sacrosancta; ô Directrix navigantium, ô Pole Antarctice, ô robur, ô gloria, ô exaltatio S. Andreæ Apostoli, & omnium illorum, qui te libenter amplectuntur, quam egregiè demonstrasti tuam virtutem in favorem hujus glorioissimi, & valorosissimi Apostoli? Versus te semper instituit suum iter in mari hujus mundi, tu semper illum direxisti, & hinc non est mirum, quod tantâ constantiâ, & vigore animi sine ullo timore securè transierit Oceanum fluctuosum miseriarum.

Epilogus.

Tu Virga Moysis per simplicem tactum in formâ Crucis dedisti tantum robur, duræ & aridæ petræ, ut aquas uberrime manaverit. Andrea fuisti constellatio Geminorum figurata ex duobus lignis transversim conjunctis, & humeris ejus contulisti tantam virtutem, ut quamvis esses ponderosa, tamen lætus te portare potuerit usque ad finem vitæ.

Tu erecta, & exaltata in monte Calvariæ, dedisti tuis Discipulis tantam generositatem, ut dum te à longe respicerent, viribus resumptis ad te cucurrerint, te constrinxerint, & maximâ cum securitate amplexi fuerint. Similem vigorem communicasti S. Andreæ, imo præterea reddidisti eum formidabilem suis hostibus, eo quod sis Aries, Domus, Sedes, & Solium valorosissimi Martis Filii Dei.

O Crux decor Christi, & compendium copiosissimum omnium bonorum, ita honorasti

cum

eum, qui te honoravit ſuis membris, ut aliam gloriam non tanti æſtimet, quanti ducit, quod tibi fuerit affixus. Etiam tuam gloriam demonſtraſti in Andrea, dum enim eum ſignaſti hoc tuo charactere, qui eſt principium Alphabeti Chriſtiani, ſignificaſti, quod volueris eum afficere majoribus titulis, quos Monarcha cœli ſolet conferre Aulicis ſuis præ aliis bene meritis.

O Scala Jacob, quam utilis fuiſti Apoſtolo, dum invaderet fortiſſimam arcem Paradiſi; Tu es unica via illam occupandi, dummodo conſtanter porteris uſque ad mortem. Quia exte immediate ſcanditur ſuper mœnia cœli, ſicut fecit valoroſus Andreas athleta glorioſus per tantam conſtantiam, per tantos honores, per lucra adeo opulenta, & copioſa. Sis etiam nobis polus antarctic⁹, ut intrepide verſus te navigantes ſecuri hoc periculoſiſſimum mare ſulcemus, & fortiter contra hoſtes noſtros dimicando, victoriam reportemus, ut poſtea glorioſi tranſeamus ad arcem Paradiſi, quod Deus vobis donet Amen.

ELOGIVM XXXV.

Pro Feſto Immaculatæ Conceptionis.

Non morieris, non enim pro te, ſed pro omnibus hæc Lex conſtituta eſt. Eſther cap. 15.

Aſtrologia.

DUm actiones externas aggredimur, tum Medicinæ, cum Navigationis, tum Agriculturæ, ſeu ſimilis cujuſve peritiæ, tunc prius conſulendum cælum, ab eoque, nedum à ſimplicibus, ſed & in Aſtronomia peritis inſtructionem capiendam pluſquam notum, neceſſariumque eſt. Verum quod in conſtructione civitatis & domus, debeamus attendere ſtellas, non eſt tam obvia, & communis doctrina Aſtrologorum. Nihilominus Ptolomæus monet Architectos & murarios, ne fundamenta ponant cœlo inconſulto. Hinc dixit: *In condendis urbibus ſtellis fixis quid inferre valeant, utere.* Porro ſingulariter advertendum eſt, ne infauſtus & rigidus Mars reperiatur in domo mediâ ſupremi cœli, dum fundamenta urbis jacienda ſunt. Si enim hic Planeta maleficus reperiretur in hoc ſitu auctoritati vo cœli, Domino & Principi illius minaretur mortem violentam: *Reges cujuscunque urbis, quæ Martem culminantem habuerit, gladio plerumque pereunt.*

Sed Architectus, qui non vult errare, ſcire percupit, an hanc doctrinam ſervare etiam debeat in jacendis fundamentis privatæ domus, & reſpondebit Ptolomæus, id non eſſe tam rigidè neceſſarium, dummodo attendat ad ſtellas errantes fixis neglectis, idque ſufficere. Hujus volens aſſignare cauſam Pontanus dixit: In conſtructione civitatis veluti quæ debet eſſe patria communis, duo ſpectari debere, durationem ſcilicet urbis & concordiam civium, ab his enim dependet civium fœlix ſtatus & bonum univerſale; & quia hæc duo ſingulariter proveniunt à ſtellis fixis propitiis, & bene collocatis in cœlo, ideo ad illas in conſtrictione urbis eſt recurrendum. Porro cum in ædificatione domus illa duo non ſint neceſſaria, hinc ſenſu Pontani meritò dixit Ptolomæus: *In condendis urbibus ſtellis fixis, quæ conferre valeant, utere, in ædificandis vero domibus erraticis.*

Nihilominus alii Aſtronomi cenſuerunt, ad ſtellas fixas etiam eſſe attendendum in conſtructione domus, & poſitione ejus fundamentorum, cum enim domus ſit quædam privata, & domeſtica civitas, debemus in ejus ædificatione prætendere duo, durationem, ne qualibet die eam oporteat reædificare, & concordiã ut Rex, id eſt Paterfamilias hujus privatæ Reipublicæ à morte violenta præſervetur. Hinc dixit Hermes. *Dum Luna erit Meridionalis deſcendens in Scorpione, non incipias fabricare, cito enim hujus*

Applicatio.

fabrica diruetur. Nobiliſſima doctrina.

II. Civitas, & Domus Dei vocatur ſanctiſſima Virgo, Domina noſtra; Civitas, quam eſſe nobiliſſimam & glorioſiſſimam prævidens in Spiritu David dixit: *Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei.* Domus ipſius Dei, Domus Regalis, quam debebat incolere ſupremus Monarcha filius Dei. Domus tota aurea: *Domus aurea.* Domus & Civitas, cujus Fundamenta, quæ aliud non ſunt, quam inſtans ejus Conceptionis, fuerunt poſita ſupra montes altiſſimos ſanctorum, & ſpirituum cœleſtium. *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Domus & Civitas Dei maximâ ſtabilitate & firmitate ædificata. *Hæc est Domus Domini firmiter ædificata, bene fundata est supra firmam petram.* Domus & civitas Regis cœleſtis, in qua manutenendo ſuam auctoritatem, potentiam & Majeſtatem æternaliter debebat habitare, & habenas moderari. *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni ejus non erit finis:* Civitas & domus Dei, quæ quia debebat durare æternaliter, ſolidiſſimè eam conſtrui erat neceſſe. *Domum tuam Domine decet sanctitudo, in longitudinem dierum.*

Pſ. 86.

Eccleſia.

ſupra.

Eccleſia.

Luc. 1.

Pſ. 92.

Fundamenta hujus urbis & domus regalis, tunc fuerunt jacta, quando Maria concepta fuit in utero S. Annæ. Adſtabat Architectus, ſanctiſſima ſcilicet Trinitas, ut fundamenta ejus jacerentur, juxta finem ab ea prætenſum, ut ſcilicet duraret æternaliter, & concordia inter cives ſervaretur & ſingulariter, ut Rex & Dominus hujus fortiſſimæ urbis, & regiæ domus tutus eſſet. Hic ſupremus Architectus attendens ad regulas præfatas artis, dum videret infauſtum Martem Dæmonem velle prædominari ſuis funeſtis influxibus his fundamentis, cum præjudicio Regis & Domini hujus fabricæ, velut fecerat fundamentis omnium aliarum ſtirpis humanæ, dū etiam ſimul cerneret ſcorpionem infernalem, fuiſſe accinctum, ut in illam fabricam effunderet virulentas influentias peccati originalis, repulit & fugavit ad occaſum has ſtellas infauſtas, ne fundamenta urbis & domus Dei inficerentur originali noxa; ſed econtra à benignis influentiis cœli foverentur. Hinc S. Ildephonſus Toletanus Antiſtes: *Totum quidquid fuit in Maria, possedit Spiritus S. quoniam virtus altissimi eam obumbravit.* Et quod his fundamentis propitiæ fuerint ſtellæ beneficæ cœli, & quod præſervata ſint ab infauſtis influxib⁹ maledictionis, clarè demonſtrat perpetua duratio hujus urbis, & domus Dei; cum enim ſemper fuerit incontaminata, nec à minima culpa infecta, nullū indicium alicujus peccati in ea comparuit. Hinc ſubjungit idem S. *Si virtus Altissimi ab omni æstu peccati eam obumbravit in conceptu, & in partu, ita & ab omni pressura maledictionis nō ex ſeſe, ſed virtute Altissimi immuni, & aliena fuit.* Alias fundamenta hujus nobiliſſimæ Civitatis & Domus Dei non fuiſſent fabricata ſupra montes ſanctos ſcilicet Angelos, quos Maria in ſua Conceptione ſuperavit. *Fundamenta ejus, &c.*

O Virgo puriſſima, cum virtute cæli fuerit in tuâ conceptione præſervata à funeſtis influxibus Martis, & Scorpionis infernalis, ac a culpa originali dum hodie es in cœlo, munda meū intellectum & linguam, ut devotis tuis manifeſtem tuam Conceptionem; quomodo ſcilicet fueris immunis a communi infectione noxæ originariæ: de hoc hodie diſcutram.

ASSUMPTUM.

Maria Mater Dei ab inſtanti Conceptionis immaculata fuit.

III. VOlens Deus è maſſa nihili reducere omnes Creaturas ad eſſe, ante omnia creavit cœlum & terram. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Et dum adhuc eſſent cœlum & terra imperfecta, *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Hic (N.N.) ſcire percuperem, cur Spiritus Domini potius ambulaverit ſuper aquas, quam ſuper cœlum aut terram? quod ſi dicatis, non decuiſſe, ut terra Elementum minus nobile aquis ſuſtentatet ſuum factorem, cur dico ego, non ambulavit ſuper cœlum, quod eſt nobilius aqua in terra?

Scriptura. Gen. 1.

Alcuinus reſpondet, Deum potius inambulaſſe aquæ, quam terræ, quia terra ob pomum vetitum fructum terræ comedendum ab Adamo, maledicenda erat, hinc voluit utiaquis tanquam thedâ, vel lectica, quæ hac maledictione non involvendæ erant. Spiritus Domini, &c. *Quia terra maledicendum erat, non aquis.*

Sed mihi necdum eſt ſatisfactum; ſi enim cœlum fabricatum eūm terra & aquis, non erat diris devovendum, cur relicto cælo inambulat aquis?

Divinè antiquus Tertullianus. *Nam & tenebra*

nebræ totæ adhuc ſine cultu ſyderum informes, & triſtis abyſſus & terra imparata, & cœlum rude. Solus liquor ſemper materia perfecta, læta de ſuo, pura dignum vectaculum Deo ſubjiciebat. O quam divinè *ſolus liquor, &c.* Cœlum ex naturâ ſuâ forſan erat nobilius aquis, attamen non fuit dignum portare Deum & Spiritum ſanctum, quia erat adhuc imperfectum & informe, ſicut & terra, ſola aqua à Deo pura, & perfecta creata, fuit digna quæ veheret Spiritum Domini; *Solus liquor, &c.* Et ob hanc cauſam aqua puriſſima, & perfecta à Deo producta fuit. *Ideo ſemper materia perfecta de ſuo pura, quia dignum Deo vectaculum ſubjiciebat.*

Nunc ſic dicamus: In ſacris Litteris per mare juxta ſanctos Doctores, ſignificatur Maria, quæ debebat portare Spiritum Domini. *Spiritus ſanctus ſuper venit in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Debebat producere illum fructum, à quo omnis benedictio dependere debebat, adeoque non erat maledicenda, ſicut poſteri Adæ, ſed in ſua primâ origine, & Conceptione debebat eſſe puriſſima & perfectiſſima, & idcirco digna manſio, & rheda Spiritus Domini, & Verbi æterni. *Ideo ſemper perfecta, &c.* Ob vicinitatem, quam habebat cum Deo, tanquâ illa, quæ eum portare debebat in ſuo virginali utero.

Luc. 1.

Aſtronomi.

IV. Erudita illa Ingenia, quæ vilipensâ terrâ, ſeſe dant conſiderationi rerum cœleſtium communiter advertunt in, ſuis theoricis Planetarum quemlibet Planetam habere tres cœlos diſtinctos, ita tamen contiguos, ut ſuperficies concava ſuperioris, immediatè tangat ſuperficiem convexam inferioris. Portò inter alias differentias horum, & forſan principalior eſt, quod non tendant ad idem centrum, ſed quodlibet ſuum centrum proprium habeat.

Hinc ſupremum horum cœlorum (Sitis attenti Auditores) ex ſuperficie convexa, quæ eſt pars ejus ſuperior, habet pro centro terram, imo centrum univerſi, ſed reſpectu ſuperficiei concavæ, quæ eſt pars ad intra, habet centrum totaliter diverſum, & ideo hoc cœlum vocatur eccentricum & concentricum, *ſecundum quid*, quia reſpectu diverſæ ſuperficiei, partim participat, & partim non participat de centro terræ. Portro ultimũ ex his cœlis movetur motu planè contrario, quia ſuperficie convexâ non reſpicit centrum mundi, ſed bene concavâ, & ideo dicitur eccentricum, & concentricum *ſecundum quid*, medium autem ex his cœlis vocatur ſimpliciter eccentricum, quia neutrâ ſuperficie reſpicit centrum mundi, ſed aliud planè diverſum, & huic dicunt eſſe affixum corpus Planetæ, puta Solis, aut alterius, & idcirco vocatur *Cœlum deferens corpus Planetæ.*

Quod ſi interrogetis hos Aſtronomos, cur Deus voluerit hoc cœlum non habere pro centro centrum univerſi, reſpondebunt id factum eſſe particulari Providentiâ; cum enim hoc cœlum debeat portare corpus Solis pro beneficio terræ, & ſubinde ob vicinitatem cũ Sole, nunc producere hunc effectum, nunc alium, neceſſario debuit cœlum à quo vehi debebat Sol, cuiq; debebat eſſe affixus, neutrâ ſuperficie ſpectare centrum mundi. *Quæ defert corpus Planetæ.*

Applicatio.

V. Nunc ad Mariam: *Spiritus Domini, &c.* In hoc nobiliſſimo, & ornatiſſimo ſiſtemate S. Eccleſiæ, invenio hos eoſdem cœlos, poſteros ſcil. Adami. Horum aliqui ſuperficie tantum concavâ & inferiori, h.e. portione inferiori animæ reſpiciunt centrum terræ, & hominum mundanorum, committendo aliquos defectus leves nõ omnino voluntarios, quia *Septies in die cadit juſtus. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Verum ſuperficie convexâ & portione ſuperiori animæ planè ſunt à terra abſtracti, & agnoſcunt Deum pro ſuo centro, in ordine ad quem moventur perfectâ obſervâtia legis, & his non eſt conceſſum portare corpus Solis, Chriſtum ſcil. in proprio utero, & viſceribus, quia participant aliquid de centro mundi.

1. Ioan. 1.

Alii portò ſunt, qui ſuperficie concavâ, & portione inferiori animæ, exterius non videntur aliquid participare de centro mundi, videntur eſſe juſti & ſancti, abſtracti à terrenis, ſed tamen ſuperficie convexâ, & portione ſuperiori animæ, corde & animo ita tenaciter adhærent terrenis, ut nil aliud cognoſcant, nil aliud guſtent, nil aliud ſpectent, quam lucrum temporale, verſus hoc ſemper moventur, nec hi digni ſunt qui portent corpus ſolare in ſuis viſceribus.

Tandem præter hos duos cœlos, reperitur ſimpliciter eccentricum, quod nunquam participavit aliquid de centro mundi, nunquam adhæſit rebus terrenis, ſenſui, vel carni, nunquam ſcivit quid ſit imperfectiõ, ne quidem in inſtanti ſuæ Conceptionis puriſſimæ, & hoc cœlum eſt ſanctiſſima Virgo, de qua dicitur. *Tota pulchra es amica mea & macula non eſt in te.* Cant. 4.

Quod ſi quæratis, cur Deus voluerit Virginem adeo eſſe puram à peccato, & non com-

municare locum centro communi originalis culpæ, respondebo quia propriis visceribus debebat gestare corp⁹ illud lucidissimi Solis Christi Domini nostri. *Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti, quia ferre debebat corpus Planetæ. Quid vitii in ejus mente, vel corpore fuit, quæ adinstar cœli plenitudinis, totius divinitatis meruit esse sacrarium?*

Petr. Damian. ser. 3. de Nat.

Non ergo miretur mundus, quod instar Elementi aquæ fuerit etiam à sua primævæ origine perfectissima & purissima; siquidem debebat esse vehiculum, & Thronus Dei, Cœlum, quod gestare debebat hunc bellissimum Planetam *Spiritus Domini*, &c. *Solus liquor, &c.*

O purissima Virgo, quam munda, quam perfecta comparuisti coram oculis cœli & Terræ! Ipse tuus Sponsus dicebat præ stupore raro. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.* Sed nullus miretur tuam adeo singularem puritatem & perfectionem, quia præ aliis omnibus filiabus Sion, Sponso tuo vicinior fuisti. *Ecce tu pulchra es proxima mea*, &c. Et ab hac vicinitate debebat derivari in te omnis puritas & perfectio tui Sponsi. *Per appropinquationem trahens dispensationem pulchritudinis.*

Cant. I.

Nyssenus.

VI. Ablegatus fuit è cœlo ad Virginem Dominam nostram paranimphus ille cœlestis, ut Virginis consensum referret, quo se conformaret voluntati Dei, qui eam ab æterno elegerat in Matrem unigeniti sui filii. Porrò antequam Archangelus causam sui adventus Virgini exponeret, his verbis eam salutavit. *Ave gratia plena.* Observo quod potius eā salutet hoc termino *Ave*, quam *Salve*, uti eam salutat Ecclesia dicens: *Salve Regina, salve S. Parens*, & revera sine magno mysterio hoc non est factum. Meus Seraphicus S. P. Bonaventura dicit To *Ave*, idem esse ac *sine* |*væ*. To væ significat culpam, peccatum ac maledictionem, ut ergo Angelus ostenderet Mariam esse sine væ, sine maledictione culpæ, imo ut toti orbi innotesceret, eam fuisse sanctissimam & innocentissimam, ideo potius dicit *Ave* quam *salve*. *Propter omnimodam*, inquit *S. culpæ carentiam & puritatem bene dicitur ave, id est, sine væ*; Insignis me hercle expositio valde conveniens Mariæ, & digna devotione mei seraphici Doctoris. Verum ad aliam forsan majorem transeo. Si ave sit idem ac sine væ, nec solum dicat negationem cujuscunque culpæ, sed etiam positionem & affirmationem, & actualem possessionem gratiæ (nam ubi non est culpa, est gratia, cum non detur inter ea status medius (quomodo subjungit Archangelus, *Gratia plena*? si ubi est gratia, ibi non sit culpa, & econtra, ne idem bis repeteret, unum è duobus meo videri omittere debuit.

Scriptura. Luc. I.

Luc. I.

Sanctus Pater Fulgentius insigniter respondet, *Cum dixit Ave salutationem illi cœlestem exhibuit, cum dixit gratia plena, ostendit iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam.* Nil hic est superfluum inquit Fulgentius, neque aliquid repetitur quod debeat omitti. Verum est, quod *ave* sit idem, ac sine væ, ut notat Bonaventura, sed idem etiam est, ac salve. Cum ergo Angelus deberet ex parte Dei Virginem salutare, cum caruerit culpâ, meritò dixit *ave*: talis enim salutatio debebatur Virgini, & exprimebat ejus innocentiam. Attamen To ave se solo non habet illam energiam, quam habent verba, *gratia plena*: pro quo scire debetis, protoparentes nostros à Deo fuisse benedictos, & dotatos gratiâ & justitiâ originali; verum violato præcepto incurrerunt inimicitiam, & maledictionem ipsi, & nos in ipsis; ipsi, quia peccarunt actualiter, nos, quia peccavimus in ipsis originaliter. Attamen postquam Virgo venit in mundum, Deus reconciliatus est naturæ humanæ à Virgine repræsentatæ, & ut ostenderet hanc Virginem non contraxisse inimicitiam Dei, nec maledictionem peccati originalis, imo ei ex speciali Privilegio restitutam primam benedictionem justitiæ originalis, in qua creati sunt Proto-parentes nostri, idcirco Angelus illam non solum salutat salute cœlesti expressivâ ejus puritatis, & innocentiæ, sed & subjunxit eam fuisse gratia plenam, ut sciamus, quod hæc fuerit eadem Innocentia, quam Proto-Parentes amiserunt per peccatum, & quod illa Virgini data sit ex privilegio speciali ab illo, qui per Angelum illam salutavit, & voluit incarnati in ejus purissimo, & sanctissimo ventre *Cum dixit Ave, &c.* In hujus confirmationem dixit Thesiphon Episcopus & Martyr, Discipulus sancti Jacobi Majoris. *Nunquam Angelus Mariæ diceret, ave gratiâ plena, si in peccato originali fuisset concepta.*

Serm. de laud. Mariæ.

VII.

Medicina

VII. Domini Medici, à vobis libenter ſcirem, an bona temperies perdita, poſſit alicui reſtitui. Erit aliquis optimè ſanus & temperamento perfectiſſimo, quod aliquis poſſit habere præditus. Confidit ſuæ bonæ complexioni & diſpoſitioni, parum curat ſuam ſanitatem, judicando ſe impaſſibilem & invincibilem, fræna laxat vitæ inordinatæ, ita ut paulatim conſumptâ primævâ temperie, fiat infirmus & debilis, & qui antea videbatur turris fortitudinis, jam eſt debiliſſimus juncus. Hic quæro expertiſſimi Domini, an talis per medicinam poſſet primævo ſtatui reſtitui?

Affirmativè reſpondet Galenus. Sed quæſo quo medio? reſpondet idem. *Vt priſtinum evocetur temperamentum, ea eſt applicanda medicina, quæ ei omninò ſimilis ſit.* Nolo hic refragari dicto hujus protomedici, ob axioma commune, *contraria contrariis curantur*; nam hoc eſt veriſſimum, quando debet pelli morbus & ſanitas recuperari, ſed non conducit, dum ſanitas eſt conſervanda & perdita temperies reddenda, ut enim dicit Avicenna: *Ægritudo ſuo medicatur contrario, & conſervatur ſanitas ſuo ſimili* Idem dicit Galenus adhærens Avicennæ. *Sanitatis cuſtodia ſit perſimile.* Et ratio eſt optima, *quia ſimile conveniens eſt & amicum naturæ, contrarium verò inimicum & moleſtum*, ſimili modo procedendum eſt, dum bonum temperamentum amiſſum aliquis vult recipere, nam debet adhiberi medicina conveniens ſtatui, in quo reperiebatur perſona ante temperamentū amiſſum. Hinc optimè Galenus: *Vt priſtinum &c.*

Applicatio.

VIII. Nunc ad Virginem: *Ave gratia plena.* Homo à Deo fuit creatus in optimo & perfectiſſimo temperamento: non loquor de temperamento corporis, cum de illo etiam meum dictum veriſſimum ſit, ſed de temperamento animæ: potentiæ ejus ita erant bene regulatæ, ut portio ſuperior ſine ulla contradictione, tantâ promptitudine ſubjiceretur Deo, quantâ inferior ſubdebatur rationi, ita ut ſi homo permanſiſſet in iſto ſtatu, nunquam defeciſſet, nec minimum gradum ſuæ complexionis temperatiſſimæ perdidiſſet, & ſemper perſeveraſſet in illa æquitate, in qua à Deo fuit creatus, juſtitia ſiquidem originalis fovebat illam rectiſſimam complexionem. *Fecit Deus hominem rectum.* O quam rectam temperiem habuit homo in ſua creatione! ſed en miſer à ſerpente fraudulenter deceptus ſe non moriturum, *Nequaquam moriemini*, cœpit laxare habenas propriæ concupiſcentiæ, ita ut amiſerit juſtitiam originalem, quâ amiſsâ temperamentum humanum adeò fuit turbatum, ut non amplius obedierit Deo, nec portio inferior ſuperiori, & miſer exiguo tempore factus fuerit ſchema miſeriarum, cadaver mortuum, cloaca fœtens. O infelicem ſtatum hominis poſt amiſſam juſtitiam originalem!

O Salvator generis humani, & quomodo illa temperies amiſſa poterit recuperari? quomodo homo poterit reſtitui ſtatui primo? nil aliud faciemus, quàm ſequi doctrinam Galeni, *Vt priſtinum &c.* Ut anima denuò ſubjiciatur Deo, & corpus animæ eâdem rectitudine quam habuit ante lapſum, non ſunt adhibenda medicamina ei contraria, ſed ſimilia & conformia temperamento ejus priori. Hoc conſiſtebat in juſtitia virginali, & ideo hæc debet eſſe medicina applicanda.

Nunc ſic diſcurramus: Virgo ſanctiſſima reſtituit genus humanum ſtatui, quem amiſit ob culpam primæ matris Evæ, & eſto omnia individua illi ſtatui non ſint reſtituta, tamen ex privilegio ſola Maria illi reddita eſt. *Reſtituit quæ prima tulit*, inquit Arator. Ergò in Maria reſplenduit temperies noſtrorum protoparentū, quæ dependerit à juſtitia originali. In Maria fuit reperta illa perfectiſſima temperies, quia anima totaliter fuit ſubjecta Deo, & pars inferior animæ, ita ut nunquàm nec in ulla occaſione potuerit dici de illa, quod fuerit non ſubjecta Deo ſed Dæmoni; & quia nunquam fuit turbatum illud rectiſſimum temperamentum, uti fuiſſet factum ſi vel unico momento anima ejus fuiſſet inimica Deo, ideo dicebat Arator de Maria: *Reſtituit quæ prima tulit.* Dicamus ergò quod Maria in inſtanti ſuæ conceptionis fuerit ornata gratiâ & juſtitiâ originali ſicut Eva, ideò Sanctus Pater Bernardus; *quod vel paucis mortalium conſtat fuiſſe collatum, fas certè non eſt ſuſpicari tantæ virgini eſſe negatum*, & propterea ſubjungit Sanctus Bernardinus Senenſis: *Certum eſt, quod Deus creavit Evam ſine peccato: modo non eſt credendum, quod ipſe filius Dei voluerit naſci ex Virgine, & ſumere ejus carnem, qua*

Epiſt. 174. ad Canonicos Lugdinenſes. Tom. 4. Serm. 49. parte 1.

qua eſſet maculata ex aliquo peccato originali Imò credendum eſt, quod voluit ſumere carnem puriſſimam, & quod mater ejus fuerit plus quam Eva & Adam, qui creati fuerunt ſine peccato originali. Quid ergò miri, quod Gabriel eam ſalutârit dicens: *Ave gratia plena*? Volebat ſignificare in hac immaculatiſſimâ Virgine eſſe reſtitutam primam temperiem turbatam in protoparentibus per amiſſionem juſtitiæ originalis, & quod gratia perdita in Eva, fuerit in Maria. *Cum dixit ave* &c. Concludat S. Theſiphon: *Nunquam Angelus, &c.*

Scriptura. *Pſal.* 18.

IX. David loquens de adventu Meſſiæ in mundum dixit: *In Sole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquàm ſponſus procedens de thalamo ſuo.* Juxta omnes expoſitores ſacros hic loquitur Spiritus ſanctus de incarnatione Verbi, in puriſſimo utero Mariæ, ita ut hanc virginem immaculatam, ſoli compatet. Hic NN. Curioſus intro ſcire percupiens, cur Verbum æternum eligens hanc Virginem in ſuam matrem & habitationem, eam potiùs compatet ſoli, quàm lunæ, aut ſtellis? Obſervo Nazianzenum, idque cum magno fundamento affirmare, creationem ſolis fuiſſe aliquo modo miraculoſam; Cum enim omnes res eſſent compoſitæ ex materia & forma, in omnibus creaturis Deus, qui communiter obſervat curſum naturæ, prius produxit materiam earum, quàm formam, ſic Deus in creatione rerum proceſſit: produxit enim illas privatas ad minus forma accidentali, & dein illas perfecit, dando iis formam convenientem. Produxit prius cœlum rude ſine luce, ſine ſtellis, terram vacuam & ſpoliatam omni ornatu, & dein produxit ſtellas ornantes cœlum, herbas & plantas illuſtrantes terram. Sed formans hoc grande lumen Solis, prius produxit formam Solis, ſcilicet lucem, ut habet opinio communis, & poſtea materiam ſeu corpus ſolare. Primò dixit Deus: *Fiat lux, & facta eſt lux*, & dein creavit corpus hujus maximæ facis cœli. *Cum aliis rebus*, inquit Nazianzenus, *hanc rationem tenuiſſet Deus, ut materiam prius conderet, ac deinde eam formâ conveſtiret, hic ut majoris cujuſdam miraculi ſpecimen ederet, formam materiâ priorem protulit; forma enim Solis lumen eſt, ac poſtea materiam induxit, Solem hunc nimirùm diei oculum fabricatus.* In his verbis obſervo, quod Deus dum produxit prius lucem formam Solis, & poſtea ejus materiâ, operatus ſit contra curſum ordinarium & morem Dei uſitatum in productione aliarum rerum, ita ut hoc fuerit privilegium Soli tantùm conceſſum, imò prodigium & miraculum valde ſingulare & excellens. *Hic ut majoris cujuſdam miraculi ſpecimen ederet, formam materiâ priorem protulit.* Ut verum dicam, cum productio Solis adeò fuerit aliena à productione aliarum rerum, & prodigioſa & miraculoſa? Sed quid habet connectionis, quod hoc modo fuerit à Deo productus Sol, cum eo quod produxerit Virginem, ut in eâ veluti corpore ſolari locaret ſuum tabernaculum & habitationem. *In ſole poſuit* &c.

Gen. Oratione 43.

O myſtetia ſtupenda! S. P. Damaſcenus meo videri pleniſſimè ſatisfacit. *Natura gratiæ fructum antevertere minimè eſt auſa, verum tantiſper expectavit, dum gratia fructum ſuum produxiſſet.* Quid hoc ſignificat? attendite Auditores: In productione Solis materialis intervenit materia & forma, lux tanquàm forma, corpus ſolare tanquàm materia. Eodem modo in creatione Mariæ, puta in primo inſtanti ejus conceptionis, intervenit natura tanquàm materia, gratia tanquàm forma: Sicut itaque in productione Solis fuit prius creata forma, ſcilicet lux Solis, & dein materia, quæ debebat informari ab hac forma, ita ut prius intenderit formam, quàm materiam, eodem modo in productione & conceptione Mariæ præceſſit gratia naturam, ita ut natura, quæ alias juxta curſum communem in reliquis poſteris Adami gratiam prævenit, in productione Mariæ fuerit poſterior & permiſerit gratiæ operari, reddendo illam animam totaliter gratam Deo. Et ſicut productio lucis ante materiam primam fuit prodigioſa, uni tantùm ſoli conceſſa, ſic & productio gratiæ Marianæ in primo inſtanti conceptionis, quaſi ante naturam fuit prodigioſa, & privilegium ſpecialiſſimum Mariæ. Hoc voluit dicere Nazianzenus loquens de ſole, throno Dei. Idem declaravit Damaſcenus. *Natura gratia* &c. Idem ſignificavit David dicens: *In Sole poſuit*, &c. *Oratione de nativit. Mariæ.*

X. Non poſſum minus, quin hanc ſcripturam inſigniſſimâ & curioſiſſimâ doctrinâ Aſtronomiæ illuſtrem. Obſervant Aſtronomi moderni, mediante Theleſcopio & variis canalibus Aſtronomia.

tibus, diverſas novitates in diſco & corpore ſolari, Verbi Gratia, quod Sol oriens & occidens habeat figuram ovi, quod deſcendens vel aſcendens horizontem videatur tremere, quod in ipſo compareant quædam lucidiſſimæ ſtellæ reſplendentes ſicut faces, quod in ipſo cernantur quædam obſcuritates quaſi eſſent maculæ nigræ, hæc & alia ſimilia obſervant moderni Aſtronomi, ſed relictis aliis novitatibus ſcire vellem; an realiter in diſco ſolari ſint illæ maculæ, ſicut dicuntur eſſe in luna, an verò decipiatur viſus noſter.

Nonnulli moderni cenſuerunt, quandoque tales maculas videri non ſolùm in corpore ſolari ſicut contigit tempore Caroli magni, uti in ejus vita habetur, dum in corpore ſolari viſa fuit per octo continuos dies quædam macula parva & nigra, quam maculam dicunt fuiſſe ſtellam Mercurii, quæ illo tempore Solem comitabatur, ſed præterea mordicus affirmant, in corpore ſolari tales à primæva origine fuiſſe, & videri plurimas maculas nigras multò tamen minores, quàm videantur in luna. De his maculis fusè tractant Galilæus & doctiſſimus Pater Scheinerus.

Aſtronomi antiquiores nunquàm potuerunt ſibi perſuadere, has maculas eſſe in Sole, quamvis concedant ſtellam Mercurii, quandoque directè locatam eſſe ſub corpore ſolari, & cum ob interpoſitionem illius ſtellæ inter nos & ipſum Solem, radii ſolares non poſſint ad nos pertingere. Sol in aliqua parte obfuſcatur & videtur habere quandam minimam maculam. Verùm hoc eſt Soli accidentale, & provenit à cauſa extrinſeca, adeoque concludunt, in Corpore Solis nec ullam maculam, quantumvis minimam dari.

Attamen alii per inſtrumenta aſtronomica adverterunt non ratò, ſed ſemper plurimas minimas maculas in Sole videri: dicunt tamen, illas non ſubjectari in ſole, ſed videri circa ſolem, aſſeruntque, quod ſint quidam globoli materiæ cœleſtis condenſatæ, & hi ſicut & aliæ ſtellæ in illa parte quâ reſpiciunt ſolem, ſunt lucidi, ex parte verò oppoſita ob denſitatem eorum non illuſtrantur à lumine ſolis, adeoque in hac parte ſunt privati luce, & cum interjaceant inter nos & ſolem, reddunt illam partem à nobis viſam obfuſcatam & maculatam. Hæ ergò maculæ non ſunt realiter in ſole, ſed tantùm apparenter. Inſuper hi globoli, cum ſint terſi & opaci, recipiunt lucem à Sole, eamque ad ſolem remittunt, ita ut in Sole videantur ſcintillare multæ flammæ, quæ valde ejus lucē augmentant. Et hæc eſt alia novitas, quam moderni Aſtronomi in Sole obſervant.

XI. Nunc ad Mariam. *In Sole poſuit, &c.* Sol eſt Virgo noſtra Domina ab æterno electa, ut illuſtret Eccleſiam Dei, tam triumphantem, quàm militantem. *Electa ut Sol.* Fons lucis illuminans mundū, & Sol, qui ſemper ortus eſt & nunquàm occidit. Ita Chryſippus. *Ave Fons lucis omnem hominem illuminantis. Ave Solis ortus, qui nullum ferre potuit occaſum.* Sol, & quidem veſtita Sole fuit Maria viſa à Joanne. *Mulier amicta Sole, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Si non eſſet hic Sol in Eccleſia, hæc jaceret ſepulta in denſiſſimis tenebris, & ſi occideret hic Sol, periret mundus. *Tolle Solem,* inquit Valentinorum Præſul Thomas, *quid eſt in mundo niſi tenebræ? Tolle Mariam ab Eccleſia, quid reſtat niſi caligo?*

Applicatio.

ſerm. de laudib. virginis.

Apoc. 12.

Conc. 1. de annunciatione.

Nonnulli cenſuerunt hunc ſacroſanctū Solem Mariæ in ſua productione & conceptione habuiſſe quandam maculam peccati originalis. Sic opinatus eſt S. Bernardus, Doctor Angelicus, meus Seraphicus Bonaventura, & alii graviſſimi Theologi, tam poſitivi, quàm ſcholaſtici. Porrò alii attentiùs contuentes hunc Solem divinum, affirmant in illo nullam fuiſſe maculam, cum ſit productus, ut eſſet fons ipſius Lucis. *Ave fons lucis,* &c. Hinc ipſemet Artifex cœleſtis, qui illam produxerat, optimeq ſciens eam eſſe totam Lucem ſine aliqua macula etiam originali dixit: *Tota pulchra es amica mea,* &c. Et ut dicit Idiota: *Tota pulchra es Virgo gloriosiſſima, non in parte, ſed in toto, & macula peccati, ſive mortalis, ſive venialis, ſive originalis non eſt in te, nec unquàm fuit, nec erit.* Maria fuit Sol & Fons lucis electa à ſuo Creatore ab ipſo primo inſtanti Conceptionis pro Solio & throno gloriæ ſuæ. Sic advertit Petrus Gallatinus in illud Jeremiæ, *Solium gloriæ altitudinis à principio Ego,* inquit Gallatinus, *per Solium gloriæ, gloriosam Virginem Meſſiæ Matrem intelligi arbitror quæ eſt ſedes Dei altiſſimi. Dixit autem à principio, ut oſtenderet eam abſque initiali peccato conceptam fuiſſe.*

De virgine Maria Cap. 2.

Libro 2. Cap. 18.

Sol

In primo sent. dist. 18. q. 2. a. 4. ad 3.

Sol fabricatus à Deo ſine macula originali, uti eam contuendo vidit Angelicus Thomas: *Puritas intenditur per receſſum à contrario, & ideo poteſt aliquid creatum inveniri, quò nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit, & ideo pervenit ad ſummum puritatis.* Vide, quomodo fuerit fons lucis, prout alibi obſervat.

In tertio ſent. diſt. 3. art. 1.

Quinimò ſanctus Bernardus in cœlo beatus, contemplans hunc Solem lucidiſſimum Mariæ, & in illum oculos fixius conjicieus, vidit quomodo fuerit deceptus, credens in illa eſſe maculam originalem, ita teſtatur Petrus Aureolus hiſce formalibus: *Bernardus dicitur illam opinionem retractaſſe ſaltem mortuus: unde dicitur, quod apparuit cuidam monacho poſt mortem cum macula in pectore, propter illa, quæ dixerat de Conceptione Virginis gloriosæ.* Hinc ſi aliquis putet ſe videre maculam in hoc lucidiſſimo Sole, illa non eſt ibi niſi apparenter, cum nulla etiam in illo fuerit pro primo inſtanti Conceptionis, quo à Deo eſt creatus & productus in utero ſanctæ Annæ.

O Virgo ſacratiſſima, quis non dicet te fuiſſe immaculatam à primo inſtanti tuæ puriſſimæ Conceptionis, cum tu ſis Sol, in quo ipſemet Filius Dei poſuit ſuam ſedem & ſolium regale; *In ſole poſuit, &c.* Quomodo non fuiſſet pura fabrica, & Conceptio tua in utero ſanctæ Annæ, cum fueris producta ut Sol, in cujus productione præceſſit forma materiam, uti notavit Nazianzenus? Quomodo Conceptio tua non fuiſſet mundiſſima, ſi teſte Damiano, *Natura fœtum, &c.* Hæ maculæ non ſunt in te Virgo immaculata, ſed in omnibus aliis, quantumvis ſanctiſſimis, qui te circumſtant. Tuimet Parentes etiam in hoc particulari caſu opaci fuerunt, adeoque nati cum privatione lucis hujus, ſed tu ex ſpeciali privilegio producta es tota Lux. Quod ſi quis, cui videatur in te reperiri maculam, eò quod deſcenderis à progenitoribus maculatis culpâ originali, apparenter tantùm eam videt. Viſus decipitur, qui videns culpam originalem in tuis parentibus, credit & quod ſit in te.

Locus Script.

XII. Regius Pſaltes loquens in perſona Virginis ſanctiſſimæ juxta doctiſſimum Abulenſem, Deo agit gratias, quod ſe in die pugnæ protexerit & defenderit, ita ut ab hoſtibus tam glorioſam reportârit victoriam. *Obumbraſti ſuper caput meum in die belli.* Valde peregrinus modus loquendi. Maximas tibi mi Domine refero grates, quod inſtante certamine, caput meum è cœlo armaveris, ne ullum vulnus reciperet. *Obumbraſti, &c.* Contra quem quæſo Regina cœli pugnavit? ſcio ab initio mundi inter fœminam & ſerpentem fuiſſe bellum indictum, *Inimicitias ponam inter te & mulierem.* Libenter fateor, hâc muliere ſignificatam fuiſſe Matrem Meſſiæ, & ſerpente dœmonem, uti docent omnes ſancti Patres. Sed obſervo hanc Matronam debuiſſe calcaneo pugnare contra ſerpentem, & illo conculcare ejus caput. *Ipſa conteret caput tuum & tu inſidiaberis calcaneo ejus.* Per hunc calcaneum ſanctus Pater Bernardus dicit intelligi Virginis virtutem, quâ Maria tot victorias à Serpente infernali reportavit. *Ipſa conteret caput tuum,* inquit Bernardus, *nimirùm, ipſa eſt quondam à Deo promiſſa Mulier ſerpentis antiqui caput pede Virtutis contritura.* Sed ſi pedibus Virgo debebat pugnare, vincere & ſuperare Dœmonem, hi meo judicio debebant defendi & muniri, ne in aliquo læderentur à ſerpente, contra quem debebat pugnare MARIA. Quomodò ergò Deo refert grates, quod armaverit & defenderit caput. *Obumbraſti ſuper caput meum in die belli?* Si virtus Virginis ſignificetur per pedes, quale erit ejus caput? Præterea, ſi MARIA ſuâ virtute per totam ſuam vitam ſemper pedibus ſuis calcavit ſerpentem infernalem, quis fuit ejus dies pugnæ, quo à Deo fuit armatum caput hujus valoroſiſſimæ Amazonæ?

Pſalm. 43.

Gen. 3.

Serm. 14. in Apoc.

Valde bene reſpondet Abulenſis, dicens, per Caput Virginis, intelligi principium ejus vitæ: *Caput principium vitæ eſt.* Per diem certaminis, inſtans Conceptionis, in quo Dœmon inevitabiliter vulnere peccati originalis ſauciat omnes poſteros Adami. *Dies autem belli eſt inſtans Conceptionis, in quo Dæmon originalis macula dominatur de anima.* In hoc itaque inſtanti Dœmon, direxit jaculum ad Caput Virginis ſanctiſſimæ, ut illi infigeret maculam originalem, ſicut fecit omnibus

in Matt.

nibus aliis. Sed Deus videns jaculum à Dæmone jam paratum antequam pertingeret ad Caput Virginis, illam ad hanc armavit, & defendit ſuâ gratiâ, eamque à culpa, quam omnes alii contrahunt, præſervant. Hinc videns Virgo ſe protectam & defenſam, Deo ſummas egit gratias. Hinc ſubdit Abulenſis: *Principium vitæ Beatæ Virginis obumbratum fuit ab inſtanti Conceptionis, ex vi prævijionis meritorum Chriſti, & nullam contraxit maculam originalem, unde gratias agens Deo pro tanto beneficio dixit: Obumbraſti ſuper caput meum, &c.* Nil ergò miri, quod Virgo immaculata per totam vitam ſub pedibus virtutis calcarit caput Dæmonis infenſiſſimi ſui hoſtis, ſi in primo inſtanti Conceptionis per Privilegium ſpecialiſſimum ſui filii, qui eam defendit, ictumque, quem Dæmon ejus capiti intentavit, ab ea abegit, præſervata fuerit per ſuam gratiam ab originali nævo.

Hiſtoria. XIII. Crederem me nimis parcum fore, & dignum, qui à Virgine objurgarer, ſi hanc Scripturam non illuſtrarem pulcherrimâ hiſtoriâ, quam accidiſſe circa annum 1475. recenſent Petrus Juſtinianus, & Joannes Baptiſta Fulgoſus: referunt hi Turcas cùm bellum iis eſſet contra ſereniſſimam Rempublicam Venetam, ingenti exercitu appuliſſe ad Inſulam Metelinam; maximaque vi aggreſſos fuiſſe arcem Coccinam; cives omnes arcem animosè propugnabant, & inter hos quidam videns à Turcis unam portam invadi, indicibili generoſitate ſe oppoſuit illis canibus, ſed à multitudine hoſtium oppreſſus, tandem occubuit. Cives hoc caſu minimè territi, valoroſè defenſionem arcis continuarunt, eſto victoria ſemper magis faveret Turcis, qui quotidie magis arci appropinquabant. Hæc mors cùm perveniſſet ad aures unius ex filiabus ejus nomine Marulla, hæc intrepida & animoſa decrevit vindicare mortem ſui patris. Ideoque gladio & clypeo patris aſſumpto audacter ad portam illam incurrit, quam jam videbantur Turcæ occupaſſe, & facta capitanea unius Cohortis, tam generosè ſe Turcis oppoſuit, tamque dextrè ſe habuit, ut nec in minimo læſa, illam portam recuperarit, ſicque mortem ſui Patris, & totaliorum generoſorum militum vindicavit; ac ita conſternati Turcæ ignominiosè & turpiter ab arce receſſerunt, & arx per Marullam liberata manſit.

Fulgoſus lib. 3.

Appulit tandem illuc Dux generalis Venetorum; & adduci coram ſe juſſit generoſam illam Virginem, eam pretioſiſſimis dotavit muneribus, & obtulit, ut eligeret, quem vellet ex præſentibus Nobilibus in ſuum Sponſum. Generoſus & laudandus me hercle Dux, qui illam valoroſam Amazonam tam opulenter dotavit & honoravit.

Appli-catio. XIV. Nunc ad Virginem. *Obumbraſti ſuper caput, &c.* Inimicus non ſolum nominis Chriſtiani, ſed & totius generis humani, ſemper fuit Dæmon; A principio mundi, huic ſemper fuit infeſtus & moleſtus, inceſſanter cum illo pugnavit, quouſque illud ſuperavit, ſibique ſubjecit. Porrò majorem ſemper vim adhibuit, & adhuc adhibet in porta, ſeu in ingreſſu hominis ad vitam, puta in inſtanti Conceptionis. In hac porta fortiſſimos Athletas cœli devicit; & eorum quotquot in mundo comparuerunt, lancea culpæ originalis debellavit: *Omnes naſcimur filii iræ.* Hac crudeliſſimâ ſtrage profecutus eſt ſuas victorias uſque ad adventum MARIÆ. Verum enimvero, poſtquam hæc comparuit in eadem portâ, in primo inſtanti ſuæ Conceptionis, poſtquam inquam hæc comparuit, Virgo quidem, ſed necdum adulta, imò ne quidem nata, ſed ſimpliciter concepta, armata ipſiſmet armis ſui Patris hoc eſt naturæ & carnis ipſius Adami, favente ſibi cœlo tam generosè pugnavit, ut in hac porta ſuæ Conceptionis vindicarit mortem ſpiritualem ſuorum progenitorum & concivium, & ipſa ſola exempta à noxâ originali, cum ignominia dæmonis & totius Inferni à ſuis hoſtibus potentiſſimis glorioſam reportavit victoriam. Hinc Petrus Damianus: *Caro Virginis ex Adam aſſumpta, maculas Adæ non aſſumpſit.* Et en tota glorioſa laudat, Deoque gratias agit ob reportatam victoriam. *Qui exaltas me de portis mortis.* Gratiasti- *Serm. de Aſſumptione.*
bi ago mi Domine & Deus, quod tantam mihi præſtiteris gratiam, ut in portis meæ Conceptionis, in quibus omnes mei progenitores ſunt ſauciati, & occiſi à cane infernali per mortem originalis noxæ, quæ mortem infert, me præſervaveris, & glorioſam dederis victoriam contra meos hoſtes,

ſtes. *Qui exaltas me de portis mortis.* Et in præmium hujus victoriæ fuit collocata ad dextram Dei, majoribus opibus dotata, quàm poſſit cœlum communicare, & immediatè deſponſata Spiritui ſancto, & creata Regina univerſi. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus in fimbreis aureis.*

Pſal. 44.

O robuſtiſſima Virgo, O glorioſiſſima Maria, quis dignè poterit celebrare tuum valorem, tuas glorias, tuos triumphos contra inimicos adeò potentes, victorioſos, & triumphatores de toto genere humano? Tuum ſolum generoſum factum in primo inſtanti tuæ puriſſimæ Conceptionis, adeò te evexit, & adeò formidandum reddidit toti inferno, ut tuum tantum nomen à nobis invocatum, & à dæmonibus auditum turbet & in viliſſimam fugam dæmones Dei, recordantur ſiquidem ſtragis & ruinæ, quam à te ſunt paſſi. Grates ergò refer ſanctiſſima Virgo Deo ob gratias & favores, quos ab illo conſecutus es. Dic *Obumbraſti ſuper caput, &c.* Nos etiam tecum pariter gratias agemus; & dicemus cum Abulenſi: *Principium vitæ beatæ Virginis obumbratum, &c.* Valoroſiſſima Virgo, glorioſiſſima Maria.

XV. Poſtquam Adam & Eva, Proto-parentes noſtri ad perſuaſionem illius maledicti ſerpentis, tranſgreſſi eſſent præceptum divinum, Deus terribilem illam ſententiam contra Infernum fulminavit. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius.* Quod per hanc mulierem intelligatur Maria, nemo dubitat, ſed omnes Patres omninò confirmant. Hinc ſanctus Bernardus: *De Maria dictum eſt ad ſerpentem, inimicitias ponam inter te & mulierem.* Imò ipſe Deus expreſsè declarat, dum dicit *ponam*, & non *pono*, volens ſignificare, illam mulierem non fuiſſe Evam quæ tunc vivebat, ſed Mariam, quæ naſci poſtea debebat. Idcircò ſanctus Cyprianus. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, non certè pono dicit, ne ad Evam pertinere videretur, ſed ponam, id eſt ſuſcitabo mulierem, quæ repudiatâ facultate credendi, non ſolùm te non audiat, ſed ipſo etiam Gabriele deferente verbum rationem de promiſſorum exigat novitate.* Quod ergò inter Virginem noſtram Dominam, & ſerpentem, puta Dæmonem, debuerit hæc hoſtilitas ardere, & teſte Ruperto Abbate, Maria ſemper vincere, nullatenus dubito; Sic enim ipſe Deus oſtendit dicens: *Ipſa conteret caput tuum.* Verùm obſervo hanc hoſtilitatem ardere debuiſſe non ſolùm inter MARIAM & ſerpentem ſtygium, ſed & utriuſque ſemen. Quod per ſemen Mariæ intelligatur Chriſtus, eſt commune placitum Sanctorum Patrum, & ſingulariter Ruperti: *Certiſſimè hic illius ſemen mulieris promittitur, quod eſt Chriſtus.* Hic eſt ſemen Mariæ, quia abſque viro ex ea tantum originem duxit. Verùm alii ſic cenſent. *Poterit per ſemen mulieris ſanctitatis ejus* (puta Mariæ:) *& puritatis initium intelligi.* Ab ipſo igitur orbe condito, Deus belſum & inimicitiam capitalem inter ſemen Mariæ, quod non tantum fuit Chriſtus, ſed & principium puriſſimæ ſanctitatis Mariæ, & ſemen ſerpentis poſuit. Sed quale amabo eſt ſemen ſerpentis, quod cùm ſemine Mariæ bellum debebat gerere adeò atrox, à ſemine Mariæ ſuperari?

Lib. 3. in Gen. c. 19.

Novarin. in umbra virginea.

Beatus Alcuinus dicit: ſemen ſerpentis nil eſſe aliud, quàm peccatum originale, & meritò; ſicut enim ſemen eſt omnium rerum primordium, à quo omnia habent eſſe; ſic juxtà Theologos peccatum eſt radix omnium aliorum peccatorum. Nunc ſic: Ex Dei decreto inter ſemen MARIÆ, quod eſt principium ſanctitatis Marianæ receptæ à Deo in primo ſui eſſe, & Conceptione, ac ſemen ſerpentis infernalis, debebant intercedere hæ hoſtilitates, & ſemen Mariæ debebat ſuperare, ſicut Deus decrevit: *Ipſa conteret caput tuum*; Ergò Deo decernente, Maria in primo inſtanti ſuæ Conceptionis debebat vincere ſemen ſerpentis, quod eſt peccatum originale, ergò illud non contraxit, aliàs contra decretum Dei fuiſſet victa, & non victrix.

Interrog. 75. in Geneſ.

Addite aliam ponderationem. Cur Virgo debens devincere ſerpentem infernalem Deo jubente, debebat potiùs calcare ejus caput quàm caudam, vel pectus. *Ipſa conteret caput &c.* Præterea qua parte corporis Virgo caput ſerpentis calcatura erat pede & calcaneo, uti ex his verbis conſtat. *Et tu inſidiaberis calcaneo ejus.* Sed cur decernit Deus, ut Maria vincat ſerpentem potiùs

Scriptura.

Gen. 3.

Rom. 2. ſuper miſſus eſt.

Lib. 2. adven. ad cap. 9.

tûs ſuo pede calcando caput, quàm pectus vel caudam ?

Lib. 3. in Gen. c. 20. O quam inſigniter per hoc probatur Conceptio puriſſima Mariæ ! Rupertus Abbas, libro tertio in Geneſin, capite vigeſimo, refert tanquan rem veriſſimam, & clariſſimâ experientiâ demonſtratam ſerpentem ſtatim mori, ſi fœmina pede nudo, vel leviter ejus caput priùs premat. Quod ſi gladio, vel alio inſtrumento ſerpentem feriret, ſecaret, dummodo caput non tangatur, & adhuc corpori aliqualiter adhæreat, ſerpens non morietur. Econtra ſi ſerpens quantumvis minimus primo mordeat etiam leviſſimè minimam partem pedis fœminæ, illa morietur, quia leviſſima illa morſione infectio veneni ſerpet per ſanguinem & venas, & fœminam occidet, ſicut cecinit Lucanus.

l. 9. phar.

Noxia ſerpentum eſt admixto ſanguine peſtis.
Morſu virus habent, & fatum in dente minatur.

Nunc ſic diſcurrite. Si ſerpens infernalis dente venenoſo peccati originalis primo momordiſſet & ſauciaſſet Mariam, ſanè Maria fuiſſet devicta à ſerpente; Atqui Deo decernente, Maria debebat vincere (uti & de facto vicit) & ſuo pede calcare caput ſerpentis, ergò ipſa primo ſerpentem ſauciavit & læſit. Subdite : Venenum ſerpentis ſtygii, quod latet in capite & dente illius, eſt culpa originalis, quæ juxtà Theologos eſt prima infectio, & radix omnium malorum, ſicut ècontra juxtà Bernardum, pes Mariæ eſt virtus & gratia divina, ergò ex decreto Dei Virgo præventâ gratiâ divinâ non contraxit peccatum originale, ſed illud calcavit. *Ipſa eſt quondam à Deo promiſſa mulier, ſerpentis antiqui caput pede virtutis contritura.*

Ser. 4. in Apocal.

Medicina. XVI. Cogor Philoſophos pariter, & Medicos ad ſtabiliendum hunc conceptum conſulere Ab his ſcire percuperem, num aurum arte chymicâ fabricatum ab Alchymiſtis, qui adeò confundunt in illa anima auri, ut putent ſe mutare minimam particulam Oceani vaſtiſſimi argenti vivi in aurum puriſſimum, uti nimis præſumptuosè cecinit Aurelius Augurellus.

Ipſius ut tenui projecta parte per undas
Æquoris argentum ſi vivū, tum foret æquor
Omne, vel immenſum verti mare poſſit in aurum.

Scire ab his doctiſſimis vellem, an aurum chymicum poſſit eſſe medicina noſtrorum corporum, ita ut ex illo fiat aurum potabile, medicina tam excellens, ut ſuo modo reſuſcitet mortuos.

Alchymiſtæ Philoſophi & Medici, qui ceaſent argentum vivum & alia metalla arte poſſe mutari in aurum non falſum & adulterinum, ſed vivum & reale, conſequenter affirmant, Medicum illo poſſe uti tutâ conſcientiâ, illudque illos effectus producere in infirma, quos producit aurum naturale productum à Sole in viſceribus terræ.

Alii rationibus & experientiæ pauperum chymicorum innixi, dum judicant illam artem non minùs falſam & fictam, quàm inutilem & noxiam ſimpliciter docent, licitè neminem poſſe aurum chymicum alicui Monetæ miſcere, eoque in contractibus & medicinis uti. Quod probans authoritate Joannis 22. qui dixit : *Spondent, quas non exhibent divitias pauperes Alchymiſtæ: pariter qui ſe ſapientes exiſtimant, in foveam incidunt quam fecerant, &c.* Favet his Doctor Angelicus, cui adhæret Cajetanus, docens ex pluribus rationibus, utentem auro chymico in contractibus, obligari ad reſtitutionem.

Alii tandem eſto concedant arte chymicâ poſſe fieri aurum verum & reale, negant tamen quod quis eo uti poſſit in contractibus & medicinis, quamvis dicant licere ex illo formare annulos, torques, vaſa aurea, vel alia ornamenta pro ornatu domuum & hominum. Verùm ego ab his ſcire vellem, cur auro chymico non liceat uti in medicinis, ſi ſit aurum verum & reale? Reſpondent aurum naturale fabricatum virtute Solis retinere in ſe quaſdam qualitates vitales & ſalutares, quæ arte chymica non poſſunt cõmunicari metallis, eſto in aurum mutatis, nec illam materiam tam perfectè poſſe purificari à nocivis & pravis qualitatibus, ut non aliquæ remaneãt, quæ quia ſunt nocivæ ſanitati, prohibẽt ne quis auro chymico in medicinis poſſit uti.

Applicatio. XVII. Nunc ad Virginem puriſſimam: *Inimicitias, &c.* Peccatum originale vocatur argentum vivum. Sic illud vocavit Cauſſinus in ſuis ſymbolis : *Labes hydrargyros a. vi.* Argentum vivum magis infectum, & venenoſum, quàm ſit argentum vivum naturale pro-

ductum in viſceribus terræ, quodque magis officit animæ, quàm hoc corporibus. Et ſicut hoc eſt materia, alimentum, & fundamentum omnium metallorum, ſic illud eſt radix & ſemen omnium peccatorum. Hinc pulcherrimè Patres Theologi; *Peccatum originale tametſi unum ſit, in virtute & energiâ continet omnia, ex eo namque veluti ex radice, & ex mortis vena omnia naſcuntur.* Argentum vivum, quod infecit totam naturam humanam, & quod penetrando medullas illius contaminavit (ita docente eleganter Doctore Angelico) offendit- 3. 2. q. 73. art. 3. que omnes ejus facultates & potentias, rationem infecit ignorantiâ, voluntatem malitiâ, iraſcibilem infirmitate, concupiſcibilem intemperantiâ.

Aurum puriſſimum, pretioſiſſimum & perfectiſſimum fuit Virginitas, integritas, innocentia Mariana. De ea ſic Abbas Guiſſolenſis. *Ut omnis metalli ſpecies auro inferior eſt, ita omnis alia pudicitia decori Virgineo comparari non poteſt.* Addit ſanctus Maximus: *Omnis pulchritudo ad Virginem comparata eſt turpitudo, & omnis innocentia peccatum.* Maria fuit aurum non chymicum, adulterinum & falſum, ſed aurum verum, reale, puriſſimum, fabricatum à Sole æterni Patris in Minerâ puriſſimâ uteri ſanctæ Annæ. Aurum, ex quo debebat formari Moneta tam pretioſa, tantique valoris Chriſtus noſter Dominus, qua mundus debebat comparare Regnum cœlorum. *Empti enim eſtis pretio magno.* Aurum, ex quo debebat confici medicina tam ſalutaris, quæ mundo perdito & deſperato ſalutem æternam porrigeret. Hinc Bernardus: *Salutis antidotum viris & mulieribus propinavit.*

O Virgo benedicta, Virgo immaculata, Virgo puriſſima; quandoquidem à primo inſtanti tuæ Conceptionis, imò ab annis æternis deſtinata fueris ad fabricam hujus Monetæ pretioſiſſimæ, & hujus auri potabilis, quod debeat eſſe unicum & ſingulare medicamen noſtræ ſalutis, quomodo aurum carnis & animæ tuæ potuit eſſe chymicum, adulterium, mixtum argento vivo peccati originalis? Si tutâ conſcientiâ non liceat uti in contractibus & medicinis auro chymico, quantumvis benè purgato, eò quod ab argento vivo contraxerit aliquid peſtilentialis & venenati, quomodo aliquis ſibi perſuadere poſſit, Patrem æternum voluiſſe ex carne tuâ Monetam & Medicinam, tuum ſcilicet filium, quâ debebat mundus comparare Paradiſum, & ſalutem animæ formare, ſuppoſito quod fuerit mixta argento vivo peccati originalis. Quandoquidem tua Conceptio fuerit puriſſima, & ſine infectione argenti vivi originalis culpæ, nunquam potuit Alchymiſta dæmonis illud infundere animæ tuæ; Nam ille Proto-Medicus ejus conatus elifit, qui aurum puriſſimum tuæ carnis deſtinavit, ut ex eo formaretur aurum potabile unicum remedium ſalutis humanæ, *Salutis antidotum &c.* Nil ergò miri inquit Spiritus ſanctus, bellum eſſe indictum inter ſemen ſerpentis, hoc eſt peccatum originale, & ſemen hujus immaculatiſſimæ Virginis, puta innocentiam, integritatem, puritatem ejus Conceptionis.

XVIII. O Virgo puriſſima, ſanctiſſima, Epilogus. immaculatiſſima, quidquid dixerint linguæ humanæ ad magnificandam & celebrandam innocentiſſimam puritatem tuæ Conceptionis, longè inferius erit meritis illius, cùm lingua maculata pro merito non poſſit agere de rebus immaculatis. Lingua requiritur Angeli; Cùm enim hic ſit ſine macula, quo clarius cognoſcet tuam puriſſimam innocentiam; eò puriorem & candidiorem eam propalabit.

Illam declaravit Spiritus ſanctus à principio mundi, quando relictâ terrâ & cœlo elegit pro ſuo Throno & ſolio aquas à Deo ſine ullo defectu in ſumma perfectione productas.

Illam plùs quàm clarè expreſſit Angelus Gabriel, dum te ſalutavit: *Ave gratia plena*, ſignificans in te mortificatam ſententiam maledictionis in Evam fulminatam, & in te reſtituendam benedictionem ab Eva amiſſam, & in te perfectè micaturum temperamentum homini à Deo in ſua Creatione datum, & per peccatum amiſſum ac turbatum.

Nec minùs efficax fuit ad hoc intentum, quod Deus elegerit Solem pro ſuo Tabernaculo, ut mundus intelligeret, quod ſicut Lux Solis præceſſit productionem hujus magnæ facis; ſic gratia in te prævenerit naturam, & quod ſicut Sol à Deo productus eſt ſine maculâ, quia receptaculum fuit Lucis, ſic & tu ſine macula culpæ originalis fueris producta tan-

tanquam illa, quæ recipere, imò & producere debuit fontem divinæ Lucis. Significavit id David Propheta, dum prævidit in die, quo pugnam inire debuisti cum Dæmone, Deum Patrem munisse caput, & instans tuæ Conceptionis galeâ suæ divinæ gratiæ, ut ictus culpæ originalis ab illo arcerentur, & frustrarentur, & tu in porta hujus arcis infusionis animæ tuæ vindicares mortem tuorum progenitorum, & totius generis humani.

Id clarissimè expressit ipsemet Deus à principio mundi, dum bellum inter te & serpentem stygium, inter semen tuæ innocentiæ & semen dæmonis, hoc est, peccatum originale seminavit; declarare siquidem voluit Deus, te debuisse vincere & triumphare, teque per tuam purissimam innocentiam debuisse esse purissimum illud aurum sine ulla infectione, aut argento vivo culpæ originalis, ex quo auro debebat formari illa Moneta filii Dei, quâ debebat comparari Cœlum, & ex quo debuit confici aurum potabile ejus pretiosissimi sanguinis, quod debebat dare salutem æternam.

Cœlum itaque Virgo purissima, Sancti Angeli, ipsemet Deus totum consistorium sanctissimæ Trinitatis se impendunt ad magnificandam, exaltandam, persuadendam puritatem, innocentiam, integritatem quâ tuus divinissimus filius te dotavit & ornavit in primo instanti tuæ Conceptionis, & quia meus non sufficit animus, & vires meæ hoc præstare non valent, suppleat id mea devotio, quam semper cordi insculptam geram, & à qua mihi majores gratias promitto. Amen.

ELOGIUM XXXV.

Pro Festo Virginis & martyris S. Luciæ.

Columna es immobilis Lucia Sponsa Christi. Ecclesia.

Astrologia.

I. MAximam occasionem habeo hoc mane à vobis interrogandi (N.N.) an illa nova stellâ, quæ apparuit anno 1572. in constellatione Cassiopeiæ fuerit vera, an naturalis stella firmamenti; vel an fuerit de novo producta, aut potiùs aliquis cometa apparens in supremâ regione aëris.

Ut verum fatear, omnes Astronomi illius temporis valdè torquebantur, nec capere valentes, an illa nova impressio esset in cælo, vel in Elementis, in diversas abierunt sententias.

Nonnulli dixerunt, eam non fuisse stellam ordinariam firmamenti, quia nunquam antea fuit visa, & elapsis duobus annis paulatim evanuit, ex quo patet, quod non fuit stella ordinaria firmamenti. Etiam non voluerunt eam esse de novo productam in eodem firmamento, neque in cœlo aliquo inferiore, quia juxta seniores Philosophos in cœlo nihil de novo potest generari vel produci, cùm illud sit ingenerabile, & incontemptibile & inalterabile.

Alii censuerunt eam fuisse ordinariam stellam firmamenti, & quidem propè constellationem Cassiopeiæ. Quod si iis objicias, quomodo nunquam antea fuerit visa, & quomodo posteà evanuerit, respondebunt, illam stellam ex seesse minimam, & quod toto illo tempore, quo adeò grandis apparuit, habuerit

buerit ſub ſe ac inter ſe, & oculos noſtros maximam copiam vaporum ſublevatorum, ob quam interpoſitionem apparuit major, quàm ante; porrò reſolutis, ac deſtructis iis vaporibus eam evanuiſſe, non quaſi ipſa perierit & corrupta ſit, ſed quia reſolutis vaporibus, per quos facta erat viſibilis, reſtituta eſt ſtatui primævo, & facta viſibilis, ob ſuam parvitatem ſicut ante.

Alii tandem aſſeruerunt, illam quidem fuiſſe ſtellam firmamenti, ſed de novo productam à Deo ob fines ſibi notos; cùm velut auctor naturæ potuerit illam ſtellam, & majores de novo producere in Cœlo; Quod fuerit de novo producta probant exinde; quod antea non fuerit viſa, & quod poſtea evanuerit. Quod fuerit in firmamento, patet exinde, quod obſervantibus Aſtronomis ejuſdem temporis, ubique ſive in Oriente, ſive in Occidente, ſive in Meridie ſive in Septentrione ſemper ab omnibus fuerit viſa eadem figurâ, eodem ſitu & magnitudine, quod propriè competit ſtellis fixis, eſto de novo in firmamento eſſent productæ. Nec hoc poteſt competere cometis, qui non videntur in toto univerſo, nec in eodem ſitu & conditione. Ideò concludunt, quod fuerit ſtella firmamenti, & de novo à Deo producta, atque hominibus oſtenſa.

Applicatio. II. Firmamentum (N.N.) vocatur Eccleſia Dei, quia in illa reſplendent tot ſtellæ ſanctorum, & ſpirituum beatorum: *Qui lucent in perpetuas æternitates.* Stellæ firmamenti, quæ nunquam patiuntur eclypſin virtute ſuperni Solis, qui eis communicat ſplendorem. Sed harum aliquæ ſtellæ, à principio mundi affixæ ſunt & ſtabilitæ in illo firmamento nempè ſancti Angeli confirmati in gratia. Aliæ verò ſucceſſu temporis in eò reſplendent, & relucent ſummâ charitate dotatæ, nempè juſti, ſancti, ac amici Dei, de quibus dicitur *Fulgebunt juſti, ſicut Sol in regno patris mei.* Hinc videmus in hoc firmamento competere quaſi ſtellam de novo productam, unum Auguſtinum, Gregorium, Franciſcum, Dominicum, Agnetem, unam Catharinam, & alias infinitas diverſis temporibus prout Deo placet.

Matt. 13.

Et en in revolutione mundi, anno 290. ſub Diocletiano & Maximiano, oriri viſa eſt Lucia Syracuſana Virgo & martyr, primo in firmamento militantis, & dein triumphantis Eccleſiæ. Stella firmamenti, propter eminentiam ejus perfectionis & ejus puritatem virginalem Stella firmamenti per lucem incomparabilem ejus ſapientiæ, per ſplendores & radios ardentiſſimos ejus inflammatæ charitatis. Tandem ſtella firmamenti ſingulariter, quia ſemper retinuit eundem ſitum, eandem figuram, quæque ſemper demonſtravit ſe eſſe ejuſdem conditionis, quamvis reſpiceretur ab hominibus, Deo ſive propinquè, ſive remotè, ſive ab Oriente proſperitatis, vel occidente adverſitatis, ſive Meridie favorum Cœleſtium, ſive Septentrione martyriorum. Ad hoc ſignificandum cantat ſancta Eccleſia: *Columna es immobilis Lucia Sponſa Chriſti*: Virgo glorioſiſſima, invictiſſima martyr Chriſti, tu quæ jam tota es Cœleſtis concede, ut hanc tuam immobilem inconſtantiam in propoſitis dignè celebrem & orbi manifeſtem, nam de hoc hodie diſcurram.

ASSUMPTUM.

Sancta Lucia virgo & martyr laude fuit digniſſima, eò quod in omni eventu ſe eandem ſemper exhibuerit.

Scriptura. III. POſtquam Deus præter hominem, creationem rerum abſolviſſet, exiſtimans univerſum imperfectum ſine fabricâ hujus magni prodigii, ad complementum univerſi, hominem etiam creare decrevit: Porrò ut homo nobilior eſſet eum creavit ſibi ſimillimum: *Faciamu hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Utque eum magis dignificaret, dedit illi dominium, præfecturam in omnia hæc inferiora, *ut præſit piſcibus maris & volatilibus Cœli, & beſtiis, univerſæque terræ.* O quam inſignis creatura, quam nobilis ſtructura Dei! Sed ex qua materia creditis hunc nobiliſſimum coloſſum formatum? Legite ſacrum textum, & invenietis eum formatum ex luto, *Formavit Deus hominem de limo terræ*: Deus noſtro modo intelligendi accepit pauxillum luti, ſuiſque manibus inſtar pretioſiſſimi figuli in ictu oculi nobilius produxit opus, quam unquam ejus manibus exciderit. Creavit animam rationalem majoribus dotatam prærogativis, quam homo ordinarius habeat, eamque veſtivit corpore formato ex luto & terra. Condeſcendite quæſo meæ curioſitati. Cujus coloris creditis vos, fuiſſe illam terram? An forſan coloris nigri, rubei,

Gen. 3.

rubei, cineritii, vel alicujus alterius. ? Respondet doctissimus Cornelius à Lapide, terram fuisse rubram, & fortè ex nomine Adami id eruit, nam Adam significat terram rubram. Magnum factum est hoc. Corpus Adami, quo fuit vestita anima illa nobilissima & simillima Deo, fuit creatum ex terra rubra; Nunc (N. N.) venite mecum ad sanctum Paulum, hic dum hortaretur Colossenses, ut se converterent, singulariter eos monet, ritè & dignè, eos sese non conversuros, nisi prius illam vestem & habitum antiquum, quo fuit indutus Adam exuant. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis.* Significare voluit, nunquam conversionem nostram gratam futuram Deo, nisi anima nostra exuat illum habitum terrenum, quo anima nostri protoparentis in suâ creatione vestita est. *Expoliamus &c. Et induentes novum, qui secundùm Deum creatus est.* Cur quæso Paulus, ad hoc ut conversio & anima nostra placeat Deo, judicat deponendam esse illam vestem antiquam formatam à Deo ex terra, & quidem rubea? Cur non placeat Deo anima nostra amicta illo habitu rubeo, quo Deus vestivit Adamum in creatione.

Coloss. 3.

Lib. 2. ca. 8. Dionysius Uticensis loquens de terris fructiferis ait. *Optimum terræ solum nigrum est, & ab omnibus præ aliis laudatur.* Quod si causam curiosè quæratis, respondebit Uticensis, quod terra nigra longè superet in naturâ & fœcunditate terram rubram, & cujuscunque alterius coloris; Nam se accomodat omnibus anni temporibus, & omnibus partibus anni manet fœcunda; nam neque humidum, neque siccum, quæ summè nocent fertilitati aliarum terrarum, dum nimium excedunt, nocent terræ nigræ; nam hæc cum minori incommodo, quàm aliæ terræ & jam multo tempore sustinet siccitatem & humiditatem, cùm econtra aliæ, vel nimio ardore arefactæ non fructificent, vel nimio humore corruptæ inficiant fructus, vel tribulos, aut zizania producant. Sola terra nigra fœcunda manet, & suffert utramque conditionem temporis. Hinc Uticensis. *Optimum terræ solum nigrum est, & ab omnibus præ aliis laudatur, nam & imbrem & siccitatem fert.* Docens ergò Apostolus animam nostram à nobis spoliari debere veste veteri, quâ fuit induta anima Adami fabricati ex terra rubra, si velimus per nostram conversionem placere Deo, aliud significare noluit, quàm illum Christianum non placere Deo, qui in omnibus conditionibus temporum non se eundem ergà Deum & homines exhibet, & qui non est fœcundus & frugifer, tam in adversitatibus, & quando Deus suam subtrahit manum, quàm quando Deus pluit suas consolationes cœlestes. Quod si tantum ad Deum recurrat, eo tempore, quo Deus ei suos favores negat, obtentis verò à Deo discedat, vel si Deo gratias agat, eumque benedicit, quando favorem aliquem recipit, & favore cessante se reddat sterilem & infœcundum in laudibus & benedictionibus, tunc inquit Paulus, hæc tellus non placet Deo, sed est tellus rubra instar Adami, qui per pluviam uberrimam divinarum gratiarum superbivit & incepit putrescere, & tandem herbas nocivas & infructiferas, tribulos & spinas produxit. *Homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Spoliate ergò vos veste terræ rubræ, & inducite nigram, quæ imbrem & siccitatem fert, hæc enim Deo summè placet. Hinc mirè sanctus Ephrem. *Qui se vult verum gerere Christianum, unus & idem maneat oportet, fortiter quæcunque obvenientia perferens.*

Ps. 48.

Tract. de Spiritu.

Agnovit hanc veritatem sancta Lucia, & hinc in toto suo Martyrio, quamvis peteretur pluviis promissionum, & aridate minarum Tyranni Paschasii, tamen velut terra nigra, imbrem & siccitatem ferebat, & tam fructifera fuit in laudibus, benedictionibus, virtutibus, & perfectionibus, ut se immobilem exhiberet in proposito conservandi purissimam Virginitatem, & quamvis esset inter medias flammas, non arebat, & immersa sanguini non corrumpebatur, nam velut fidelis ancilla Christi, *Imbrem & siccitatem ferebat, una eademque manebat fortiter, quæcunque obvenientia perferens.*

IV. Patres Theologi, vos movetis quæstionem valdè curiosam, an cœlum Crystallinum, vel aqueum collocatum à DEO supra firmamentum, quando *Divisit aquas ab aquis,*

Theologia.

aquis, sit ejusdem naturæ cum aquis elementaribus, à quibus aquas, quæ sunt supra firmamentum, divisit, quando dixit: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.*

Nonnulli sequentes potiùs rationem & capacitatem humanam, quàm veritatem sacrarum literarum, censuerunt supra firmamentum nullas esse aquas materiales, & quæ sunt ejusdem speciei cum nostris elementaribus. Quod si Spiritus sanctus subinde dicat, dari aquas supra firmamentum, sicut dicit, *Et aquæ omnes, quæ super Cœlos sunt*, dicunt per Cœlos intelligi aërem, & non Cœlum stellatum, vel aliud quoddam superiùs elementis, nam aliàs aqua corpus gravius & ignobilius esset superius Cœlo, quod tamen est corpus nobilius & levius. *Psal.* 148.

Econtra præceptor Angelicus & Seraphicus & alii admittunt quidem supra firmamentum dari veras aquas, sed negant eas esse ejusdem speciei cum nostris elementalibus, sed tantum similes secundùm analogiam, nam ut dicit Seraphicus, aquæ nostræ habent tres qualitates, nempè claritatem, frigiditatem & gravitatem. In claritate ambæ conveniunt, in gravitate omninò disconveniunt, nam Cœlestes, nec descendunt, nec habent inclinationem ad descensum, in frigiditate autem partim conveniunt, & partim disconveniunt, conveniunt quidem, quia ambæ frigefaciunt effectivè, disconveniunt autem, quia nostræ sunt formaliter frigidæ, illæ non, ex quibus dicunt, quod non sint univocæ, sed analogæ.

Alii tandem Theologi in nitentes dicto Spiritus sancti: *Fiat firmamentum &c.* affirmarunt eas ejusdem speciei; cùm enim antea fuerunt continuæ per divisionem facto firmamento, non videntur mutasse naturam, ut benè advertit Oleaster. Adde, quod Deus in dispositione rerum potiùs spectet utilitatem finis, quàm qualitatem formarum. Et hinc sicut in microcosmo, ut mitigaretur calor cordis, collocavit cerebrum frigidissimum in capite parte superiori, nobiliori hominis; sic supra Cœlum firmamenti, posuit aquas elementales, ut suo frigore temperent calorem Solis & stellarum. Quod si quæras, quomodo hæ aquæ graves sustententur supra Cœlum, responderent id fieri Dei virtute, qui sic disposuit, & cui creaturæ in omnibus obediunt.

V. Nunc ad sanctam Virginem Luciam. *Creavit Deus hominem de limo terræ. Expoliantes vos &c.* Sancta Lucia, videtur mihi esse illud elementum aquæ in principio mundi à Deo creatum, cui incubabat instar avis Spiritus Domini. *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas*, vel ut alii legunt, *confovebat aquas*: Spiritus Dei incubuit huic aquæ, ob purissimam virginitatem à Deo fotæ. Hinc de ea sancta Agatha, *Jucundum Christo in tua virginitate habitaculum præparasti.* Aqua, ex qua fuit formatum illud nobilissimum Cœlum Crystallinum, totum clarum, totum splendidum, totum lucidum, ut nomen demonstrat. Aqua à Deo electa, ut hic in terrâ demeret vires igni, ne consumeretur. *In mediis flammis illæsa permansit.* Aqua limpidissima, quæ esto per vim fuerit exposita in publico lupanari. Aqua adeò gravis, ut è loco etiam adhibitis pluribus animalibus non posset demoveri, nec quibuscunque blanditiis, & minis à proposito virginitatis deturbari. Hæc aqua, quamvis fuerit sublunaris, tamen videtur sublevari super Cœlos, & fieri Cœlum Crystallinum, lucidissimum, purissimum, frigidissimum & simul gravissimum. Aqua sublevata ad Cœlum, quia glorioſa. Aqua conversa in Cœlum Crystallinum, totum lucidum, quia Lucia. Aqua frigidissima! quia suâ interceptione extinguit ignem concupiscentiæ in illo, qui ad eam devotè recurrit. Aqua gravissima, quia semper firmata & stabilita in bono. Applicatio. *Gen.* 1. *Lippelloo de sanct. Lucia.*

O aqua simul Cœlestis & sublunaris, O glorioſissima Lucia! Video te esse aquam sublunarem, quia fœmina es, quia filia Eutichiæ, quia nata Syracusæ, quia subjecta injuriis temporum & necessitati naturæ, quia promissa terreno sponso. Aqua sublunaris, quia accusata apud præfectum Paschalium, quia capta, quia à lictoribus malè habita, quia damnata ad lupanar. Aqua sublunaris, quia cruciata igne, guttur tuum transfixum est ense, & quia atrociſſimè à Tyranno es tormentata. Omnes hi cruciatus ostendunt te esse aquam sublunarem, & inferiorem Cœlo, nobis similem & cortuptibilem: Nihilominus mihi etiam videris esse aqua Cœlestis, quia te contemplor purissimam per Virginitatem, diaphanam & transparentem per divinam gratiam, constantem & immobilem in fide Christi & sanctis

pro-

propositis. Aqua Cœlestis, quia templum Spiritus sancti, quia dotata gratiis & donis Cœli. Aqua Cœlestis, quia fuisti robustior Paschalio, & omnibus illis nebulonibus, quia tota transformata in Deum, quia tota immersa contemplationi rerum Cœlestium, quia vivens vitâ Angelicâ, quia transeendens conditionem humanam.

O glorioſiſſima Lucia, video te ex abyſſo profundiſſimâ ſublimatam ad verticem altiſſimum. Video te ex terra tranſvolaſſe ad Cælum, & conſecutam inveſtituram Cœli Chryſtallini. Video transformatam in Cælum firmum, clarum, ſtabile, pulchrum illam, quæ alias ex ſe eſt aqua ſublunaris, corruptibilis, & meris injuriis ſubjecta. Die per animam tuam virgo ſanctiſſima, an in utroque ſtatu es ejuſdem conditionis? An fuisti mutata, & elata, quando vidiſti te ſublimatam, & transformatam in Cælum Cryſtallinum? An forte deſpondiſti animum, dum te vidiſti apud impium Paſchaſium accuſatam de fide Chriſtiana? An forte mutaſti propoſitum ſerviendi, & amandi Chriſtum, quando à Tyranno mille tormentis cruciata fuiſti? Ex affectibus cogor dicere, quod non videaris mutaſſe naturam. Semper eadem manſiſti, ſemper conſtans, firma in bono propoſito, ſive ſublimata, honorata, exaltata à Deo, ſive vilipenſa, cruciata, & male habita, non videris mutaſſe naturam, nam fuiſti vera famula, & ſerva Chriſti, cujus proprium eſt ſe ſemper exhibere eandem in quocunque eventu, tanquam illa quæ veſtita eſt terrâ nigrâ, imbrem & ſiccitatem ferente, & quæ transformata eſt in Cœlum Cryſtallinum. Dicamus ergo: *Columna es immobilis Lucia Sponſa Chriſti.*

Scriptura. 1. Reg. 23.

VI. Philiſtæi oppugnabant Ceilam, eamque jam fere ad deditionem coegerant. David itaque intelligens anguſtiam populi, ſubito advolavit, contra urbem intravit, eamq; contra Philiſtæos propugnavit. Porro Saul intelligēs in urbe commorari David, reſolvit ad eam ſe conferre, ſicque capere Davidem, tanto odio à ſe infeſtatum. Davidi mens Sauli fuit renunciata, & cum in tantis anguſtiis neminem melius poſſet conſulere, quam Deum, ad hunc confugit, eumque rogavit, an Ceilitæ Sauli petenti ingreſſum, & deditionem ſuæ perſonæ, ei parituri forent. *Si tradent me viri Ceila in manus Saul.* Deus autem affirmative reſpondit, *Tradent.* David cautè age, & rei attende, ſi in urbe hæreas, conſignaberis Sauli, ſi autem exiveris eris ſecurus. Sed quomodo mi domine *Tradent?* Ergone Ceilitæ patrent tantæ ingratitudinis noxam? Generoſitate & armis Davidis, tantâ clade affecerant Philiſtæos; David illos reddiderat glorioſos & formidabiles. David illorum honorem, facultates, & vitam ſalvarat, & adhuc eum tradant ſuo hoſti Saul? Quomodo ſit poſſibile mi domine, quod Ceilitæ committant tam grande peccatum? Scio Abulenſem affirmare Ceilitas nullatenus peccaturas fuiſſe in illo caſu, imò eos fuiſſe obligatos ad concedendum ingreſſum Sauli, ſi hoc peteret. Sed quomodo non peccaſſent, cooperando ad mortem innocentis? Quomodo fuiſſent obligati aperire portas Sauli, ſi ex hoc prævidebant ſecuturam necem Davidis.

Leges. VII Juris conſulti ad vos ſpectat hujus modi ſolutio. Vos quæritis an Vaſallus teneatur portas aperire urbis domino illius, quotieſcunque hic ingreſſum in illam petit animo vindicativo, & irato, ſive benevolo, & pacato? Explico, declinat quidam nobilis in juſtam perſecutionem ſui regis, ideoque fugit ex metropoli, & ſe recipit in quandam urbem feudatariam, ſeu ſubditam regi, an Rex hoc reſciens, ſi undique numeroſo milite totus furioſus ante urbem ſe ſiſtat, & deditionem poſtulet ingreſſumque roget, an cives ſcientes regem venire in eum finem, ut nobilem innocentem occidat, cujuſque vita ſervaretur, ſi ingreſſus regi non ſtatueretur an inquam cives teneantur ſuæ Majeſtati urbem dedere?

Scio nonnullos cenſuiſſe tales Cives graviſſime peccare, & futuros reos, fautores, cooperatores illius homicidii, ſi portas aperiant, cum enim in rebus injuſtis non teneamur obedire ſuperioribus, nec hoc poſſimus, non poterunt illi cives urbem reddere Regi.

Nihilominus communiter docent Juriſtæ, Cives teneri ſtatuere ingreſſum Regi, eſto eo fine ingredi velit, nec idcirco cooperarentur ad iſtam necem, dummodo eo fine non permittant ei ingreſſum, ut Rex innocentem occidat, nec alio modo ei cooperentur, imò poſſent talem nobilem extra urbem pellere, & tradere Tyranno, non tamen impedire ejus fugam: Verbo: quamvis ſit vetiſſimum illos nullo modo poſſe cooperari & concurrere ad illam ne-

cem, tamen tenerentur aperire portas, esto scirent Regem tali animo ingredi velle. Ratio autem hujus sumitur ex ipsâ naturâ, cum enim sit Dominus urbis absolutus, habet jus in illam ingrediendi, & egrediendi, prout voluerit, & subditi hoc tenentur permittere quocunque fine ille petat. Hinc dicunt. *Secundum legem dominii subditi tenentur aperire portas civitatis Domino suo sive iratus, sive placatus venerit.*

Transeundo ad moralitatem à potiori id debet dici, quando supremus Dominus animarum nostrarum vult à nobis admitti, recipi, & introduci quocunque fine, & animo veniat, sive iratus, & armatus virgis suppliciorum, sive placatus cum rosis consolationum, debemus inquam eum recipere eadem alacritate animi, nec minimum turbari per supplicia, nec inflari per favores. Tenemur aperire portas Domino nostro sive iratus, sive placatus venerit. Et hoc facto subditi non aperiunt portas Domino eo fine, ut abutatur suo dominio, sed simpliciter tanquam Domino, qui petit rem justam, cui postea imputatur, si dominio abutatur.

His suppositis respondet Abulensis Ceilitas peccaturos fuisse, si Sauli eo animo aperuissent portas, ut Davidem innocentem occideret, vel alio modo cooperati essent, imò eos debuisse illi tanquam Regi portas aperire, nec aliam adducit rationem, quam illam Juristarum *Secundum legem dominii &c.*

Applicatio. VIII. Taliter egit Deus cum nostra Lucia. Ivit hæc cum matre sua Eutichia ad sepulchrũ sanctæ virginis, & martyris Agathæ, hanc instanter rogavit pro sanitate matris, voti fuit facta compos, & à Deo exaudita; Sed audi laudes, quibus affecta est à sancta Agatha. *Soror mea Lucia, quid à me petis; quod ipsa potest præstare continuè matri tuæ?* Verum audi elogium majus. *Sicut per me civitas Catanensium sublimatur à Christo, ita per te Syracusana decorabitur.* Imò prædicatur à sancta Agatha, tanquam templum, & habitaculum Spiritus sancti. *Iucundum Christo in tua Virginitate habitaculum præparasti.* O quam benevolum se demonstrat! O quam benignum, quam gratiosum, quam propitium? Sed paulò post mutat personam, & Deus apparenter sese exhibet Luciæ iratum gestantem manibus virgam contradictionum, nam contra eam sponsus ejus concitatur, hic eam accusat tanquam Christianam apud sacrilegum Paschasium. Ab hoc male habetur, vilipenditur, damnatur ad lupanar, ad flammas, ad ferrum. O quam succensus, & iratus comparet Deus! Nihilominus illa eadem alacritate, & jubilo cordis Deum intra animam suam recipit in utroque casu.

Sed quid miri glorioſissima Lucia, quod te in tam diversis successibus semper eandem demonstraris, cum à cælo hanc politicam, & rationem status didiceris, Deo qualitercunq; veniat, ingressum in animas esse permittendum. Tenemur aperire &c. Et quia hoc fecisti, ideò meritò de te dicitur *Columna es immobilis* &c.

IX. Agnoscens David se esse obligatissimum divinæ majestati ob innumera beneficia, ab ejus prodigâ manu recepta, ut fugeret notam pessimæ ingratitudinis, & sese gratum exhibere, solemniter Deo vovit, se divinam majestatem semper, omnibus horis, omni tempore laudaturum & benedicturum ita ut nil aliud, quam laudes, & benedictiones Dei ex ejus ore excisuræ sint. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Ignosce sanctissime Rex, & Prophera divine si adeò præsumptuosus sim ut putem te nimis amplum in promissione esse. Nescio an possis stare tuis promissis. Quomodo quæso, Rex adeo potens, tot habens sub se subditos, quibus bene regendis ipsemet Rex vel Princeps debet vigilantissimè assistere, ita ut ad lancem appendat omnia negotia, quæ exiguntur ad gubernandum tantum regnum, spondet se inceſſanter toto tempore vitæ Deum laudaturum & benedicturum? Profectò sanctissime David, hæc est inconsideratio nimia, & sponsio nimis ardua, procedens quidem à bona voluntate, & animo summè grato, sed tamen impossibilis, quæ reducatur ad actum. Quis quæso est adeò sanctus & liber, ut possit promittere se inceſſanter laudaturum Deum. *Quis est*, interrogat sanctus Cæsarius Atelatensis *qui benedicit Deum in omni tempore?* Et mirè respondet: *Quem nec felicitas corrumpit nec adversitas terret, hic benedicit Deum in æternum.* Tu miraris sanctum Davidem tam absolutum emisisse votum laudandi Deum continuo, & credis illud præsertim à Rege tot negotiis distracto, non posse adimpleri, sed crasse erras. Nam non solum homo privatus, & omnibus negotiis sæcularibus expeditus, sed & maximus Monarcha cum Davide sine difficultate votum omit-

Scriptura. *Psal. 33.*

Psal. 33.

Hom. 19.

omittere poteſt Deum inceſſanter laudandi, cum enim vita noſtra nil aliud ſit, quam migma & mixtura felicitatis, & adverſitatis, prout notavit ſapiens, *Riſus dolore miſcetur, & extrema gaudii luctus occupat.* Et lætitiam ſubſequatur adverſitas, viceque verſâ his inquam ſic ſtantibus, ſi aliquis tempore felicitatis, & conſolationum non inſoleſcat, nec fiat elatus, ſimul etiam tempore adverſitatis non deſperet, nec conturbetur, ſed eundem ſe ſemper exhibeat, hic poteſt vovere, ſe nullo non tempore Deum laudaturum. *Quem nec felicitas &c.* Et quia ſanctiſſimus David in tantâ fortunæ varietate ſemper idem manſit, hinc tam abſolutè promiſit. *Benedicam Dominum &c.*

Proverb. 14.

Hiſtoria.

X. Claudius Minoes in præmio emblematum Alciati meminit generoſiſſimi ducis eccleſiæ Proſperi Columnæ civitatis Ravennatenſis præfecti, & gubernatoris. Hanc urbem cinxerat Imperator obſidione arctiſſimâ, econtra Columna validiſſimè urbē defenſabat. Imperator omnia tentavit ut urbem expugnaret, ſed valor Columnæ omnia fruſtravit, inſultus Imperatoris & aggreſſiones repellebantur, admotiones ſcalarū redundabant in damnum Imperatoris, omnes conatus hujus cedebant in favorem Columnæ. Verbo, Columna omnes machinationes Imperatoris eliſit, cum tantâ ſuâ gloriâ, ut dum alias ſuperaſſet omnes alios generoſos belli duces, hic ſe ipſum vincere videretur.

Imperator reſiſtentiam Columnæ ulciſci decrevit, & ad deditionem cogere urbem, hinc arctius & validius illam circumvallare reſolvit, & tam vehementer quatere muros incepit, ut validiſſimus Pugil, & bellidux deſpondere animū meritò poſſet. Columna videbat ſe adeò anguſtiatum, & niſi auxiliares copiæ advenirent, urbem dedere debebat. Attamen priuſquā in hanc iret ſententiam, non tantum amicis, ſed & hoſtibus conſtantiam animi ſui oſtentare voluit, nec minorem ſe gloriam reportaturum, dum urbem diutius propugnare non valeret defectu annonæ, quam reportaverat eam tam generosè defendendo. Hinc ſupra mœnia ſpectante toto exercitu hoſtili erexit cypreſſum ſymbolum mortis cui conſerta erat palma ſymbolum victoriæ, hoc lemmate adjecto. *Erit altera merces.* Succedat quidquid Deus velit, ſive vincam, ſive vincar mihi idem erit. Victus neceſſitate, triumphatorē non minori gloria me decantabo, quam me decantavi dum hoſtibus ante formidabilis & invincibilis fui. *Erit altera merces.*

Applicatio.

XI. Nunc ad ſanctam Luciam: *Benedicam Dominum &c.* Anima Luciæ erat arx & caſtrum invincibile, munitiſſimum, & inexpugnabile de omnibus neceſſariis inſtructum, puta gratia divinâ, virtutibus & S. propoſitis. Hanc artem aggreditur & ſubjugare ſibi vult Luciæ ſponſus, accuſando eam tanquam Chriſtianam, & quæ ducat vitam contrariam decretis Imperatorum. Sed Virgo non ſe dedit, imò acrius expugnata à Paſchaſio præfecto, qui omni modo eam ad immolandum dæmonibus inducere conabatur, egregiè reſtitit dicens: *Me ipſam Deo hoſtiam viventem libens ſacrifico.* Reincepit Paſch. oppugnationem, modumque eam oppugnandi mutavit, & minis miſſis, blanditias, palpos & offucias adhibuit, in vanum tamen. Rurſus confugit ad minas, ſed iterum fruſtra. *Nec precibus, nec minis ad cultum idolorū virginem perducere potuit.* Tandem impius ſacrilegus, ut eam in ſuas partes traheret, minatus eſt ei ſe curaturum, ut ad lupanar rapiatur, ut ſic cū puritate virginali gratiam Spiritus S. amitteret. *Iubebo te ad lupanar duci, ut te Spiritus S. deſerat.* Videns porro Virgo, niſi Deus ſuppetias tuliſſet, integritatem virginalem peſſum itum fuiſſe; ut demonſtraret, nec per hanc violenti, animum ejus demoliendum fore, & quod non minus victorioſa fuerit, violenter rapta ab inimicis puritatis ad lupanar quam virginitate illæsâ ſervatâ, Tyranno intrepida & generoſa reſpondit. *Si invitam juſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam.* Ac ſi Lucia elegiſſet proſymbolo cypreſſum, cui conſerta eſt palma cum lemmate, *erit altera merces.* Æque mihi gloriæ ducam, ſi invita proſtituar, quam ſi virginitatem ſemper illibatam ſervaſſem: *Erit altera merces.* Nullatenus flectar tuis violētiis, non adolebo Idolis, à verò cultu mei Dei non recedam, qui benè videbit, voluntatem meam maxime averſari has impudicitias, ideò hæc violentia mihi coronam duplicabit: *Si invitam &c.* Imò cum Davide: *Benedicam Dominū &c.* Quia non eſt laus & benedictio gratior Deo, quàm ſi in omnibus eventibus, eadem permaneam, & exhibeam me quaſi firmam, & immobilem columnam. *Columna es immobilis &c.*

Scriptura. *Pſ.* 138.

XII. David Propheta familiaritate extraordinaria diſcurrens cum Deo, hanc veritatē fatetur itre-

irrefragabilem, nempe Deum per ſuam præſcientiam, ſapientiam, futura prævidere, & tam diſtinctè ac perfectè penetrare, ut ipſaſmet cogitationes, antequam mentem ſubierint, longè antè præcognoverit. *Domine probaſti me, & cognoviſti me, tu cognoviſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam. Intellexiſti cogitationes meas de longe, ſemitam meam & funiculum meum inveſtigaſti.*

Ac ſi diceret: Deus ab æterno prævidit omnia noſtra opera & cogitata, quæ in tempore habemus, ita ut hoc modo tanquam verſatiſſimus Theologus præſcientiam divinam omnium rerum præteritarum, præſentium, futurarum prædicat, & illam in Deo fuiſſe ab æterno confiteatur. Nec ſiſtit in hac confeſſione, ſed & præterea toti mundo declarat, eum eſſe præſentem omnibus rebus, & per ſuam immenſitatem ubique repetiri. *Si aſcendero in cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculò, & habitavero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me & tenebit me dextera tua.* Unicum ſolum effugium poſſet mihi reſtare, ſi me occultarem in denſiſſimis & profundiſſimis antris tenebrarum, forte ibi me non reperiret. Attamen te inſpectâ, fateri cogor, me ibi etiam à te videndum; nam meæ obſcuriſſimæ tenebræ ſunt tibi clariſſima lux. *Et dixi, forſan tenebræ conculcabunt me*, & tamen in hoc erravi, *quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur.* Cùm igitur cognitionem habeam, tam exactam præſcientiæ, ac immenſitatis divinæ, hinc toti orbi declaro, apud me denſiſſimas tenebras Dei à clariſſima ejus luce nullatenus diſtingui, ſed idem eſſe. *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* O ſancte David, & quis eſt hic modus loquendi? Hucuſque bene oſtendiſti, te eſſe ſapientem, & profundũ Theologum, eò quòd cognoveris, & confeſſus fueris, Deum eſſe omniſcientem, & omnibus rebus præſentem. Sed hiſce verbis prodis, te non exactè cognoſcere Deum, prout alias te jactas: Quòd énim Deus habeat lumen, veriſſimum eſt; nam eſt fons lucis, & lux ipſa. *Lux vera,* Cap. 1. inquit Joannes, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Si autem juxta tuam, & Joannis opinionem, ſit lapſa lux, quomodo potes addere, eum habere tenebras? *Sicut tenebræ ejus, &c.* Joannes ab omnibus pro profundiſſimo Theologo, quem unquam vidit Eccleſia Dei habitus teſtatur, omne id quod reperitur in Deo eſſe vitam, & hanc vitam præterea eſſe lucem, & lucem in tenebris lucentem, ita ut non ſolum non poſſit obfuſcari à tenebris, ſed & hæ ad ejus ortum evaneſcant. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat, & vita erat Lux hominum. Et Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Joannes itaque Evangeliſta, nullas admittit tenebras in Deo. Quomodo ergo tu dicis: *Sicut tenebræ ejus, &c.* Præterea dum vis aſſignare rationem, propter quam tenebræ & Lux in Deo tibi videntur æquales, ſubdis: *Quia tu poſſediſti renes meos, ſuſcepiſti me de utero matris meæ.* Quam quæſo habet connexionem hæc ratio, ut tenebræ & lux Dei ſint æquales? Scio Prophera ſanctiſſime, quod aſſerendo Deum à puncto Nativitatis tuæ te poſſediſſe, ſignificare volueris, tuam ſanctitatem & innocentiam tibi ab utero Matris conceſſam. Optimè, & Deo ſint laudes, quod te ab utero Matris ſanctificarit, & elegerit pro ſuo ſervitio, ſed quam habet connexionem hæc tua ſanctitas cum æqualitate lucis & tenebrarum Dei, ut poſſi dicere, *Sicut tenebræ ejus, &c.*

Sanctus Pater Gregorius mire reſpondet: *In Scriptura ſacra nonnunquam lucis appellatione proſperitas, noctis autem nomine adverſitas deſignatur.* Nam per proſperitatem & adverſitates Deus probat quales erga eum ſimus. Hæc lux proſperitatis & tenebræ adverſitatum non ſunt ejuſdem conditionis, nec eoſdem affectus produnt in juſtis & peccatoribus; Nam peccatores in proſperitate ſuperbiunt, & fiunt elati, in adverſitatibus verò cadunt animo, & dejiciuntur; Juſti autem & Servi Dei, quia a Deo poſſidentur, & ab ejus divinâ gratiâ ſunt ſtabiliti, nec ſuperbiunt in proſperitate, nec opprimuntur ab adverſitate, ſed potius eoſdem ſe exhibent, ſive exaltentur, ſive deprimantur, nec animum mutant, idque quia poſſidentur, & ſtabiliti ſunt à divina gratia. Et hinc aſſerit David Lucem & tenebras Dei ſibi videri ejuſdem conditionis, eò quod Deus ab ipſo utero Matris ſuâ gratiâ, aſſiſtentiâ, & protectione ſe poſſederit. Mire Gregorius. *Quia enim ſancti viri ita proſperitatem ſæculi deſpicientes calcant, ſicut adverſitatem ejus* Lib. 5. mor. c. 2.

jus calcantes tolerant, permagnam mentis celſitudinem mundi ſibi, & adverſa & proſpera ſubſternentes dicunt, ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus. Perinde ac dicerent ſervi Dei: Domine, nos ita ſumus firmati, ſtabiles, & immoti in tuo ſervitio, tamque firmè radicati in noſtris bonis propoſitis te amandi, tibique ſerviendi, ut nullæ, quantumvis denſiſſimæ tenebræ, & afflictionum mundanarum, nos poſſint ab illo propoſito dimovere, quin imo nec ipſa lux proſperitatis & conſolationum nos in quantumvis minimam ſuperbiam propulſura ſit, ſed velut bene ſolidati lapides, eoſdem nos ſemper exhibebimus tanquam veros tuos ſervos. Hinc ſubdit idem Sanctus in perſona Juſtorum: *Sicut intentionis noſtræ fortitudinem ejus triſtia non premunt, ita hanc nec blanda corrumpunt.*

Philoſophia.

XIII. Semper ſtuporem non vulgarem ingeſſit noſtro ſæculo inventio antiquorum, qua excogitarunt lucernas iſtas perpetuas & inextinguibiles; nam ſine novo fomento durârunt non ſolùm per centenos annos, ſed per centena ſæcula. Imò plures ſuperabant impetus vehementiſſimos ventorum, & irridebant copioſiſſimas inundationes aquarum. Sic teſtatur Fortunius Licetus fuiſſe lucernam inventam Anno 1041. ſub Henrico tertio Imperatore, quæ jam 1411 annis aſſerat ad ſepulchrum Pallantis filii Regis Evandri, occiſi à Turno Rege Rutulorum, quæ & forſan adhuc arderet, niſi ab inimicis lucis fuiſſet fracta, & liquor effuſus, à quo fomentabatur. Hinc motus Marchio de la Turre, pinxit lampadem ardentem ſuper aram Deæ Veſtæ, cum hoc lemmate: *Noſtra latent æterna magis.* Porro alius convenientius lemma, alludens ad lucernas inextinguibiles Priſcorum dedit: *Sub dio imbres, ventumque deludit.* In facto tam recondito doctiſſimi neſciunt quid dicant, imò per plura ſæcula ſe vexarunt, indagando cauſam & modum hujus tam rari portenti. Nonnulli pro ſe adduxerunt ſanctum Patrem Auguſtinum, volentem lucernas illas tanto tempore arſiſſe non arte humanâ, ſed ope dæmonis, qui latenter illis fomentum ſubminiſtravit. Verùm, quamvis talis virtus non negetur dæmoni, tamen non eſt veriſimile, eam interveniſſe circa lucernam, quæ arſit Edeſſæ ante Imaginem Salvatoris.

Lib. 21. de civ. Dei, cap. 5, 6.

Colloq. 12. Illuſtriſſimus Simon Majolus in ſuis diebus canicularibus, & ante ipſum plures ſapientiſſimi ut valde probabile cenſuerunt, nullâ virtute creatâ ſine novo fomento, poſſe tot ſæculis conſervari lucernam aliquam, abſque eo quòd extinguatur; cùm enim aqua ex natura ſua extinguat ignem, nec tota virtus humani ingenii, vel omnes vires inferni poſſint contravenire legi naturæ Deo ſubjectæ, ſequitur tales lucernas fuiſſe conſervatas virtute divinâ. Attamen hi non advertunt eſſe indecens, quòd virtus divina conſervet has lucernas inextinguibiles, quas antiquitas conſecravit Vulcano, Plutoni, Proſerpinæ, & aliis falſis Diis.

Hinc omiſſis iis, quæ dicunt Authores ad marginem citati, adhæreo Fortunio Liceto in ſuo opere eruditiſſimo de reconditis antiquorum lucernis. Hic hanc litem decidit potiùs nil reſolvendo, quàm abſolutè rem determinando, cùm non ſolùm ob longinquitatem temporis perierit ars fabricandi ſimiles lucernas, ſed & ipſum nomen materiæ evanuerit, quâ fovebantur in ſuo ardore, & defendebantur contra impetus ventorum & aquarum. Aſſerit itaque Licetus, materiam hanc neceſſariò debuiſſe eſſe viſcoſam, craſſam & tenacem, nec hoc ſufficere, ſed inſuper requiri, ut non evaporetur ignis, qui alias facillimè in vapores reſolveretur, nec hoc ſatis eſſe, ſed præterea dictam materiam debere eſſe ſinceram, puram, homogeneam; nam proprium eſt igni diſgregare heterogenea, & congregare homogenea. Hinc videmus neque aurum, nec adamantem, nec lapidem Amianthum, & Asbeſtonem, nec herbam vocatam Medicam ab igne conſumi. De hac herba Dionyſius Afer ſic cecinit:

Iacobus Gruterius de jure Manium, l. 2. c. 31. Ioan. Baptiſt. Porta Neap. de natur. magia, l. 12. c. 12. Plutarch. l. de Oraculorū defectu, & alii.

In Poëm. de ſitu orbis.

Ex Moëſi Thracum Boreis in finibus orbi.
In quorum terris, quas Ponti perfluit unda,
Ignipotens oleo commiſto gignitur herba
Medica cui nomen, cujus compeſcere flammas
Si quis aqua cupiat, plus ignem paſcit in illa.

Quòd ſi ergo materia nutritiva ignis habeat tres conditiones, ſequitur ignem ſemper debere durare.

Verùm enimverò, ſi quis objiciat Fortunio, his tribus conditionibus probari, ignem inter viſcera terræ reconditum, vel alibi receluſum, nec injuriis aëris, vel aquarum expoſitum, poſſe manuteneri, non tamen videri, quomodo poſſit durare ſi aëri & aquæ ſit expoſitus; Reſpondebit forſan, & quidem valde ad propo-

ſirum. Certum eſt & indubitatum, ventum vehementem extinguere flammam lucernæ, & hoc, quia eam ſeparat à materia combuſtibili, quæ quò magis eſt tenax, viſcoſa, craſſa & homogenea, eò facilius ſeparatur. Quòd ſi materia fuerit tenax, & tenacitet retineat flammam, non ſeparabitur à vento, ſed potiùs arctiùs connectetur, & incorporabitur materiæ, dum calor ejus virtute magis augetur. Similiter aqua non extinguit, imò ſæpius auget ignem ſingulatitet accenſum in ſimilibus materiis tenacibus, viſcoſis, craſſis, & homogeneis, & id provenit ab antiperiſtaſi; cùm aqua totaliter contrarietur igni, huncque ſuo frigore repellat, & ad interiora protrudat, & hoc eò faciliùs, quò materia, cui adhæret flamma craſſior, denſior, & magis diſpoſita eſt. Hinc dicit Fortunius Licetus, non eſſe mirum, lucernas illas antiquorum tam diu arſiſſe, quamvis expoſitæ eſſent furiis ventorum & aquarum. Optima Philoſophia.

Applicatio.

XIV. Nunc ad ſanctam Virginem Luciam. Sine dubio lucerna ardens & inextinguibilis fuit hæc puriſſima Virgo, & invicta Martyr Chriſti: ſine ullo ſcrupulo poteſt vocari *Lucerna ſemper ardens*, ſic etiam ejus nomen indicat. Lucerna, ob nobilitatem ſanguinis, quia Syracuſanorum nobiliſſima lucerna per lucem virginitatis, virgineo candore nitidiſſima. Lucerna per ardentem flammam charitatis & amoris erga unicum ſuum Sponſum JESUM, quæ in ejus pectore ardebat. *Lucia Sponſa Chriſti, odiſti quæ in mundo ſunt, & coruſcas cum Angelis.* Lucerna inextinguibilis, quam nequeunt extinguere nec venti amoroſi precum & blanditiarum, nec Æoli vehementes & furioſi minarum impii Paſchaſii, nec aquæ inundantes lachrymarum & furorum ejus Sponſi; lucerna, cujus flamma gratioſa nunquam potuit extingui, ut adoratet falſos Deos, & diſcederet à ſuo amatore Jeſu. *Nec precibus, nec minis ad illorum cultum perducere potuit.* Lucerna adeo inextinguibilis, ut tantò magis à furiis ventorum, & aquarum contradictionum accenderetur, quantò acriùs oppugnaretur, Deum ampliùs ſemper laudans, benedicens, & gratias agens. Imò tantò magis incenſa videbatur ad celebrandas chriſtianæ fidei laudes, quantò magis Paſchaſius eam à ſententia avertere conabatur. O lucernam perpetuam, lucernam inextinguibilem, glorioſiſſimam Luciam, ſtuporem cæli & terræ; poſtquam tantâ conſtantiâ & libertate animi ſuſtinuiſti, ſuperaſti, & deviciſti impetus vehementiſſimos furorum tyranni Paſchaſii, & uberrimas inundationes ejus contradictionum, jure merito potes inſcribere lucernæ animæ tuæ: *Noſtra latens æterna magis.* Tibi meritiſſimè conveniunt verba Origenis, quibus extulit ſanctum Jobum adeo à dæmone agitatum: *Omnis impetus nequiſſimi, & omnis mundatio Diaboli ſubvertere illum immobilem non potuerunt.*

Sed unde provenit, ô glorioſiſſima Virgo, invictiſſima Martyr Chriſti, quòd adeo inextinguibilem te exhibueris contra tyrannum Paſchaſium? Scio impium & infidelem, juxta morem illius perfidæ fæcis, quæ nolebat agnoſcere virtutem divinam, & vim gratiæ Chriſti, tantam conſtantiam attribuiſſe dæmoni. Nihilominus indubitanter aſſerendum eſt, tuæ conſtantiæ authorem fuiſſe tuum Sponſum JESUM, & virtutem Spiritus Sancti, cujus templum conſecratum fuiſti ab incunabulis. *Tanto pondere eam fixit Spiritus Sanctus, ut Virgo Chriſti immobilis permaneret.* Quòd ſi diſtinctiùs addam, id proveniſſe à conditione, & diſpoſitione animæ tuæ accenſæ igne amoris divini, non ſolùm non dicam malè, ſed rem veriſſimam; nam anima tua fuit materia valde craſſa & impinguata à divina gratia, quæ tantò tenaciùs & arctiùs fecit concipere flammam charitatis, quantò copioſiùs tibi favit, teque poſſedit. Addo animam tuam per puritatem virginalem fuiſſe ſinceram, ſimpliciſſimam & homogeneam, ita ut nec minimi affectus terreni commixtionem pateretur, quia non ſolùm recuſaſti ſponſum carnalem, ſed & in pauperes erogaſti omnes tuas opes, Deoque ſoli animam & corpus tuum conſeceraſti; & hinc ſpiritus tuus ad nulla terrena evaporavit, ſed totam immerſam Deo te oſtendiſti. *Ego toto hoc triennio ſacrificium hoc Deo vivo gratiſſimum obtuli. Iam, quia nihil ſupereſt, quod offeram, me ipſam Deo hoſtiam viventem libens ſacrifico.* Cùm igitur anima tua habeat omnes has qualitates, non miror te fuiſſe lucernam ſemper inextinguibilem, imò quòd venti ſævientes furioſi tyranni, & aquæ ubertimæ ejus contradictionum & martyriorum fuerint inefficaces, debiles, infirmæ, imo repulſæ, deluſæ & ſuperatæ, tuque ſemper arſeris, & reluxeris,

Tract. 1. in Iob.

Lippel. ex Sur. in ejus vita.

ris, imò quòd oppoſitiones & perſecutiones tyrannorum ad nil aliud ſervierint, quàm ut in anima tua magis accenderint ignem amoris divini, teque lucidiorem reddiderint. *Lucerna ſemper ardens*, quæ ſemper micuit & illuſtravit mundum tam in tenebris perſecutionum & adverſitatum, quàm in ſereno proſperitatum, tam in claro fictorum gaudiorum, quàm in turbine veratum minarum. *Lucia lucerna ſemper ardens.* Cui idem fuerunt tenebræ afflictionum, quod lux conſolationum, quibus à Deo benedicto fuit viſitata. Hinc lætabunda potes dicere tuo Sponſo JESU: *Sicut intentionis meæ fortitudinem tua triſtitia non premunt, ita hanc nec blanda corrumpunt, ſicut tenebræ tuæ, ita & lumen tuum.* Nec in minimo ergo erravit, qui dixit: *Columna es immobilis Lucia Sponſa Chriſti.* Sed quid miti, Virgo ſanctiſſima, quòd toto decurſu vitæ tuæ in tuo propoſito eadem fueris, & per hoc tantam laudem apud cælum & terram retuleris, ſi per eam quodam modo æqualis fueris cum immutabilitate & æternitate Dei?

Scriptura. *Deut. 6.*

XV. Nec permittit me mentiri Spiritus Sanctus. Deus volens quadam vice erudire ſuum populum, & inſtruere in iis, quæ credere debebat, de ſeipſo ſic locutus eſt: *Audi Iſraël, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt.* Attende bene Iſraél, & pro indubitato & articulo fidei habe, Dominum tuum Deum eſſe Deum unum, & hinc nolo, ut agnoſcas alium Deum, *Dominus Deus tuus, Deus unus eſt.* Hoc non obſtante, alibi reperio Spiritum S. de Patre Samuelis Elcana ſic loqui: *Fuit vir unus de Ramathaim.* 1. *Reg.* 1. Quomodo amabò Elcana ſit unus? An forſan Elcana ſolus erat homo? an non erant homines præter illum? Quomodo Spiritus S. dicit Elcanam eſſe unum, ſicut unus eſt Deus? Bene ſcio, Deum eſſe immutabilem, & ſemper manere eundem. Creetur mundus, annihilentur omnia, moveantur cuncta, & invertantur, nihilominus *Deus non mutatur*, inquit Hieronymus, & *per hoc unus dicitur.* Omnia bene. Verùm ſi propter hoc Deus vocetur unus meo ſenſu, hoc attributum non debet dari Elcanæ, utpote qui fuit homo, & conſequenter mutabilis. Quomodo ergo dicitur unus ſicut Deus? *Fuit vir unus. &c. Dominus Deus tuus, &c.*

Valde bene S. P. Hieron. *Immutabilis eſt Deus, & per hoc unus eſt, quia non mutatur; ſic ergo & imitator Dei juſtus, qui ad imaginem Dei factus eſt, unus appellatur, quia non mutatur, ſed idem permanet ſemper.* O quàm divinè! *Sic ergo, &c.* Deus vocatur unus, quia nunquam mutatur, quia eſt immutabilis, quia nulli ſubjicitur mutationi. Invertatur quantumlibet totus mundus, aberrent cæli à ſuis regulatis motibus, mutentur elementa, omnes creaturæ annihilentur, vel ex confuſo nihilo ad eſſe educantur. Attamen, inquam, quamvis hæ ſint mutationes & alterationes maximæ, tamen Deum nil tangunt, qui nulli ſubjacet mutationi, ſemperque manet in eodem eſſe. Non abſimili modo juſtus, qui eſt imago Dei valde expreſſa, ſi eò uſq; aſcenderit, ut mutatio & varietas rerum, ſive ſecundarum & felicium, ſive adverſarum & infelicium eum non moveant & inquierent, ſed ſemper maneat idem, factus ſimilis Deo, tunc debet titulo Dei decorari. *Vnus, quia immutabilis. Sic ergo & imitatores.* Ponderatio Hieronymo valde digna.

Theologia.

XVI. Patres Theologi, hîc ſi unquam aliàs, indigeo veſtro auxilio. Edicite quæſo, an Deus debeat vocari æternus? Quis de hoc dubitet? Non ſolùm eſt æternus, ſed ipſa æternitas. Sed an Deo ſit ita propria æternitas, ut alteri convenire nequeat? Et reſpondetis affirmativè, ideoque Ariſtotelem traducitis ut temerarium, quia auſus eſt aſtruere, mundum eſſe æternum. Liquet ergo ex fide Catholica, nullum creatum poſſe eſſe æternum.

Sed quomodo amabò probatis, Deū eſſe æternum, & quidem ſolum? Ad ſtuporem bene Magiſter Angelicus docet, Deum ideo tantùm eſſe æternum, quia ſolus eſt omninò immutabilis, reliqua autem ſunt ſubjecta viciſſitudini & mutabilitati, vel enim ſunt mutabilia quoad eſſe, & operari ſimul, ſicuti ſunt res omnes ſubjectæ tempori, vel ſunt mutabilia, quoad operari tantùm, ſed non quoad eſſe, ſicut ſunt Angeli, qui ſunt ſubjecti ævo: Deus autem ſolus eſt immutabilis & invariabilis, & quoad eſſe, & quoad operari, & ideo ſolus menſuratur æternitate, quia ſolus & totaliter eſt immutabilis, ex quo & ſequitur, quòd ſit ſolus æternus. 1. *p. q.* 10. *art.* 2.

Hoc non obſtante, additis eò aliquid magis participare de æternitate, quò magis accedit ad immutabilitatem; nam ideo viſio beatifica hominis, & Angeli menſuratur æternitate participatâ, quæ juxta nonnullos Theologos eſt ipſamet æternitas Dei in hoc tantum differens, quod Deus habeat æternitatem à ſe ipſo

ipſo, creatura autem illam recipiat à Deo, & hæc æternitas participata competit creaturæ, quia dependet ab immutabilitate Dei creaturæ communicatâ. Veriſſimum itaque eſt, rem quamlibet in tantum dici æternam, in quantum eſt immutabilis, illudque quod totaliter eſt immutabile, eſſe etiam ſimul æternum.

Applicatio. XVII. Nunc ad Virginem Luciam. Hæc glorioſiſſima Sancta toto tempore vitæ immutabilis fuit in exercitio virtutum ſemel incepto. Immutabilis in devotione erga S. Agatham, quam tam inſtanter togavit pro Matre interceſſione illius Sanctæ ſanatâ. Immutabilis fuit in gratiâ nunquam amiſsâ ſiquidem nunquam peccavit mortaliter. Immutabilis in propoſito, & reſolutione ſerviendi Deo ſemel inceptâ. Immutabilis in repudiatione Sponſi terreni à parentibus ipſi oblati, dum potiùs accuſari maluit coram Præfecto Paſchaſio, quòd eſſet Chriſtiana, quàm à bono propoſito dimoveri. Immutabilis in electione Sponſi cæleſtis, quem nunquam voluit deſerere, quamvis ad hoc fuerit valde ſollicitata à tyranno. Immutabilis in propoſito firmo ſervandi illibatam ſuam virginitatem, quamvis ipſi minæ intentatæ ſint, quòd ducenda eſſet ad lupanar. Immutabilis in reſponſione datâ tyranno non minus liberâ, quàm modeſtâ. *Dei ſervi verba deeſſe non poſſunt. Caſtè & piè viventes templum ſunt Spiritus Sancti.* Immutabilis in immobilitate; nam dum deberet duci ad lupanar, adeo ſe demonſtravit immobilem & firmam, ut nullâ vi à loco dimoveri poſſet. Immutabilis in toleratione tormenti ignis, ita ut nec in minimo ſit læſa ab ardentiſſimis flammis, quamvis lictores oleum igni infunderent. Immutabilis, dum intrepida toleraret transfixionem gladii, quo ejus guttur transfoſſum fuit. Immutabilis in oratione; nam eſto fataliter fuiſſet ſauciata, tamen non eſt mortua, ſed orationi intenta, quamdiu placuit, colloquium ſuum cum Deo protraxit, Eccleſiæque tranquillitatem prædixit poſt mortem Diocletiani & Maximiniani.

O glorioſiſſima Lucia, nunquam finirem, ſi diſcurrere pergerem de immutabilitate animi tui in operando; hinc meritò mihi dicere licet, te fuiſſe plane immutabilem, in eſſe, & operibus perfectionis chriſtianæ. Quòd ſi æternitas Dei referatur ex ejus immutabilitate & Deus tam excellenter tibi communicarit ſuam immutabilitatem, cur non dicam, quòd in eodem gradu communicarit tibi ſuam æternitatem, tibique ſe ſimillimum reddiderit in hac, ſicut te ſimillimum reddidit in illa? Quòd ſi Eleana fuerit dictus unus inſtar Dei, quia in omni eventu ſe eundem ſemper exhibuit, tanquam verum amicum Dei, cur non dicet totus mundus, te inſtar alterius Dei fuiſſe unam & æternam, cùm inſtar Dei participatè fueris immutabilis inſtar Dei, maximè cum Seneca dicat: *Sapiens inconcuſſus cum Diis ex pari vivit.*

Epilogus. XVIII. O invictiſſima Lucia, potero quidem me fatigare, exhaurire, reſolvere in ſudores, ut manifeſtem mundo hanc tuam immutabilitatem æmulatricem immutabilitatis divinæ, attamen, quamvis perotem per integra ſæcula, & æternitates, certus nihilominus ſum, quòd nec minimam particulam tuo merito dignam pronunciarem. Hinc nil miri, quòd attigerim finem hujus Elogii, nec tamen poſuerim initium dignum tuarum laudum, quia adeo es laudabilis, ut cuilibet adimas ſpem te dignè loquendi.

O glorioſiſſima Lucia, non poſſum ulteriùs extollere excellentiam tuæ conſtantiæ & immobilitatis, quia ſi dicam, quòd fueris pulcherrima & lucidiſſima ſtella, quæ de novo comparuit in firmamento militantis Eccleſiæ, ſive reſpecta fueris ab Oriente proſperitatis, ſive ab Occidente adverſitatis, ſive à meridie conſolationum, ſive à ſeptentrione contradictionum, nihil dicam.

Si addidero, te fuiſſe terram nigram, valde diſpoſitam ad ſufferendam ſiccitatem nimiam Solis, & humiditatem aquarum, imò te fuiſſe aquam, quæ eſto converſa fuerit in cælum cryſtallinum, exaltata & fota à Deo, non tamen mutavit naturam, quam habuit tanquam aqua elementaris, ſubjecta contradictionibus & tormentis Paſchaſii, parum dico.

Si addidero, quòd edocta in politica cæli, cõfeſſus fueris, & oſtenderis te fuiſſe obligatam ad recipiendum in anima tua Dominũ & Principem abſolutum illius, qui eam intrare voluit, & quòd eodem animo illam admiſeris, ſive veniret benignus, ſive armatus; ſive armatus flagellis,

flagellis, ſive ciactus roſis, prout ipſi placeret, parum addo.

Quòd ſi credes, me necdum ſufficienter dixiſſe, ſubnectam, quòd toto tempore vitæ tuæ propoſueris, & promiſeris te benedicturam Deum omnibus horis, omnibus momentis, teque paratam eſſe non minori gaudio & jubilo cordis ad recipiendam mortem, quàm vitam, ideoque te elegiſſe pro ſymbolo cypreſſum, cui implexa eſt palma, cum lemmate: *Erit altera merces.* An forſan mihi perſuadeam, quòd te ſufficienter laudaverim? Id revera de me non præſumo.

Quin imò ſi ſubjungerem, tibi in pari fuiſſe tenebras adverſitatum, & lucem conſolationum, quibus Deus voluit probare tuam conſtantiam, in quibus te demonſtraſti ſemper lucernam inextinguibilem ſub dio contra vim aquarum, & impetum ventorum, non tamen me fallere volo, credendo me acum tetigiſſe. Applicatio.

Majora quidem tentare me facit meus ſupplex affectus, quamvis balbutiendo eum non poſſem plene manifeſtare; attamen S. P. Hieronymo mihi manus porrigente, audeo mihi ſatisfaciendo dicere, tuam conſtantiam certaſſe cum immutabilitate Dei, teque promeruiſſe, ut vocareris una, ſicut Deus vocatur unus. Quòd ſi Deus dicatur unus, quia non mutatur, & ſic æternus, quia eſt immutabilis, tu etiam meritò mereris vocari immutabilis & æterna, quamvis participatè, quia vocata fuiſti una. Et quoniam glorioſiſſima virgo es una, ſit etiam unica tua laus, unicum tuum attributū, & unicè tibi conveniat, & unica periodo Eccleſiæ manifeſtetur, *Columna es immobilis, &c.* cum mea multiplicia verba ad nil aliud ſerviant, quàm quòd obfuſcent ſplendorem tuæ lucis.

ELOGIUM XXXVII.

Pro Feſto S. Thomæ Apoſtoli.

Thomas unus ex duodecim, qui dicitur Didymus. Joan. 20.

Philoſophia.

DE Byrillo lapide pretioſiſſimo, qui naſcitur in Indiis Orientalibus, quemque tanti faciunt Indi, ut teſte Plinio, malint carere auto, quàm privari illo lapide; affirmant Philoſophi, qui acuto ſuo viſu faciunt profeſſionem penetrandi intimas qualitates, & proprietates gemmarum non omnibus manifeſtas. Affirmant inquam, illum eſſe coloris viridis, inſtar olei, aut aquæ marinæ, color non valde vividus, ſed declinans ad pallorem. Addunt Beryllum non fulgere, niſi poliatur à gemmulario, & ſic reducatur ad formam ipſi non naturalem. Imò dicunt, quòd non reſplendeat perfectè, niſi per politionem accipiat figuram ſexangularem, hoc eſt, ſex angulorum. Hinc Plinius: *Poliuntur omnes ſex angulâ formâ, artificum ingeniis: aliter enim politi non habent fulgorem eundem.* *Plin. lib. 37. c. 5.*

Hic ſubintrant maxima curioſitate ducta ingenia Academica, & inquirunt, cur Beryllus, niſi à gemmulario accipiat ſexangularem formam per politionem, non ita perfectè micet? S. P. Iſidorus, Venerabilis Beda, & ante hos Plinius, cui omnes adhærent, reſpondent id provenire ab ipſa forma ſexangulari; cùm enim color Berylli ex ſe ſit pallidus, dum hæc gemma reducitur ad formam ſexangularem, color unius anguli reflectitur ad colorem alterius anguli, & econtra, ſicque colores duorum angulorum ſe invicem intendunt, & quilibet per repercuſſionem fit major & vivacior. Sic Plinius: *Poliuntur omnes, &c.* Et Iſidorus: *Vt hebetudo coloris repercuſſione angulorum excitetur.* Accedit V. Beda: *Repercuſſu enim angulorum ſplendor illius acuitur.* *Lib. 16. Ethymol.*

Dicunt præterea, quòd hæc gemma attrahat radios Solis, qui dum penetrat totam denſitatem gemmæ per partem oppoſitam Soli, & remotiorem, attrahit ſtupam, paleas, & alias res, quæ facillimè concipiunt ignem, &

illas accendit, atque comburit, & ſimul manum tenentis hinc gemmam artifex calefacit. Addunt Beryllum conferre aquæ, cui imponitur virtutem miram curandi oculos defectuoſos ſi illa laventur. Et ſicut color viridis, quo eſt ornatus Beryllus, valdè confortat viſum, ſic non erit inveriſimile dicere, quod natura dederit huic gemmæ præter colorem viridem, virtutem confortandi Spiritus deſervientes potentiæ viſivæ, & purgandi oculum, abſtergendo ab eo impuritatem, quæ debilitat viſum, & reddit oculum ineptum ad videndum. Fuit, qui adjungeret Beryllum reductum ad formam ſexangularem, & oppoſitum ſoli, exhibere colores Iridis, quæ inter nubes à ſole eſt producta, item quod lotus aquâ reaccendat in ſole carbones extinctos. Hinc quidam Poeta ex parte Berylli pulchrè cecinit.

Me dedit inſignem virtus, qua formar in ignè
Solis ſplendorem non ignis paſſa calorem.

Nil ergo miri, quod Beryllus ob tot prærogativas tanti fiat ab Indis, ut potius auro, quàm hoc privati velint.

Applicatio. II. Gemma pretioſiſſima, Beryllus perfectiſſimus fuit S. Thomas Apoſtolus, Beryllus; ſit enim eum vocavit, & præfiguravit Evangeliſta Joannes in octavo fundamento urbis Hieruſalem ab eodem Evangeliſta deſcriptæ: *Octavum fundamentum Beryllus.* In quem locum communiter & expoſitores, nominatim Areta, Andreas, Joachimus Abbas per illud Octavum fundamentum, intelligunt Thomam: *Beryllus Thomam adumbrat.* Thomas fuit beryllus, quia ſi Beryllus naſcitur in India ſic Thomas in India fuit prædicator, Apoſtolus, & pater Indorum apud quos etiam ſepultus. Beryllus eſt viridis & talis fuit Thomas per ſuam fidem vivam, & non deficientem ut advertit Gaſpar à Melo: *Viridis eſt hic lapis, quod Thomæ fidem vivam, & non deficientem ſignificat.* Thomas eſt Beryllus, quia ſicut ejus color eſt viridis aliqualiter declinans ad pallorem, ſic fides hujus Apoſtoli poſt reſurrectionem Chriſti aliqualiter pallut, & obſcurata eſt ut idem Author obſervat. Eſt Beryllus, quia ſicut hæc gemma attrahit radios ſolares, ſic Thomas ad ſe traxit ipſum ſolem Chriſtum, qui ratione ipſius tantum, ſecunda vice Apoſtolis apparuit. *Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli ejus intus, & Thomas cum eis. Venit Jeſus januis clauſis, & dixit Thomæ &c.* Thomas fuit Beryllus, quia ſicut hic accendit carbones extinctos ſi exponatur radiis ſolis, ſic Thomas in præſentia ſolis cœleſtis reaccendit ſuum cor paulo ante per infidelitatem, & dubitationem extinctus in amore Chriſti. *Dominus meus, & Deus meus.* Eſt Beryllus, quia Thomas in nobis confortat potentiam viſivam fidei, & excitat corda noſtra, ut abſque hæſitatione, vel dubio credamus reſurrectionem Chriſti & alios articulos, qui ex illo inferuntur. Hinc S. P. Gregorius: *Egit miro modo ſuperna clementia, ut diſcipulus ille dubitans, dum in magiſtro ſuo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera ſanaret infidelitatis.*

Apoc. 21.

In loc. Apocalyp.

Joan. 20.

Hom. 26.

Tandem Thomas fuit Beryllus, cujus ſplendor apparuit lucidior, rutilantior, fortior, quando fuit politus forma ſexangulari, hoc eſt, quando fidei junxit bona opera. Conceptus hic non eſt meus, ſed graviſſimi expoſitoris Gaſparis à Melo in citatum locum Apocalypſis, ubi octavum fundamentum urbis Hieruſalem, dicitur Beryllus, per quem ſignificatur Thomas. Jam dixi per viridem colorem Berylli ſignificari fidem Thomæ. Jam aſſero figuram ſexangularem ſignificare bona opera, numerus enim ſenarius eſt numerus perfectionis. Et hinc Deus elapſis ſex diebus perfecit opera creationis; volens itaque Spiritus ſanctus ſignificare Thomam fuiſſe perfectiſſimum Apoſtolum, quia opera bona junxerat fidei, denotavit illum per Beryllum omnium gemmarum pretioſiſſimum & datus illi fuit non ſolum color viridis fidei, ſed & forma ſexangulatis bonorum operum, ob quam hic lapis magis reſplenduit, & reluxit: En verba hujus expoſitoris. *Hanc gemmam Deus non ſolum viriditate ornavit, ſed etiam ſexangula figura polivit, quia fidei adjunxit omnia opera virtutum, quorum perfectio ſenario numero deſignatur, quia ſex diebus Deus complevit opera ſua.*

O glorioſiſſime Thoma, hæc eſt tua perfectio, in hoc conſiſtit tuus ſplendor & claritas, in hoc relucet ſummè tuus valor, hic reſtringitur elogium tuarum virtutum inſtar Berylli, quod viriditati tuæ fidei, adjunxeris formam ſexangularem bonorum, & ſanctorum operum. Verum cum ſis Beryllus, confortа meum viſum, reſtaura meos Spiritus, ut perfectè cognoſcere, & dignè aliis manifeſtare poſſim hanc tuam prærogativam, quæ ita illuſtrem, & cla-

& clarum te reddidit, hoc erit materia mei discursus.

ASSUMPTUM.

S. Thomas Apostolus singulariter inter Apostolos emicuit, quia speciali modo fidem operibus junxit.

Scriptura. 3. *Reg.* 7. 2 *Paralip.* 4.

III. SAcra Scriptura exactam facit mentionem maris illius æneì à Salomone fabricati, in quo sacerdotes lavari debebant Hoc mare dicit facer textus, fuisse vas grande decem cubitorum in latitudine, & fuisse rotundum instar hemysphærii: *Fecit quoque Salomon mare fusile decem cubitorum, à labio usque ad labium rotundum per circuitum.* Potrò notatur hic singulariter, Labium illius vasis fuisse instar Labii calicis, scyphi, aut folii lilii. *Et labium illius erat quasi labium calicis, vel repandi lilii.* Res est valdè mira, & rara, quod mare, vel vas, in quo debebant se lavare sacerdotes prisca legis fuerit rotundum instar mediæ sphæræ, latum instar magni scyphi vitrii, vinatii, aut folii lilii. Quomodo hic connectuntur lilium, vel cyatus, cum aheno in quo abluuntur sordes ? Observo glossam ordinariam per illud mare, intelligere baptismum, qui mundat animas nostras à culpis, Per calicem verò, aut lilium salutem æternam juxta illud Davidis: *Calicem salutaris accipiam, & nomen domini invocabo.* Hoc posito sic discurrit glossa. Volens Spiritus sanctus demonstrare mare baptismi virtute passionis Christi mundare animas nostras, & illas mundatas deducere ad cælum, ordinavit mare, in quo debebant lavare sacerdotes, haberet labium latum instar cyathi, aut folii lilii. En glossam: *Labium ergo maris, in quo sacerdotes lavabantur, quasi labium fuit calicis, & folium repandi lilii. Quia baptismus, quo membra summi sacerdotis efficimur in fide passionis ejus nos à peccatis purificat, & purificatos ad visionem gloriæ suæ introducit.* *Psal.* 115.

Sed si hoc mare significet baptismum, cur dicitur fabricatum in figura Hemysphærii. Hemysphærium est medietas sphæræ, quod denotat imperfectionem, Baptismus est Sacramentum perfectissimum, adeoque meo judicio res perfecta non debet significari per imperfectam. Præterea baptismus æquè bene poterat significari per vas figuræ quadratæ potentis retinere aquam; significatio enim baptismi fundatur in ablutione per aquam, & hæc tam benè continetur in vase quadrato, quam in rotundo. Cur ergo Salomon mandat, ut vas illud templi, quale debebat esse figura baptismi, potius debuerit fabricari in forma Hemisphærii, quàm in forma quadrata ? Eucherius in hunc locum, forsan ad declinandam difficultatem, dicit per hoc mare æneum Salomonis, non significari baptismum, sed fidem, quam suscipit Christianus in hoc Sacramento. *Mare æneum significat fidem, qua in baptismo recipitur.* Sed mihi necdum est planè satisfactum; nam quæro cur fides in baptismo recepta, potius significetur per Hemisphærium, quam per sphæram perfectam ? Fides Christi sive ab infantibus, sive ab adultis in baptismate accipiatur, est fides sanguine Christi dignificata, adeoque nil illi deest, cum sit sufficientissima ad salutem Hinc Paulus: *Accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei.* Cum ergo sit tam perfecta, cur potius significatur per Hemisperium, quam per sphæram perfectam? Mirabiliter Eucherius: Nullum est dubium, quin per illud mare Salomonis intelligatur simul & baptismus omninò necessarius ad salutem, & fides in eodem collata sine qua est impossibile placere Deo. Attamen fides baptismalis in adultis est imperfecta, sola enim non sufficit ad salutem, ideoque significatur per vas figuræ Hemisphærii; si enim homo velit salvari, debet perfici hoc Hemisphærio, & effici sphæra perfecta, adhoc autem debet illi addi aliud Hemisphærium, puta opera bona. Quoniam itaque Spiritus sanctus significare voluit, fidem adultis in baptismo infusam non esse sufficientem ad eum salvandum, sed præterea jungendum esse aliud Hemisphærium bonorum operum, ideò juxta Eucherium Fides baptismalis figuratur per mare æneum Salomonis in figura Hemisphærii. Divine Eucherius: *Mare illud æneum mystice significat fidem, qua in baptismo recipitur, non sufficere ad complendam perfectionem vitæ spiritualis, nisi accedat in adultis observatio mandatorum, operumque executio, tanquam media sphæra imponenda alteri medio sphæræ fidei.* *Ad Hebræos* 10.

Hæc duo Hemiſphæria, quæ ſimul juncta formant ſphæram perfectiſſimam, videor mihi videre in S. Thoma, dum Salvator ei reſuſcitatus apparens dicit: *Infer digitum tuum huc, & mitte in latus meum.* Cui reſpondit Apoſtolus: *Dominus meus, & Deus meus.* Mirabilis confeſſio. Sanctiſſime Thoma nonne ſufficiebat dicere tantum *Dominus meus*, vel *Deus meus*? Quinimo; reſpondebas enim Chriſto, cui utrumque abſolutè convenit, & uno alterum exprimebatur. Cur ergo non dicis tantum *Dominus meus*, ſed addis *Deus meus*?

Theologia. Patres Theologi, vos docetis Deo convenire aliqua prædicata, ex ſe omnino abſoluta, nec ullum omnino reſpectum ad creaturas connotantia ſicut in propoſito noſtro Tò *Deus*, eſt terminus abſolutus ſimpliciter ſignificans divinam eſſentiam. Porrò alia ſunt prædicata relativa ſeu dicentia ordinem ad creaturas, v. g. Tò *Dominus*, quod dicit relationem ad ſervum, Dominus enim eſt ſervi Dominus.

Præterea noſtra fides perfecta eſt actus ſimul ſpeculativus & practicus, tanquam habitus ſpeculativus regulat intellectum ad credendum, ut habitus practicus regulat ad operandum. Objectum fidei quatenus eſt ſpeculativa eſt Deus revelans, quatenus verò practica eſt operatio

Fides quatenus ſpeculativa, eſt unum Hemiſphærium, quatenus eſt practica, eſt aliud Hemiſphærium. Unum Hemiſphærium ſine altero non ſufficit ſalvare adultum. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Similiter *Fides ſine operibus mortua eſt.* Quod ſi ergo Chriſtianus velit ſalvari, debet jungere hæc duo Hemiſphæria, fidem & opera

Thomas itaque ut agnovit hanc veritatem, confeſſus eſt Chriſtum eſſe ſuum Dominum, & Deum, *Dominus meus, & Deus meus.* Confitendo eum Deum confeſſus eſt objectum fidei quatenus ſpeculativa. Confitendo eum, ut Dominum, cui debebat ſervire, confeſſus eſt objectum fidei quatenus practica. Ut ergo demonſtraret ſe eſſe perfectum Chriſtianum, conjunxit Hemiſphærium fidei, & bonorum operum dicens: *Dominus meus, & Deus meus. Tanquam media ſphæra imponenda alteri mediæ ſphæræ fidei.*

Leges. IV. Domini Juriſtæ nobilem proponitis quæſtionem, quæ inter vos adhuc eſt indecisa, quid ſcilicet ſignificet vox ſuppellex, quidquid illa comprehendatur, aut excludatur. Et quamvis omnes conveniant, quod ſit *Domeſticum Patrisfamilias inſtrumentum rerum ad quotidianum uſum paratum.* Quid tamen veniat nomine harum rerum, non omnes conveniunt.

Pomponius vult excepto auro, argento, & veſtibus, omnia alia quibus uti ſolemus quotidie in domo, contineri nomine ſuppellectilis. *Lib. 1. ff. de ſupel. legat. L. 2. eod. Tit. L. 3. eod Tit.*

Florentinus Juriſta celebris à ſuppellectile excluſit omnia animalia, puta equos, boves, Gallinas & ſimilia, eſto his quotidie uti ſoleamus.

Paulus præterea excepit vaſa ænea, eaque quæ fixum locum habent, puta ciſtas, arcas, in quibus reponuntur veſtes & libri, quamvis quotidiano uſui deputati.

Alphenus diſcipulus Servii Sulpitii excluſit omnia, quæ ad ſpecialem artem pertinent, nempè arma, libros, inſtrumenta fabrilia, & militaria. *L. ſupel. eod. Tit.*

Papinianus Auditor Scevolæ cum aliis minus ſcrupuloſis, vult ſub ſuppellectile contineri menſas argenteas, eburneas, lecticas, candelabra argentea, ſcamna, ſcyphos aureos, & alia ſimilia; ſingulariter ſub ſuppellectile numerantur vaſa Delphica priſcis æſtimatiſſima. *L. Legata eod. Tit.*

Sed qualia quæſo erant hæc vaſa. Alexander ab Alexandria ſic illa deſcribit. *Delphica dicuntur vaſa, quorum nullâ mutatâ formâ, varius, & multiplex uſus foret; namque ita erant fabrefacta, ut duplici facie diverſis uſibus inſervirent: ſiquidem Delphi vaſa elaborata artis habuere, ita ut poculorum vicem præſtarent, & clypeorum uſui eſſent.* *Lib. 1. dierum Genialium.*

Vaſa Delphica tam artificioſè fuerunt elaborata, ut ſcyphorum & clypeorum vicem præſtarent. Erant inſtrumentum taliter confectum à Delpho, ut militi ſervirent pro ſcuto, dum debebat pugnare, & pro poculo, dum volebat bibere. His duobus continebatur ejus perfectio. Et eſto hæc vaſa eſſent valdè pretioſa, tamen continebantur ſub ſuppellectile. Et ego mihi imaginor, quod fuerint ſcuta rotunda, exterius aliquatenus alta, & interius incurvata, ita ut poſſent continere aquam, vel alium liquorem. Et horum plura aſſervantur in Palatiis nobilium, habentque quaſi figuram Hemiſphærii, quorum duo unita faciunt ſphæram perfectam.

Applicatio. V. Nunc ad S. Thomam: *Fecit quoque &c.*

In

De interiori domo

In domo Dei anima christiana juxta D. Bernardum debet numerari inter suppellectilē spiritualem, quæ nil aliud est, quam ornamenta virtutū sanctatum, necessaria ad quotidianum usum Christiani. Hic videre licet humi stratum tapetem pretiosissimum humilitatis, muros ornatos aulæis subtilissimis patientiæ, quandoq; cernere est vasa auri purissimi perfectæ charitatis, item argentea illibatæ continentiæ, ænea firmæ constantiæ ad quotidianum usum. Verbo, nunc hoc, nunc illud videmus in opulentissima suppellectile animæ christianæ.

In anima Thomæ videbatur suppellex pretiosissima & opulentissima, & omnia alia quotidiano usui necessaria. Hic videbatur tapes pretiosissimus humi stratus profundissimæ humilitatis, quæ eum omnibus subjiciebat. Hic micabat lectus ornatissimus orationis & contemplationis, in quo suaviter quiescebat anima ejus. Hic cernebantur vasa varia, plena doctrina evangelica, tot nationibus ab ipso ministrata, nempe in Insula Socotoro maris Arabici, ad quam se contulit post adventum Spiritus Sancti, & in qua prædicavit fidem Christi cum tanto profectu illorum populorum, & in Cranganora, ubi tot filios Christo peperit, & in Colano, ubi non minori fructu laborabat, & in regno Coromandelo, cujus metropolis est Meliapor, hodie à Lusitanis dicta Civitas S. Thomæ, inde perrexit ad Chinenses, apud quos tot animas cibo evangelicæ doctrinæ nutritas convertit, & plurima templa Deo vero ædificavit. Ibi conspiciebantur aulæa pulcherrima, templa Deo vero ædificavit. Ibi conspiciebantur aulæa pulcherrima indicibilis patientiæ, quam Apostolus exercuit in tot itineribus, difficultatibus, & persecutionibus. Hic rursus micabant colores diversissimi, temperantiæ, paupertatis, fortitudinis, patientiæ, prudentiæ, confidentiæ in Deum, spei, præmii, amoris Dei & proximi. O quàm opulentam, pretiosam, copiosam, sumptuosam, superbam suppellectilem habebat S. Thomas in domo animæ suæ! Sed singulariter illam ornabant vasa Delphica fidei operibus formatæ; nam omnes ejus virtutes comparebant ornatæ vase Delphico, fidei formata, ac si hoc esset ornatus, & splendor omnium illarum.

Vas Delphicum est fides formata; nam sicut ex una parte vas Delphicum serviebat pro scuto, & ex altera pro clypeo, sic fides servit pro scypho, è quo bibitur vinum sincerum doctrinæ à Deo revelatæ, juxta illud Davidis: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Quod sic declarat Paulus: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Et quidem fides optimè servit pro scuto. *Sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Si intretis conclavia inferiora, videbitis illa ornata, & plena vasibus Delphicis. Conclave potentiæ visivæ, quod illi serviebat ad videndas necessitates proximi, erat plenum vasibus Delphicis fidei formatæ, quia oculi illi serviebant non tantùm, ut viderent eorum necessitates, sed etiam, ut iis succurreret. Si intretis conclave auditus, ibi etiam videbitis vasa Delphica fidei formatæ, quia non audiebat nude clamores populi, sed etiam iis subveniebat. Si casu veneritis ad conclave gustus, ibi cernere licebit etiam vasa Delphica fidei formatæ, volo dicere temperantiam in cibo, non tantùm prædicatam, sed & practicatam. Conclave etiam olfactus resplendebat vasibus Delphicis fidei formatæ; nam olfaciens fœtorem peccati, fugiebat, & odori virtutum insistebat. Conclave altissimum tactus adeò refertum erat vasibus Delphicis fidei formatæ, ut omnia adversa, afflictiones, opprobria, flagella, itinera, & omnia alia ab ipso tolerata, & operata retulerit ad Deum, cui credebat & operabatur. O quàm opulenter & splendidè relucebat suppellex horum vasorum Delphicorum. Si postea ascendatis ad cameras superiores hujus domus Thomæ, videbitis omnes esse ornatas pulcherrima suppellectile virtutum, & consequenter vasibus Delphicis fidei formatæ. Verùm enimverò, sive recordaretur criminum præteritorum, aut beneficiorum acceptorum, sive produceret actus fervèntes amoris, sive contemplaretur cælestia, sivè speraret æternam beatitudinem, omnia referebat ad Deum. Verbo, quidquit egit, quidquid passus est, retulit in Deum, in quem credebat. O quàm pomposa & magnifica fuit suppellex vasorum Delphicorum fidei formatæ conclavium superiorum.

Psal. 115. Rom. 6. Ephes. 6.

Dicamus ergo, quòd in Thoma non solùm fuerit Hæmisphærium fidei, quod illi serviebat pro scypho, è quo bibere poterat mysteria revelata, ac gustare nectar doctrinæ cælestis, sed etiam aliud Hæmisphærium bonorum operum, quæ debebant ei esse scutum in pugna

contra infideles, & omnes Dæmones inferni, qui ex Indiis operâ glorioſiſſimi Apoſtoli debebant fugari. Hinc in veſtibus quaſi pro inſigni geſtabat vaſa Delphica fidei formatæ, & in fronte titulum *Geminus*, tanquam duplex hæmiſphærium, unum fidei, alterum operum. *Tanquam media ſphæra imponenda mediæ ſphæræ fidei.*

Scriptura. 1. Reg. 3.

VI. Faſti Regii recenſent non minus memorandum, quàm myſterioſum caſum adoleſcentis Samuelis. Hic adoleſcens ſopore ſuavi quieſcebat in templo Domini, & dum profundiori ſomno gravaretur, à Deo fuit excitatus, qui eum nominatim compellabat, credens ſe excitarum à Sacerdote Heli, ſurrexit, & ad ejus cubiculum vadens, quid placeret, interrogat. *Ecce ego, vocaſti enim me*, ſed bonus ſenex bene ſciens, ſe eum non vocaſſe, ad lectum eum remiſit; vix dormire cœpit, & ab eadem voce reexpergefactus fuit. Iterum ſtatim ſurrexit, & ad Heli dixit: *Ecce ego, quia vocaſti me.* Rurſus eum remiſit ad quietem, & dormienti idem caſus tertiò evenit. Hic Sacerdos cœpit ſubodorari, hanc eſſe vocem divinam, & remittens adoleſcentem ad quietem, dixit, quòd ſi ulteriùs vocem audiret, ſic reſponderet: *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.* Hîc ſiſto, percupiens penetrare energiam hujus reſponſi, cùm aliqui legant: *Loquere Domine, quia credit ſervus tuus*; & alii etiam, *Loquere Domine, quia obedit ſervus tuus.* Ex quibus lectionibus diverſis videmus pluſquam evidenter, quòd audire, credere, & obedire idem ſint, vel ad minus quòd ſint connexa, & unum ſine altero non reperiatur. Hoc tamen non obſtante, ego repetio, quòd quis poſſit audire, & non credere; audire & credere, & tamen non obedire; ſiquidem bene fieri poteſt, ut ego aliquem audiam loquentẽ, nec tamen ejus verbis credam, quinimò ut audiam & credam, non tamẽ ejus verbis obedire velim; cùm ergo hæc tria ſint diverſa & ſeparabilia, quomodo legunt ac ſi eſſent eadem?

Rom. 10.

Vos ſcitis Scripturiſtæ, per auditum ſignificari fidem, juxta illud Pauli: *Fides ex auditu*, & ſic audire idem eſt, ac credere. Per obedire intelligitur executio & operatio. Si velimus ponere initium obedientiæ, tunc connotatur fides, quia illi non obedio, cui non credo vel verè, vel ſaltem apparenter; nam exequendo juſſa, demonſtrat aliquis quòd credat, & obedientia ac fides connotant, quòd aliquis mandatum audiverit; quòd ſi velimus incipere ab auditu, nullum eſt dubium, quin hic in pluribus auſcultantibus non habeat ſecum fidem & obedientiam, cùm auditus illa infallibiliter non inferat. Veruntamen id non habet locum, nec verificatur in prudentibus & ſapientibus, & ſpecialiter in fidelibus, qualis fuit Samuel, quia hi ita perfectè jungunt auditum fidei & operibus, ut unum non ſolùm non ſeparetur ab alio, ſed auditus influat efficaciter in fidem, & auditus, & fides, & obedire, ac operari ſint omnino idem, quia tales non ſolùm audiunt & credunt, ſed & exequuntur illud, quod audiverunt & crediderunt. Mirabiliter Philo Hebræus: *Opera ſapientiæ nihil differunt à divinis eloquiis: quæcunque enim Deus jubet, & loquitur, ſtatim exequuntur, & notitia eloquiorum ad operationem dirigitur.* Et quia Samuel erat perſona grata Deo, quamvis eſſet juvenis attamen erat valde prudens & ſapiens, & ſymbolum perfecti Chriſtiani; ideo legunt, ac ſi audire, credere, obedire idem eſſent, quia *Opera ſapientis, &c.*

Lib. de migrat. Abrahæ.

Medicina.

VII. Sed quæſo vos Domini Medici, liceat mihi veſtrâ veniâ hunc locum illuſtrare veſtra anatomia, ut magis clarus appareat. Dum deſcribitis organum auditus, docetis, intra concavitatem aurium reperiri quandam membranam, ſeu cartilaginem, quam vocatis tympanum. Hæc membrana connectitur cerebro, mediante quodam nerviculo, qui ab ipſo cerebro deſcendit, & per quem ex auditu tranſeunt ſpecies ſenſibiles ſoni ad cerebrum, & à cerebro ſpiritus vitales neceſſarii ad auditum verſus ipſum tympanum. Dicunt præterea, intra hoc tympanum eſſe concluſum parum aêris, qui tympano eſt congenitus, & propriè non eſt aêr, ſed ſubſtantia quædam corporea valde tenuis & ſubtilis, propter quod & aêr nuncupari poteſt. Inſuper obſervant, hoc tympanum firmari à tribus officiulis valde parvis, figuræ tamen inter ſe diverſæ; nam unum in figura eſt ſimile incudi, alterum malleo, tertium ſtapedi: hæc breviter quoad propoſitum noſtrum eſt fabrica auditus. Hic quæro, in quibus ex his conſiſtat potentia nobiliſſima auditus?

Themiſtius cenſuit, auditum reſidere in ſpiritibus animalibus, quas cerebrum tranſmittit ad tympanum, mediante illo nerviculo, qui illam membranam connectit cerebro, & ad hos ſpiritus portatur ſonus ab illo pauco aêre recluſo in tympano.

Gale-

Galen. l. 8. de uſu part. c. 6. Galenus opinatus eſt, inſtrumentum principale auditus eſſe illum aêrem in tympano recluſo, & vocatur à Simplicio area animata; nam tale debet eſſe inſtrumentum principale operationis adeo nobilis, qualis eſt audire. Et Galenus valde rationabile eſſe putavit, aêrem eſſe inſtrumentum principale hujus ſenſus, cùm ſonus deportetur ad hoc organum ab aêre exteriori. Galeno concinit Ariſtoteles.

Lib. 1. de part. anim. cap. 10. lib. 10. c. 8. Alii, inter quos Toletus, dixerint nobiliſſimam matronam auditus reſidere in tympano tanquam ſolio, ſicut viſus reſidet in humore cryſtallino.

Vaſalius tandem excellentiſſimus Medicus aſſeruit, organum auditus conſiſtere in illis tribus oſſiculis, à quibus firmatur tympanũ, quorum primum ut dixi, eſt ſimile incudi, alterum malleo, tertium ſtapedi. Sic diſcurrunt illi excellentiſſimi Medici & Philoſophi. Sed veſtrâ veniâ liceat mihi nunc adhærere opinioni ſtatuenti tympanum eſſe inſtrumentum principale auditus.

Applicatio. VIII. Nunc ad applicationem, *Loquere, &c.* Quòd per auditum ſignificetur fides, jam ſcimus ex atteſtatione Apoſtoli: *Fides autem ex auditu*; Quòd per incudem, malleum, ac ſtapedem denotetur executio, oſtendunt forma & finis horum inſtrumentorum; nam incude & malleo formantur fulgura, arma, lanceæ, enſes, calcaria & ſtapedes. Et ut diſtinctiùs, & magis particulariùs loquar, dico per malleum, quem habet faber in manu, quemque nunc elevat, nunc deprimit, quoque tundit incudem pro libitu, ut effectum, quem prætendit, habeat, ſimpliciter ſignificare operationem. Hinc Bolgarinus pinxit duos malleos, quibus tunditur ferrum, cum inſcriptione: *Alterius ictibus.* Per incudem vero expoſitam, & ſubjectam ictibus mallei, abſque eo quòd ab illo lædatur, intelligo perſeverantiam in operando; tale ſignificatum illi dedit Eminentiſſimus Cardinalis Cibo, dum incudi hoc lemma ſubjecit, *Durabo.* Simile lemma ſubjecit malleo ſupra incudem picto, Franciſcus Lanci, *Ictus repellit.* Denique per ſtapedem, cui fidens equus velociter currit, ſignificatur celeritas, & promptitudo in operando. Hinc quidam Academicus eum elegit pro ſymbolo, addens: *Velocior & ſecurior curſus.* Ex his omnibus ſimul ſumptis, clarè videmus, inſtrumentum auditus principale eſſe tympanum fulcitum à tribus officulis in forma mallei, incudis & ſtapedis: per quod ſignificatur, fidei debere jungi promptam & perſeverantem operationem, ſine qua non poteſt ſtare fides: imò verus fidelis, & perfectus Chriſtianus ſtatim auditâ voce Dei, debet arripere malleum, pedes imponere ſtapedi, & ſtatim exequi, quod juſſit Deus, ac ſi in auribus haberet manus & pedes. *Facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonum ejus*, ac ſi audire, credere, & operari idem ſint. *Pſal. 102.*

O glorioſiſſime Thoma, quàm perfectè in te relucet nobiliſſimum organum auditus ſpiritualis fidei formatæ bonis operibus aſſociatæ? Octo diebus à reſurrectione elapſis, dum eſſes cum aliis Apoſtolis, apparuit tibi tuus magiſter, & ad te converſus, te ſic eſt affatus: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas.* Tu certè audiviſti hæc verba, & ſtatim abſque hæſitatione credidiſti, hunc tuum eſſe Salvatorem, ideo ſine tactu vulnerum ſtatim dixiſti: *Dominus meus, & Deus meus.* Dicendo Deus, oſtendiſti te habere tympanum fidei, quia antequam tactu explorares, an Chriſtus eſſet Deus, abſque hæſitatione credidiſti, & eum eſſe Deum confeſſus es. Dicendo pariter: *Dominus meus*, demonſtraſti tympanũ tuæ fidei fuiſſe fulcitum à tribus officulis incudis, mallei & ſtapedis operationis; Ac ſi diceres: O mi Salvator, credo, confiteor, teneo, prædico te, quòd ſis Deus meus, non amplius dubito de tua Deitate & reſurrectione, tam firmiter id credo, & ut ita dicam, tam evidenter, ut declarem me eſſe promptiſſimum ob hanc veritatem exequendi, quidquid juſſeris. Si velis, ut ad hanc veritatem manifeſtandam pedes injiciam ſtapedibus, abeam Hieroſolyma, conferam me ad Indos, en me paratum: *Dominus meus, & Deus meus.* Si juſſeris, ne parcam labori ullo, ſed centum, millenis ictibus prædicationis quouſque vixero, nunquam ceſſem auribus infidelium inculcare illam veritatem, en me promptiſſimum: *Dominus meus, & Deus meus.* Si tibi placeat, ut maxima ſubeam incõmoda, adverſitates, vituperia, opprobria, & mortẽ ipſam, nec in minimo tenuo, ſed inſtar firmæ incudis me ſubjicio infinitis ictibus paſſionum, quia mea fides eſt auditus ſtabilitus, & aſſociatus à malleo, ſtapede & incude, eſt fides operatrix, quæ ob nullam quantumvis adverſitatem ab opere deſiſtet, ac ſi mea fides eſſet ipſamet operatio, ac ſi intra auditum meæ fidei haberem malleum, incu- *Joan. 20.*

dem,

dem & ſtapedem, ac ſi meum credere, idem eſſet ac operari, ita ut dicere poſſem cum Samuele : *Loquere Domine &c. & opera mea &c.*

Scriptura. *Cant. 2.* IV. Dum in S. Canticis ſponſa cœleſtis converſaretur cum ſuis domicellis, & intra diſcurſus ſomno opprimeretur inopinato, advenit ejus dilectus, vetans ne illam excitarent. *Adjuro vos filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis, neq; evigilare faciatis dilectã, donec ipſa velit.* Ponſa, vel quia nec-dum indormierat, vel quia ſomniabat de ſuo ſponſo de quo vigil ſemper loquebatur, & cogitabat, vocẽ ſponſi audivit, & videbatur ſibi cernere cum tanta celeritate ad ſe accurriſſe, ac ſi eſſet capra, vel cervus celerrimè per montes Bethel currens : *Vox dilecti mei, ſimilis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloq; cervorum ſupra montes Bethel.* Plura digna ponderatione occurrunt in hac ſcriptura. Nullum eſt dubiũ, quod ſicut per hanc ſponſam intelligitur Eccleſia, ſic per dilectum intelligatur Chriſtus ejus ſponſus. Hoc ſuppoſito, res videtur mihi mira, quod ſponſa comparet ſuum ſponſum tam viliter capræ & cervo, quæ præterquam quod ſint animalia vilia, ut verum fatear ſponſo male olebunt. Attamen, quia hic loquitur Eccleſia Dei quæ nil poteſt proferre diſſonum ab honeſtate. & multo minus à veritate, credo hic neceſſariò latere aliquod myſterium. Ideò omiſſo S. Bernardo, qui ſponſum dicit comparari capræ ob judiciũ ſignificatũ in viſu acutiſſimo capræ, & cervo propter miſericordiam ſignificatam per cervum, qui necat ſerpentes; ſimiliter omiſſo Philone Carpatio, qui opinatur Chriſtum aſſimilari capræ ob acutũ viſum, quo penetrat abditiſſima cordiũ, & cervo, quia extirpat ſerpentes noſtrorũ peccatorũ me transfero ad Originẽ, qui per montes Bethel vult intelligi doctrinas traditas à lege, Prophetis & Apoſtolis, qui ſunt montes altiſſimi ob eorum perfectionẽ, & ſanctitatem, & quidẽ montes Bethel, hoc eſt *domus Dei. Montes ergo, qui in domo Dei ſunt, poſſunt legis & Prophetarum, & Evangelica & Apoſtolica accipi volumina.* Theodoretus inſuper vult per capriã ſignificari fidem, & cognitionem divinorũ myſteriorũ, per cervam verò virtuoſa opera. Nam capra pollet viſu valde acuto, & cervus ex naturali inſtinctu occidit ſerpentes, qui ſunt ſymbola noſtrarum culparũ. Hoc ſuppoſito, cur quæſo ſponſa non comparat ſponſũ ſimpliciter capræ, vel cervo tantum, ſed capræ & cervo ſimul? Et cur prius illum comparat capræ, quam cervo, & non potius prius cervo, quam capræ? Præterea, cur potius dicuntur hæc animalia habitare in monte Bethel, quam Galaad?

Ibidem.

Ser. 55.

Hom. 3. Expoſ. 2. in Cant.

Divine Origenes, *Sed animadverte ne illa potius in his habenda ſit ratio, quia cum dupliciter conſtet ſalus credentium, per agnitionem fidei, & operum perfectionẽ, ratio fidei, quæ pro intuitu & inſpectione contemplationis capreæ comparatur, primus habeatur ſalutis gradus, ſecundo verorum loco, operum perfectio, quæ formam cervi tenet vincentis, & perimentis venena ſerpentũ, id eſt artes diaboli.* Perinde ac diceret Origenes: Ponſa Chriſti, Eccleſia ſancta volebat oſtendere conditiones, quas debebat habere ejus ſpõſus, & perfectus Chriſtianus Chriſti imitator; Et quia optimè ſciebat hæc ponſa, fideli non ſufficere ſolam fidem, ſed & neceſſaria eſſe bona opera, & quod debeat præcedere fides, cognitio legis, fides divinorum myſteriorũ, ideò prius dicit ſuum ponſum eſſe ſimilem capræ, & poſtea cervo: *Similis eſt &c.* Ut demonſtraret fidei, & operum conjunctionem expreſsè eſſe traditam à lege, Prophetis, Apoſtolis & Evangeliſtis ſignificatis per mõtes Bethel, ac ideò ſubjungit: *Super montes Bethel. In quibus,* ſunt verba Origenis, *& fides Dei perſpicitur & contemplatur, & operum perfectio dicitur & adimpletur.*

Sed ne aliquis opponat hanc ſcripturam à me eſſe adductam extra propoſitum, vel non convenientẽ S. Thomæ, dico in illa, à ponſa Chriſti ſpecialiter figurari hunc Apoſtolum; Nam eſto quilibet ex Apoſtolis ſit Bethel, quod idẽ eſt, ac *mons & domus Dei*, adeoque unuſquiſq; ob hunc reſpectum habuerit fidem cum operibus, fueritq; ſimul capra & cerva; Attamen hoc particulariter in Thoma manifeſtatur, quia hic potius, quam alius dicitur Bethel, & huic magis, quam ulli competit eſſe *mons*, vel *domus Dei*. Nonnulli derivant Thomas à *Theos*, quod idem eſt ac *Deus*, ac *domus*, adeoque Thomas interpretabitur *domus Dei*, ſeu *Bethel*, & in hac domo habitabant, & paſcuabantur maxima cũ pace capra fidei, & cervus bonorum operum. Hinc optimè dicebat ponſa: *Similis eſt &c.*

X. De conſtellatione Capricorni ſic vocata ab Aſtronomis, tum quia ſtellæ, ex quibus componitur videntur referre figuram capræ, tum quia ſol quando pervenit ad hoc ſignum inſtar capræ ſaltat, ac iterum aſcendit, & redit ad nos, de hac inquam conſtellatione, referunt Aſtronomi, quod ex ſua natura, & ex conditione Aſtrono-mia.

Saturni

turni Domini hujus domus, & ſimul ex qualitatibus Martis, qui in hoc ſigno habet ſuam exaltationem, præter alios influxus, diſponat hominem ad contemplationem rerum altiſſimarum & reconditiſſimarum, ac inſuper diſponat animos ad agriculturam, ad tolerantiam laborum, vigilantiam & diligentiam in operando.

Ideo advertunt Aſtronomi, quòd ſi Capricornus moretur in angulo orientali, hominem, qui tunc naſcitur, ingenium habiturũ ſubtiliſſimum, & non vulgari ſubtilitate penetraturum ſecretiſſima naturæ, cæli & terræ. Et reipſa doctiores Profeſſores hujus artis experti ſunt ingenia celebriora, & limatiora habuiſſe ſibi faventem Capricornũ. Inſuper cùm hoc ſignum ſecundùm Aſtronomos ſit mobile, & in parte tropica cæli, inclinabit talem hominem ad vagandum & itinerandum. Eandem ſubtilitatem ingenii promittit, quando moratur in angulo medii ſupremi cæli, ex quo fit, talem fore aptiſſimum ad tractanda & peragenda negotia maximi momenti, ita ut non ſolùm aptus ad ſimilia, ſed & neceſſarius videatur, & ex illis maximos referet honores. Addunt, ex hac ſubtilitate ingenii, & negotiorum maximorum tractatione, talem maximas opes conſecuturum.

Quòd ſi reperiatur in cardine occidentali, talis perſona ob dictas qualitates patietur invidiam, calumnias, perſecutiones, eritque expoſita millenis hominum inſidiis, & hoc proveniet ex conditione peſſima Martis, qui habet ſuam exaltationẽ in Capricorno. Veruntamen poſt hæc omnia mala reſpirabit, & aget vitam tranquillam. Præterea ſi reperiatur in cardine medii infimi cæli, perſona exuetur omnibus bonis paternis, attamen ſuo labore, ſudore, induſtria, vel recuperabit perdita, vel acquiret nova bona. Hæc Aſtronomi, dum loquuntur etiam de regionibus ſubjectis huic ſigno, ejuſque imperio, & inter illas numerant Indiam, Arianam, Gedroſiam, in Aſia ſitas.

Applicatio.

XI. Nunc ad Thomam, *Similis eſt &c.* Signũ Capricorni crederem ego (N. N.) eſſe fidẽ noſtram operibus formatam. Signum Capricorni, quia ſicut illud habet figuram capræ, & quidem ſaltantis; nam dum Sol illud intrat, denuò aſcẽdit, & ad nos revertitur; ſic in fide eſt acutus viſus capræ, quia mediante fide videmus profunditatem divinorum myſteriorum impenetrabilium. Et dum hanc intrat Sol noſtri Dei, facit nos ſalire ad bona opera, quia eſt veriſſima opinio plurium Theologorum, fidem non eſſe tantùm ſpeculativam, ſed etiam practicam. Quatenus ſpeculativa eſt regula credendi, quatenus practica operandi. Hinc Apoſtolus loquens de hoc ſigno fidei formatæ, ſic ſcribit Galatis: *Fides, quæ per dilectionem operatur.* Fides formata eſt ſignum Capricorni, quia ſicut Capricornus eſt domus ſapientis, & docti Saturni, ſic fides eſt illa, quâ mediante Deus habitat in anima noſtra, & dat cognitionem divinorum myſteriorum. Et ſicut Capricornus eſt exaltatio Martis igniti & robuſti, ſic Deus animam credentem robotat, *Fides, quæ per dilectionem operatur.*

Hæc conſtellatio Capricorni valde mihi ſemper videtur propitia fuiſſe S. Thomæ. Fuit præditus tam acri & ſubtili ingenio, ut conſiderantibus ejus ſubtilitatem, ſtuporem injecerit, dum videndo plagas ſacratiſſimæ carnis Chriſti, penetravit occultiſſimam ejus Divinitatem. *Dominus meus, & Deus meus.* Hinc dixit S. P. Gregor. *Hominem vidit, & Deum confeſſus eſt.* Hic Capricornus fidei formatæ illi bene voluit, quia præter cognitionẽ profundiſſimam divinorum myſteriorũ, fuit aptiſſimus ad itinerandũ; nam ut recenſetur in ejus vita, *Thomas profectus eſt ad Parthos, Medos, Perſas, Hircanos, & tandem ad Indos.* Ita decurſu ſuæ peregrinationis & vitæ non ſolùm retinuit illam profundiſſimam cognitionem, ſed etiam ſe impendit utiliſſimis negotiis Eccleſiæ, quia non ſolùm docebat populos, quibus prædicabat myſteria fidei, ſed & eorum affectus excitabat ad amorem Dei, quẽ prædicabat, & ſuam doctrinam miraculis confirmabat, *Vitæ, doctrinæq; ſanctitate, & miraculorũ magnitudine in admirationem, & Jeſu Chriſti amorẽ omnes commovebat.* Adeò ei favit hic Capricornus fidei formatæ, ut retulerit copiam maximam cæleſtiũ opum & meritorũ, non ſolùm in cælo, ſed & in terra, ut ideo præ reliquis Apoſtolis eum ad S. Brigittam loquens vocaverit Theſaurum ſuarum opum: *S. Thomas Apoſtolus meus, Theſaurus meus eſt.*

Hom. 26. in Evang.

Surius in vita.

Lib. 7. revel. c. 4.

Thomæ prædominatus fuit Capricornus fidei formatæ, quia videntes Bracmanni eum adeò eruditum in doctrina chriſtiana, & tot meritis opimum, ac tot animabus cælo genitis divitem, & ſpecialiter Regi Sagamo tam charum, qui cum plurimis optimatibus regni, & innumera plebe amplexus erat fidem à Thoma prædicatam, conſpirantes non ſolùm illum

in multis accuſarunt, & calumniati ſunt, ſed quidam in id totus fuit, ut ejus exiſtimationem in illis partibus tolleret, accuſando ſanctum, quod occidiſſet puerum innocentem. Sanctus ſtabat coram Rege, ſicut ejus accuſatores rem pro & contra diſputabant non ſine detrimento famæ Apoſtoli. Tandem ſenſit ſibi propitium Capricornum fidei formatæ, nam in tali anxietate ſanctus cauſam obtinuit, ſiquidem coram omni populo præcepit defuncto, ſurgeret & occiſorem manifeſtaret maxima cum gloria Thomæ, ut refert Petrus Maffeus, & per hoc miraculum converſus eſt Rex Sagamus cum innumeris Indis. *Lib. 2. hiſt.*

Etiam ipſi prædominatus eſt Capricornus in fine ſuæ vitæ, nam inſtigantibus Bracmannis à Rege Sagami ſucceſſore, morti addictus, lapidatus eſt, & lanceis transfixus, ad quorum transfixionem occubuit. Verum, quia ei prædominabatur Capricornus, quantumvis amitteret vitam temporalem, tamen eodem tempore acquiſivit vitam æternam, cum tanta ejus gloria & honore, ut hodiedum uſque, imò & per cuncta ſæcula, & totam æternitatem ejus nomen celebre futurum ſit. *Apoſtolus honorem Martyrii corona decoravit.* *Breviar. Roman.*

Quid ergo miri glorioſiſſime Thoma, quod voceris *mons*, vel *domus Dei*, in qua habitat capra, & hinnulus cervorum. *Similis eſt dilectus &c.* Si toto tempore vitæ Capricornus fidei formatæ tibi adeò propitius fuerit? Sed quis miretur hanc conſtellationem, cui Indi ſunt ſubjecti, tibi prædominatam fuiſſe ſi ab æterno fueris electus, & in tempore à collegio Apoſtolico poſt adventum Spiritus S. ſis inſtitutus Apoſtolus Indiarum, ut in illis diſſeminares fidem adeò radicatam in corde, quamque operibus, prædicatione, miraculis, tormentis, & morte ipſa confeſſus es?

XII. Divus Lucas recenſet converſionem Zachæi publicani, viri valdè divitis & opulenti, qui per gabellarum exactionem valdè ſuam ſubſtantiam auxerat. Vix Chriſtus intratat ejus domum, & Zachæus hiſce eum ſalutavit. *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Domine, quia cor meum tetigiſti, en medietatem bonorum meorum ergo in pauperes, & ut ſecurior ſim in conſcientia, in quadruplum reſtituo, ſi aliquid forſan abſtuli: Salvator admirans actum tam heroicum dixit: *Quia hodie ſalus domui huic facta eſt*, & cauſam ſubdens ait: *Eo quod & ipſe ſit filius Abraha.* Optima ratio: Hodie huic domui ſalus obvenit, quia Zachæus eſt filius Abrahæ. Attamen mi Domine, ſit mihi fas dicere, non capio hanc conſequentiam. Si dixiſſes ei obveniſſe ſalutem, quia illa vice prius intrafti ejus domum, tranſiret, & haberet aliquam probabilitatem; Cum enim ſis Salvator mundi, ingreſſus tuus in ejus domum ſalutem illi attuliſſet. Verum ejus ſalutem non attribuis tuo ingreſſui, ſed potius eam illi obveniſſe concludis, quia fuit filius Abrahæ. *Hodie ſalus &c.* Ratio mea dubitandi hæc eſt. Zachæus antequam Chriſtus intraret ejus domum, erat filius Abrahæ, ergo etiam antea debebat ei obvenire ſalus, atqui hoc eſt contra ſcripturam. *Hodie ſalus &c.* Ergo non video quomodo ſubſiſtat ratio Chriſti. Qualiter ergo ſolvemus hanc difficultatem? *Scriptura Cap. 19.*

Quæſo vos conferamus nos ad Joannem, apud quem reperietis prolixiſſimam altercationem inter Chriſtum & Phariſæos, qui quandam fœminam in adulterio deprehenderant. Hi duæ ſuas rationes ſtabilirent, in hoc quod eſſent ex ſtirpe Abrahæ: *Semen Abrahæ ſumus, Pater noſter Abraham eſt*, ſic à Chriſto repulſi ſunt, *ſi filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*; Ac ſi voluiſſet dicere: O miſeros! Jactatis vos eſſe filios Abrahæ, nec advertitis veſtra opera deſtruere illam prætenſionem? Non eſt filius Abrahæ, niſi qui ejus opera facit, atqui vos facitis opera quæ non fecit Abraham, nam de facto meæ inſidiamini vitæ, quod nunquam fecit Abraham, ergo clarè liquet vos non eſſe filios Abrahæ. Præterea Abraham habuit fidem operativam, quia non ſimpliciter credidit verbis Dei, ſed etiam reſolvit immolare ſuum filiũ Iſaac. Nullus ergo poteſt allegare, quod ſit filius Abrahæ, niſi habeat conditiones hujus Patriarchæ, hoc eſt fidem, & opera. Verum enim verò Zachæus credidit in Chriſtum, ut patet ex ejus deſiderio, quo eum volebat videre, & eum etiam confeſſus eſt eſſe ſuum Dominum. *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus.* Similiter habuit opera Abrahæ, nam erogavit ſua in pauperes, & ſuſcepit Chriſtum. Pono cum hæc opera ſingulariter probent aliquem eſſe filium Abrahæ, & illa non habuerit Zachæus, antequam Chriſtus intraret ejus domum, ideò huic dixit: *Hodie ſalus &c.* nam *Joan. 8.*

per

per illa opera oſtendit ſe eſſe filium Abrahæ, ejuſque filiationem ſe conſecutum. Mitè S.P. Cyprianus: *Hodie ſalus domui huic facta eſt, eò quod & ipſe ſit filius Abraha, quia fidem cum operibus qui conjungit, dicendus eſt filius Abrahæ.*

Lib. de opere & eleemoſyna.

Simili modo Thomas melius, imò centies melius poteſt gloriari, quod ſit filius Abrahæ, quia non fuit contentus ſimplici, nuda & vidua fide, ſed illi conjunxit bona opera. Nec permittit me mentiri ipſummet nomen Thomæ, quod idem eſt ac *geminus. Thomas unus ex duodecim qui dicitur Didymus, id eſt, geminus.* Solus inter duodecim Apoſtolos vocatur Geminus, quia in eò clarius emicuit hæc combinatio fidei, & operum, quæ ipſum clarè oſtendit eſſe filium Abrahæ.

Ioan. 20.

Hiſtoria.

XIII. Refert Pierius Valerianus in ſuis ſymbolis, olim militibus novellis datum fuiſſe ſcutum album, & videntes nihil gloria dignum in ſcuto eſſe deſcriptum, animarentur ad heroica facinora aggredienda, quæ illi ſcuto inſculpi poſſent. Et revera, ut notat Virgilius, hoc ſcutum album valdè animavit milites, ut quodlibet opus arduum ſuſciperent, ne alias nomen meticuloſi incurrerent.

Lib. 42.

——— *Palmâque inglorius albâ.*

Hinc Pierius *Clypius incidi, deſcribive facta pulchra moris fuit, unde, qui nihil adhuc ſtrenuè in bello geſſiſſet, alba utebantur parma.*

Idcircò generoſus Agamemnon, qui tot victorias obtinuerat, ut diſtinctè in ſcuto depingi non poſſent, formavit tantum caput leonis, quo ſignificare voluit, ſe per ſua inſignia geſta, factum eſſe terribilem hominibus. Ut hoc exprimeret Alciatus, depinxit effigiē Agamemnonis in habitu militari, dextra ſtringentem enſem, & ſiniſtra ſcutum, in ejus medio depinxit leonem, in Marginibus verò nomen Agamemnonis. Hoc lemmate ſubjecto. *Furor & rabies*: ſuum conceptum porrò his pulcherrimis verſibus declaravit.

Alcia. Embl. 27.

Ora gerit clypeus, rabioſi picta leonis,
Et ſcriptum in ſummo margine carmen habet.
Hic hominum eſt terror, cujus poſſeſſor Atrida,
Talia magnanimus ſigna Agamemno tulit.

Sequens hunc morem militarem Evander Rex, dum vellet filium ſuum Pallantem ad heroica facinora incitare, dedit militi novello ſcutum album, ſignificans tunc eum dignum futurum qui eſſet ejus filius, quando ſcutum geſtibus inſignibus in bello repletum reportaturus erat, & econtra eum nec dignum futurum, qui vocetur Evandri filius, ſi poſt bellum ſcutum remaneret album.

Hunc animum generoſum nec in minimo degenerantem à patre ſuo demonſtravit Andreas Gonzaga filius excellentiſſimi Domini Ferrante, dum elegit pro ſymbolo ſcutum rotundum, album cum hoc lemmate.

Virtutis trophæa nova non degener addit.

Volebat generoſus filius ſignificare ſe talia edidiſſe facinora valoroſa, quæ illi ſcuto inciſa, toti orbi declarare poſſet, ſe non eſſe filium degenerem tanti Patris *Virtutis trophæa &c.* Quod ſi ejus Pater generoſiores belli duces ſuæ vi ſuperaſſet, ſignificabat ſe non fore contentum, quod poſſet gloriari ſe habere talem patrem; (Id enim filiis meticuloſis, & ignavis commune eſt) ſed ſe heroicis geſtis parentis propria additurum, per quæ ſatis oſtenderet, ſe dignum filium tanti heroïs.

XIV. Nunc ad Thomam *Hodie ſalus &c.* Noſtra fides eſt ſcutum juxta Apoſtolum, *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* Hoc ſcutum dedit Dominus Apoſtolis poſt adventum Spiritus S. dum eos ad Provincias orbis miſit, ut prædicarent fidem omnibus gentibus. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Hoc mandato accepto teſtatur Hieronymus, Apoſtolos convenïſſe, & unanimiter hoc ſcutum formaſſe ex duodecim articulis, & quemlibet ſuum protuliſſe. ſicque eos ſymbolum compoſuiſſe fidei, ne unus ab altero diſceparet. *Tradunt majores noſtri poſt adventum Spiritus ſancti, præceptum Apoſtolis à Domino datum, ut ad prædicandam fidem ad ſingulas proficiſcerentur nationes. Diſceſſuri itaque invicem normam ſibi prius futuræ prædicationis in commune conſtituunt.*

Applicatio.

Ad Eph. 6

In ſymb. Ruff. in. 2.

Hi novelli milites, qui debebant pugnare cum omnibus infidelibus, cum omnibus nationibus, dum dividerentur, ſumpſerunt ſecum hoc ſcutum album, ut quilibet poſt bellum heroica ſua facta & geſta cælo inferret.

Petrus ſe muniit hoc ſcuto, & præclariſſima geſſit, & tandem bello finito in eo depinxit

crucem, eique hominem affixum capite deorsum. Paulus depinxit gladium, Joannes aheum olei bullientis, Philippus crucem cum multis lapidibus, Jacobus templum cum baculo, alter Jacobus frater. Domini securim; Bartholomæus cutem cum cultro, Matthæus virum habitu sacerdotali amictum cum gladio, & sic consequenter quilibet sua gesta, victorias, trophæa depinxit.

Thomas etiam assumpsit scutum fidei album cum lemmate. *Virtutis trophæa &c.* ac si dicere voluisset, nec in minimo degenerabo à meis commilitonibus & condiscipulis, imò nec à meo patre & magistro Christo: Non redibo ad patriam meam, paradisum, velut miles vilis, & ignavus, sed prius tanquam æmulator mei magistri mea heroica facta in illo scuto depingam; Ideò in uno margine hujus scuti exaravit nomen *Didymus*, hoc est *geminus*, nam ut advertit Glossa interlinearis, *Geminus fuit Salvatoris similitudinem imaginis ejus gerens.* Ac si voluisset dicere non reportabo ad meam patriam hoc scutum album, sed potius plenum insignibus, & heroicis victoriis, quas valorosi milites Christi debent in sculpere suo scuto. Et sic totus mundus videbit, quod non frustra fuerim vocatus geminus, imò ostendam, quod fuerim dignus filius, discipulus, miles mei patris & magistri Christi, & quod nec in minimo ab illo degeneraverim: *Quia geminus &c. Virtutis trophæa &c.*

Nec permittit me mentiri hic bellicosus Apostolus, quia in ejus scuto depictæ sunt Indiæ Orientales ab ipso subjugatæ, & Christi Imperio subjectæ. In medio hujus scuti cernitur caput leonis stygii à Thoma superati cum lemmate. *Hic terror est Dæmonum.* Ab una parte videtur restis alligata immenso trunco, quem ipse solus dejecit, cùm tamen plurimi viri robustissimi, adhibitis etiam multis Elephantibus id facere non potuerint. Ex altera parte depictus est filius resuscitatus, ex alia etiam parte caput coronatum innumera gente ab ipso conversa, circumcirca lapides, enses, tela, sagittæ, & lanceæ, instrumenta ejus passionis.

XV. O generosissime miles, ô valorosissime pugil Christi, quid miri quod vocatus sis *geminus*, si tanquam filius Abrahæ & Christi tam perfectè conjunxeris opera virtuosa, & gesta heroica scuto albo fidei? Quid miri? quod in tuo scuto fidei à te prædicatæ, videatur depicta capra acutissimi visus, cervus destructor serpentum, si tibi prædominatus fuerit Capricornus, qui imperat Indiis à te conversis, idque profunda cognitione divinorum mysteriorum, & operibus tam miris? Epilogus.

Quis ulterius miretur in hoc scuto videri tympanum ab incude, & malleo contusum, cum stapede & lemmate: *Loquere Domine, quia audit &c.* Cum tam promptum te ad operandum exhibueris, ac si fides tua nil aliud esset, quam operatio? Quis ulterius velit mirari quod in hoc scuto appareat vas Delphicum, quod non servit tantum pro poculo, ad bibendum nectar doctrinæ Evangelicæ, sed etiam pro vase à te accepto ad pugnandum, & vase rotundo in figura hemisphærei, cum lemmate *alteri imponenda*, si omnis tua suppellex fuerit ornata fide formata?

Quis ulterius poterit mirari, quod in hoc scuto reluceat Beryllus fabricatus in forma sexangulari, cum lemmate. *In sexangulo clarior*, si semper fides benè ordinata in tuo corde viguerit, ac maximè è sexangulis resplenduerint opera bona.

Cessabunt portenta, si consideraverimus, quod fuens parvum fundamentum stabilitum à Deo tanquam basis principalis Ecclesiæ non fundata super Beryllum debilem fidei informis, sed super beryllum sexangularem, nam fides informis non potest sustentare machinam, à qua dependet nostra salus. Præsta fidelissime Thomas, ut ego in scuto albo meæ fidei informis, quotidie delineem generosa facta, ut verè possim dicere *Virtutis trophæa &c.*

ELO-

ELOGIUM XXXVIII.

Pro Feſto Nativitatis Domini noſtri.

Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Luc. 1.

Aſtronomia.

I. COmmunis eſt ſententia Aſtronomorum (Auditores) quòd Sol dominus planetarum, oculus mundi, fax cæli, gemma pretioſiſſima univerſi, cum Mercurio & Luna ſit indifferens, & quòd conditioni domorum, ſignorum, conſtellationum, in quibus eum contingit commorari, ſe libenter accommodet.

Hinc intrans domum Leonis, ſignum omnium calidiſſimum, ac æſtuoſiſſimum, accommodat ſe ejus qualitatibus, & radios ſuos adeo ferventes & igneos in terram emittit, ut omnia præ exceſſivo calore ardeant, & comburantur; ſiquidem cùm tranſeundo per Geminos, & Cancrum, aperuerit manus & poros terræ, attraxeritque ac ſublevarit è locis profundiſſimis ac paludoſis aqueos vapores & exhalationes, & aëream regionem repleverit fumis terreſtribus, dum venit ad Leonem, & in illo movetur, bene ſequitur, quòd hi vapores & exhalationes virtute Solis ac Leonis accendantur & inflammentur, & calorem in terra intenſiſſimum ac intolerabilem cauſent. Verùm poſtea tranſiens à Leone ad Virginem, & ejus conditioni ſe attemperans, mitigatur adeo ejus calor, ut à terra ac hominibus tolerari poſſit, & ſequatur Autumnus frugifer, ſalubris, ac temperatus. Et ideo fit, quòd eo tempore experiamur Solem magis ſupportabilem, mitiorem, benigniorem, minus calidum & ferventem, & quòd noſtra membra hoc tempore ſint magis quieta, quòd noſtra corpora probent majorem tranquillitatem, quòd terra, plantæ, arbores, fructus, animalia, homines, mundus totus reſpirent, ac confortentur, quod non fuit factum, dum Sol fuit in Leone.

Applicatio. *Zach. 9. Eccleſ. 32.*

II. Quòd Verbum æternum ſit Sol, & ſic vocetur in ſacris Litteris, nulli eſt dubium, *Sol juſtitiæ, Rex Regum, & Dominus dominantium planetarum*, oculus Microcoſmi, putà hominis. *Dominus eſt oculus hominis*, Fax univerſi, *Ego ſum lux mundi. Gemma pretioſiſſima cæli. Gemmula carbunculi in ornamento auri.* Sol, qui libenter ſe cuilibet ſigno attemperat. *Mors eſt malis, vita bonis.*

O ſacratiſſimum Verbum, ecquis ignorat, quòd antequam intrares hoc ſignum ſacroſanctum Virginis puriſſimæ, habitaveris in ſeveriſſimo Leone tuæ Juſtitiæ, & exinde ob fumoſos vapores noſtratum culparum, qui ex terra paludoſa noſtratum animarum verſus cælum ſublevati ſunt, non emiſeris, niſi radios ſummi rigoris, ſeveriſſimæ juſtitiæ, ut totum univerſum arderet, & combureretur à ferventiſſimis ardoribus tuæ iræ, ita ut vocari volueris *Dominus exercituum, Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, & in manu ejus gladius utrâque parte acutus*: O quàm ardens fuit hic Sol, quantum fuit Deus indignatus!

Sed quando tandem ingreſſus eſt conſtellationem pientiſſimam Virginis noſtræ Dominæ, adeo temperavit fervorem & ardorem, ut factus ſit totus ſalutifer, benignus & pius, ita ut depoſitis armis, & furore, vocari voluerit *Deus pacis & conſolationis, Princeps pacis, & Pater futuri*, qui toti Orbi omnia proſpera & bona attulit.

Videntes itaque Angeli ſancti hoc ſacroſancto, & nobis feliciſſimo die, hunc Solem oriri ex conſtellatione Virginis, veſtitum carne, & adeo propitium generi humano, plenis choris cantare cœperunt: *Gloria in altiſſimis.* De hoc ego hodie diſcurram.

ASSUMPTUM.

Verbum æternum hodie comparens veſtitum noſtra carne, ſupra modum ſe exhibuit propitium generi humano.

Locus Scripturæ. *Pſal. 75.*

III. LOquens Regius Pſalres cum divina Majeſtate, in hæc verba prorupit: *De cælo auditum feciſti judicium, terra tremuit & quievit, cùm exurgeret in judicium Deus, ut ſalvos faceret omnes manſuetos terræ.* Et dicere volebat: Mi Domine Deus, cùm antequam incarnareris, videres quadam vice totũ Orbem ſceleribus involutum, & quòd non ceſſaret te offendere, reſolviſti eum terrere, & conſternare, notificando et judicium ſeverum, quo voluiſti plectere ejus peccata, & votis potitus es, quia tota terra tanto tremore eſt concuſſa, ut oppreſſa videretur maximo quodam paroxiſmo terræ motus. *De cælo auditum feciſti judicium, terra tremuit.* Et hìc ſecundum quoſdam terminatur lectio. Verùm concuſſio totalis terræ ceſſavit, quando voluiſti facere alterum judicium aſſumendi carnem, & ſalvandi genus humanum, quod hoc facto die impletum eſt, quia hodie incepiſti dare principium noſtræ ſaluti. *Et quievit cùm exurgeret, &c.*

Auditores, valde libenter ſcirem, unde hæc magna alteratio procedat. Antequam Verbum incarnaretur, tota terra tremebat, & quatiebatur, quomodo ergo in incarnatione quietatur, & firma ſubſiſtit? meo judicio, ſi antea pavebat ad rigoroſum illud judicium Dei, quo volebat judicare culpas, etiam poſt adventum Verbi in Orbem, debebat ſubjecta eſſe ſoli timori, cùm eadem peccata, & forſan majora patrarit.

Mathematica.

IV. Nobiliſſima agitatur controverſia inter Philoſophos & Mathematicos circa centrum terræ. Quærunt, an centrum terræ ab ipſis vocatum *centrum magnitudinis*, ſit idem cum centro ab ipſis vocato *centro gravitatis*, vel an differant?

Fernelius in ſua Coſmographia opinatur, centrum gravitatis eſſe quoddam punctum in granditate illius lineæ rectæ, quæ dividit corpus in duas partes æqualiter graves, ad quod punctum veluti centrum concurrunt omnes partes tali gravitate dotatæ, ſic ut una pars non ſit gravior altera, veluti in globo ferreo centrum gravitatis eſt punctum, quod eſt ad juſtam menſuram in medio illius globi, atqui centrum magnitudinis & molis eſt illud punctum in medio lineæ rectæ, quod dividit corpus in duas partes ſimpliciter æquales, ita ut omnes lineæ ductæ à centro ad circumferentiam illius corporis, ſint perfectè æquales, & hoc ſive illud corpus ſit formatum ex partibus æqualiter gravibus, ſive non, ita ut ſi corpus ſphæricum foret medietas lapidis, & altera medietas ligni, *centrum magnitudinis* ſeparandum foret à *centro gravitatis* ut clarum eſt.

His ſuppoſitis, inquit Fernelius, in terra hæc duo centra omnino ſunt idem, & hoc eſt centrum univerſi, centrum mundi, ad quod omnes lineæ, & omnia gravia terminantur.

Alii nihilò ſcius volunt, quòd naturaliter loquendo, illa centra ſint totaliter differentia ac diverſa, prout cernere liquet in viſceribus globi lapidei vel lignei. Dicunt ergo, terram ex ſua natura exigere, ut hæc duo centra ſint intimè juncta, & quaſi eadem omnino res. Ex quo neceſſariò ſequitur, quòd ſi hæc duo centra eſſent à ſe invicem ſeparata, ſi tunc uni, vel alteri parti adveniret aliquod corpus grave, globus terræ maximo motu concuteretur, nec unquam firmaretur, vel quieſceret, niſi ob maximam ſympathiam hæc duo centra eſſent planè conjuncta & unita: optima ſpeculatio, ſed quæſo vos, attendite ad applicationem.

Applicatio.

V. *De cælo auditum, &c.* Filius Dei, Verbum æternum, ſecunda perſona in divinis, jure optimo debet vocari *Centrum magnitudinis*, quia Deus Benedictus juxta Triſmegiſtum, Platonem, ac alios, eſt centrum omnium creaturarum, quæ formant illam circumferentiam, à qua procedentes, æqualiter terminantur ad centrum divinum, quin imò cùm Verbum ſit medium inter Patrem & Spiritum Sanctum, vocatur à Theologis *Centrum Divinitatis.*

Econtra caro debet ex altera parte vocari *Centrum gravitatis*, ad quod terminantur, & à quo oriuntur omnes miſeriæ noſtræ. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit ſenſum multa cogitantem.* *Sap. 9.*

Hoc

Hoc igitur centrum magnitudinis maximum habuit appetitum à principio mundi ſe uniendi & conjungendi *Centro gravitatis* noſtræ carnis, ſimiliter etiam *centrum gravitatis* deſiderabat hanc unionem, ideo anxiè clamabat: *Veni Domine, & noli tardare,* & quam diu hæc duo centra diſtabant à ſe, tota terra naturæ humanæ quatiebatur, ac tremebat, & totum genus humanum tremore repletum erat, ita ut à nulla parte eſſet ſecurum. Tunc etiam Deus vocabat ſe Deum ultionis, qui liberè abſque ullo obſtaculo puniebat genus humanum, graviſſimam ei cladem inferendo. *Pſal. 84.* *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum liberè egit.* Ah, quàm terribiles concuſſiones, quàm grandes hiatus tunc videbantur in terra generis humani.

Sed tandem, dum hodie comparet *Centrum magnitudinis* unitum, & conjunctum cum *Centro gravitatis* noſtræ carnis, ſtatim terra quievit, & tremori ac commotioni ſucceſſit pax, quies, tranquillitas & reſpiratio, & ille Deus, qui diſtans à noſtra carne tantam edebat cladem, ille factus eſt totus benignus ac gratioſus. Hinc Pſaltes: *Ibid.* *Benedixiſti Domine terram tuam, avertiſti captivitatem Iacob, mitigaſti omnem iram tuam, avertiſti ab ira indignationis tuæ.* Porro hæc benedictio nihil aliud eſt juxta Auguſtinum, quàm ipſa incarnatio. Et hic eſt conceptus Vatis, dum dixit: *De cælo, &c.* Antequam comparetes in mundo veſtitus noſtra carne, antequam tuum *Centrum magnitudinis* incorporaretur noſtro *Centro gravitatis* humanæ naturæ, tota terra, totum genus humanum tremuit ob timorem divinorum judiciorum & ſuppliciorum. *Terra tremuit,* ſed hodie, dum hæc centra ſunt unita, ac incorporata, miſſo omni timore & pavore, terra quievit. *Et quievit, cùm exurgeret, &c.* Hinc dicebat S. P. Bernardus: *Operatus eſt ſalutem in medio terræ, hoc eſt in utero Virginis.* Quia ab unione horum duorum centrorum dependet omne noſtrum bonum, & omnis noſtra ſalus.

Scriptura. Cap. 20. VI. Dum Joannes ſua Apocalypſi eſſet totus abſorptus in contemplatione illorum divinorum oſtentorum, vidit ſubitò ex vertice cæli deſcendentem Angelum amictum nube: *Vidi alium Angelum fortem descendentem de cælo, amictum nube,* & obtutus arctiùs deſigens, vidit caput ejus cinctum iride rarè venuſtatis, *Et iris erat in capite ejus.* Oſtentum revera dignum, & omnem conceptum ordinarium tranſcendens. Verùm enimvero, ego ſcire deſidero, qualis fuerit hic Angelus, & quid ſignificaverit ille habitus nubeculæ, & iridis, quæ ejus caput cingebat?

Reſpondet S. P. Ambroſius: *Angelus fortis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum deſignat, per nubem verò caro, quam induit, deſignata eſt.* Acquieſco, ſed quid ſignificavit illa iris, quæ ejus caput adeo illuſtrabat?

VII. Variæ fuerunt opiniones priſcorum Philoſophorum circa omnium conſtellationum pulchertimam iridem, cui hoc dat teſtimonium Spiritus Sanctus: *Vide arcum, & benedic eum; qui fecit illum, valde ſpecioſus eſt in decore ſuo, circuivit cælum in circuitu gloriæ ſuæ, manus Excelſi aperuerunt illum.* Philoſophia.

Impreſſio adeo nobilis, ut eam Plato vocet Thaumantis, hoc eſt, admirationis filiam, ut Heſiodus autem, & ejus ſequaces, Arcum Dæmonis, ac divinam ſapientiam; omnes Philoſophi tandem concludunt, arcum cæleſtem nil aliud eſſe, quam aliquam nubeculam, ac radios ſolares attemperatos, qui quia per raritatem ac denſitatem majorem nubeculæ ſunt diverſimodè modificati, hinc fit, quòd in illo arcu cernamus tam varios colores. *In Theoteto.*

Advertunt præterea, quòd aliquando una Iris compareat, aliquando plures, aliquando tres, & ſpecialiter quando Sol eſt in medio cælo, & aliqua nubes rorida apta formare irim reperitur in parte orientali, ac alia in occidentali, & tertia in parte ſeptentrionali, tunc tres Irides albæ videntur in cælo.

Addunt Philoſophi, Iridem naturale eſſe ſignum pluviæ ſecuturæ, & particulariter juxta placitum Senecæ, quando cernitur paulò poſt meridiem. Hinc canebat Ovidius:

Nuncia Iunonis, varios induta colores, *Lib. 1. Metamor.* Con-

Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus affert.

Verùm ſequaces Heſiodi, volunt Iridem eſſe prognoſticon, mundum neque aquâ, neque igne unquam eſſe deſtruendum. Non aqua, quia in Iride apparet color rubicundus, qui procedit ab humido inflammato, qui demonſtrat aquam non habere totale dominium in ignem, cujus operatio ibi cernitur. Non ab igne, quia in Iride videmus colorem viridem procedentem ab humido aquæ indigeſto, quod denotat, ignem non dominari perfectè aquæ, cùm aqua humectat, quod eſt propria ejus operatio.

Applicatio. VIII. Nunc ad intellectum Scripturæ. *Vidi alium Angelum, &c.* Nubes rorida & conflata ex vaporibus terreſtribus, & aqueis carnis immaculatæ, & puriſſimorum ſanguinum Mariæ, eſt humana natura aſſumpta à Filio Dei, vero Sole Juſtitiæ *Per nubem*, inquit Ambroſius, *Caro, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus induit, deſignata eſt.* Nubes rorida, quia paulò pòſt debebat reſolvi in pluviam ubertimam lachrymarum, & ſanguinis in circumciſione.

Ioan. 1. Hæc nubes naturæ humanæ concludit in ſuis viſceribus Solem, & lucem clariſſimam incarnatæ ſapientiæ. *Verbum caro factum eſt*, & hodie videmus, quòd temporaliter naſcens, compareat in cælo militantis Eccleſiæ, & videatur formare Iridem pulcherrimum arcum, Filiam Thaumantis, quòd portet ſtuporem, ac gaudium orbi. *Luc. 2.* *Annuncio vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Salvator mundi.* Arcus dæmonis, & divinæ ſapientiæ, quæ tam bene, & tam miro modo ſcivit unire naturam divinam humanæ. O nubes ſacratiſſima, ô lux diviniſſima, ô Iris cæleſtis, & quæ omnia hodie naſcens mundo apportas? Scio, quòd prædicas ubertimam pluviam, quæ ſupra modum noſtras ſteriles animas irrigabit, & eas abundanter ditabit gratiis, ac donis cæleſtibus. *Gal. 4.* *Lætare ſterilis quæ non paris, exulta & clama, quæ non parturis, quia multa filia deſertæ, magis quàm ejus, quæ habet virum.*

Sed nullatenus dubito, imò certiſſimus ſum, quòd annunties pleniſſimam miſericordiam, cumulum copioſiſſimæ pacis cum Deo, tanquam Mediatore inter Deum & homines. *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus.* *1. Timoth. 2.* Paeem cum hominibus. *Toto orbe in pace compoſito*, pacem cum nobis ipſis, tanquam compoſitricem noſtrarum inordinatarum paſſionum. *Non turbetur cor veſtrum, neque formidet.* *Ioan. 14.*

Certus ſum, mi dulciſſime Salvator, quòd lux tuæ Divinitatis concluſa inter nubem tuæ humanitatis, ſit omen, ignem iræ & juſtitiæ Dei deinceps in nos non irruiturum, qui tuis lachrymis temperatur, & quòd eluvione noſtrarum culparum non ampliùs ſimus mergendi, quia extinguuntur igne tui amoris, quæ poteramus timere, antequam lux divina veſtiretur noſtra carne. Hinc dixit Ezechiel, quòd in tua incarnatione formaveris pulchertimum arcum, in quo non videtur ignis, ſed ſolum figura illius. *A lumbis ejus usque deorsum visa ſpecies ignis, velut aſpectus arcus:* *Ezech. 1.* ac ſi voluiſſet dicere, antequam aſſumeres noſtram carnem, eras totus ignitus, diluviumque meritò vereri debebamus, ſed poſtquam es incarnatus, nubes tui ſanguinis & lachrymarum mitigavit ignem, ita ut in oculis tuis pulchertimum formaverint arcum. *Vagit infans inter arcta conditus præſepia.* Hinc Rupertus ſemper mirabilis: *Ante carnis aſſumptionem, quæ per lumbos ſignificatur, Deus humano generi iratus tantummodo ignis conſumens erat, poſtquam autem carnem aſſumpſit, non ſolummodo ignis, ſed & inclinatio noſtri eſt propitiationis.*

Et hoc volebat ſignificare Joannes per illum Angelum veſtitum nube, cujus caput cingebat arcus, nempe quòd Verbum æternum aſſumens noſtram carnem, & hodie comparens veſtitum nube, noſtra humanitate formaverit arcum cæleſtem, ſymbolum pacis, miſericordiæ, & omnis boni. Hinc mirè S. P. Ambroſius: *Angelus fortis Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum deſignat, qui veniens in mundum, carnem aſſumpſit, & iridem in capite habebat, quia ejus miſericordia nos circumdando protegit & gubernat.*

Vates

Scriptura *Pſal. 10.*

Vates regius loquens in ſpiritu de hoc Sacroſancto myſterio dicit, poſtquam filius Dei ſe veſtivit noſtra carne, tunc verbum comparuiſſe dotatum, non ſolùm decore & venuſtate, ſed & potentiâ: *Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute.* Prætereo hic Auditores. & confero me cum S. P. Gregorio Nazianzeno ad potentiam & robur: Quomodo amabo, Verbum veſtiens ſe noſtrâ carne, potuit ſimul aſſumere vigorem & fortitudinem? potiùs debuit aſſumere debilitatem & infirmitatem, cùm natura noſtra ex ſe ſit talis, & *ipſe infirmitates noſtras tulerit.* Cum etiam ſit commune axioma apud Theologos, quod Divina omnipotentia per unionem hypoſtaticam aliquo modo ſit debilitata, ſicut econtra natura humana roborata & fortificata; Quomodo ergò, inquit David, Deum benedictum cum noſtra carne ſimul induiſſe robur & potentiâ? *Dominus regnavit, &c.*

Hiſtoria

Hiſtorici, refert veſter Zonara in vita Anaſtaſii imperatoris, civitate Conſtantinopolitanâ arctè cincta & obſeſsâ à potentiſſimâ claſſe navali, & jam fermè ad deditionem coacta. Proclum peritiſſimum Mathematicũ ſine ferro deletâ claſſe urbem liberaſſe hoc modo.

Fabricavit plurima ſpecula ex Chalybe concava & rotunda, eaque objecit mœnibus urbis è regione claſſis hoſtilis, in illa parte, in qua Sol urentiſſimos radios emittebat, & illicò vaſtiſſimum incendit ignem, qui citiſſimè totam claſſem in cinetes redegit.

Item fecit Archimedes pro defenſione urbis Syracuſanæ, quam Marcellus obſederat, ita ut hic diceret. *Profectò nobis pugna eſt non cum Diis, ſed cum hominibus.* Hic ſcire cuperem, quomodo radii ſolares per hæc ſpecula, ſive metallina, ſive vitrea poſſint elicere ignem.

Optica.

Domini Optici, hæc materia ſicut etiam hujus dubii reſolutio ad vos ſpectat; vos dicitis duplicis generis radios vibrari à corpore luminoſo; nempe radios directos & reflexos; radius directus eſt ille, qui exit ex corpore luminoſo, & directè percutit corpus remotum, & vocatur *radius ſimplex.* Reflexus eſt, qui ex corpore opaco reflectitur ad ipſum corpus luminoſum, & vocatur *radius compoſitus.* His poſitis, dicitis radium reflexum eſſe multo potentiorem & efficaciorem, quam ſit directus, cũ hic ſit ſimplex & ille compoſitus. Dum itaque Sol percutit radio directo centrum ſpeculi concavi, coadunantur & roborantur in eo radii, & fiunt lucidiores, nã *virtus unita fortior.* Hinc dicit Opticus. *Id uberius lumine perfunditur, in quod radii magis compacti concurrunt.* Nec tantum uniuntur, ſed etiam tranſitum iis negante denſitate ſpeculi teſiectuntur, & radius qui fuit rectus fit reflexus, & qui erat ſimplex & unus fit compoſit⁹ & dico, unde fit, quod producant majus lumen, & majorem calorem, & aliquando tam intenſum, ut ſequatur ignis. Et hoc modo illi peritiſſimi Mathematici conſumpſerunt naves hoſtium.

Applicatio.

XI. Nunc ad Davidem: *Dominus regnavit, &c.* Sacerrimum humanitas Chriſti fuit ſpeculum, excellentiſſimum & terſiſſimum. Sic illam vocavit Drogo. *Feciſti Domine de corpore tuo ſpeculum animæ meæ.* Quod præterea verbum Divinum ſit Sol & lux clariſſima, nemo ambigit. *Ego ſum Lux mundi.*

De paſſ. Domini.

Hic ſol Divinus antequam eſſet incarnatus, directè vibrabat radios cuncti potentiæ, & ideo videbatur non habere vires tantas, ut poſſet fugare Dæmonis exercitus, qui arcem animæ noſtræ obſederat, & ferme ſuo Tyrannico imperio ſubjugarat. Hinc in ſenſu myſtico dicebat Spiritus ſanctus. *Venit Nabuchodonoſor rexipſe, & exercitus ejus in Ieruſalem, & circumdederunt eam, & exſtruxerunt in circuitu ejus munitiones propter quod miſera anima verſa eſt in fugam, tremor apprehendit eam, anguſtia & dolores circumdederunt illam.* Sed quid evenit? Et peritiſſimus Proclus & Archimedes Spiritus ſancti, fabricat ex puriſſima carne & ſanguine Mariæ quoddam ſpeculum, corpus ſcilicet in quo recollegit & conſtrinxit radios ſuæ cunctipotentiæ, qui per hanc conjunctionem, facti potentiores & efficaciores, dum retorquebantur ab hoc ſpeculo in phalanges hoſtiles, excitarunt ignem adeo vehementem, ut ſtatim hoſtes redegerint in favillas, & genere humano ex impia tyrannide ſathanæ liberato pacem, ſalutem, & conſolationem orbi attulerint. *Redemit enim Dominus Iacob, & liberavit eum manu potentis.* Hinc more ſuo divinè S. P. Baſilius. *Pellu cebat*

4. Reg. 25.

Hom. de Nativit.

Ignem Sanctorale.

cebat Divinitas per humanum corpus, perinde ac lux quadam per vitream capſulam eos illuminans, qui cordis oculos mundos habebant. Non miror itaque Domine, quod David, dum conſideraret te incarnatum, dixerit quod ſimul cum noſtra carne indueris decorem & potentiam. Decorem, quia in illo ſpeculo inveniſti lucem, venuſtatem, quia in ſpeculo lucem augmentaſti, potentiam, qua vigoraſti tuos radios, & ob id attuliſti generi humano ſalutem. *Dominus regnavit &c.* Hinc Divinè S. P. Gregorius Nyſſenus *Induit Dominus potentiam, & accinxit ſe, potentiam dicit ſalutis diſpenſationem per carnem factam, quandoquidem nihil potentius.* O quam bene, *potentiam dicit ſalutis diſpenſationem per carnem factam, quandoquidem nihil illa potentius.* Quia hi radii Divinæ cunctipotentiæ in ſpeculo Concavo noſtræ humanitatis ſunt uniti, certo modo acceperunt vigorem, & virtutem liberandi genus humanum è manibus noſtrorum inimicorum, *quandoquidem illa nihil potentius.* Angeli ergo cæleſtes videntes hodie hanc lucem reſtrictam in ſpeculo noſtræ carnis, cantent pleno ore. *Gloria in altiſſimis, &c.*

Orat. 5. de Reſur. Dom.

Scriptura. cap. 23.

XII. Noſtro Salvatore toto lacerato, & diſcerpto per 6666. Flagrorum ictus, populus Hebræus totus in furias actus, alta voce clamans Pilatum urgebat. *Tolle, Tolle, Crucifige eum*; ulterius eum videre non poſſumus. Subintrat S. Gregorius Niſſenus, & cauſam indigat, cur diutius noluerint videre Salvatorem, ſupra illud Theatrum & colliculum ſoli Hieroſolymæ conſpicuum. Si odio adeo crudeli eum perſequebantur, potius gaudere deberent quod viderent eum adeo malè tractatum, & rogare ut diutius eum ſic ſpectandum proponeret, ut eorum furori amplius ſatisfieret aſpiciendo eum adeo deformatum, ut homini ſimilis non eſſet? Cur ergo tam inſtanter ſolicitant. *Tolle, Tolle, &c.*

Hiſtoria Lib. 2. cap 104.

XIII. Refert Plinius, & ni fallor in Syria urbem quandam eſſe cuidam aquæ ſcaturienti vicinam, cujus fundus fætorem ſpargit denſiſſimum, ita ut ardeat, & flammas eructet, fœtor autem ille juxta Plinium, hanc virtutem habebat, ut illa, quæ aquam illam attingerent, adeo aquæ agglutinarentur, ut difficulter avelli poſſent, & in aquis magis accendebantur. Cives id neſcientes pro bono ſuo ea uti ſciverunt.

F Lucullus quadam vice dictam urbem ſubjugare reſolverat, eamque arcta obſidione cinxit; obſeſſi, poſtquam diu generosè hoſtibus obſtitiſſent, nec ſpes affulgeret obſidentes fugandi & urbem liberandi, ex urbe erumpere magna vi decreverunt, priuſquam vero in hoſtes irent, ad illam aquam ſe contulerunt & fœtore corpora terſerunt, & hoſtes hi aggreſſi ſunt. Porro obſidentes cernentes obſeſſos ardere, nec myſterium capientes, timore perculſi fuga ſibi conſuluerunt, & hoc modo obſeſſi urbem liberarunt, & victoriam contra tam potentes hoſtes retulerunt. Scitis quomodo? pauco luto ardente, quo ſe veſtierant.

Applicatio.

XIV. Nunc ad Chriſtum. Lutum & terra fuit natura humana. Sic Apoſtolus. *Lutea vaſa portantes*, & alibi. *Habemus Theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* Videns ergo verbum æternum, urbem animæ noſtræ à Dæmone tam arctè fuiſſe circumvallatam & anguſtatam, hoſtemque fuiſſe potentiſſimum, ita ut diutius ipſi reſiſtere non poſſet. *Quia non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus Principes, & mundi rectores tenebrarum harum.* Filius Dei reſolvit ſe veſtire luto noſtræ carnis, è quo ſcintillabant radii, & flammæ Divini amoris. *Propter nimiam Charitatem, qua dilexit nos Deus, miſit filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati.* Et en hoc luto veſtitus in utero Matiæ ivit in noſtros hoſtes, qui videndo eum igne amoris adeo ardentem, territi fugerunt & nos miſeri, luto illo ignito fuimus liberati è manibus hoſtium potentiſſimorum, qui conſternati obſidionem ſolverunt, & illi qui majeſtatem divinæ lucis ſolam non verebantur, debilitatem ipſius inflammatæ humanitatis poſtea timuerunt. Hinc divinè S. P. Gregorius ad hoc propoſitum, *Venit humilis, quem & ſuperbus hoſtis admiretur, quatenus, qui fortia divinitatis ejus deſpexerat, etiam humanitatis ejus infirma pertimeſcat*, ô quam bene. Ille, qui non timuit Divinitatem filii Dei, & in ejus conſpectu præſumpſit obſidere arcem animæ noſtræ, ille coactus fuit fugere conſternatus & deſperatus, quando eam vidit veſtitam luto noſtræ carnis, quaſi cato noſtra robur, & vires addidiſſet Divinitati. *Venit humilis, &c.* quam divinè!

Epheſ. 6.

2. Moral. cap. 17.

Nunc mi dulciſſime Salvator perfectè capio cauſam, cur Hebræi videntes te tam diu cæſum

ſum, laceratum & malè tractatum, tinctum ſanguine petierunt à Pilato, ut te ſubduceret eorum oculis & quantocius occideret, quia non poterant tolerare præſentiam illius luti carnei, quod in eos continuo flammas ardentiſſimæ Charitatis evomebat, quibus ſentientes ſe ob proprias culpas conſumi clamabant. *Tolle, Tolle, &c.* ubi mirè S. P. Gregorius Niſſenus. *Merito clamabant Tolle, Tolle, Crucifige eum, gravis enim ipſis erat Divinitatis cum carne converſatio* : videte itaque (auditores) an non ſit potens humanitas unita Divinitati, & an non hæc unio omne bonum attulerit humanitati.

Scriptura. *Apocal.* 1.

XV. Evangeliſta Joannes totus immerſus erat fruitioni divinæ, & contemplationi altiſſimorum myſteriorum, quando vidit Filium hominis ad æquilibrium ſtantem inter ſeptem candelabra aurea. Nullum eſt dubium, quin iſte fuerit Filius Dei, ſed tamen duabus difficultatibus obruor. Prima cur Deus appareat in forma humana veſtitus noſtra carne? Altera cur ad æquilibrium ſeſe oſtentat inter illa ſeptem candelabra.

Richardus à S. Victore, Dicit Deum apparuiſſe in forma humana, & ſeſe veſtiſſe noſtra carne, ut magis oſtenderet ſuam auctoritatem, quæ non apparuiſſet rapta, ſi comparuiſſet ſolus Deus, ſed dum exhibuit ſe in forma Dei & hominis, hæc auctoritas, imperium & majeſtas reddebatur ſuo modo major. *Qui eo amplius* inquit Richardus *habuit auctoritatu, quod apparuit in ſimilitudine Salvatoris.* Ac ſi humanitas Chriſti dediſſet ſuo modo Divinitati majorem potentiam, ac auctoritatem. *Qui eo amplius, &c.* Sed cur quæſo, te oſtendis ad æquilibrium inter ſeptem illa candelabra, ſicut nec declines ad dexteram, vel ſiniſtram?

Meteora.

XVI Variæ ſunt opiniones Philoſophorum antiquorum circa ſignificata, & prognoſtica Cometæ. Strato Jamplacenus & Heraclitus Ponticus, voluerunt Cometam nil aliud eſſe, quam lumen Solis, vel alterius Planetæ concluſi intra viſcera alicujus nubis, & ſurſum in terram dejectæ.

Ariſtoteles & Ptolomæus, opinati ſunt, Cometam eſſe exhalationem valdè calidam, & ſiccam ſublevatam ad ſupremam regionem aëris, ibique accenſam, vel ab igne ſupremæ ſpheræ, vel ab agitatione ipſius Cometæ. Et volebant illum eſſe augurium ſucceſſuum funeſtorum, ſeditionum, bellorum, mortis maximorum Monarcharum, Tempeſtatum, Sterilitatum, Caritatis annonæ, terræ motuum, & aliorum mille malorum, uti cecinit Sybilla.

Sole ſub occiduo vero vocitata Cometa
Stella relucebit, gladii mortalibus index.
Et famis, & mortis, præclarorumque virorum,
Atque Ducum interitus, magnorum, nobiliumque.

Tandem Hipparchus Chius, cenſuit Cometam eſſe partim ex materia cæleſti, & partim ex terrea. Cæleſtis eſt illa pars Cometæ, quæ apparet rotunda & quæ relucet, & hæc eſt una ſtella. Terrena, & ſublunaris eſt illa pars, quæ format crinem, barbam & caudam ejuſdem, & eſt quoddam aggregatum ex dictis vaporibus, ſublevatum in altum vi, & robore ejuſdem ſtellæ. Et quia hæc cauda eſt denſa, hinc recipit lumen à ſtella, & illud mittit ad nos.

Porro hæc cometa ſi appareat in parte Orientali, vel Occidentali, ordinariè prædicit mala a Sybilla recenſita. Quod ſi compareat in medio cælo, & feliciter reſpiciatur à radiis ſolis & Martis, tunc juxtà aſtrologos non ſolum nullum promittit malum ex enumeratis, ſed è contra præſagium eſt Proſperitatis imperii, vel regni, Gloriæ Principum, Pacis & Concordiæ, quæ eſt mater bonorum omnium.

Applica tio.

XVII. Nunc ad applicationem. *Et in medio, &c.* Hoc ſacroſancto die oritur in medio cæli temporaliter naſcendo, belliſſimus ille Cometa Chriſti redemptoris, qui claritate ſui luminis rapit in admirationem cælum & terram. *Orietur ſtella ex Iacob, ſplendor ejus ſicut lumen erit.* Cometa in quo duæ naturæ videntur conjunctæ, una cæleſtis & incorruptibilis, & altera terrena & ſublunaris. *Qui cum in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanevit, formam ſervi* accipi-

Num. 24.

Philip. 2. *accipiens.* Cometa, qui evaporatus eſt ex putiſſimis ſanguinibus Mariæ.

O Sacroſancte Cometa, & quale eſt omen in hoc Sacroſancto die ? an forſan tempeſtatum maris & procellarum undarum ? Nequaquam. Pſal. 71. *Tu Dominaris poteſtati maris, motum autem fluctum ejus tu mitigas.* Forſan diſcordiarum, rixarum, & bellorum ? nec minus, tu es ille, Isai. 3. *qui facit utraque unum.* Forſan ſterilitatis terræ ? Nec hoc, quia Iſaiæ, 14. *in illa die ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac, & mel.* Forſan terræ motuum ? Nec iſtud, quia *requieſcere eos faciet ſuper humum ſuam.* Forſan morborum, & mortis ? Minimè. Iſaiæ 35. *Quia tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdarum parebunt. Deus ipſe veniet, & Salvabit eos* ! ô Cœleſtis ac divine Cometa, quid ergo prætendis dum in medio hujus Sacroſancti cæli Mariæ hodie in hoc noſtro hæmiſphærio appares ? Nil aliud, quam bona nova, proſperos ſucceſſus, & felices eventus : Iſaiæ. 12. *Exulta, & lauda habitatio Sion. Quia magnus in medio tui Sanctus Iſrael.* Qui dum oritur, ſparget torrentes uberes gloriæ, & flumina copioſiſſima pacis, ac omnis boni. Iſaiæ. 66. *Ecce ego declinabo ſuper eum quaſi fluvium pacis, & quaſi torrentem mundantem gloriam gentium.*

Hoc advertens S. Joannes Evangeliſta dixit eum comparuiſſe in cælo inſtar cometæ partim conſtantis ex materia cæleſti, partim ex ſublunari, hoc eſt partim Deus, & partim homo, idque in medio ſeptem Candelabrorum aureorum ad æquilibrium, ut æqualiter tuis fidelibus gratiam, lucem, pacem, & tandem copiam omnium bonorum communicares. Vives. in Apocalip. *Qui eo amplius habuit authoritatis quod apparuit in ſimilitudinem Salvatoris. In medio ſeptem candelabrorum aureorum. Quia Chriſtus in medio fidelium inambulat, ut in omnem partem vim gratiæ ſuæ largiter fundat.*

Epilogus. XVIII. O Sol divine, ô increata ſapientia ô verbum æternum, ô Filium Dei, & quomodo induens noſtram carnem debilem ac infirmam, factus es potens ? qualia bona, quos favores, quam felicitatem, quam pacem, quam tranquillitatem non portaſti ?

Agnovi te ſemper eſſe ſolem, & ſolem indifferentem, qui ſe libenter, accommodat conditioni cujuslibet ſigni, in quo commoratur ; nam ſemel te vidi hoſpitari in ferociſſimo leone tuæ Juſtitiæ, ex quo evibraſti radios furoris adeo ignitos in genus humanum, ut ardores hos nimios nemo tolerare potuerit. Sed tandem vidi te ex leone tranſite ad virginem, & conſpexi, quod habitares in conſtellatione Mariæ planè piæ, quod ex illa exiveris indutus veſte noſtræ carnis, totus mitigatus, & factus ſis totus propitius, ac clemens, ita ut omne donum à te ſperare potuerimus.

Semper te habui pro centro & quidem *Centro magnitudinis*, quod ab æterno deſideravit ſe incorporare *Centro gravitatis* naturæ humanæ, inſuper vidi, quod per myriades annorum hoc centrum longè diſtans, & ſeparatum fuerit à carne noſtra, ob quam diſtantiam & ſeparationem, nil aliud audiebatur, vel videbatur in mundo, quam terræ motus, hiatus & vindictæ. *Terra tremuit.* Sed tandem etiam vidi, quod unitus fueris *Centro gravitatis* noſtræ carnis, & tunc deprehendi terram generis humani pacatam, tranquillam, quietam, pacificatam & ſolidatam. *Et quietem, cum exurgeret, quia operatus ſalutem in medio terra, hoc eſt in utero virginis.*

O Lux cæleſtis, ut talem ſemper te prædicavi, ſed non ſemper expertus ſum te propitiam, quia antequam recipereris intra nubem humanitatis, fuiſti lux ardens & conſumens mundum. Sed quando vidi quod oriteris è cælo, veſta & induta rotida nube carnis & ſanguinis Mariæ, vidi quod cincta fueris inde, imo, quod formaveris tres irides pacis cum Deo, proximo, & nobis ipſis. Et quod fugaveris omnem à me timorem, meque reddideris certum, te ulterius non mandaturum diluvium ignis tui furoris, nec de inceps mundo metuendum eſſe diluvium aquæ noſtratum culparum.

O Radie Divine, quomodo fuiſti omnipotens ad illuſtrandum & calefaciendum mundum ! attamen quam diu directe, ſineque obſtaculo diſtendebaris, non videbaris habere tantum vigorem, veluti radius rectus, unicus & ſolus, ſed quando in ſpe-

culo

ſuo tui corporis es factus reflexus & duplicatus, viſus es augmentaſſe tuam lucem & vigorem, hincque invadens copias infernales, has adeo conſumpſiſti, ut verè potuerit dici, *Induit Dominus fortitudinem.*

Miles & pugil invicte, ut talem te ſemper credidi, attamen cum Dæmon expugnaret, & invadere conaretur animam noſtram, eamque ſubjugare ſuo tyrannico imperio, videbatis omnes vires tuæ omnipotentiæ fruſtra adhibuiſſe, ut ſolveres obſidionem, quouſque iviſti in eum veſtitus luto noſtræ carnis ardente ex divino amore, & tunc hoſtis generis humani, qui in conſpectu divinitatis tuæ auſus fuerat eam obſidere, ut vidit te indutum hoc luto, conſternatus & confuſus fugit. *Quatenus, qui divinitatis tuæ fortia deſpexerat, etiam humanitatis tuæ infima pertimeſceret.*

O clariſſime Cometa, in quo duæ naturæ relucent cœleſtis & terrena, divina & humana, & quale fuiſti omen, ac augurium? ſcio quod quando apparuit hic Cometa in Oriente mundi perditi, fuerit Cometa infauſtus valde generi humano. Sed quando tandem in plenitudinem temporis, hoc ſacroſancto die viſus eſt oriri ex medio illius ſacroſancti cœli uteri virginalis, ominatus eſt ſucceſſus adeo proſperos ut nil poſſimus exſpectare, niſi eminentias & dilatationem imperii, gloriam, pacem, copiam abundantiſſimam omnium bonorum, hincque dicit Joannes, quod dum comparuiſti in forma Dei ac hominis in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſignificantium fideles, in omnem partem vim gratiæ tuæ fuderis.

O Sol, ô centrum, ô lux, ô radie, ô pugil, ô Cometa, bene veneris, ſemper à nobis ſis laudatus, honoratus ac adoratus.

Cum ſis ſol qui è leone jam intravit virginem, fac ut benignitate & felicitate hujus conſtellationis fruamur: Cum ſis *centrum magnitudinis* jam unitum *centro gravitatis*, libera genus humanum à terræmotibus, cum ſis lux tam huic nubi commixta, forma ſuper nos Iridem nuntiam pacis.

Cum ſis radius ex directo factus reflexus ab hoc ſpeculo vibratus, accende, incinera, deſtrue noſtros inimicos. Cùm ſis miles veſtitus luto hoc ardente, ſolve obſidionem Dœmonis ac totius inferni. Cum ſis Cometa, qui apparuit in medio cœli militantis Eccleſiæ, influe in nos omnem felicitatem & omne bonum.

O Cometa, ô pugil, ô radie, ô lux, ô centrum, ô ſol, quia jam veſtitus es noſtrâ carne, fac in nobis, experiamur robur, vires, valorem, potentiam tuæ divinitatis unitæ humanitati, ut cum Angelis ſanctis pleno choro cantare poſſimus: *Gloria in altiſſimis Deo, &c.* Et Deus vobis benedicat.

ELOGIVM XXXIX.

In Festo S. Protomartyris Stephani.

Elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu sancto.
Actorum cap. 6.

Literæ humaniores.

I. OBambulat per vastissimos campos cœli luna splendoribus tota vestita, idque tanta cum venustate & pompa, ut cum illo certare videatur à quo lumen accepit, liberalissimè illam vestem accepit clarissimam. Videt illam canis prodire ex oriente, illamque fixissimè contemplatur, & subitò edit latratus adeò clamorosos & vehementes, continuos ac replicatos, ut diceres vel lunam perculsam gressus retrahere, aut celeriores passus urgere versus occidentem, ut fugiat occursum illius molossi, aut tandem velut lusciniam aut mustelam seipsa è cœlo delapsam irruere in fauces illius hostis. Sed quantumvis canis se fatiget illam allatrando, non tamen luna ob hoc retrahit gressus, nec timore perculsa gressus acceleratat, nec à cœlo secedit; nec minori velocitate iter suum prosequitur, & tantò pulchrior & micantior apparet, quantò magis ab horizonte discedit & versus meridiem attollitur, nec aliud acquirit molossus, quàm quod se frustrà vexârit.

Alciatus casum observavit, & æstimans eum valde ad suum propositum, formavit Emblema cum epigraphe *Inanis Impetus*, & pulcherrimo tetrasticho illud descripsit.

Emblem. 165.

Lunatum noctu, ut speculum, canis inspicit orbem
Seque videns, alium credit inesse canem.
Et latrat: sed frustrà agitur vox irrita ventis.
Et peragit cursus surda Diana suos.

Et meo judicio, voluit assignare rationem naturalem illius latratus dicens, quod videns canis seipsum in corpore lunari, velut in speculo, & deceptus falsò existimans sui imaginem alium canem, totus indignabundus lattet. Verùm falsum est, quod canis se videat in illo circulo lunæ, sed tantum videt in illo suas maculas, & sic erroneè credit illam esse alterum canem, qui ipsum invadere vult; & quò magis luna supra hemisphærium ascendit & ad meridiem approximat, & frequentiores & vehementiores ingeminat latratus, sed frustrà, quia nec luna fugit, nec gressus retrahit, nec accelerat, sed prosequendo suum iter usque ad medium cœlum venustior apparet, & eadem tranquillitate declinat ad occasum.

Fabius Jordanus volens ostendere hostibus sui, quomodo frustrà se vexarent, dum eum latratibus ac maledicentiis peterent, eò quod ab illis nullatenus læderetur, sed potius gloria ac fama sua iis crescceret, elegit pro symbolo canem allatrantem lunam, cum epigraphe Alciati: Symbola.

Frustrà agitur vox irrita ventis.

Idem insinuare voluit nobilis Dominus Nicolaus Crassus Bernardo Veneto, quamvis addiderit lemma brevius sed nervosum, *Incassum.* Historia.

Videor mihi videre canem allatrantem lunam, quando considero factum M. Catonis; Hic in thermis ab homine quodam vili & insolente, dum graviter percuteretur, æquo tamen animo illam injuriam sustulit, esto esset vir tantæ conditionis, nec quicquam obmurmuravit, quinimò

quinimò dum nebulo ille, agnito errore Catoni satisfacere vellet & veniam peteret, Cato Senator intrepidè respondit: *Non memini percussum me.* Fili frustrà te torques, quia nescio, quod percusseris. Hinc cecinit Comicus Philemo:

Iucundius nihil est, neque etiam concinnius
Est, quàm posse convitiantem ferre,
Num qui convitiatur, eo, in quem convitium jacitur,
Dissimulante, tacenteque efficit, ut sibi ipsi convitietur.

Applicatio. II. Luna in plenilunio erat Protomartyr sanctus Stephanus in cœlo primitivæ Ecclesiæ. Luna tantis splendoribus, fulgoribus ac virtutibus prædita, ut moveret collegium Apostolicum, ut ipsum assumeret in numerum septem Diaconorum, qui velut septem planetæ cœli debebant ministerio rerum inferiorum & sublunarium, nempe providendo necessitatibus egenorum incumbere: *Elegerunt &c.* Luna in plenilunio, quæ prodiens ex oriente nascentis Ecclesiæ, sicut in ætate, sic & moribus, gratiâ, virtutibus, sapientiâ & perfectione proficiebat, & eò usque perrexit, donec perveniret ad augem & *non plus ultrà* meridiei: *faciebat prodigia & signa magna in populo.*

Canes impudentes & latrantes erant Judæi, condiscipuli Stephani imbuti scientia à magistro eorum Gamaliele & Paulo Tarsensi, potrò hic licet suprà omnes alios erat versatior in lege & ritibus Mosaicis, tantò infensior fuit Stephano. Videntes itaque illam lunam plenam, adeò lucidam & resplendentem, tantaque luce sapientiæ dotatam, ut in ea oriri videretur quasi facies quædam Angelici Cherubim, vel potiùs sol quidam divinæ sapientiæ, dum non possent perferre tantam claritatem & scientiam, inceperunt velut detractores & canes latrantes impudenti ore, ut similis fæx solet, ipsam lunam impetere latratibus detractionum, maledicentiatum, calumniarum, ei falsò blasphemias contra legem affingendo.

Act. 6. *Tunc submiserunt viros, qui dicerent se audivisse verba blasphemia in Moysem & in Deum:* nihilosecius hæc luna Stephanus nec gressu retrocedit, non fugit, non conqueritur, non lamentatur, sed invicto animo & tranquillitate propria stellæ cœli prosequitur suum iter, continuat instinctus suæ sapientiæ & comparens in concilio, illos docet, instruit, & exactè explicat iis Scripturas tam profundè, tam sapienter, ut non valentes tolerare splendorem adeò copiosum & abundantem, obturatis auribus corporis, & clausis oculis intellectus, veluti canes furiosi reseraverint fauces in mordaces latratus, & manus petris onerando, non minori impetu lapidum, quàm convitiorum sanctissimum Levitam oppetierunt. *Impetum fecerunt unanimiter in eum, & ejicientes eum extra civitatem lapidabant.* Actor. 7.

O pleniſſima luna! ô glorioſiſſime Protomartyr! & quomodo potuiſti ſufferre impudentes latratus iſtorum canum? quis non diceret, quod illi te conjecerint in fugam, fecerint ut retrogredereris, te abſconderes, vel ſaltem iis condeſcenderes iiſque adhæreres? quilibet reverà, qui neſciret te lunam cœli eſſe, id crederet: ſed qui te conſiderat, videbit quod ſis belliſſima, clariſſima luna empyrei, & indubitanter aſſeverabit, quod omnes latratus horum canum, omnes calumniæ, impropetia & vexationes tibi à perſecutoribus illatæ ſint tantùm voces & *Inanes impetus.* Ille qui te cognoſcit, dicet: *Fruſtra vox irrita ventis,* imò videns, quod ſis conſtantior Catone, & quod dicas: *non memini me percuſſum.* A nullo ſum læſus vel offenſus, quia velut luna ſemper ſum proſecutus meum iter, & eandem plenitudinem charitatis & ſplendoris, quam habui dum oriret in Horizonte Eccleſiæ ita ſemper conſervavi, ut potiùs creverit, quàm decreverit, & nil aliud effecerunt latratus & infeſtationes illorum canum, quàm quod mea bona ſemper augerent & facerent, ut in cœlo militantis & triumphantis Eccleſiæ, illuſtrior & clarior comparerem, quia jucundiùs nihil eſt neque etiam concinnius, quàm poſſe convitiantem ferre. Hoc eſt ô glorioſiſſime Stephane, de quo hodie volo perorare.

ASSUMPTUM.

Perſecutiones Judæorum à Levita Stephano toleratæ, adeò ejus bona auxerunt, ut gratioſior, formoſior, pompoſior compareret, & videretur eſſe alter Deus.

Locus ſcripturæ.

III. APoſtolus Paulus ſcribens ad Romanos, iiſque præſcribens breviſſimam, quantumvis ditiſſimam formulam ſimul & modum, cui ſe accommodare & quem tenere deberent, circa eos à quibus affecti eſſent aliquâ injuriâ, damno, aut aliâ quâcumque læſione, hoc modo eos alloquitur. *Si eſurierit inimicus tuus ciba illum, ſi ſitit, potum da illi.* Rom. 12. Forſan te aliquis offendit, ac læſit in pecunia, fama, vita, aut alio quocunque modo? quinimò audio & acquieſco. Deus illi, qui hoc fecit, condonet: Veruntamen ſi videris inimicum tuum fame & ſiti torqueri, ſuccurre ei, acquieſce meo conſilio, quia commodum non exiguum inde reportabis. *Sic enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput ejus.* Apoſtole ſanctiſſime, fateor meam ruditatem, non capio tuum modum loquendi, quod offenſus & læſus non repetam vindictam, prout Deus jubet tranſeat, cum hoc ſit præceptum divinum, illi me accommodabo. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.* Matth. 5. Quod ulterius mihi velis perſuadere, ut eum pane & hauſtu recreem, hoc etiam concinit illi dicto Chriſti. *Benefacite his qui oderunt vos.* Ibid. ſed quod mihi conſulas, ut ei benefaciam, hoc enim modo carbones accenſos in ejus capite me congeſturum, hoc videtur eſſe pruritamentum ac accenſio vindictæ: ex una namque parte mihi conſulis bene, & hortaris ut adimpleam divinam legem; ex altera parte mihi diſſuades, imò mones & incitas me ad illas ulciſcentias, à quibus alias me dehortaris. Hoc enim eſt reddere bonum pro malo, & quidem pro leviſſimo graviſſimum. Quomodo ergò ô ſancte Apoſtole, vis me inducere, ut paſcum & dem potum illi, à quo ſum læſus, me hocce modo carbones in ejus caput congeſturum. *Si eſurierit inimicus tuus ciba illum, ſi ſitit, potum da illi.* Ad Rom. 12. Præterea, quis credet meum panem & vinum, meam redditionē boni pro malo habituram effectum adeo contrarium bono mei proximi, veluti eſt accendere ignem in capite alterius, ut comburatur & conſumatur? fateor Apoſtole Dei, me non poſſe capere hanc tuam exhortationem, vel ſaltem rationem, quâ mihi perſuadere vis, ut ei benefaciam, qui mihi malefecit.

Sanctus Pater Anſelmus in hunc locum ad ſtuporem uſque bene reſpondet. Ignis de quo loquitur Apoſtolus, non eſt ignis vindictæ, prout tu putas, ſed eſt ignis amoris, excitatus & accenſus in corde tui inimici ob beneficia, quæ videt à te ſibi collata. Ille graviter te offendit, & videt, quod nolis te vindicare, ſed libenter ei ignoſcas, & quod in hoc non ſiſtas, ſed quod ex te ejus egeſtatibus ſuccurras, & bonum pro malo ei reddas. Dum hæc conſiderat, intrat ſeipſum & ſic ſecum diſcurrit. Quomodo ego recipio pro malo bonum? quid? ab illo bene tracter, à quo juxta mundi opinionem deberem exterminari? qui ergo ſit poſſibile, ut talem odio proſequar? non amplius illi malefaciamus, ſed poſito omni rancore & odio, volo ei reconciliari, volo eum amare pluſquam meum germanum fratrem, nec aliter facere poſſum, quia beneficia illa pro injuriis à me ſibi illatis mihi exhibita, obligant me ut eum amem, & in me de facto experior, quod ille modus ejus agendi, accendat in meo pectore ignem amoris erga ipſum adeò intenſum & efficacem, ut nil ſit in mundo, quod non libenter pro eo facerem. Et hic eſt ignis, quem dicit Apoſtolus a te in hoſtis tui capite accendi, dum beneficiis injurias, & mala ab ipſo tibi irrogata compenſat. Divinè ſanctus Pater Anſelmus: *Sic enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus. Quia bona,* inquit ſanctus, *facta tua inflammabunt ad dilectionem cor ejus, qui te perſequebatur, ſicque favore Spiritus ſancti exemplo tuo provocabis eum, ut bene agat.* S. Anſelmus

Hoc itaque faciendo, non ſolùm tibi benefacis, conquirendo tibi amicum, ſed præterea benefacies ei, dum ex hoſte Dei & digno inferno, eum reddidiſti amicum ejus & vitâ æternâ dignum.

Cognovit hanc veritatē ſapientiſſimus Diaconus

tonus Sanctus Stephanus lapidibus cum Judæi oppetebant. & Saulus vestes eorum qui actione tam impiâ & inhumanâ occupabantur custodiebat, quo facto Saulus magis infensum se Stephano exhibuit, quàm omnes alii prout observavit S.P. Augustinus, quia eorum vestes custodiendo omnium manibus solus eum lapidavit. *Vt enim esset in omnium lapidantium manibus, ipse omnium vestimenta servabat, magis saviens omnes adjuvando, quàm suis manibus lapidando.* His infestationibus & malis, Saulus Sanctum levitam Stephanum offendit, & tamen Stephanus genuflexus Saulo pro malo bonum reddebat, & Deum instantissimè rogavit, ne ei tantum scelus imputaret. *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Et ecce hæc actio Stephani adeò heroica & digna, in pectore Pauli accendit ignem adeò vehementem, ut Saulus se converterit, & ut dicit Sanctus Fulgentius fuerit partus & effectus Charitatis, & orationis Stephani: *Charitatis virtute subnixus vicit Saulum crudeliter saevientem.*

Aug. ser. 14. de S. Ste.

Act. 7.

Serm. de S. Steph.

IV. Sed quæso vos Auditores, ut conceptus clarius appareat, pulcherrima propositione Philosophi eum illustremus. Quoddam axioma valdè tritum, & commune in Philosophia reperio, nempè *quod motus est causa caloris.* Factum ipsum non potest in dubium trahi, quia res est clara non solum in viventibus, sed etiam in non viventibus corpora calefiunt per motum, glans plumbea à bombarda ejaculata, ac per aera violenter projecta, sæpè ob nimium calorem dissolvitur. Fulmina accenduntur, & aer percussus sæpè instar fulguris resplendet. Nubes dum rumpitur emittit splendorem, & excitat fulgur. Ipsum mare, quamvis ex naturâ frigidissimum, ventis agitatum incalescit. Duo ossa leonis collisa calefiunt: Hinc Pierius Valerianus: *Ossa illa dura adeo sunt, ut ex collisis, ignis veluti ex silice excutiatur.* Silex à Chalybe percussus per motum scintillat. Hinc quidam pro symbolo eum elegit cum lemmate: *Percussus micabo*, vel ut alius, *non sine motu, non sine ictu.* Duæ Virgæ Chalybeæ, si ad invicem collidantur, ita incalescunt, ut accendant ignem, & favillas emittant. Hinc Fridericus Fortig Vertus eas elegit pro tesserâ cum spiritu. *Collisione ignis.* Hæc, & similia plura hanc propositionē, *motus est causa caloris*, demonstrant esse verissimam. Sed ego scire vellem, quomodo ex iis quæ non habent per ignē, per motū, possit elici ignis.

Philosophia.

In Hierogl. lib. 1.

Angelicus Doctor dixit juxta sensum Philosophi, motum localem esse primum, & nobilissimum omnium motuum, puta generatione, corruptione alteratione, augmentatione, diminutione. Præterea ex eodem Philosopho, idem Thomas intulit. *Primum in quolibet genere est causa caterorum.* Nunc dicit Thomas, *motus localis est motus prior omnium motuum*, calefactio est alteratio, quæ est motus inferior motu locali veluti priori, & nobiliori, ergo hic erit causa alterationis & calefactionis. Hujus termini us est calor, ergo motus localis erit etiam causa caloris. Calor potest esse tam intensus, ut ad eum sequatur ignis, ergo & motus localis erit causa, cur inducatur ignis. Ex ergo probatam propositionem *Motus est causa caloris.* Responsio Thomâ digna, sed necdum est declaratus modus.

Philosophia.

D. Thom.

Albertus Magnus meliorem adducit rationem, & simul modum sic declarat. Dum lapis, ferrum, aut alia quæcunque res dura, & solida affricatur ad aliam ejusdem conditionis, illæ partes, quæ ad invicem colliduntur, cum sint densæ & solidæ, per impetum motus perdunt multum de densitate, & rarefiunt, ac fiunt subtiles, & hinc videmus, quod diu collisæ conterantur, ac in pulverem reducantur. Et quia raritas secum trahit calorem, imò est prævia dispositio ad calorem, hinc fit quod sit aptior ad recipiendum calorem, & ideò inquit Albertus Magnus rarefactis illis partibus densis & solidis, per motum inducitur calor, & hic potest fieri tam intensus, ut excitet ignem. Hoc modo illa propositio Philosophi *motus est causa caloris*, comprobatur tam diserte per experientiam & illa symbola, ac lemmata fundantur in bona Philosophia. *Percussus micabo, non sine motu, non sine ictu. Collisione ignis.*

V. Nunc ad protomartyrem Sanctum Stephanum. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit potum da illi; sic enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus.* Chalybs valdè dura & optimè temperata adeoque invincibilis, & insuperabilis fuit levita Stephanus, temperatus à fortitudine gratiæ, & virtutis Spiritus Sancti. *Stephanus autem plenus gratiâ & fortitudine.* Chalybs duo genuinus per virtutem divinæ sapientiæ, ut non potuerit obtundi à nulla synagoga Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum, qui illum confundere volebant, imò illi econtra sunt confusi, victi ac superati.

Applicatio.

Actor. 6.

Surrexerunt autem quidam de ſynagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, diſputantes cum Stephano, & non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui qui loquebatur.

Chalybs quem aggreſſus eſt, & quem probavit Saulus Tarſenſis, principalior ſynagogæ Ciliciæ, & videns Saulus ſe non poſſe reſiſtere duritiei & ſoliditati hujus Chalybis, ſed potius ſe ab illo repereuti vinci & ſuperari plenus furore contra S. Levitam ſuſcitavit Judæos, ut velut blaſphemum eum damnarent, & lapidatione
Lapelleo. dignum nuntiarent. *Cum Chriſti fidem libere fortiterque annuntiaret, ſodalium omnium, & præſertim Sauli Tarſenſis in ſe impetum movit, qui nec à cœpto deſtitit, donec eundem lapidibus obrutum, & extinctum cognoviſſet.* Chalybs & lapis non minus durus fuit, inter Judæos Saulus; durior & ſolidior præ aliis in ſchola Gamalielis & cognitione legis, ac rituum Moſaicorum uti de ſeipſo Galatis teſtatur. *Abundantius amulator exiſtens paternarum mearum traditionum.* Ita ſolidum, durum, impenetrabilem ſeſe Saulus ſingulariter exhibuit contra Levitam S. Stephanum, ut inter perſecutores Martyris foret primus anteſignanus, præ reliquis crudelior & atrocior; nam non potens pro voto ſatisfacere iræ, quæ in ejus pectore ebulliebat, ſi illum propriis manibus lapidaret, ut majorem ſatisfactionem haberet, veſtes lapidantiũ cuſtodire decrevit, credens hoc modo, quod cunctorum manibus eum lapidaret. Hinc quaſi Centimannus, vel quidam Briareius tot manibus eum lapidavit, quot ſacrilegorum veſtes
Sermo de S. Steph. cuſtodiebat. En Auguſtinum. *Cum S. Stephanus lapidaretur, Saulus omnium veſtimenta ſervabat, & tanquam manibus omnium lapidabat.* Hi duo fortiſſimi Chalybes cœperunt ſeſe invicem collidere, Saul lapidando Stephanum per manus aliorum, & Stephanus ignoſcendo Saulo; Saul lapidatores adhortando, Stephanus orando, ut ignoſceret Deus Saulo. Saul magis contra Stephanum ſæviebat, Stephanus pectus magis calefaciebat, ut ferventius pro Saulo oraret. Sauli cor magis accendebatur odio contra S. Levitam, Stephani e contra cor magis inflammabatur amore erga Saulum. Hinc ſanctus Pa-
Serm. 4. de S. Steph. ter Auguſtinus: *Illi lapidabant, & ille orabat; illi cum furore perſequebantur, ille placatus, Chriſtum ſequebatur; illi lapides mittebant, ille orationes præmittebat.* Ita vehemens, & fortis fuit illa colliſio orationis amoroſæ Stephani ad duritiem cordis Sauli, ut tandem in Saulo accenſus ſit ignis amoris adeo vivus & fortis, ita ut per motum efficaciſſimum orationis Stephani, Saul fuerit converſus, & factus fuerit amoroſus, verus, & fideliſſimus amicus Chriſti & Eccleſiæ, quam ſingulariter in Stephano perſequebatur. Hinc affirmavit S. P. Auguſtinus, Deum & Eccleſiam acquiſiviſſe Saulum per efficaciam precum S. Stephani. *Si Martyr Stephanus non ſic oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Hinc ſecurè poſſumus dicere, *colliſione ignis. Non ſine motu. Non ſine ictu, percuſſus malleo.* Ovehementiſſimum, ô impetuoſiſſimum motum, efficaciſſimam orationis vim Stephani! Sed quomodo è duro ſilice, è duro lapide, ex adeo bene temperato chalybe cordis Pauli adeò obſtinati & perverſi in odio contra Chriſtum, & Eccleſiam ejus, potuit ignis adeo intenſus amoris erga Chriſtum, ejuſque Eccleſiam elici? Forſan dicetis, quòd hic motus ignoſcentiæ & orationis pro inimico, ſit operatio adeò nobilis & digna, quàm poſſit elici in Eccleſia Dei, cùm ſit operatio & motus proprius illius, qui Deus & homo rogavit æternum Patrem pro ſuis crucifixoribus: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Motus ita dignus & nobilis ut ſit prima regula & menſura omnium aliorum, & a quo omnes alii motus bonarum & virtuoſarum operationum dependent. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut teipſum: in his duobus mandatis univerſa lex pendet & Propheta.* Eo ipſo igitur, quo Stephanus elicuit actionem adeò dignam, meruit alterationem tantam cauſare in corde Sauli, ut tandem deſierit in generationem, & excitationem ignis amoris Dei digni motu adeò perfecto. *Si Martyr Stephanus non ſic oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Hæc omnia vera ſunt ô glorioſiſſime Stephane. Veruntamen non planè declaro modũ, quo hoc eſt factum, cum non videatur perceptibile, quomodo ex duriſſimo marmore, & puriſſimo Chalybe cordis præ odio plasè congelati adverſus Chriſtum, potuerit elici ignis adeò vehemens amoris, veluti fuit ille ignis in Paulo. Hinc meritò dixerim, quod condonatio Stephani, & oratio ejuſdem pro Saulo fuerit ſucceſſiva, & quaſi imperceptibilis, paulatim rarefaciendo illud cor denſiſſimum ac obſtinatiſſimum, quia cum Paulus antea fuerit adeò crudelis.

Cal. 1.

Luca 23

Matth. 22

delis contra Christum, paulò post conversus & Christo credens, è lupo transformatus est in agniculum, è persecutore factus est prædicator, è filio perditionis vas electionis, è Saulo Paulus, è corde demum congelato, cor totaliter amore accensum: quæ omnia potuerunt fieri, nisi prius rarefacto & dissoluto illius corde condensato, & in malo constricto introducta fuisset illa dispositio ignis amoris Dei, & hanc dispositionem induxit nullum aliud agens, nisi condonatio, & oratio Stephani pro Saulo. Unde Augustinus

Serm. 4 de S. Steph. *Elisus est saviens, erectus est credens. Elisus est lupus, erectus est agnus. Elisus est persecutor, erectus est prædicator. Elisus est filius perditionis, erectus est vas electionis. Elisus est Saulus, erectus est Paulus.*

Sed unde ô Augustine ortum duxerunt illæ amorosæ & inflammatæ transformationes illius indurati pectoris Sauli in benevolentissimũ & accensum cor Pauli? Quomodo ex hoste Christi & Ecclesiæ, Saulus est utriusq; amicus intimus? Edissere ergo S. Augustine.

Ibidem. *Si martyr Stephanus non sic orasset, Ecclesia Paulum non haberet, sed ideò de terra erectus est Paulus, quia in terra inclinatus exauditus est Stephanus, diligite inimicos vestros, quia odiendo inimicum facis amicum.* Gloriate itaque ô invictissime Stephane, quia hoc tuo beneficio, motu erga Saulũ, *Carbones ignis congessisti super caput ejus, quia bona facta tua inflammaverunt ad dilectionem cor illius, qui te persequebantur.* Quia *motus est causa caloris* Elige ergo pro symbolo duos Calybes, vel silicẽ cum ferro. Et adde Spiritum *collisione ignis, non sine ictu, non sine motu.*

Scriptura. *Lucæ 18* VI. Legitur apud D. Lucam casus nobilissimus consideratione singularissima dignus. Duo templum Hierosolymitanum Viri orationis ergo adeunt, unus Pharisæus homo doctus, ac in lege eruditus, & in æstimatione vulgi homo sanctus; alter Publicanus, homo peccator, ac pro tali ab omnibus habitus. Pharisæus postquam templum intravit, ponit se juxta altare, & preces suas hoc modo orditur. *Gratias tibi ago Domine quia non sum sicut cæteri hominũ, raptores, adulteri, injusti, velut etiam hic publicanus.* Domine grates tibi rependo, quod non sim eo jure perfusus, quo alii, reliqui sunt fures, adulteri, injustissimi & iniquissimi, & inter eos non obtinet ultimũ locum iste publicanus fur, adulter, injustus, & mille sceleribus immersus. Ordevotam orationẽ, quæ audiri mereatur! E contra miser publicanus considerans gravitatem, & multitudinem suorum peccatorum, oculos versus cælum tollere verebatur, sed pectus tundendo clamabat: *Domine propitius esto mihi peccatori.* Sed quid contigit! ille sceleribus magis sese immersit, iste autem exiit justificatus. *Descendit hic &c.* Hic scripturistæ exurgunt stupores. Hic publicanus egressus est justificatus ab illo. *Descendit hic &* Illud relevatũ *ab illo* ad quale refertur antecedens? Certè ad Pharisæũ. Sed quomodo potuit justificari publicanus à Pharisæo? Deus est, qui justificat peccatores, & nullus homo quantumvis sanctissimus, sileo de peccatore. Quomodo ergo potest dici. *Descendit hic &c.* Dicetis forsan tò *ab illo* non significare causam efficientẽ, sed potius comparationem, ut sit idẽ, ac *præ illo, magis quam ille.* Hoc non potest subsistere, quia insinuatur quod Pharisæus etiam fuerit justificatus, esto non ita intensè sicut publicanus. Porrò est falsissimum, quod Pharisæus etiam fuerit justificatus, vel minimam scintillã justificationis acceperit, imò gravius deliquit, prout colligere est ex illis verbis: *Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Forsan respõdebitis, quod particula *ab illo* non significet quidẽ causam efficientem & principalem sed instrumentalem & occasionem suæ justificationis? Credo quod id divinavetitis, aliter non scio quomodo ille locus debeat intelligi aut possit, sed instò quomodo amabò potest dici, quod Pharisæus fuerit instrumentum, ac occasio justificationis publicani?

S. P. Joannes Chrys. respondet, quod dum publicanus à Pharisæo injuriis peteretur, & traduceretur, velut adulter, latro, injustus, offensæ ac detractiones reverâ gravissimæ, attamen id non senserit, nec in minimo Deo conquestus fuerit de his injuriis. Quin imò quod animo hilari, illi remiserit omnia convitia illata. Hinc Deus videns adeò promptum animũ publicani ad ignoscendũ suo hosti, & à quo tam gravibus injuriis onerabatur, statim illi omnia scelera remisit eum justificavit, eiq; suam gratiam infudit. Et illa peccata, quæ non deleviſſet publicanus nisi per multas lacrymas, opera pœnalia, unico hoc medio & hac actione condonandi injurias illatas brevissimo tempore à Deo ei fuerunt remissa perfectissimè. *Descendit hic &c.* mitè Chrysost. *Vides ceritatem? accepit probrũ, & ablut probrum. Quot labores erant jubeundi publicano, jejunando, humi dormiendo, vigilando, bona sua pauperibus elargiendo, in pul-*

vere, in cinere ſedendo, ut illa tam multa peccata deponeret? at cum nihil tale fecerit, ſimplici verbo, omnem depoſuit iniquitatem, ac probra Phariſæi pepererunt illi juſtitiæ coronam, idque ſine judoribus, ſine laboribus, & ab que ulla longa temporis mora. Melius non poterat dicere. Quid nunc dicetis de copioſiſſimo ac utiliſſimo lucro, quod acquirimus per ſpontaneam condonationem inimicorum?

Agricultura. VII Nobiliſſima eſt inventio, quàm excogitarunt hortulani ut roſas, ac cariophilos fragrantiores, nobiliores, ac rariores melius creſcere facerent. Roſa ex ſe pulchertima eſt, & ſuaviſſimum fragrans odorem, nec caryophilus ea ignobilior eſt. Hinc ſi illa velut regina eſt ſertata, hic velut Rex etiam ſceptrum geſtat, ita ut omnes flores his ſint tributarii, ac ipſa natura omnes vires adhibet; ac ſe totam ſuſpendit, ut primatũ in venuſtate illis det, ſed ac ſi inſufficientes forent ejus vires, & inferiores ad ejus præſentationes conſequendas conjurat cum arte, & ab hac ſuppetias flagitat. Hortulanus itaque deſiderans ſuccurrere inſufficientiæ naturæ, prope roſas & caryophilos plantat cepe & allia, ut ex horum propinquitate fragrantiores & ſaporiores fiant, quod & fit. Hinc Hieronymus Faletti comes Trignani pro ſymbolo elegit roſam floridam inter alia natam, cum epigraphe, *per oppoſita*, vel clarius *oppoſitis fragrantiores*. Hic ſubintrant Philoſophi, & quærunt quomodo ex vicinitate cepe, ac alliorũ roſæ, & caryophyli poſſint fieri pulchriores & fragrantiores?

Philoſophia. Communiſſima eſt opinio, quod omnia viventia quacunque vita vivant, indigeant nutrimento, & hoc neceſſario, debet eſſe ſimile viventi, quod illo alitur, nam ideò ſic limentum facilius mutatur in ſubſtantiam aliti. Verum ut hæc nutritio melius fiat, neceſſe eſt, ut vivens appetat alimentum, illudque propè ſe habeat. Ideò natura omnibus iis, quæ nutriuntur, dedit virtutem appetitivam, & ſimul potentiam attrahentem, vi cujus quaſi manu attrahunt alimentum ſibi conveniens, ſicut naturaliter loquendo nihil appetit nutriri re, quæ eſt ſibi contraria, imò id magis appetit, quod magis eſt ſuæ complexioni conveniens. Et quia omnia viventia nõ ſunt ejuſdẽ complexionis, ideò nõ appetunt vel attrahunt eundem cibum, ſed vivens magis delicatè appetit delicatiorem cibum, vivens magis groſſum, & complexionis robuſtioris, cibum ſibi conformem. Hinc videmus, quod nobiliores communiter non appetant cibos, quibus paſcim veſcuntur ruſtici. Et econtra. Præterea quò delicatior eſt cibus, eò melius nutrit, & ex puriore ſanguine, & vivacioribus coloribus à poſteriori infallibiliter concludimus, quod cibi etiam ſint delicati, quia cibi delicati generant delicatum ſanguinem, & hic cauſat meliorem colorem.

Nutriuntur animalia, & nutriuntur etiam plantæ. Nec hæ ſunt omnes ejuſdem complexionis. Harum aliquæ ſunt ſubtiles, delicatæ, nobiles, aliquæ groſſæ, & ruſticanæ: Subtiliſſima & delicatiſſima eſt roſa & caryophilus, groſſiſſimum allium & cepe; In eodem ſolo, & quidem propè ſe invicem plantantur, & quælibet ex his plantis aſſumit illum ſuccum terræ, qui ejus naturæ convenit, & congruit. Roſa, & Caryophilus veluti nobiliſſimi & delicatiſſimi flores non appetunt neque attrahunt, niſi ſuccum terræ delicatiorem. Allium & cepe, cum ſint complexionis groſſæ, ſumunt alimentum conforme. Et ſicut alimentum delicatum dat vultui hominum colores vivaciores, ſic plantis ſuccus melior, tribuit colores meliores. Quando ergo allium & cepe ſunt plantata propè roſam & caryophilum, tunc attrahunt ſuccum terræ groſſiorem & crudiorem, relicto ſucco puriori, ac delicatiori roſæ & caryophilo, & hinc fit quod hæ fiant pulchriores & fragrantiores. Addite, quod, quia allium & cepe odorem valdè ingratum & acutum ſpirant, etiam attrahant alimentum ſimilis odoris, & relinquant roſæ & caryophilo ſuccum fragrantiorem & puriorem. Aliam dat cauſam eminentiſſimus Contatinus. *Allia juxta roſas conſita, eas magis odoratas reddunt, quia ſolum calefaciunt, & exſiccant, atque ita odorem promovent.* Hoc ſcientes hortulani, plantant juxta roſas & caryophilos cepe & allia. Et hinc ingenium illud eruditum jure meritiſſimo roſæ plantatæ inter duo cepe addidit hoc lemma *oppoſitis fragrantiores.* *Lib. 5. de elem.*

VII. Nunc ad protomartyrem, *deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo.* Roſa valdè ſuavis, pulchra & odorifera fuit noſter Levita, imò non una roſa, ſed faſciculus, ſeu ſertum roſarum. Sertum, quia Stephanus idem eſt, ac *corona* roſarum, quia habuit coronam martyris. Corona roſarum ideò ſuavior ac pulchrior, quia prima fuit, quæ in viridiario eccleſiæ prodiit novem menſibus à morte Chriſti: hinc meritò promeruit titulũ protomartyris, *habuit co-* Applicatio.

ronam

ronam roſeam, *in quantum fuit ſanguine pur-*
Act. 7. *puratus.* Roſa adeo vivida, ut videretur eſſe Angelus. *Viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli.* Roſa odorem adeo ſuavem fragrans, ut Chriſtus glorioſus cum tota curia cæleſti eò allectus, feneſtris cæli incubuerit, ut ſuavitate
Act. 6. hujus roſæ frueretur. *Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei.* Stephano quippe valde bene illud Pauli quadravit, *Chriſti bonus odor ſumus.* Roſa fuit Stephanus plantata inter multos flores ſuaves & delicatos electorum, Philippi, Procori, Nicanoris, Timonis, Parmenidis & Nicolai, ab hortulanis ſanctis, ſcilicet Apoſtolis, inter iſtos non eſt dubium, quin fragrantiſſimos ſpiraverit odores. *Stephanus autem plenus gratiâ & fortitudine, faciebat prodigia, & ſigna magna in populo.* Sed hæc roſa fuit tranſplantata ad ſynagogam, & collocata inter innumera allia, & cepe perfidæ gentis, ubi ſuaviorem & gratiorem odorem naribus terræ, & cælo hominum & Angelorum ſpiravit cum maxima oſtenſione ſuæ ſapientiæ profundæ; quæ eò magis eluxit, quò magis confudit ſapientiam alliorum, & cepe ſapientum mundi, *qui non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur.* Roſa plantata inter allia & cepe perſecutorum, qui falsò eum accuſarunt, blaſphemarunt, & tandem eum lapidarunt, & quò moleſtiores, crudeliores ſeſe exhibebant ſancto Levitæ, tantò magis odor hujus roſæ ſuaviſſimæ ſeſe diffudit, quia manſuetudo, modeſtia, affabilitas ejus vultus, charitas & amor proximi, virtus, & gratia Spiritus Sancti, imitatio ſui magiſtri, ſuaviorem edebant odorem: jure ergo merito potuit eligere pro ſymbolo roſam plantatam inter allia, cum lemmate: *Oppoſitu fragrantiores.*

O ſuaviſſima roſa, ô glorioſiſſime Stephane, & unde inter allia, & cepe tuorum perſecutorum fit, ut adeo gratus & ſuavis reddatur odor tuarum virtutum? Scio quòd reſpondebis, ſuccum, quo velut roſæ nutritus es, fuiſſe puriſſimum, delicatiſſimum, & fragrantiſſimum, quia erat ſuccus virtutum, gratiæ, & favorum Spiritus Sancti. *Cùm autem eſſet Stephanus plenus Spiritu Sancto.* Veruntamen antequam plantareris inter illa cepe, & allia tuorum inimicorum, illo ſucco nutritus fuiſti. Quomodo ergo adeo augmentaſti ſuavitatem tuam inter illa? Ad hæc cepe & allia veluti plantæ groſſæ & ruſticanæ attrahebant ſuccum groſſiorem & crudiorem, impuriorem odiorum, rancorum, maledictorum adverſum te, *Continuerunt aures* Ibid. *ſuas, & impetum fecerunt unanimiter in eum, & ejicientes eum extra civitatem, lapidabant.* Tunc verò tu attraxiſti ſuccum delicatiorem, ſuaviorem, virtutum, amoris, & charitatis erga Deum & proximum, quia tunc majori fervore, & inſtantia proſtratus, Deum pro tuis perſecutoribus orasti, *Poſitis autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Odor eò ſuavior & gratior, quò magis erat ſimilis Chriſto, qui Patrem pro ſuis crucifixoribus oravit: *Pater ignoſce* Luc. 23. *illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Quòd ſi oratio juſti ſit odor gratus naribus Dei, ut obſervat Os aureum: *Oratio juſti ſuavis eſt ante* Hom. 3. operis imperfecti. *Deum*, profectò illa, quæ funditur pro perſecutoribus, erit ſuaviſſima & jucundiſſima, quia purificat animam ab omnibus fæcibus, impuritatibus, & groſſa materia noſtrarum culparum, quantumvis leviſſimarum, & ideo hæc roſa Stephani orantis pro ſuis inimicis graviorem & gratiorem odorem reddebat, quia cepe perſecutorum, dum attraherent omnem impuritatem, faciebant ſuccum orationis & gratiæ quo nutriebatur Stephanus, puriorem & defœcatiorem, adeoque fiebat roſa pulchrior & nobilior, odorque ſuavior ac gratior naribus Dei. Euſebius Emiſſenus de hoc ſancto Levita loquens, conceptum meum pulchrè confirmat: *Deum pro impiis Deo plenus exorat, etiam de alieno peccato juſtitiam ſuam cumulat, & coronam ſuam perfectâ humilitate multiplicat.* O quàm bene. *Etiam de alieno peccato juſtitiam ſuam cumulat, & coronam ſuam perfecta Chriſti humilitate multiplicat.* Gloriare itaque, roſa ſuaviſſima, quòd ſis plantata inter illa allia. Gloriare, quòd illam habeas pro ſymbolo. Gloriare, quòd habeas illud epigraphe: *Oppoſitu fragrantior.* Quia utrumque apprimè tibi convenit. Quòd ſi Publicanus eò pulchrior & fragrantior redditus eſt naribus Dei, quò magis compreſſus fuit à vitiis Phariſæi, *Pepererunt illi juſtitiæ coronam*, idque ſine ullo diſpendio, quantò magis id dicam de te; idq; in infinitum magis? ſed liceat mihi tuâ veniâ venuſtiſſima & ſuaviſſima roſa conceptus meos ad tuam laudem altiùs evehere.

Scriptura. IX. Exercitus Saul caſtra fixerat è regione exercitus Philiſthæorum, & in valle Terebinthi conflictus initi debebat, à quo vel libertas Hebræorum, vel Philiſthæorum dependebat. Et ecce Goliath gigas maxima cum audacia roboti ſuo innixus, in valle comparuit, & quemlibet Hebræorum, quantumvis eſſet generoſus, certus de victoria & populi Dei proſtratione generoſiſſimè ſubjugandum ad monomachiam provocavit. Caſu aderat in caſtris Saul David, & audiens gigantis jactationes, & plauſtra conviciorum in exercitū Dei jactatas, è tanta multitudine totus intrepidus ad certamen cum illo monte carnis, non ſolùm ſe obtulit, ſed & eum ſe ſubjugaturum promiſit. Hinc Regi Saul ſe iſtens, certò certiùs pollicebatur, ſe eum proſtraturum, & populo Hebræo honorem, quem gigas ſuis convitiis ei abſtraxerat, ſe reſtituturum *Nunc* 1. *Reg.* 17. *vadam, & auferam opprobrium populi.* Demum duello inito, David palmam tetulit, gigantem devicit & occidit, tantamque gloriam inde retulit, ut ab Abner Duce generaliſſimo exercitus, exceptus & adductus fuerit ad Saulem, honoratus à Jonatha, & majoribus ſignis obſequiorum affectus, & principaliter à domicellis Hebræis, quæ metris, hymnis, inſtrumentis muſicis ejus victoriæ applaudebant dicentes: *Percuſſit Saul mille, & David decem* 1. *Reg.* 18. *millia.* Hic ſubintrat Interpres S. P. Baſilius Seleucius, & obſtupeſcens genetoſitatem & audaciam Davidis, hunc adoleſcentem interrogit, quomodo tam indubitanter ſibi polliceatur non ſolùm victoriam contra illum gigantem coram militibus, ſed & in præſentia ipſius Regis Saul tàm liberè & aſſeveranter jactet ſe eum ſuperaturum & devicturum, & armis Hebræis ab ipſo Philiſthæo vilipenſis & contemptis, honorem recuperaturum. *Vadam, & percutiam eum, & auferam opprobrium populi.* Hic adoleſcens erat imberbis, juvenis, inermis, in arte militari inexpertus, ſolùm enutritus inter armenta & oves. Econtra Philiſthæus erat immenſæ molis, in militia diu verſatus, à vertice ad pedes uſque loricatus, quomodo ergo indubitatè poterat ſibi polliceri victoriam? Si David locutus fuiſſet conditionatè, ibo in campum, illi me iſtam, duellum acceptabo, & cum agatur cauſa Dei, ejuſque populi, forſan ſua divina Majeſtas mihi dabit vires ac gratiam eum ſuperandi & proſternendi, ac populo Hebræo honorem ablatum reſtituendi, meo judicio in hoc non videretur deliquiſſe, quin illud forſan modificatet ſaltem aliquo modo verba, quæ aliàs adoleſcentem prodidiſſent thraſonem, & oſtentatorem; ſed quòd loquatur tam liberè, abſolutè & audacter, ac ſi jam haberet victoriam in manu, cùm incerti ſint exitus belli, hoc multum negotii faceſcit doctis & ſapientibus.

Valde bene prædicta diluit duobus verbis S.P. Baſilius: *Maledictam illam inimici linguam victoriæ pignus teneo.* Ac ſi dicere voluiſſet in perſona David, nullum eſt dubium, quin mea propoſitio nimis præſumptuoſa reputabitur, & dignior thraſone & oſtentatore, quàm milite provido & genetoſo, ab eo, qui non perpenderit petulantiam & audaciam illius Philiſtæi incircumciſi, qui præſumpſit ſuis dictertiis ac maledicentiis improperare ac petere populum Dei; verùm qui hæc attentè ruminabit, ille certò certiùs affirmabit, meam propoſitionem eſſe prudentem, & valde conſideratam. Ego ſiquidem certiſſimam, ac infallibilem victoriam non colloco in debilitate ac imperitia hoſtis, qui nimis eſt fortis & expertus, illam ego non tribuo meo valori & viribus; nam illæ in me non ſunt. Si his & ſimilibus inanibus inniterer, profectò non ita ſimpliciter & abſolutè promitterem mihi victoriam contra hoſtem adeo formidabilem, ſed certitudo hujus victoriæ infallibilis, & executio operis adeo honorabilis fundatur in maledicentiis, opprobriis, convitiis, quibus ita petulanter petivit populum Dei, qui tamen ita patienter & manſuetè illa toleravit. Hinc rogo, ut meum modum loquendi obſervetis: *Vadam & percutiam eum, & auferam opprobrium de populo.* Hæc eſt mea propoſitio, quam omnes judicant à thraſone prolatam; ſed quæſo vos, conſiderate parumper verba, quæ ſubnecto; illa ſiquidem dabunt omnem rationem. *Quoniam quis eſt hic incircumciſus, qui audeat maledicere exercitui Dei viventis?* Ejus convicia & maledicentiæ mihi arma ſunt, & mihi addunt animum, me excitant, ut infallibiliter mihi polliceat victoriam. *Maledictam illam inimici linguam victoriæ pignus teneo.* Nil ſiquidem eſt in mundo, quod magis poſſit promovere victorias, heroicas actiones, glorias, quàm animo ſufferre pacato, tran-

tranquillo, hilari, convicia, offenſas ac injurias ab inimicis in aliquem conjectas.

Hoc celebri die progreditur in campum Jeruſalem ſanctus Protomartyr Stephanus, ut in materia religionis cum Hebræis certet. Hi dum non poſſent ſuperare ſanctiſſimum Juvenem, per quem loquebatur Spiritus Sanctus, proceſſerunt ad impoſturas, ad calumnias, mendacia, falsò ei imponendo blaſphemias contra legem, & Moyſen. Ille animo pacato omnia diſſimulavit, non conqueſtus eſt, nec ullum verbum impatientiæ oſtendit; imò maximâ modeſtiâ, affabilitate, & tranquillitate iis veritatem perſuadere nitebatur, ſed illi magis exaſperati, aures obturabant, cor ad odia & rancores dilatabant, manus petris armabant: & dum in eum irruerent, Stephanus oculos in eum conjiciens, tanquam certus de victoria, illud vidit apertum, *Ecce video cælos apertos, & Jeſum ſtantem à dextris Dei.* En totum cælum mihi apertè victoriam promittit, en ante pugnam mihi cælum reſeratur, ut mihi tanquam victori congratuletur, hinc adeo certus ſum de victoria, ut nullatenus de illa dubitem. Sed ô glorioſiſſime Levita, ex quo deducis illum tuum triumphum adeo indubitanter? in quibus armis adeo fidenter fundas tuam victoriam? Certus ſum, quòd mihi reſpondebis, in iiſdem, in quibus ſuam ponebat David contra Goliath. Generoſus adoleſcens ſuam victoriam indubitanter ſibi pollicebatur ex conviciis, maledicentiis, à populo Hebræo tam patienter toleratis in populum Dei conjectis, & valoroſus Levita Stephanus ſuam fundavit in falſis accuſationibus, calumniis Judæorum ab ipſo toleratis; nil ſiquidem eſt in mundo, quod poſſit glorias noſtras magis augere, quàm injuriæ à nobis hoſtibus condonatæ. Divinè S. Fulgentius: *Neceſſarium eſt nobis fratres cognoſcere, quibus armis præcinctus Stephanus ſævitiam Judæorum potuit ſuperare, & ita meruiſſet feliciter triumphare. Charitatem pro armis habebat, & per ipſam ubique vincebat.* Atqui charitas illas ſpectabat injurias & offenſas, quibus à Judæis fuerat affectus, quaſque iis remiſit, ergo ex iiſdem certò ſibi pollicebatur victoriam, & poterat dicere cum David, *ma. edictam illam inimici linguam, victoria pignus teneo.*

D. Fulg.

D. Baſ. Sol.

Aſtronomia.

X Aſtrologi cenſerent me indignum, qui cælum intuerer apertum, ſicut illud vidit Stephanus, niſi ab ipſo cælo egregium ornatum huic loco Scripturæ, & in favorem Stephani mendicarem. Et en prima fronte incido in duos planetas ſibi contrarios, & inimicos, Jovem ſcilicet & Martem. Jupiter ſupra modum eſt ſaluber, & propitius homini, aſpectu clariſſimus, & pulcherrimus, adeo reſplendens, ut producat umbram inſtar Solis, Lunæ, & Veneris, eſto inter Planetas ſit minor Sole, Luna & Vepere, quamvis ab hac ultima parumper excedatur, planeta moderatè calidus & humidus, ſanguineus & aëtius, cùm ſit ſituatus medius inter Saturnum frigidiſſimum, & Martem ferventiſsimum, planeta in ſuis omnibus aſpectibus beneficus, & adeo addictus homini, ut vocetur *Fortuna major*. Reddit homines candidos, bellæ, & proportionatæ naturæ, animi ſedati, graves, prudentes, juſtos, liberales, divites, honoratos, fideles & felices, promittitque eis laudes, glorias, dignitates eccleſiaſticas, & verbo, omne bonum. Mars econtra futioſus, bellicoſus, minitans, fervens, formidabilis, naturæ valde calidæ & ſiccæ, cholericus, terribilis, inimiciſſimus naturæ humanæ, temerarius, garrulus, iracundus, convitioſus, ſeditioſus, impius, crudelis, auctor bellorum, rixarum, infidelis adeo & infelix, ut vocetur *Infortuna minor*. Et ſicut hi duo planetæ habent qualitates contrarias, ſic etiam eorum exaltationes, & depreſſiones in cælo ſunt toraliter oppoſitæ, quia dum unus exaltatur, alter deprimitur, ubi Jupiter acquirit vires, Mars illas perdit, & econtra, Jupiter juxta Aſtrologos habet ſuam exaltationem in Cancro, & ſuam depreſſionem in Capricorno, Mars econtra ſuam exaltationem in Capricorno, & ſuam depreſſionem in Cancro.

Sed cur quæſo Jovi aſſignatur ſua exaltatio in Cancro, & Marti in eodē ſua depreſſio & ca ſus? Pontanus advertit, Cancrū in cælo habere cardinem & locum eminentiſsimum, è quo emittuntur directè radii ad terram, ut illam illuſtrent & foveant; cùm ergo Jupiter ſit ſtella adeo propitia, benefica, & ſalutaris, ubi meliùs potuit collocari, quàm in Cancro? Addite, quòd ſicut Sol eſt fundator vitæ, ſic Jupiter ſit ejuſdem conſervator, & quia Cancer per ſe eſt valde prochivis, & aptus ad conſervationem vi-

Pont. l. 2. de reb. cæleſt.

tæ,

tæ, cujus conſervator eſt Jupiter, ideo exaltatio Jovis debet ſituari in Cancro. Præterea ſicut altitudo Solis opponitur altitudini Saturni, ſic altitudo Jovis debebat opponi altitudini Martis, & ideo cùm Capricornus ſit oppoſitus Cancro, & Jupiter ſit planeta vitalis, & Mars fatalis, debet hic habere ſuam exaltationem in Capricorno, ſicut Jupiter in Cancro. Et quia Capricornus valde eſt proclivis, ut influat corruptionem & privationem vitæ, cui Mars eſt valde contrarius, idcircò debebat exaltari in Capricorno. Præterea ſicut Sol habet ſuam depreſſionem in libra, in qua Saturnus Soli contrarius habet ſuam altitudinem, & econtra Saturnus habet ſuam depreſſionem ſtrictè, in quo Sol habet ſuam exaltationem; ſimili modo Jupiter habet ſuam depreſſionem ibi, ubi Mars habet ſuam exaltationem, putà in Capricorno, & ſuam depreſſionem in Cancro. Et quando Jupiter eſt valde activus, fortis, & valde rigoroſus, tunc Mars eſt valde debilis, impotens, & econtra; nam eſt valde decens, quòd dum unus exaltatur, alter deprimatur.

Applicatio. XI. Nunc ad Levitam. *Vadam & percutiam eum, & auferam opprobrium de populo.* Quòd per Martem ſignificentur Judæi, hoſtes, accuſatores, & perſecutores Levitæ, & per Jovem benevolum & gratioſum Protomartyr, conditiones utrorumque clarè demonſtrant. Martes erant Judæi contra ſanctum Levitam, quia fuerunt auctores calumniarum, maledicentiarum, falſarum calumniarum, blaſphemiarum, quas impoſuerunt ſapientiſſimo adoleſcenti: Act. 6. *Tunc ſubmiſerunt viros, qui dicerent ſe audiviſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſen, & in Deum.* Fuerunt ſeditioſi, quia concitarunt plebem contra Sanctum, quia armarunt ſe lapidibus, & eum lapidarunt. Act. 7. *Impetum fecerunt unanimiter in eum, & ejicientes extra civitatem, lapidabant.* O quam furioſi, feri, crudeles Martes fuerunt ſancto Martyri? Martes, qui in alio non delectabantur, & gaudebant, quàm ſi eſſent in Capricorno privationis vitæ, & crudeliſſimæ mortis, quam prætendebant, machinabantur, & texebant innocenti Stephano. Hic econtra fuit Jupiter benevolus, gratioſus, prudens, ſapiens, amator æquitatis, pacis & veritatis. Jupiter belliſſimus erat ſanctus Levita, qui videbatur eſſe Angelus cæli. *Viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli.* Ibid. Jupiter ſapientiſſimus, tantâ doratus ſapientiâ, ut celebriores Doctores legis Moſaicæ cum tota ſua ſcientia nec minimum contra eum efficere poſſent. *Non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, quo loquebatur.* Ibid. Jupiter temperatiſſimus, & ſummâ æquitate abundans, tanquam is, qui erat repletus ſpiritu Dei. *Cùm autem eſſet plenus Spiritu Sancto.* Jupiter adeo benevolus ac favorabilis, gratioſus, & amoroſus, ut nil aliud ſciret, quàm impendere ſe bono proximi. *Faciebat prodigia, & ſigna magna in populo.* Ibid. Jupiter, qui habebat ſuam exaltationem in Cancro, quia nil magis appetebat, vel procurabat, quàm fovere, & conſervare vitam illorum, & ſingulariter animam ſuorum perſecutorum, & calumniatorum. *Poſitis autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Ibid. O benigniſſime Jupiter, ô benevolentiſſime Levita, ô generoſiſſime & amoroſiſſime Stephane, cur quæſo collocas tuam exaltationem & majorem ſublimitatem in Cancro benignitatis, clementiæ, amoris & charitatis. Tu apprime cognoſcis tua lucra, valde bene ſcis, quòd eò ampliùs augebis tuas excellentias, honores, glorias, virtutes, & vires in cælo, quo clementiorem, benigniorem, magis miſericordem, amicabiliorem te exhibiturus es erga tuos perſecutores; didiceras quippe in ſchola Chriſti, quòd *majorem charitatem nemo habet quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Tunc diſcipuli mei eritis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* In Cancro pietatis & amoris tuam collocaſti maximam eminentiam, quia ſciviſti pro certo, quòd illa cælum apertura erat, & tibi collatura triumphum. *Ecce video cælos apertos, & Jeſum ſtantem à dextris Dei.* Fulg. ſer. de S. Steph. Et ut addit ſanctus Pater Fulgentius: *Hodie miles de tabernaculo carnis exiens, triumphator migravit ad cælum.* Poſuiſti tuam maximam exaltationem in Cancro clementiæ, quia ſciebas, quòd tunc Mars ferox Sauli erat remiſſurus ſuas vires, ſubjugandus, & tu illum cælo lucraturus eras. *Charitatis virtute ſubnixus, victi Saulum crudeliter ſævientem,* Ibid. inquit Fulgentius. Collocaſti tuam ſublimitatem in Cancro

ero charitatis, quia valde bene velut Aſtrologus cæleſtis addideras, quod quò magis Mars ferox Sauli eſſet exaltandus in Capricorno ſuorum odiorum, & crudelitatum contrarie, & amplius in Cancro tuæ clementiæ erat debilitandus & humiliandus, & quod demum ad Deum ſe converſurus erat. Hinc dixit Auguſtinus: *Sic exauditus eſt ſanctus Stephanus, ut ejus orationibus deleretur peccatum, quod commiſerat Saulus*: ſiquidem nil eſt, quod poſſit magis illuſtre & conſpicuum reddere tuum nomen terræ & cælo, quam injuriæ receptæ à Saulo, & à te tam patienter toleratæ inſtar Davidis, qui tunc certus erat de victoria, & triumpho contra gigantem Goliath, & ſublimatione ſui honoris, quando convicia & maledicentias ab eo in populum effuſas patienter tulit. *Maledictam illam inimici linguam victoriæ pignus teneo.*

Ser. 1. de S. Stephan.

Scriptura. *Cap. 10.*

XII. Sæpius obſervaveritis apud Divum Matthæum à Chriſto introductam illam materiam de illo rege, qui rationem petere voluit à quibuſdam ſervis ſuis, qui ei ingentem ſummam debebant. Horum uni, qui debebat ei decem millia talentorum, Rex liberaliter totum debitum condonavit, hic enim humiliter & inſtanter rogarat. *Miſertus autem Dominus ſervi illius, dimiſit eum & debitum dimiſit ei.* Inſuper notaveritis hunc ingratiſſimum ſervum, poſtquam incidiſſet in quendam, qui ſibi debebat centum denarios, abſolutiſſimè, exactiſſimè ſolutionem ab illo miſero urſiſſe, & quia ob egeſtatem ſolvendo non erat, hic iniquus creditor, eum in vincula conjecit. *Miſit eum in carcerem donec redderet debitum.* Hanc crudelitatem, ut rex intellexit Evangelicus, & ei objeciſſet tam crudelem ingratitudinem, quod cum ei tam gratanter & abſolutè totum remiſiſſet debitum, ipſe hoc non obſtante noluiſſet centum florenos donare, debitum renovavit, eumque in carcerem detruſit, donec ultimum ſolveret quadrantem. *Iratus dominus ejus, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.* Tandem etiam adverteritis Salvatorem parabolam concludentem, hæc ſubjunxiſſe. *Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Credo ego quod quidem totam ſeriem hujus parabolæ obſervaveritis, ſed

Matth. 17.

Ibid.

forſan non reflexeritis vos ad unicum verbulum, quod Chriſtus miſcuit in ejus Epilogo, dum parabolam vellet applicare, nempe τὸ *Pater meus*, nec ego ſolum hoc obſervavi, ſed & Sanctus Pater Chryſoſtomus, qui obſtupeſcit, quod Chriſtus non dixerit: *Sic & Pater veſter faciet vobis*, ſed ſic *& pater meus*: Deus immortalis, pater æternus, non ſolum eſt Pater Chriſti, ſed & noſter, ſicut alia vice eum vocandum nos docuit, quâ formulâ orare deberemus, nempe *Pater noſter, qui es in cælis*, cur ergo hic dicit *pater meus* & non, *pater veſter*? conditio perſonarum, cum quibus loquebatur, difficultates auget, quia tunc diſcurrebat cum ſuis diſcipulis & ſingulariter cum Petro, cui præcepit, ut ſeptuageſies ſepties errata condonaret: *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuageſies ſepties.* Cum ergo Apoſtoli eſſent digniſſimi, qui vocarentur Filii Dei, cur non dixit pater veſter ſed pater meus? Divinè Os aureum: *Non dixit pater veſter, ſed meus, non enim digni ſunt iſti, quorum pater Deus vocetur, cum ita nequam ſint, ut homines odio proſequantur.* Non habes anſam mirandi, inquit Os aureum, quod Salvator mundi, eſto alloqueretur diſcipulos, tamen non dixerit *pater meus*, ſed *pater veſter*, nam loquebatur de illis, qui nolunt ignoſcere inimicis, ſed potius volunt eos male tractare, ſicut male tractavit ſervus ille Regis Evangelici ſuum conſervum, qui debebat ei centum talenta, & omni modo volebat ſolutionem, eſto ſibi liberaliſſimè fuiſſent condonata decem millia talentorum, cujus cauſa debitum revixit, & coactus fuit ad obulum uſque ſolvere. Hi tales, volebat dicere Chriſtus, ſunt indigni, ut vocentur filii Dei Patris. Et quantumvis eſſent mei Apoſtoli, mei Chariſſimi, præcipuæ perſonæ cæli, attamen niſi promptè velint remittere injurias, ac ignoſcere inimicis, ſciant tales quicumque ſint, quod non mereantur vocari filii mei Patris. *Non enim digni ſunt iſti, quorum pater Deus vocetur, cum ita nequam ſint, ut homines odio proſequantur.* Verum ſi à contrario ignoſcant, ita augebuntur eorum lucra, ut meritò nominentur filii mei Patris, & illum vocare poſſint ſuum patrem, ſiquidem nil eſt in mundo, quod eos magis poſſit reddere conſpicuos, ac illuſtres, etiam uſque ad filiationem Dei, quam ſi promptè injurias receptas condonent. Nunc mecum ſic diſcurrite. Protomartyr

Hom. 2. in Matth.

Matth. 18.

Sanctus Stephanus promptiſſimè omnes contumelias ſibi illatas ignovit, & pacatiſſimo animo opprobria ſuorum perſecutorum toleravit, menteque invicta, & conſtantia indicibili tulit lapidum nimbos & quod majus eſt, pro ſuis hoſtibus, qui ferociter eum lapidabant, & eodem tempore eum furioſius oppetebant, majori fervore Deum pro iiſdem rogavit, ne Deus hoc ſcelus iis imputare vellet, & tam ferventer pro iis rogavit, ut volens ſpiritum ſuum recommendare æterno Patri Deo ſuo, ſtans id fecerit, perſecutores autem ſuos commiſerit Deo genuflexus; cum enim impietas eorum eſſet adeo execranda ac abominanda, debuit inſtantius pro iis rogate. Sic obſervavit S. P. Auguſtinus: *Ventum eſt ut oraret pro lapidatoribus ſuis, attendit tam multam & magnam eſſe impietatem eorum, quæ difficile donari poſſet, genuflexit & ait, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Quomodo ergo non inferam evidenter, quod Stephanus fuerit filius æterni patris, & merito potuerit eum vocare ſuum patrem? Addite; ſi ille magis ſit dignus filius æterni Patris, qui perfectius imitatur ejus filium naturalem, & Stephanus tam perfecte Salvatorem ſit imitatus in hoc facto, ut amplius quid deſiderari non poſſit (ſicut enim ille crucifixus rogavit pro ſuis crucifixoribus dicens: *Pater ignoſce illis*, & Stephanus etiam pro ſe lapidantibus precatus fuerit. *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum*) cur non dicemus, quod Stephanus per actionem adeo heroicam ad illam attigerit eminentiam, ut cum Chriſto meretetur vocari filius æterni patris?

Ser. 2. de S. Steph.

Exc. 33.

Theologia.

XIII. Patres Theologi à vobis ſcire vellem, an in divinis poſſit reperiri pluſquam unus filius naturalis. Scio quod reſpondebitis negativè, cum enim non poſſint eſſe plus quam tres perſonæ divinæ, quæ debeant diſtingui per relationes originis, & hæ relationes non poſſint eſſe plures tribus, Paternitas ſcilicet, Filiatio & Spiratio paſſiva, non poteſt dari niſi unus filius naturalis in divinis, nec alius poteſt generari, tum quia illi pater communicat totam divinam eſſentiam, ita ut nil alteri communicandum reſtet, tum quia eam ab æterno generavit & ſemper generat, ac in æternum generabit. Hinc non poteſt dari alter filius, quam Verbum æternum, quinimo eſt probabilis Theologorum plurium opinio, quod ſi Spiritus Sanctus per impoſſibile procederet à ſolo Patre & non à Filio, à quo de facto procedit, adhuc tamen non eſſet filius, ſed Spiritus S. diſtinctus à ſecunda perſona, ſicut modò eſt. Ideo verum eſt, quod non poſſit eſſe niſi unus filius in divinis. Sed ego replico PP. Theologi, ſi hic unicus Dei filius ſit æternus, & generatus ab æterno per intellectum fœcundiſſimum Patris, unde provenit, quod David loquens in perſona æterni Patris dicat. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te?* Si pater dicat *ego hodie genui te*, & hic terminus connotet tempus, quod non competit æternitati, quomodo poteſt dici: *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te.* Non me fugit expoſitio communis Theologorum, quod illud *hodie* non ſignificet tempus, *ſed nunc æternitatis*, ita ut juxta noſtrum modum loquendi, dicat ſolummodo hodie: ſed pace veſtra Theologi, ego inſtabo, id dici non poſſe, quod ſic probo. Antea dixerat David in perſona ipſius filii Dei, *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Perinde ac ſi diceret: ego à Patre meo æterno tunc ſum creatus Rex, quando mundo præceptum ejus promulgavi, & propter ejus prædicationem dicit pater, quod me genuerit & fecerit ſuum filium. *Prædicans præceptum ejus, dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ita ut tunc prius inceperit eſſe filius Dei, & ejus generatio inceperit, quando prædicavit præceptum Dei, atqui illud Chriſtus prædicavit in tempore, ſiquidem in tempore incepit prædicationem, ergo &c. Et hinc non poterit dici, quod generatio verbi ſit æterna, aut ad minus quod alius filius Dei debebat eſſe ab æterno cui conveniat & prædicatio, & generatio paſſiva temporalis, & conſequenter quod ſit filius Dei in tempore.

Pſal. 2.

Ibid.

Nullum eſt dubium Patres Theologi, quin nequeant dari plures filii naturales; Nihilo ſecius ut ſatisfaciam objectioni vatis, credo ſenſum prophetæ eſſe emphaſim & magnæ energiæ, & quod hic loquatur de generatione temporali & adoptiva, quâ Chriſtianus ſit filius Dei, & hanc filiationem non poſſumus efficacius conſequi, quam per prædicationem & executionem divini præcepti, quaſi nobis omnibus diceret in perſona Chriſti: fideles mei ſitis ſecuri, quod ſic bona veſtra augebitis & accumulabitis, dum annuntiaveritis & obſervaveritis meum præceptum, nam hujus obſervantia

adeo

adeo vos ultra ſortem humanam ſublimabit, ut faciat vos filios Dei. Sed quale eſt illud præceptum, quod adeo eſt efficax, ac excellens, ut præ aliis antonomaſticè meteatur vocari præceptum Dei? revera nullum aliud, quam mandatum dilectionis inimici. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros.* Hujus obſervantia eſt tam efficax, tam excellens, ut ſolum ex homine faciat filium Dei. *Diligite inimicos veſtros &c. ut ſitis filii patris veſtri, qui in cælis eſt.* Et hoc tam certo & tanta eminentia, ut ſi Chriſtus non foret filius Dei ab æterno, & pater non haberet filium naturalem, virtute adimpletionis hujus præcepti, Chriſtus poſſet vocari filius Dei, & æterni patris & tunc adoptaretur in filium, ac ſi dilectio inimici illum gigneret Deo, & faceret ut ab æterno patre produceretur & generaretur, veluti ejus verus & legitimus filius. Et hanc Patres Theologi credo eſſe mentem David, dum in perſona Chriſti dicit: *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Et etiam quando ſubjunxit ex parte patris æterni alloquentis filium; *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te.* Fili mi, ſi ego ab æterno te non generaſſem, nec ab æterno eſſes meus naturalis filius, per hoc quod promulgaſti meum præceptum de dilectione inimicorum, & quod illud inſuper obſervaris dum rogans pro tuis hoſtibus dixiſti: *Pater ignoſce illis &c.* Ego te adoptaſſem in meum filium, & ſupplesſem defectum filii naturalis. Sic obſervat Rupertus. *Maxime cauſa iſta facit eſſe filios Dei.*

Matth. 5.

Applicatio.

XIV. Nunc ſic diſcurrite; Nullus hoc præceptum perfectius obſervavit poſt Chriſtum, quam protomartyr Stephanus: Chriſtus rogavit pro ſuis crucifixoribus, & Stephanus pro iis, qui ſe lapidabant: Chriſtus brachiis in cruce expanſis, & Stephanus genuflexus. Chriſtus paulo antequam expiraret, & Stephanus paulo antequam ſpiritum Deo redderet. Chriſtus dixit: *Pater ignoſce illis.* Stephanus: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Si ſola obſervantia hujus præcepti ſit adeo efficax, ut Chriſtum faceret filium Dei, caſu quo per impoſſibile non eſſet filius ejus naturalis, cur non dicimus ſimiliter, quod ſi Chriſtus non fuiſſet in mundo, nec promulgaſſet, aut obſervaſſet hoc præceptum, Stephanus illud prædicans, aut obſervans intraſſet locum ejus, & acquiſiviſſet filiationem, per quam Chriſtus erat filius æterni patris? Si David Propheta, quia condonaverat Saul, tantum promeruit apud Deum, ſic obſervante Ruperto, ut ob illum actum voluerit carnem aſſumere ex poſteris David, ut ſic caro Davidis ſuo modo deificaretur. En Rupertum: *Ob hanc maxime cauſam juratum illi eſſe arbitramur quod ſemen, vel caro ejus aſſumenda eſſet in filium Dei, quia maxime cauſa iſta facit eſſe filios Dei.* Puta quia ignovit Saul; cur non dicemus, quod Stephanus, quia ignovit ſuis hoſtibus, ac pro iis rogavit Chriſtum, in hoc imitans meruerit deificari & intrare locum Chriſti, caſu quo pater æternus non habuiſſet filium; ſi demum atteſtante Chriſto hi non ſunt digni, qui vocent ſuum patrem, aut Chriſtum ſuum fratrem, qui nolunt ignoſcere. *Non enim digni ſunt iſti quorum Deus pater vocetur, cum ita nequam ſint, ut homines odio proſequantur.* Cui non dicemus, quod Stephanus unanimi conſenſu totius conſiſtorii divini per hanc actionem adeo heroicam & dignam filio Dei, actionem inquam per quam Chriſtus acquiſivit filiationem divinam, cur inquam non dicemus, quod Stephanus etiam acquiſiverit filiationem, & ita promeruerit ſuum intereſſe, ut potuerit ſubrogari in locum naturalem filii æterni Patris? O prærogativam indicibilem? ô eminentiam incomparabilem!

De vivo verb. Divin. Q. 4. c. 27.

O glorioſiſſime Stephane, debilitate mei ingenii non aſſequor eminentiam tuæ prærogativæ, hinc nunquam ob ſterilitatem meæ linguæ illam ſufficienter potero manifeſtare meis auditoribus, ſuppleat bonus affectus virium defectum, & ille qui penetrat intima mei cordis ille ea exprimat, quæ inſufficientia intus conſtringit.

Epilogus.

XV. Dicam quod fueris luna in plenilunio, quæ comparuit in hemiſphærio primitivæ Eccleſiæ, & quamvis allatratus fueris à rabioſis canibus tuorum perſecutorum, tamen idcirco nõ cecidiſti animo aut regreſſus es, ſed intrepidè proſequendo tuum iter per cælum, quo propius attigiſti meridiem cæli, eò pulchrior, & excellentior comparuiſti. Dicam, quod inſtar putiſſimi chalybis colliſus fuiſti ad Saulum tuum perſecutorem, quando te omnium manibus lapi-

lapidavit, ac pro eo ſingulariter orando, adeo vehementem ignem amoris accenderis, ut te reddiderit Deo gratiorem, & in amorem Dei redegeris cor etiam Sauli. *Carbones ignis congerens ſuper caput ejus.* Addam, quod cum fueris roſa, imo ſertum roſarum pulcherrimum & fragrantiſſimum, imo ſuaviſſimum, pulchrior, ſuavior, fragrantior comparueris plantata in medio alliorum, cepe tuorum perſecutorum, nam *probra eorum pepererunt tibi juſtitiæ coronam*, uti probra Phariſæi coronam publicano. Subnectam præterea, quod velut alter David ſecutus fueris de victoria obtinenda contra Gigantem Goliath Saulum, quando vidiſti & audiviſti quod te laceſſeret convitiis & opprobriis, & tu velut Jupiter ſupremus non ſolum ſupra modum auxiſti tuam auctoritatem, & benignos influxus, dum ſitus eſſes in Cancro tuæ benevolentiæ, ſed etiam ſimul vires furioſiſſimi Sauli enervaſti ac debilitaſti. Nihiloſecius quæ huc uſque dixi nihil eſſe fateor, vel parum & exigum reſpectu eminentiæ tuorum meritorum, & impulſus meæ devotionis.

Hinc ut aliqualiter & illis, ac huic ſatisfaciam, decrevi eò uſque tendere, ut te jure meritiſſimo proclamem eſſe filium Dei, idque tam excellenter, ut ſi per impoſſibile Chriſtus non fuiſſet filius naturalis Patris, tu potuiſſes ſuccedere in locum ejus, eò quod tam perfectè imitatus fueris illam actionem, quæ declaravit eum eſſe filium Dei. *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te,* quando promulgavit & adimplevit *præceptum ejus.* Et dum huc uſque perveni, affigo ad coloſſum tuum pignus mei obſequioſi affectus tibi debitum, & tibi adgeniculatus, ſicut tu Deo fuiſti adgeniculatus, rogo ut intercedas pro me, ſicut rogaſti pro Saulo, quod mihi

Deus concedat.

Amen.

* * *

ELO-

ELOGIUM XL.

Pro Feſto S. Joannis Apoſtoli, ac Evangeliſtæ.

Ecce puer meus electus, quem elegi, poſui ſuper eum ſpiritum meum. Eccleſia.

Aſtronomia.

I. INter quadraginta octo conſtellationes cœli, etiam numeratur illa, quæ vocatur ab Aſtrologis aquila, vel *Vultur volans*; Conſtellatio, quam particulatiter conſiderant Aſtronomi, quia in illa reperitur quædam ſtella ſecundæ magnitudinis, quæ eſt bene obſervanda, & quæ in operando eſt valde efficax. Hæc conſtellatio aquilæ, ut obſervat Aratus, Eudoxius, & alii, qui deſcribunt imagines, & conſtellationes cœli, quod Oriens ſuper Horizontem aſcendat cum Capricorno, & Sagittario & cygno.

Porrò de Capricorno docent Aſtrologi, quod non ſolum ſit Regium ſignum, ſed etiam, quod promittat illi, qui in ſuâ nativitate habet ſibi propitiam illam conſtellationem, ingenium valde ſubtile, & limatum in inveſtigandis arcanis naturæ, & cœli; Hinc longâ ſpeculatione edocti, obſervant ingenia ſublimiora, doctiores, & facundiores, qui orbi fuerunt admirandi, & quorum fama viget, habere hanc conſtellationem ſibi propitiam.

Advertunt præterea Aſtronomi loquentes de aliqua, quod ſit conſtellatio valde benefica, quia dum oritur, aër fit valde rorulentus, & terra fit valde fœcunda, & dum occidit, omnia rigent, ac congelantur. *Oriente Aquila* inquit Columella *irrorat, eâ vero occidente omnia congeleſcunt.*

Præterea docent, quod medium cœlum, dum reſpicit conſtellationem Aquilæ, & ſingulariter ſtellam primæ magnitudinis, vel ſecundæ, ut volunt alii, quæ quia eſt grandis, lucidiſſima, & maximæ virtutis, dicitur Aquila habens conditionem Martis, Mercurii, & Jovis, docent inquam, quod perſona, quæ præerit hominibus Mercurialibus, vel Jovialibus, futura ſit valde conſpicua, favorem perſonarum Jovialium conſequetur ſummos honores, impetia grandia, vel præfecturas in militia, non ſolum terreſtri, ſed & navali. *Medium cœli ad Aquilam volantem primæ magnitudinis de natura Martis, ſeu Mercurii, & Jovis inſinuat, quod ita genito illo anno in milites aliquod dominium à Jovialibus demandabitur, aut in maritimis negotiis dabitur poteſtas in nautas.*

Nec miror, quod Aquila cœleſtis prædicat tot prærogativas, cui illa in nativitate, & prætrea in diſcurſu vitæ favet; Quia Aquila aerea involans humeris Martialis captivi, ducti in prælio à Geuſerico Rege Wandalorum, dum miſer infortunium ſuum conſiderans obrueretur à ſomno, anſam præbuit Regi, qui eam Aquilam vidit magna portenta in Martiano divinandis, quod & factum eſt, nam mortuo Theodoſio, Martianus nupſit Pulcheriæ per quam imperium obtinuit. Hiſtoria. Imperii anno 431.

II. Meritò Joanni Apoſtolo & Evangeliſtæ tribuitur Aquila non ſolum aerea, ſed cœleſtis, imo & ipſe à ſacris doctoribus vocatur Aquila. *Aquila ipſe eſt Ioannes* inquit Auguſtinus. Aquila dico non ſolum aerea, ſed cœleſtis. Aerea, quia altius, quam reliqui Evangeliſtæ, volans prætet volavit cõfinia humanitatis Chriſti, & inſtar Aquilæ cœleſtis obtutus fixit in lucidiſſimum ſolem divinitatis, videndo clarè, quod *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deũ, & Deus erat verbum.* Aquila, quæ exotiens renovavit, ac irrigavit rore cœleſtem agrum Eccleſiæ Dei. Aquila quæ ab utero matris uſque ad tumulum habuit cygnum Virginitatis. *Virgo in ævum permanſit.* Aquila, cui mirum in modum Applicatio. *Ioann. 1.*

favit ſignum Regium capricorni Chriſti Jeſu.

Ioann. 21. *Diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus.* Aquila per perſpicitatem, & ſubtilitatem intellectus, quo penetravit altiſſima & profundiſſima myſteria cœli, quæ forte haud penetravit intellectus Angelicus, uti obſervat Hieronymus: *Arcana, & myſteria noverat Evangeliſta Ioannes, qui auſus eſt dicere, quod Angeli forſitan neſcierunt.*

Lib. 3. in c. 14. Zach. tom. 5.

Aquila eſt Joannes, nam hæc eſt ejus inſigne, per quod à reliquis Evangeliſtis diſtinguitur, & dum ſuper ejus humeros volavit, ei prognoſticavit imperium non terrenum, ſed cœleſte, & dum medium cœlum ad eum fuit benignè directum, hoc eſt filius, qui eſt ſecunda perſona in divinis, illi prædixit primatum ſupra omnes milites Chriſti, & gubernium ſupremum ſupra omnes Nautas fidelium, qui vehunt navem Eccleſiæ; nam Joannes veluti valoroſus athleta & expertus nauclerus, enſe doctrinæ decollavit omnes hæreſes, & profundâ ſuâ cognitione, & doctrina rexit navem Eccleſiæ.

Lib. 1. de fide Trinit.

Hinc S. P. Ambroſius: *Omnes hæreſes hoc capitulo brevi piſcator noſter excluſit.* Aquila tandem, quia perſpicacitate ſui viſus non ſolum attigit cognitionem divinitatis, ſed & ſupergreſſus eſt conditionem Angelicam, & transformatus eſt quaſi in ipſum Deum, de quo hodie diſcurram.

ASSUMPTUM.

Evangeliſta Ioannes adeò fuit à Deo exaltatus, ut tranſgrediens confinia hominum, & Angelorum, apparuerit quaſi alter filius Dei,

Scriptura. III. ANtequam huic vaſtiſſimo Oceano me committam, & plenis velis mare ſulcem, hoc ſolemniſſimo die favente mihi Spiritu Sancto invenio valde eſſe myſterioſum nomen hujus Evangeliſtæ; Et pro hoc obſervo nonnulla verba antiquiſſimi & doctiſſimi Origenis in laudem excellentiſſimi hujus ſubjecti.

Hom. 2. ex var. in Evang. tom. 3.

O Beate Ioannes, non immeritò vocaris Ioannes, Hebraum nomen eſt ſignificans, cui donatum eſt. Cui eſt donatum? Ac ſi voluiſſet dicere Origenes. Tuum nomen ô Joannes, te præfert omnibus hominibus, non ſolum plebeis, ac ordinariis, ſed etiam iis, quos Chriſtus è multitudine innumerabili elegit, puta Sanctos Apoſtolos, qui ob eminentiſſimam ſuam dignitatem, grandes prærogativas, quas iis Deus conceſſit velut fundamenta ejus cœleſtia, ſpecialiter in cognitione divinorum myſteriorum conſtituti ſunt; Cui enim Deus tantam cognitionem inſtillavit, ſicut tibi? *Cui Theologorum donatum eſt, quod tibi donatum eſt, abdita videlicet ſummi boni penetrare myſteria, & ea quæ tibi revelata, & declarata ſunt humanis mentibus & ſenſibus intimare?* Tua cognitio longè ſuperat cognitiones profundiſſimorum Theologorum, quos habuit Eccleſia Dei, ſubtiliſſimorum puta Seraphicorum, Angelicorum, Auguſtinorum, & omnium alium celebrium ingeniorum tam ſcholaſticorum, quam poſitivorum. *Cui enim &c.* Revera in ſtuporem me rapit admiratio tam emphatica, quâ Origenes celebrat, & exaltat cognitionem profundam, ingenium perſpicax, intellectum ſubtilem hujus Evangeliſtæ. Nam quamvis certiſſimus ſim, quod Scotus, Thomas, Bonaventura, Auguſtinus, & omnes S. Doctores cedant Joanni, & fateantur ſe non eſſe dignos, qui ſint ejus diſcipuli; nihilo ſecius vas electionis Apoſtolus Paulus, quamvis præ humilitate nolit ſe ingetere huic Paleſtræ, tamen ab ejus devotis in veritate non poteſt excludi, nec cenſeri inferior Joanne, imo ipſe ſuperior. Hæc ſiquidem de ſe ipſo Paulus teſtatur *Scio hominem ſive in corpore, ſive extra corpus neſcio Deus ſcit. Et ſcio hujuſmodi hominem raptum eſſe uſque ad tertium cœlum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Itaque pro Paulo contra Joannem ſic poſſum arguere contra Origenem; quamvis omnes alii, iique celebriores Theologi cedant Joanni, ſub iis tamen non debet contineri Paulus, ſed ſine cujuſvis præjudicio, dici poſſet, quod ſint pares in cognitione myſteriorum divinorum. Verum his non obſtantibus Origenes præfert Joannem etiam Paulo, quamvis ſit vas electionis, & Doctor gentium. *Supervolas B Ioannes Theologus non ſolum, quæ intelligi ac dici poſſunt, verum etiam quæ ſuperant omnem intellectum.* Quod ſi Paulus fuit raptus ad tertium cœlum, in quo à Deo edoctus eſt divina myſteria, tamen inquit Origenes; *Ioannes ultra omne cœlum raptus eſt,* & hinc ſuperavit Paulum in cognitione. Sed inſto, ſi Paulus cognoverit myſteria hominibus ineffabilia: *Audivit arcana verba,*

2. Cor. 12.

verba, quæ non licet homini loqui. Ergo cum Joannes ſit homo, fuit inferior Paulo quoad cognitionem; Quia nullum eſt myſterium, de quo non egerit Paulus. Quomodo ergo Joannes ſuperet Paulum.

Deo ſint laudes inquit Origenes, inveniemus fundum hujus maris. Concedo ego & do tibi, quod cuncta myſteria, quæ cognovit Joannes, cognoverit etiam Paulus, nihilo ſecius dico; quod cognitio Pauli fuerit longè inferior cognitione Joannis, quia Paulus nec ſcivit, nec potuit illa manifeſtare ob eorum ineffabilitatem, Joannes autem illa notificavit & prædicavit mundo, à prædicatione & manifeſtatione cujus, didicerunt reliqui omnes Doctores Eccleſiæ Dei veritatem illam reconditam, & ſecretiſſima myſteria, quæ Paulus aliis manifeſtare non ſufficiebat. Et hinc dico, quod intellectus Joannis, veluti ille qui propitium ſibi habuit Capricornum, ſuperaverit omnes intellectus etiam Pauli. Hinc Origines: *In tertium cœlum raptus, ô vas electionis, & Magiſter gentium, audiſti verba, quæ non licet homini loqui. Ioannes intimæ veritatis inſpector audivit unum Verbum, & licuit ei illud Verbum dicere, & hominibus prædicare, quantum hominibus prædicari poteſt, & fiducialiter clamat. In principio erat verbum &c.* Sed quomodo Joannes potuit illa manifeſtare, & non Paulus? Reſpondet Orig. *Nõ ergo Ioannes erat homo ſed pluſquam homo.* Myſteria divina & ineffabilia, quæ vidit & cognovit Paulus, adeò ſuperant conditionẽ humanam, ut nullus intellectus hominis, etiã Pauli poſſit illa manifeſtare, ſed ad hoc exigatur intellectus, qui ſuperet conditionem humanã, unde cum Joannes illa cognoverit, ac explicuerit, debuit ſuperare acumen intellectuum hominũ communiũ, imo & ipſius Pauli, & hoc quia fuit pluſquã homo. *Non ergo Ioannes &c.*

Vbi ſupra.

Aſtrologia.

IV. Sed videamus parumper an Aſtronomia non poſſit nobis auxilium præbere, ad hoc, ut cognoſcamus omnem conditionem humanam ſuperari ab eminentiâ Joannis. Vos Aſtronomi dividitis ſphæram mundi in decẽ circulos, quorum ſex vocantur à vobis Maximi, vel majores, & quatuor minores. Primus circulus eſt Æquinoctialis, Secundus Zodiacus, Tertius Colurus Solſtitiorum, Quartus Colurus æquinoctii, Quintus meridionalis, & Sextus dictus Horizon, alii quatuor ſunt Cancer, Capricornus, duo tropici & Circulus Arcticus, & Antarcticus. Porro circuli majores diſtinguuntur in hoc à minoribus, quod majores dividant totam ſphæram in duas partes æquales, Minores in duas partes inæquales.

His ſuppoſitis, vos teſte Sacro-Boſco ſic definitis Horizontem. *Horizon eſt circulus dividens ſuperius Hemiſphærium ab inferiori, idque in duas partes æquales.* Et vocatur terminator viſus, quia hic terminat oculum, & ſeparat partem, vel Hemiſphærium viſum à non viſo à nobis. Et dicitis, quod in ſphæra materiali hic *Circulus* ſupereminet omnibus aliis circulis etiam majoribus.

Præterea Proclus famoſiſſimus Mathematicus, Albertus Magnus, & alii affirmant, duos eſſe Horizontes, unum cognitum intellectu, ſeu ratione, qui & ideo vocatur naturalis, ſeu rationalis, alium à ſenſu & oculo, adeoque vocatum ſenſibilem, vel apparentem. Sed qualis quæſo eſt differentia inter hos duos horizontes? Hæc, quod Horizon rationalis div dat cœlum in duo hemiſphæria realiter æqualia, & ſeparet portionem viſam à nobis, à portione non viſâ, cujus poli ſunt punctum verticale *Zenith*, & aliud punctum huic oppoſitum, quod vocatur *Nadir*; Porro centrum dicti circuli eſt centrum terræ, ita ut ſi in orbem moveres lineam diametralem, quæ directe ab oriente protenderetur in occidentem, hæc pertranſiret per centrum terræ, & mundi, & ideo duæ portiones ſeparatæ eſſent duo hemiſphæria perfectiſſimè inæqualia. Econtra Horizon ſenſibilis non eſt hujus conditionis, ſed eſt circulus horizontalis, cujus diametrum non tranſit per centrum terræ, ſed ſolum per extremam ſuperficiem ejuſdem. Hinc centrum hujus circuli non eſt centrum terræ, & mundi, ſed ſolum punctum ſuperficiei terræ. Et hinc ſequitur, quod ſphæra diviſa ab horizonte ſenſibili non ſit diviſa in duas partes æquales, quia hemiſphærium ſupremum à nobis viſum ſit minus inferiori à nobis non viſo. Sed Horizon rationalis, ſeu naturalis dividit totaliter, & æqualiter ſphæram in duas partes, ita ut ſuperior, a nobis viſa ſit æquè magna, ac inferior à nobis non viſa; Et ideo Horizon rationalis eſt multo major ſenſibili.

Applicatio.

V. Nunc ad Joannem. Magnus Triſmegiſtus quadam vice dixit. *Deus eſt ſphæra, cujus centrum eſt ubique, cujus circumferentia nuſquam.* Non tantum Deus, ſed & Chriſtus eſt nobi-

nobiliſſima, & grandiſſima ſphæra, diviſa in duo hemiſphæria, ſuperius, & inferius in naturam divinam & humanam unitas. *Qui cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* O quam nobiliſſima ſphæra, ô quam perfecta hemiſphæria ſunt natura divina, & humana unita, conjuncta divinitas & humanitas, æternitas, & tempus, homo & Deus, Deus & homo.

Philip. 2.

Hæc ſphæra cæleſtis habet pulchertimum Horizontem, qui in circuitu illius gyratur, eamq; dividit in duo hemiſphæria ſuperius, & inferius, ac porro circulus orientalis eſt anima ac intellectus humanus vocatus à Platone circulus, ob cognitionem intellectualem, ratione cujus cognoſcendo res extra ſe inſtar circuli redit & revolvitur in ſe ad cognitionem ſuiipſius; circulus horizontis vocatus à Triſmegiſto *Orizon æternitatis, & temporis intellectualis, corporeæque naturæ nexus & confinium.* Hinc ob hanc rationem omnes intellectus, qui potuerunt cognoſcere & penetrare diſtinctionem, ac conjunctionem harum duarum portionum ſphæræ, puta Chriſti ſuperioris & inferioris, divinæ & humanæ, ſunt quaſi circuli horizontis. Circulus horizontis ſunt Auguſtinus, Thomas, Bonaventura, ac omnes ſacri Doctores Eccleſiæ Dei, quia dum perfectè in gyrum moti ſunt, circa hanc ſphæram ſciverunt cognoſcere diſtinctionem & conjunctionem horum duorum hemiſphæriorum. Circulus horizontis fuit Petrus, caput Collegii Apoſtolici, qui gyrans circa hanc ſphæram, illam diviſit in duas partes, ſuperiorem, ac inferiorem, divi nam & humanam, quando dixit. *Tu es Chriſtus filius Dei vivi* Circulus Horizontis fuit Paulus, qui movens ſeſe circum circa hanc perfectiſſimam ſphæram Chriſti, illam etiam diviſit in duo hemiſphæria divinum ſcilicet & humanum. *Qui cum in forma &c.* O perfectiſſime Horizon.

In Timæo in Aſculepio.

Matth. 16.

Sed cedant omnes circulo Horizonti Joanni, quia omnes Doctores & Apoſtoli Petrus & Paulus ſunt Horizontes ſenſibiles, & apparentes, non rationales, & naturales; Sunt Horizontes minores, quia non dividunt hanc ſphæram in duas partes æquales, volo dicere, qui non habuerunt cognitionem adeo perfectam divinitatis & humanitatis Chriſti ſicut Joannes. Nam reliqui non tranſierunt per centrum æternitatis Chriſti quoad naturam divinam, ſicut tranſivit Joannes, ſed ſolum ſuperficialiter. Cedite ergo omnes Doctores Eccleſiæ, quia eſtis horizontes mobiles, & obliqui dependentes ab Horizonte immobili, & recto Joannis, à quo didiciſtis diviſionem hujus ſphæræ. *Cui enim Theologorum &c.*

Cedat Petrus; Nam eſto ante Joannem manifeſtaverit diviſionem, & conjunctionem harum duarum naturarum divinæ ſcilicet & humanæ in Chriſto, tamen non fuit circulus horizontis adeo grandis, ſicut fuit Joannes, quia Joannes tranſivit per centrum æternitatis Chriſti, per quod non tranſivit Petrus. Hinc Origenes. *Petrus Chriſtum Deum, & hominem jam factum cognoſcens, & dicens: Tu es Chriſtus filius Dei vivi, altiſſimè volavit. Sed Ioannes altius illo qui eundem Chriſtum de Deo ante omnia tempora genitum intellexit dicens: In principio erat verbum.* *Vbi ſup.*

Cedat etiam Paulus, qui ut divideret, & propalaret manifeſtius hæc duo Hemiſphæria, volavit uſque ad tertium cælum, nam major fuit circulus Joannis, qui gyravit ſe per omnes cælos, & totũ paradiſum *O B. Paule*, inquit Origenes citatus, *raptus es, ut tu ipſe dicis, in tertium cælum, ſed non es raptus ſuper omne cælum, & paradiſum. Ioannes omne cælum conditum, omnem creatum paradiſum tranſgreditur.* Joannes igitur jure merito debet vocari Horizon rationalis, & major ac eminentior cunctis aliis, velut ille, qui perfectius & ſubtilius pertranſiens punctum æternitatis Dei, diviſit hanc nobiliſſimam ſphæram Chriſti in duas portiones æquales, & ideo Joannes debet vocari pluſquam homo. Quamvis ergo dicat Origenes, Paulum raptum ad tertium cælum cognoviſſe perfecte conjunctionem horum duorum Hemiſphæriorum, tamen non erat ſufficiens ad illa manifeſtanda, quia erat homo. *Audivit arcana verba quæ non licet homini loqui*, ſed Joannes raptus eſt ſupra omnes cælos, nec ſolum cognovit perfectè hæc duo hemiſphæria, ſed & illa potuit manifeſtare toti mundo. *Ioannes intimè &c.* Ergo *Ioannes non erat homo, ſed plus quam homo.*

Sed quomodo ego miſer tam tarde moveor circa hunc circulum horizontis Joannis. Ut tantum cognoſcam eum rationalem, adeoque majo-

majorem omnibus aliis Doctoribus Ecclesiæ, & quidem ipso Paulo, & prædicem eum plusquam hominem, & non plus ultra? Nonne est verum ô glorioſiſſime Apoſtole, te adeò ſuperaſſe conditionem humanam tuo ſubtili ingenio, ut attigeris angelicam, & apparueris Angelus Paradiſi, non quidem ex infimâ, ſed ex ſuprema Hierarchiâ?

Scriptura. *Lib. 1. adverſus Iovinianum tom. 2.*

VI. Scitis (NN.) hunc Evangeliſtam ſignificari per aquilam, eumque ab aliis Evangeliſtis per hoc diſtingui, & hinc S. P. Hieron. laudans hunc Angelicum Prophetam, præfert ejus Evangelium Evangeliis reliquorum. *Ejus Evangelium multum diſtat à cæteris.* Quod ſi cupiatis ſcire cur Joannes præferatur reliquis Evangeliſtis, cum tamen ii, ſicut & Joannes tantum compendiosè narrent vitam, miracula, paſſionem, & mortem Chriſti? Reſpondebit Hieronymus *Quia Ioannes noſter, ut aquila ad ſuperna volat, & ad ipſum patrem pervenit dicens; in principio erat Verbum, & verbum erat &c.* Hic valdè curioſus quæro, cur hoc privilegium non fuerit conceſſum aliis Evangeliſtis: Cur non fuit data iis hæc gratia, ut tam altè volarent? Quod ſi aliis Evangeliſtis noluit permittere, ut tam altè volarent, cur hæc cognitio non fuit data S. Petro? Petrus tanquam caput collegii Apoſtolici, tanquam ſenior, tanquam Vicarius Chriſti, meo judicio debebat reliquos Apoſtolos longe præcellere in cognitione myſteriorum fidei magis reconditorum, & ſingulariter in cognitione Dei unius in eſſentia, & Trini in perſonis, æqualitatis Filii cum Patre, æternitatis, conſubſtantialitatis ejuſdem cum Patre, uti demonſtrat Joannes in principio ſui Evangelii.

Scio S. P. Hieronymum à longe prævidiſſe hanc difficultatem, & dixiſſe *Expoſuit virginitas, quod nuptiæ ſcire non poterant:* Ac ſi dixiſſet: Verum quidem eſt Petrum velut caput collegii Apoſtolici, Vicarium Chriſti, fundatorem Eccleſiæ, debuiſſe præ reliquis imbui his altiſſimis myſteriis, ut illa alios doceret, & idem eſt de reliquis Apoſtolis, & Evangeliſtis, cum & hi debebant eſſe magiſtri gentium & de facto habuerint cognitionem horum myſteriorum, quamvis non adeò perfectè. Sed hoc non eſt mirum; nam eorum intellectus non erant dotati tantâ capacitate, erant ingenia magis rudia, adeoq; minus capacia veritatis tam profundæ;

Bignoni Sanctorale.

nam cum eſſent uxorati, Amor, & affectus erga uxores illos impediebat, & affigebat rebus terrenis. Porro Joannes erat Virgo, à reliquis omnibus erat expeditus, totus adhærebat Deo, & ſic non eſt mirum, quod tam alta cognitione fuerit dotatus. *Expoſuit Virginitas &c.*

Verum S. Hieronyme, hæc reſponſio mihi non ſatisfacit, quia reliqui etiam Apoſtoli poſtquam ad Apoſtolatum vocati ſunt, deſpexerunt omnia terrena, & mulieres reliquerunt. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te:* ita ut miſſis omnibus terrenis affectibus, totique immerſi Deo, fuerint capaciſſimi horum myſteriorum ſicut ipſe Joannes. Et quamvis fuerit Virgo, tamen habuit Patrem, & matrem, quibus poterat eſſe affectus. Quomodo ergo ipſi præ reliquis fuit data tam clara & profunda cognitio abditiſſimorum myſteriorum? O Chryſologe ſancte, quam tibi ſum hoc mane obligatus. Nullum eſt dubium (NN.) quin Joannes fuerit pluſquam homo, imò Angelus Paradiſi. Ad capienda quippe myſteria tam alta, non ſufficiunt ingenia humana, ſed requiritur intellectus Angelicus. Et quia Joannes per illabatam ſuam puritatem, & Virginitatem attigerat ſubtilitatem intellectuum Angelicorum, ideò ipſe præ aliis fuit ſublimatus ad tam claram & perfectam cognitionem divinorum ſecretorum. Valdè bene Chryſologus loquens de virginitate Joannis. *Per hanc Ioannes ſit Angelus in carne, cæleſtis in terrâ, & totam ſolus capit, tenet, & complectitur Trinitatem.* Non poterat dici melius. *Ser. 43.*

VII. Sed quæſo vos, aſſociemus nos paruper Angelicis turmis. Patres Theologi, vos dum diſcurritis de Angelis, docetis non omnes æqualiter cognoſcere res ſed unum cognoſcere plura, quam alium, ita ut Angeli inferiores non cognoſcant tanta, quanta Angeli ſuperiores, cujus ratio eſt. Quantò enim Angeli ſunt ſuperiores, tantò ſunt Deo proximiores, & conſequenter perfectiores non ſolum in eſſe ſpecifico, & quiditativo, ſed & cognitione. Hinc D. Thomas: *Illi qui ſunt Deo propinquiores, ſunt etiam perfectiores, gradu, & ſcientia clariores, nam ſicut ordinatur cauſa ad cauſam, ita ordo ad ordinem;* Nam cauſa inferior non influit in ſuperiorem, benè tamen econtra, & ideo Angeli, qui illuminantur ſunt inferiores, imperfectiores, remotiores à Deo, quàm Theologia. *1. Parte q. 106. art. 6*

quàm illuminantes, ita ut ſi Angelus inferior vellet devenire in cognitionem alicujus ſibi ignoti, cogniti tamen ab Angelo ſuperiore, deberet conſulere ſuperiorem, ut illud ſibi manifeſtaret, & hæc manifeſtatio propriè vocatur illuminatio.

Supra art. 1. ad primum.

Nunc quæritis; cum omnes Angeli videant eſſentiam divinam per lumen gloriæ, quod à ſolo Deo poteſt produci, quomodo Angelus ſuperior poſſit illuminare inferiorem, & ſpecialiter circa quæ myſteria ſupernaturalia hoc poſſit fieri? Et reſpondet D. Thomas, & cum eo Theologi: *Omnes Angeli tam ſuperiores, quam inferiores immediatè vident divinam eſſentiam. Et quantum ad hoc unus non docet alium.* Dicitur ergo Angelus ſuperior illuminare inferiorem eatenus, quatenus Angelo inferiori manifeſtat aliqua, quæ hic non videt in eſſentia divina, videntur tamen ab Angelo ſuperiore; nam ille qui videt perfectius Deum, ille etiam in Deo videt plura objecta, quàm is qui videt imperfectè: Atqui Angeli ſuperiores perfectius vident Deum, quam inferiores ergo. Et hinc inferiores illuminantur à ſuperioribus, ſicut diſcipulus docetur à magiſtro, qui ea quæ clarius cognoſcit, explicat, declarat, & diſtinctè, ac particulariter tradit diſcipulo. Et hinc Angelus ſuperior confortat intellectum inferioris, nam res minus perfecta confortatur à præſentiâ perfectioris. Hinc Dionyſius Areopagita. *Theologi planè monſtrant cœleſtium ſubſtantiarum motus à ſupremis mentibus doceri Deificas ſcientias. Vnaquæque ſubſtantia intellectualis datam ſibi à diviniore uniformem intelligentiam propriâ virtute dividit, & multiplicat ad inferioris ſurſum ductricem Analogiam.*

Cap. 7. cœleſtis Hierarchiæ, cap. 15.

Obſervandum porrò, Angelos inferiores illuminari circa ſtatum Eccleſiæ militantis, & ſalutem electorum. Et hoc à Deo manifeſtantur Angelis ſuperioribus, & fortè ſupremo illo fine, ut manifeſtentur inferioribus ordinatè uſque ad Angelum infimum. Quod ſi ergo velis ſcire, an aliquis Angelus ſit ſuperior, vel inferior, debes attendere ad illuminationem, nam ſupremus illuminat alios, non tamen illuminatur, medii illuminantur à ſuperioribus, & illuminant inferiores, infimi autem tantum illuminantur.

Applicatio.

VIII. Nunc ad Joannem. Joannes vocatur à S. Doctoribus Angelus. *Animadverte* inquit Origenes de hoc Apoſtolo loquens *Angelum divinum*, Angelus non naturâ, ſed gratia & ſpecialiter per Virginitatem. Hinc Chryſologus *Per hanc Ioannes ſit Angelus in carne.* Joannes fuit Angelus per cognitionem divinorum myſteriorum, quia altiora & ſublimiora myſteria gratiæ ſcilicet incarnationem verbi, æternitatem illius, unionem hypoſtaticam naturæ divinæ cum humanâ, non ſolum perfectiſſimè cognovit. *Et Verbum caro factum eſt,* ſed & myſterium profundiſſimum Trinitatis perſonarum in unicâ ſolâ eſſentiâ. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* Creationem etiam agnovit omnium rerum per Verbum. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Fuit Angelus illuminans totam Eccleſiam militantem, & falce ſuæ doctrinæ deſtruxit, & præſcidit omnia capita Hydræ, quæ in Eccleſia inſurrexit adverſus verbum divinum, ut notat S. P. Ambroſius: Nam dicens *In principio erat Verbum,* compeſcuit Arium docentem verbum non eſſe ab æterno. Addens *erat apud Deum,* proſtravit Sabellium, qui verbum non diſtinguit à Patre. Dicens *Et Deus erat Verbum* convicit Photinum, aſſerentem Verbum hoc conſiſtere in prolatione ſermonis. Dicens *Erat in principio apud Deum,* demonſtrat contra Eudoxium, & Eunomium unitatem eſſentiæ in Patre, & Filio. Tandem ſubdens, *Omnia per ipſum facta ſunt,* declarat contra Blaſphemiam Manichæi verbo omnia creavi. Meritò ergo dicimus Joannem fuiſſe Angelum, qui totam illuſtravit Eccleſiam militantem. Sed quid dico militantem, ſi meritò poſſimus dicere, quod illuminaverit ipſos Angelos? Hinc Chryſoſt. in Prologo Evangelii Joannis. *Planè conſtat ipſos Angelos ſummâ cum attentione ejus ſe Auditores exhibere, nobiſcum enim Angeli didicerunt, quæ ignoraverunt.*

Ioan. 1.

Lib. 1. de fide SS. Trinitatis

Vbi ſuprà.

Sed quales ô glorioſiſſime Chryſoſtome hi fuerunt Angeli, qui tanta didicerunt à Joanne? An forſan Angeli infimi Ordinis, & Hierarchiæ? An forſan Angeli Hierarchiæ ſecundæ & primi eorum? Altius aſcendit Joannes, nam à Deo immediatè doctus illuminavit Cherubinos, Seraphinos, & alios ex ſuprema Hierarchia. Hinc Chryſoſtomus: *nihil nobis humanum ſed à ſpiritus ſancti profundis, & abditis Theſauris omnia proloquitur, quæ neque Angeli, priuſquam*

his

hic diceret, noverunt. Namq; & ipſi nobiſcum, per Ioannis vocem, & per nos didicerunt, quæ cognovimus, & quod nobiſcum B. etiam Paulus his verbis ſignificavit, ut innoteſcat principatibus, & poteſtatibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei. Si igitur principatus & poteſtates, Cherubin quoque & Seraphin hæc per Eccleſiam didicerunt, plane conſtat, ipſos Angelos ſummâ cum attentione ejus ſeſe auditores exhibere.

O glorioſiſſime Evangeliſta, & Angele Paradiſi, cum illuminaveris non ſolùm homines, ſed & Angelos, non ſolùm inferiores, ſed & ſuperiores & altiores, principatus, poteſtates, Cherubinos & Seraphinos, cur non dicam, quòd ſubtilitate tui intellectus attigeris conditionem Angelorum, ſupremiſque Angelis in miniſterio æqualis fueris? Si enim ſuperiores illuminent inferiores, & tu illuminaveris Cherubinos & Seraphinos, fueriſque illuminatus à ſolo Deo, cur non dicam, te non tantùm eſſe iis æqualem, ſed & quòd præeas ſuperiores Angelorum?

Dicamus ergo, quòd tu & non Petrus tam ſublime volaveris per tuam puritatem virginalem, ut attigeris cognitionē Dei unius, & trini. Dicamus quòd tam altè volaveris, ut pervenetis ad altiorem Hierarchiam, cognoſcendo hoc ineffabile myſterium per tuam Angelicam Virginitatem. Dicat Chryſologus: *Per hanc Ioannes ſit Angelus in carne cæleſtis in terra, & totam ſolus capit, tenet, amplectitur Trinitatem.*

Sed hic volatus eſſet nimis profundus ſubtilitate tui ingenii, ſi altius non volaſſes, & ſupergreſſus eſſes conditionem Angelicam, Deoque factus ſimilis.

Scriptura. *Ioan. 21.* IX. Nec ipſemet Ioannes permittit me mentiri, cujus teſtimonium eſt omnium exceptione majus; ſic enim de ſe perhibet: *Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc, & ſcimus, quia verum eſt teſtimonium ejus.* Hæc refert, ſibi à Salvatore moriente commendatam fuiſſe ſanctiſſimam Virginem, ſeque ab illius putiſſimæ animæ ſeparatione à Chriſti corpore tantam Virginis habuiſſe curam & tutelam, ac ſi nil pretioſius poſſideret. *Ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.* Subintrat hic S. P. Ambroſius, & curioſus quærit, accuratè ponderando tò *in ſua.* Quomodo glorioſiſſimus Evangeliſta potuerit affirmare, ſe admiſiſſe Virginē inter ſua pretioſiora? Quid poſſides, quod tuum eſt, cùm ſequendo Chriſtū, patrem, matrem, retia, ſcapham, & omnia tua reliqueris? Quid tibi remanſit, cùm factus totus cæleſtis orbaveris te omnibus terrenis, imò & ipſo affectu erga mundana? *Quæ ſua habebat Ioannes, qui mundana & ſæcularia nē habebat, quia de mundo non erat.* Si diciſſes: *Accepit eam diſcipulus in ſuam*, non miraret; cùm enim Chriſtus tibi reliquerit ſanctiſſimam Virginem veluti tuam matrem, *Ecce mater tua* diciſſes, quòd illam in tuam matrem acceptaſſes, ſicut & feciſti, & hinc, ut hanc tuam acceptationem orbi notificares, ratio exigebat, ut diceres te acceptaſſe eam *in tuam*, & non *in tua*, quia neutrum demonſtrat, quòd præter hunc pretioſiſſimum Theſaurum Deiparæ plura poſſederis, imò hoc neutro genere ſignificas, reliqua tua æquivalere in pretio, huic incomparabili theſauro Virginis ſanctiſſimæ. Sed quidnam tam pretioſi poſſediſti poſt ſequelam Chriſti nudi, ut illud comparare poſſis Virgini. *Quæ ſua habebat, &c.* *Ambr. in exhort. ad Virg.*

Divinè Ambroſius: *Boni Verbi, ſapientiaque poſſeſſor, bonus receptor gratiæ.* O quàm bene *Boni verbi, &c.* Scitis, quid pretioſi poſſederit Joannes præter Deiparam? Poſſidebat Verbum Patris, ſapientiam increatam, gratiam divinam, res pretioſiores cæli, unde ut iis annumeraret Virginem ſanctiſſimam, ideo dixit, *Accepit eam, &c. Bonus Verbi, &c.* Et quamvis dicendo *in ſuam* non erraſſet, ſed exactè reſpondiſſet commiſſioni ſibi impoſitæ à Chriſto, *Ecce Mater tua*, ut eam ſcilicet haberet pro ſua matre, demōſtraſſet nihilominus, ſe nil pretioſius poſſidere, quam ipſam Virginem. Ideo dixit *In ſua*, ut ſignificaret, ſe præterea in anima ſua & intellectu poſſidere Verbum divinum, & ſapientiam Patris, ac ſi eſſet totus transformatus in ipſum Filium Dei, quem tam abſoluto dominio & authoritate poſſidebat. *Bonus Verbi, &c.* Poſſidebat Verbum in ſuo acutiſſimo intellectu, poſſidebat æternam ſapientiam, ſic ut videretur ſubtilitas ejus ingenii tam altè volaſſe, ut ſciret & cognoſceret omne id, quod continebat Verbum & ſapientia Patris.

Ioan. 19.

Philoſophia. X. Sed quæſo vos Philoſophi, ne me deſeratis, ſed mecum hunc locum nobiliſſimum Scripturæ illuſtrate. Vos doceris, in qualiber cognitione noſtra intellectum debere fieri ſimilem objecto. *Cognitio fit per aſſimilationem, cognoſcens debet eſſe ſimilis cognito.* Ita ut per

hanc ſimilitudinem virtus intellectiva transformetur in objectum cognitum. & dici poſſit intellectum fieri objectum ; & quò ſimilitudo eſt perfectior, eò etiam eſt perfectior transmutatio cognoſcentis in objectum cognitum.

Sed quomodo per vitam veſtram ſit dicta ſimilitudo, & transformatio ? Quomodo eſt neceſſarium, ut cognoſcens aſſimiletur objecto cognito ? Vos reſpondetis, potentiam cognoſcitivam cum in ſe ſit indeterminata, ad hoc ut determinetur ad hoc objectum præ illo cognoſcendum, debere determinari ab hoc objecto, alias nil cognoſceret. Explico : Oculus verbi gratia poteſt videre ovem, vel bovem. Ut videat ovem, & non bovem debet determinari ab ove, & non bove ; atqui hæc determinatio non poteſt fieri ab ove, quia hæc eſt extra oculum, & ab illo diſtat, ergo debet fieri à ſimilitudine ovis in oculo. Et quia forma dat eſſe rei, ideò ſuo modo oculus transformatur in ovem à ſe viſam, non ſecundum eſſe reale, ſed intentionale: Hoc modo dicitis. Oculus habens ſpeciem ovis, eſt ovis in eſſe intentionali, ſicut materia quæ informatur à forma ovis, eſt ovis naturalis.

Eodem modo dicitis intellectum potentiam cognoſcitivam, cum in ſe ſit indeterminatus ad hoc vel illud cognoſcendum, ad hoc, ut illud objectum cognoſcat præ alio, debere determinari ab objecto, hæc autem determinatio cum nequeat fieri ab objecto materiali, quod eſt extra intellectum, debet fieri ab imagine objecti receptâ in ipſo intellectu, & per hanc receptionem intellectus transformatur in objectum cognitum. Hinc Ariſtoteles *Intellectus ſit omnia. Intellectus in actu eſt ipſum intellectum in actu, ſcilicet res intellecta* ; Neceſſe eſt igitur oculum ſive corporalem, ſive ſpiritualem debere per ſpeciem objecti aſſimilari objecto, ac in illud transformari.

Applicatio. II. Nunc ad Evangeliſtam: *Ex illa hora &c.* Intellectus hujus glorioſiſſimi Apoſtoli fuit tam acutus, ut clariſſimè viderit Deum, ſicut eum vidit Moyſes & Paulus, prout S. Doctores communiter affirmant, & hæc gratia debebat illi concedi, quia futurus erat magiſter gentiũ. Præterea cum Joannes debuerit eſſe Magiſter totius Eccleſiæ, imò & ipſorum Angelorum, quibus debebat referre profundiſſima myſteria divina, conſequenter debuit videre, & cognoſcere Deum clarius, & perfectius, quàm alii omnes, qui ab eo fuerunt inſtructi, & ideò vidit divinam eſſentiam, ejuſque unitatem cum Trinitate perſonarum. Et quia vidit Deum ſicut eſt, ideò ad ſtuporem benè dixit Origenes : *Ioannes puriſſimo mentis acumine ſubvectus in ea, quæ ſuperiora ſunt ſecreta videlicet unius eſſentiæ in tribus perſonis ingreſſus eſt.* Sed quomodo amabo ſubtiliſſime Evangeliſta, intellectus tuus potuit tam altè volare. Nonne verum eſt, inter potentiam cognoſcitivam, & objectum debere eſſe talem proportionem, & ſimilitudinem, & ſint ejuſdem ordinis, nec unum exeedat aliud ? Nonne pariter verum eſt eſſentiam divinam eſſe infinitam, & increatam, tuum intellectum verè finitum, & creatum ? Quomodo ergo intellectus tuus adeò diſſimilis eſſentiæ divinæ potuit hanc cognoſcere, & quidem unam in tribus perſonis ? *Hom. 1. ex variis in Evang. Tomo 3.*

O ſtupor cæli ! Verum eſt id non potuiſſe fieri, quamdiu intellectus tuus ſtitit intra limites naturæ. Sed quia Deus voluit te ſcire tam ſublime ſecretum, ſcilicet divinam eſſentiam reperiri in tribus perſonis, ideò per lumen gloriæ ſublevavit intellectum tuum à ſua vilitate ; ſed quia hoc ſolum lumen non ſufficiebat, ſed præterea exigebatur, quod determinaretur à ſpecie objecti rate viſi, nec ad hoc ſufficiens eſſet ſimilitudo creata, ideò ipſamet eſſentia divina tanquam ſpecies intelligibilis ſeſe univit tuo intellectui, & quia illa repræſentat Deum, ſicuti eſt unum in eſſentia, & trinum in perſonis, idcirco tam clarè & diſtinctè vidiſti, & cognovisti hoc myſterium profundiſſimum, quod alii non viderunt, ſed tantum ſimpliciter crediderunt. Verum ſi juxta omnes, intellectus per creationem ſpeciei objecti transformetur in ipſum objectum, cum tu receperis in tuo intellectu ipſam divinam eſſentiam tanquam ſpeciem intelligibilem, cur non dicam te eſſe transformatum in Deum, huicque ſimilem factum, eò quod tuus intellectus adeò evectus ſit ſupra conditionem humanam & Angelicam ? Nec permittit me maledicere, ſed valdè conformiter ad veritatem Origenes, dum de hoc S. Evang. loquens perfectiſſimè confirmat meum conceptum. *Situque Theologus in Deum tranſmutatus, veritatis particeps, Dei verbum ſubſiſtere in principio pronuntiat. Hoc enim aliter potuit aſcendere in Deum, niſi prius fieret Deus.*

Dicat

Dicat ergo liberè Ambr. te fuiſſe profeſſorem Matiæ, cùm fueris poſſeſſor ipſius Verbi divini, & divinæ ſapientiæ, cujus imaginem tam perfectè recepiſti, ut te transformarit in ipſum Deum: *Bonus verbi, &c.*

Verùm enimverò, videor à me necdum meo reverendiſſ. affectui devotionis meæ totaliter ſatisfactum, niſi addam alium conceptum, quem credo meritiſſimè deberi eminentiæ intellectus tui transformati in Deum.

Scriptura. *Ioan. 3.*

XII. Agens noſter S. Evang. de ultima cœna, iiſque quæ in illa contigerunt, inter cætera hæc quoque habet: *Erat autem recumbens unus ex diſcipulis ejus in ſinu Jeſu, quem diligebat Jeſus.* Nullum eſt dubium, quin ipſe Joannes hic fuerit, de quo loquitur, quamvis in tertia perſona. Hic ſiſto (N. N.) ut hunc locum Scripturæ, & hoc factum admiratione dignum ponderem. Quomodo amabò Joannes tam ſit liber & familiaris, ut ſeſe reclinet in ſinu Chriſti? In picturis repræſentantibus ultimam cœnam, videmus Chriſtum accubuiſſe in medio diſcipulorum, & ad latus dextrum, ſicut & ad ſiniſtrum unum Apoſtolum: porro an Joannes ſederit ad dextrum latus Chriſti, an ad ſiniſtrum, non facit ad meum propoſitum, quia id, quod ſingulariter obſervo, eſt, quòd diſcipulus ſedens ad aliud latus Chriſti non videatur vel legatus recubuiſſe in ſinu Chriſti. Sed cur ſolus Joannes, & nemo alius recubuit in ſinu Chriſti? An forſan dicetis cauſam eſſe, quòd Joannem præ omnibus dilexerit, quam cauſam & ipſe inſinuare videtur, dum ſcribit: *Quem diligebat Jeſus?* Non acquieſco, quia actus ſingulatis amoris exhiberetur Joanni, ſi reclinare permiſſus fuiſſet ſuper humeros, brachia, vel manus Chriſti, imò acclinare & recumbere in ſinu Salvatoris, & filii Dei, videtur mihi ſignum nimiæ familiaritatis & libertatis, cùm ipſa reverentia debita magiſtro, Domino & Filio Dei videbatur exigere, ut Joannes diſcipulus ſubditus, & ſervus Chriſti, ſtaret retrò Chriſtum. Quòd ergo reclinet in ſinu, videtur mihi nimis temerarium, & objurgatione dignum; nam eſto eguiſſet quiete, tamen poterat ſe acclinare ejus humeris, brachiis, vel manibus? Cur ergo *in ſinu Jeſu?*

Non poſſum plene reſolvere hanc difficultatem, niſi recurram ad alium locum Scripturæ, recenſitum in ipſo Evangelio Joannis. Loquens hic Apoſtolus de Filio Dei, qui ſolus viderat Deum, quique recenſuit omnia, quæcunque vidit, dicit: *Deum nemo vidit unquam, ſed Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit nobis.* Inquirit in hoc loco S. P. Chryſoſtomus, cur non ſufficiat Evangeliſtæ dicere, hunc Unigenitum eſſe illum, qui ſolus vidit Patrem, ſed & præterea dicat, hunc Unigenitum quieſcere in ſinu Patris. *Unigenitus, &c.* *Ioan. 1. Hom. 14.*

Et divinè reſpondet Sanctus, per ſinum Patris intelligi mentem paternam, ſubſtantiam & quidditatem eſſentialem ipſiuſmet Patris. Volens itaque Joannes oſtendere, Unigenitum Dei non eſſe ſervum, nec debere recenſeri inter creaturas, prout aſſerebant Ariani, ſed potiùs eum eſſe Filium Dei, ejuſdemque ſubſtantiæ cum Patre, productum ab æterno à fœcundiſſimo intellectu Patris, Patri coæqualem, æternum Creatorem, omnipotentem ſicut Patrem, ideo dicit eum quieſcere in ſinu & mente Patris: *Unigenitus, &c.* Recubare ſiquidem in ſinu Patris, eſt ſignum tantæ familiaritatis, gratia tam eximia, ut non conveniat ſervis, nec hominibus vulgaribus, ſed filiis, & iis, qui ſunt ejuſdem naturæ & ſubſtantiæ cum Patre. *Non diverſam ſubſtantiam in ſinu haberet Pater, ſed neque ipſe auderet, ſi ſervus eſſet, ſi unus ex multitudine eſſet, in ſinu Domini verſari, hoc namque filii eſt, qui multum genitori confidit.* *Chryſoſt. hom. 24.*

Nunc ſic diſcurramus: *Ioannes recubuit in ſinu Jeſu.* Actus, quem nullus aliorum auſus eſt tentare, ergo Joannes adeo ſuper alios eſt evectus, ut videatur fuiſſe quaſi Filius Dei, æqualiſque Verbo Incarnato, & divinæ ſapientiæ, quæ quieſcit in ſinu & mente paterna. *Sed neque ipſe auderet, ſi ſervus eſſet, ſi unus ex multitudine eſſet in ſinu Domini verſari, hoc namque filii eſt, qui multum genitori confidit.*

XIII. Porro quia jam tractamus de ſinu, mente, & intellectu Patris, quæſo vos Philoſophi mihi ſuccurrite. Edicite amabo, quid cenſetis de intellectu agente adeo celebrato in veſtris ſcholis. Omitto Durandum, Iſaacum Philoſophia.

Dur. in 2. ſent. d. 3. q. 5. ſophum Narbonenſem, & alios antiquiores Philoſophos, relatos ab Alberto Magno, qui è ſcholis & mundo hanc nobiliſſimam facultatem proſcripſerunt, & adhæreo iis, qui eam admittunt tanquam neceſſariam, eſto diverſimodè loquantur.

Alb. ſum. de hom. q. de intellect. agent.

Plotinus duas admiſit in nobis ſubſtantias, unam, quæ ſemper intelligit, & hanc voluit eſſe intellectum agentem, alteram, quæ aliquando ceſſat ab intelligendo, & hanc aſſeruit eſſe intellectum poſſibilem.

Plutarchus & Philoponus dixerunt, intellectum agentem nil aliud eſſe, quàm ipſam animam, quæ dum intelligit, vocatur intellectus; voluerunt itaque contra Plotinum intellectum agentem non diſtingui ab anima.

Tota nihilominus Peripateticorum ſchola ſemper docuit, intellectum agentem eſſe potentiam animæ noſtræ ab intellectu poſſibili diſtinctam, non quòd producat intellectionem, ſed quòd illuminet ſpecies noſtræ phantaſiæ, eoſque purificet à conditionibus individuantibus, eaſque reddat univerſales, & hæc eſt veriſſima opinio.

In Epiſt. de lumine. Averroës in l. de beatit. anim. c. 5. 9. metaph. c. 4. l. 6. de reſpul.

Hoc non obſtante, Avempace, Averroës volunt, intellectum agentem eſſe ſubſtantiam quandam ſeparatam, per quam omnes homines intelligant, & quam Avicenna vocat Colcodæam.

Alexander tandem docuit, intellectum agentem eſſe intellectum univerſalem, formatorem omnium rerum, qui omnia ſemper intelligit, ita ut ſit ipſe Deus. Ab hac opinione non multum abfuit Plato, docens intellectum agentem eſſe inſtar Solis, qui emittendo radios ex Sole, illuſtret animas noſtras. In eandem incidit Priſcianus Lidus, affirmans intellectum agentem eſſe mentem primam, divinam & Idæam boni. Quòd ſi hi Philoſophi magni in bono ſenſu explicentur, quis Theologus poterit negare, Deum eſſe intellectum agentem, & intellectum agentem eſſe Deum?

Ariſtoteles tamen negat contra Alexandrum, intellectum agentem continuò operari; nam ſi ſic eſſet, ſoli Deo competeret talis perpetua operatio, qui in bona Theologia ſemper ſe ipſum intelligit. Quòd ſi Philoſophus velit, actionem intellectus agentis non diſtingui ab hujus ſubſtantia, nonne hoc competit Deo, in quo tantum operari eſt ejus eſſe. Si idem Philoſophus doceat, munus intellectus agentis eſſe omnia facere, quis omnes creaturas produxit, & producet niſi Deus? Videte ergo, an non ſit veriſſima opinio Alexandri, ſi bene intelligatur?

XIV. Nunc ad Joannem: *Erat unus, &c.* Hic eminentiſſimus Theologus & Evangeliſta fuit intellectus agens Eccleſiæ Dei. Intellectus agens; nam ſi hic juxta Averroëm & Avicennam eſt ſubſtantia immaterialis, ſpiritualis, & ſeparata ab iis, qui intelligunt, an non Joannes fuit totus immaterialis, ſpiritualis, totus avulſus à rebus mundanis, & ſuperior non ſolùm hominibus, ſed etiam ipſis Angelis? Edicat id Origenes: *Omne cælum conditum, omnem creaturam Paradiſum, hoc eſt, omnem humanam Angelicamque tranſgreditur naturam.* Quòd ſi intellectus agens prægrediendo omnia creata ſit ille, per quem non ſolùm homines, ſed & ipſi Angeli intelligunt & cognoſcunt; per quem & à quo tam Eccleſia militans, quàm triumphans didicit tot myſteria divina adeo ſecreta & profunda, tot cæleſtes & reconditas doctrinas, niſi à & per Joannem? Id confirmat Chryſoſtomus: *Nobiſcum ergo Angeli didicerunt, quæ ignoraverunt.* Sed à quo & per quem ipſi & nos didicimus, niſi, ut inquit Chryſoſtomus, *Per Joannis vocem?* Quòd ſi intellectus agens inſtar Solis irradiet cælum, illuminet mentes tam humanas quàm Angelicas, quis perfectiùs & clariùs illuminavit totam Eccleſiam Dei, quàm Joannes? Sic Chryſoſtomus: *Audiamus Joannem narrantem ea, quæ in cælo ſunt, & quæ nemo unquam antehac intellexit.*

Applicatio.

Hom. 2. ex variis in Evang. Joannis.

Tom. 5. prolog. in Joan.

Serm. 1.

O eminentiſſime Evangeliſta, ô cæleſtis Propheta, ô diviniſſime Apoſtole, cur ergo nos non dicemus, te fuiſſe intellectum agentem

rem omnium Theologorum, omnium fidelium, omnium hominum & Angelorum, quin imò totius Ecclesiæ Dei tam triumphantis, quam militantis, si hæc per te, & à te didicit, juxta Orig. *Abdita summi boni mysteria*? Sed quomodo ô intellectus agens potuisses cognoscere, intelligere & penetrare tam alta secreta, nisi fuisses factus alter Deus, nisi fuisses Deo immersus, & in hunc transformatus? Id dicat Origenes: *Non enim aliter potuit ascendere in Deum, nisi priùs fieret Deus.* Si ergo intellectus agens juxta Alexandrum sit Deus, dicamus cum Origene, te ex favore & privilegio speciali fuisse Deum, huicque similem factum, *Non enim aliter potuit ascendere, &c.* Ac si fuisses Mercurius cælestis, Minerva paradisi, sapientia cæli, intellectus æterni Patris, Verbum Dei, velut ille, *qui recubuit in sinu ejus. Hoc namque filii est, qui multum genitori confidit.*

Epilogus. XV. Sed quomodo ego cæca talpa, sepulta in abditissimis & profundissimis abyssis terræ, tenebris vestita & involuta, conjiciam oculos in clarissimam lucem Solis, si ipsæ regiæ & generosæ Aquilæ, si ipsi acutiores & generosiores oculi statim obnubilentur, & cogantur obtutus aliò divertere, & abstrahere ab hac luce divina?

Verùm tu potes gloriari, quòd firmissimè fixeris oculos in Sole lucidissimo divinæ essentiæ, dum fuisti Aquila non solùm aërea, sed & cælestis, à Deo sublevata ad cognitionem summæ veritatis, gratia tibi solùm concessa, quia tibi favit regia constellatio Capricorni Filii Dei. Sed si tam altè volasti, quis audeat te insequi; ex cujus oculis non evanescet, si instar Aquilæ cælestis penetres cælos impenetrabiles Divinitatis?

Conetur quantumvis Paulus sequi tua vestigia, & comparere instar horizontis, qui dividendo sphæram Christi in duo Hemisphæria, distinguat naturam humanam à divina; nam si res declaretur, apparebit, quòd sit horizon sensibilis & apparens, qui esto pertranseat superficiem terræ, non tamen transibit horizontem rationalem, sicut tu, qui non solùm sphæram Christi divisisti in duas portiones æquales, sed & penetrasti ipsum centrum æternitatis, ac ideo comparuisti major Paulo, & plusquam homo.

Conentur illi purissimi spiritus Angelici id facere, & quantumvis aptissimi sint ad penetrandas tes divinas, cùm sint ipsa puritas cæli, tamen tibi cedent, qui non solùm per tuam virginitatem fuisti Angelus in carne, nec solùm fuisti ex infima ac media Hierarchia ab aliquibus illuminatus, & alios illuminans, sed fuisti Angelus supremus, superior Principatibus, Potestatibus, Cherubinis, Seraphinis, & ideo plus quàm Angelus, quia immediatè illuminatus à Deo illuminasti supremam Hierarchiam Angelorum.

Si ergo supergressus sis conditionem hominum & Angelorum, cur mihi non liceat altiùs volare, & dicere, quòd sis similis Deo? Si quilibet intellectus per speciem repræsentativam objecti transformetur in ipsum objectum; cur non plenis buccis clamem tuum intellectum, postquam factus es possessor Verbi Dei, sapientiæ & essentiæ divinæ, esse similem ipsi Deo, in eumque transformatum, cùm transeunter tanquam speciem intelligibilem divinam essentiam receperis?

Privilegium tibi concessum, quo quievisti in sinu Verbi æterni, nil aliud mihi significat, quàm quòd ex gratia & favore specialissimo fueris conditionis divinæ; *Hoc namque filii est, &c.* Illud privilegium nil aliud mihi indicat, quàm quòd fueris intellectus agens militantis & triumphantis Ecclesiæ, quòd fueris illa substantia separata, illa mens divina, illa Idæa omnium bonorum, quæ nil aliud est, quàm ipse Deus, nil aliud mihi significat, quàm quòd fueris factus plus quàm homo, imò plus quàm Angelus, & quòd fueris par cum ipsa Divinitate, & comparueris quasi alter Deus.

Huc-

Hucuſque pertigi perorando, quamvis ſim talpa, amatrix tenebrarum, non per ſubtilitatem mei debiliſſimi viſus, nec per robur mearum alarum, quibus adeo ſum ſublevatus, ſed motus tuo favore, & ſacris Doctoribus; nam ſupra humeros horum volans, ungulas aquilæ veſtræ accepi tuum dignum trophæum, & oculos fixi in clariſſimum Solem tui divini intellectus, ſed tandem agnoſcens me talpam in tenebris nutritam, & tenebris veſtitam, dum non poſſum ſuſtinere tantum ſplendorem, cogor oculos deprimere verſus terram, & confugere ad tenebras ſilentii, te rogans glorioſiſſime Evangeliſta, me velis abſcondere ſub alis tuæ protectionis, & Deus vobis benedicat.

Laus Deo, Virgini immaculatè conceptæ, Seraphico Franciſco, & omnibus Sanctis.

Omnia hactenus dicta ſubjecta ſunto pedibus ſanctæ Matris Eccleſiæ.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTURÆ In hoc Sanctorali.

GENESIS.

CAP. 1. *ET spiritus Dei ferebatur super aquas, Elogium 13. num. 6. Elogium 35. num. 3*

Fecit Deus firmamentum, &c. Elogium 10. num 6

Faciamus hominem, &c Elogium 13. num. 3. Elogium 36. num. 3

2. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, Elogium 36. num. 3*

Sed fons ascendebat de terra, Elogium 25. num. 9

Immisit Deus soporem in Adam, Elog. 12. nu. 11. Elog. 3. num. 7

Et fluvius egrediebatur &c. Elogium 25. num. 9

Plantavit autem Dominus Deus paradisum voluptatis, &c. Elogium 6. num. 6

Lignum etiam vitæ in medio paradisi, Ibidem.

Formatis igitur Dominus Deus, &c. Elog. 10. num. 3

3. *Serpens decepit me, Elogium 2. num. 14*

Inimicitias ponam inter te, & inter mulierem, Elogium 35. numer. 11. & numer. 15

Cur præcepit vobis Deus, &c. Elogium 5. num. 3

Collocavit ante paradisum voluptatis, &c. Elogium 6. num. 6

Spinas & tribulos germinabit tibi, Elogium vigesimum nonum.

Maledicta terra in opere tuo, &c. Elog. 32. num. 9

Ipsa conteret caput tuum, &c. Elogium 35. num. 12

4. *Sed & Seth natus est filius, &c. Elogium 23 num. 12*

Factum est autem post multos dies, Elogium 26. num 6

6. *Non permanebit spiritus meus, Elogium 11. num. 5*

9. *Cùm vidisset Cham verenda patris sui, &c. Elog. 3. num. 6*

12. *Egredere de terra tua, &c. Elogium 17. num. 6*

22. *De autem tertiò elevatis oculis. Elog. 15. num. 3*

27. *Benedic etiam mihi pater mi. Elogium 16. num. 12*

28. *Vidit in somnis scalam stantem super terram, Elog 34. num. 12*

32. *Traductis omnibus quæ ad se pertinebant, &c. Elog. 17. num. 12*

Quæ cùm videret quod eum superare non posset. Elog 33. num. 9

35. *Vocavit nomen filii sui Benoni, &c. Elog. 10. num. 6*

39. *Cùmque vidisset mulier vestem, &c. Elog. 26. num. 12*

46. *Iacob venit ad puteum juramenti, &c. Elogium 31 num. 6*

48 *Isachar asinus fortis, Elog. 23. num. 6. Elog. 24. num. 12*

49 *Filius accrescens Ioseph, Elogium 23. num. 6. Elog 6. num. 2*

Congregemini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis, Elog. 23 num. 6.

EXODUS.

CAP. 3. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis, elogium 7. num. 3.*
Vadam, & videbo visionem, elogium duodecimum, num. 6
6. *Ego Dominus, loquere ad Pharaonem Regem, elogium 30. num. 15*
7. *Tulit Aaron virgam suam, &c. elogium 2. num. 12*
Elevans virgam percussit aquam, &c. elogium 9. num. 12
12. *Et edent carnes nocte illa, &c. elogium 16. num. 6*
15. *Omnipotens nomen ejus currus Pharaonis, &c. elogium 2. num. 11*
31. *Beselee, elogium 19. num. 8*
37. *Fecit ergo Beselel, &c. elogium vigesimum secundum, num. 12*

LEVITICUS.

CAP. 3. *Omnis adeps Domini erit, &c. elogium 10. num. 5*
12. *Mulier si suscepto semine peperit masculum, elogium 4. num. 5*

NUMERI.

CAP. 11. *Accensus in eos ignis Domini, &c. Elogium 7. num. 5*
20. *Cumque elevasset Moyses manum, &c. elogium 34. num. 3*
21. *Anima nostra jam nauseat super cibo isto, &c. elogium 5. num. 12*
22. *Cumque vidisset asina, &c. elogium nonum, num. 9*
23. *Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est Rhinocerotis, elogium septimum, num. 14*

DEUTERONOMIUM.

CAP. 4. *Dominus Deus tuus ignis consumens est. elogium 7. num. 5*
6. *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est, elog. 36. num. 15*
33. *Cornua Rhinocerotis cornua illius, elogium 7. num. 7*
Benedictio illius qui apparuit in rubo, &c. elogium 10. num. 11

JOSUE.

CAP. 2. *Sit civitas hæc anathema, &c. elogium 15. num. 6*

LIBER JUDICUM.

CAP. 5. *Stellæ manentes in ordine suo, Elogium 19. num. 2.*

PRIMUS REGUM.

CAP. 1. *Fuit vir unus de Ramathaim, Elogium 36. num. 15*
3. *Loquere Domine, quia audit servus tuus, elogium 36. num. 6*
16. *Unges quemcunque monstravero tibi, elog. 30. num. 3*
17. *Nunc vadam, & auferam opprobrium populi, elogium 39. numer. 9*

SECUNDUS REGUM.

CAP. 14. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur &c. Elogium 4. num. 5*
16. *Dixit ergo Achitophel ad Absalon, &c. elogium 26. num. 3*
18. *Porro Absalon erexerat sibi titulum, elogium 18. num. 12*

TERTIUS REGUM.

CAP. 2. *Petitionem unam parvulam ego deprecor à te, &c. Elogium 9. num. 6*
Pete mater mea, &c. Ibid.
Vivit Dominus, qui firmavit me, &c. elog. 10. num. 10
5. *Fecit quoque Salomon mare fusile, &c. elog. 37. num. 3*
Et labium illius erat quasi labium calicis. Ibidem.
6. *Domus autem cùm ædificaretur, &c. elogium 12. num. 9*

18. *Aſcende, & perſpice contra mare,* Elogium 27. num. 3
Ecce nubecula parva quaſi veſtigium hominis. Ibidem.

QUARTUS REGUM.

CAP 4 *Pater mi, pater mi currus, &c.* Elogium 23 num. 3
11. *Tollens autem Ioſaba filia Regis Ioram, &c.* Elogium 2. num. 6

JUDITH.

CAP. 16. *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus,* Elogium 4. num. 12

ESTHER.

CAP. 5. *Etiamſi dimidiam partem regni mei petieris,* Elogium 10. num. 6
Eſther placuit oculu illius, Ibidem.
25. *Ipſa autem roſeo colore vultum perfuſa.* Ibidem.

JOB.

CAP. 1. *Vir erat in terra Hus, &c.* Elogium 10. num. 3
2. *Excelſior cælo eſt, &c.* Elogium vigeſimum ſeptimum, num. 15
In nidulo meo moriar, & ſicut palma, &c. Elogium 18. num. 11
Porrò ad me dictum eſt verbum abſconditum, Elogium 14. num. 11
12. *Interroga jumenta, & docebunt te,* Elogium 14. num. 9
Si continuerit aquas, omnia ſiccabuntur. Ibid. num. 12
17. *Igitur omnes vos convertimini, &c.* Elogium 9. num. 3

PSALMI.

PSALM. 9. *Miſerere mei, vide humilitatem, &c* Elogium 32. num. 12
10. *Paraverunt ſagittas ſuas in pharetra,* elogium 8. num. 3
18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum,* elogium 35 num. 9
Exultavit ut gigas ad currendam viam, elogium 8. num. 5
A ſummo cælo egreſſio ejus, elogium primum, num. 5
Judicia Domini vera, juſtificata, elogium 5. num. 17
20. *Poſuiſti in capite ejus coronam, &c.* elogium 25. num. 15
23 *Attollite portas principes veſtras, &c.* elogium 12. num. 3. *Ibid.* num. 9
Dominus fortis, & potens, elogium undecimum, num. 5
26. *Legem pone mihi Domine,* elogium quintum, num. 8
32. *Verbo Domini cæli firmati ſunt,* elogium 8. num. 2 elogium 14. num. 6
33. *Benedicam Dominum in omni tempore,* elogium 36. num. 9
41. *Quemadmodum deſiderat cervus, &c.* elog. 12. num. 12
43 *In nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis,* elogium 2. num. 11
44. *Speciosus forma præ filiis hominum,* elog 8. num. 17
Audi filia, & vide, &c. elogium vigeſimum tertium, num. 9
Aſtitit regina à dextris ſuis, elogium trigeſimum quintum, num. 14
46. *Aſcendit DEVS in jubilo, &c.* elogium 11. num. 5
48. *Obumbraſti ſuper caput meum in die belli,* elogium 35. num. 12
Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, elogium 15. num. 12
59. *Iuda Rex meus: Moab olla ſpei mea,* elog. 21. num. 3
71. *Deſcendit ſicut pluvia in vellus.* Ibid. numer. 6.
92. *Dominus regnavit decorem induit,* elogium 38. num. 9

109. *Tecum principium in die virtutis tuæ, Festo Circumcisionis. num.* 12
120. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, Elogium* 3 *num.* 5
126. *Sicut sagittæ in manu potentis, elogium* 8. *num.* 3
134. *Educens nubes ab extremo terræ, &c. elog.* 31. *num.* 3
138. *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus. elog.* 36. *num.* 12
144. *Suavis Dominus universis, elogium* 7. *num.* 2
147. *Lauda Ierusalem Dominum, &c. elog.* 16. *num.* 3
Mittit crystallum suum, &c. Ibidem.

PROVERBIA.

CAP. 3. *Vagi sunt gressus ejus, elogium quartum num.* 12
Et cum simplicibus sermocinatio ejus, elogium 9. *num.* 6
8. *Mecum sunt divitiæ, opes superbæ, elogium* 21. *num.* 5
Ab æterno ordinata sum, elogium vigesimum septimum, num. 6
9. *Sapientia ædificavit sibi domum, elogium* 9. *num.* 6
Si quis est parvulus veniat, elogium nonum, num 6
18. *Peccator cùm in profundum venerit, &c. elogium* 1. *num.* 12
31. *Nobilis in portis vir ejus, &c. elogium* 11. *num* 12
Multæ filiæ congregaverunt, &c. elogium 25. *num.* 4

ECCLESIASTES.

CAP. 1. *Qui me invenerit, inveniet, &c. elog.* 9. *num.* 14

CANTICA.

CAP. 1. *Oleum effusum nomen tuum, &c. elogium vigesimum nonum, numero tertio, elog.* 2. *num.* 11
Iuda amabit quem diligit, &c. elog. 25. *num.* 6. *elog.* 33. *num.* 6
Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum. Ibidem.
Dum esset Rex in accubitu suo, elogium quartum, num. 9
Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, &c. elogium. 5. *num.* 9
2. *Ego flos campi, elogium vigesimum nonum, num.* 8.
En ipse stat post parietem, &c. elogium vigesimum octavum, num. 12
Nolite me considerare quod fusca sim. Ibidem.
Sub umbra illius, quem desideraveram sedi, elogium 2, *num.* 14
3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum elog.* 4. *num.* 6
Feretrum fecit sibi Rex Salomon, &c. elog. 4 *num.* 15
Venite, & videte filiæ Sion, elogium 11. *numer.* 12
4. *Capilli tui sicut greges caprarum, &c. elog.* 4. *num* 3
Sicut turris David collum tuum, elogium 4. *num.* 17
Vadam ad montem myrrhæ, elogium quintum, num. 9
Hortus conclusus soror mea, &c. elogium 21. *num.* 11
Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, elog. 21. *num.* 11
5. *Ego dormio, & cor meum vigilat, elog.* 12. *num.* 1. *elog* 2. *num.* 5
Caput ejus aurum optimum, elogium decimum nonum, num. 2
6. *Quæ est ista, quæ progreditur, &c. elog.* 30. *num.* 9. *elog.* 33. *num.* 9
7. *Quàm pulchri sunt gressus tui, &c. elogium* 4. *num.* 12
Umbilicus tuus crater tornatilis, elogium 7. *num.* 12
8. *Pone me ut signaculum, &c. elogium* 27. *num.* 9

SAPIENTIÆ.

CAP. 7. *Speculum sine macula Dei majestatis, elog.* 4. *num.* 8
Candor est lucis æternæ, speculum, &c. elog. 27. *num.* 12

ECCLESIASTICUS.

CAP. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, Elog. 13. num. 11*

21. *Quaſi à facie colubri fuge peccatum, Elog. 2. num. 9.*

24. *Quaſi Cedrus exaltata, &c. Elogium 25. num. 12.*
Quaſi plantatio roſæ in Iericho, Elogium 28. num. 9.
Ego quaſi vitis fructificavi, Elog. 10.

27. *Stultus ut Luna mutatur, Elogium 9. numero 11.*

ISAIAS.

CAP. 6. *Vidi Dominum ſedentem ſuper &c. Elog. 4. num. 15.*

8. *Velociter ſpolia, citò prædare. Elogium 2. numero 9.*

9. *Iugum enim oneris ejus, & ſceptrum exactoris. ibid. num. 5.*
Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, Feſto Circumciſionis, num 6.

10. *Væ Aſſur, virga furoris mei, Elogium 7. num 9.*

12. *Et erit in die illa, auferetur onus ejus, Elog. 29 num. 5.*

11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, Elog. 7. num. 9.*

18. *Ecce validus & fortis Dominus, Elog. 7. num. 11.*

19. *Ecce Dominus aſcendit ſuper nubem levem, Elog. 2. num. 3.*

24. *Et gravabit eam iniquitas ſua, Elog. 3. num. 11.*

45. *Rorate cæli deſuper, Elogium 7. numero 1.*

50. *Qui ſunt iſti, qui ut nubes, &c. Elog. 12. num. 8.*

JEREMIAS.

CAP. 1. *Virgam vigilantem ego video, &c. Elog. 31. num 3.*
Quia ego vigilabo ſuper verbo, &c. ibid.

2. *Cecidit corona capitis noſtri, &c. Elog. 29. num. 17.*

3. *Dabit percutienti ſe &c. Elogium 24. numero 3.*

31. *Omnes enim cognoſcent me, &c. Elog. 14. num. 3.*

EZECHIEL.

CAP. 1. *Similitudo autem vultus eorum, &c. elog. 8. num 15.*

37. *Hæc dicit Dominus Deus oſſibus his, &c. elog. 31. num. 12.*

38. *Ignem & ſulphur pluam ſuper eam, Elog. 7. num. 2.*

OSÆAS.

CAP. 14. *Ero quaſi ros, elogium 7. numero 2.*

JONAS.

CAP. 3. *Adhuc quadraginta dies, &c. elog. 15. num. 9.*

HABACUC.

CAP. 3. *Domine, opus tuum in medio annorum, &c. elog. 6. num. 16.*
Cornua in manibus illius, &c. elog. 7. num. 7. elog. 10. 28. num. 6.
Aſpexit, & diſſolvit gentes, &c. Ibidem numero 2.

ZACHARIAS.

CAP. 4. *Et educet lapidem primarium, elog. 4. num. 2.*

9. *Quid bonum ejus, & quid pulchrum ejus, elog. 16. num. 15.*

MATTHÆUS.

CAP. 1. *Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, elog. 6. num. 9 & 3.*

Cùm eſſet deſponſata Mater Ieſu, &c. ibid. num. 12.
Ioſeph autem vir ejus cùm eſſet juſtus, &c. ibid num. 5. & num. 16.
Ioſeph fili David, noli timere accipere, &c. elog. 6. num. 3. & num. 7.
Quod enim in ea natum eſt, &c. ibidem numero 8.
2. *Vbi eſt, qui natus eſt Rex &c. elogium 9. numero 9.*
Tolle puerum & matrem ejus, &c. elog. 2. num. 6.
Audiens autem Herodes turbatus eſt &c. elogium 2.
4 *Si Filius Dei es, mitte te deorſum, &c. elog 15. num. 12.*
Et acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei. Elog. 6. num. 7.
5. *Beati pauperes ſpiritu, &c. elog. 8. numero 9.*
Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros. elog. 9 num. 5.
6. *Quærite primùm regnum Dei, &c. elog. 12. num. 14.*
8. *Domine non ſum dignus, &c. elog. 30. numero 12.*
Et aſcendente eo in naviculam, &c. elog. 3. num. 12.
Infirmitates noſtras accepit, elog. 1. numero 59.
9. *Cùm tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem, &c. elog. 28. num. 9.*
Sequere me, elog. 8 num. 6.
16. *Vos autem quem me eſſe dicitis, elog. 13. num. 12 elog. 19 num. 3. ibid. num. 9.*
Tibi dabo claves regni cælorum, &c. ibid. &c. num. 12.
Qui vult venire poſt me, &c. elog. 21. numero 6.
17. *Domine, bonum eſt nos hic eſſe, &c. elog. 31. num. 9.*
Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, &c. elog. 39. num. 12.
19 *Ecce nos reliquimus omnia, elog. 12. num. 5. ibid. num. 8. elog. 13. num. 11.*
21. *Erunt ſicut Angeli Dei in cælo, elog. 6. numero 8.*
24. *Cælum & terra tranſibunt, &c. elog. 10. num. 6.*
26. *Statuet oves quidem à dextris, elog. 33. num. 6.*
16. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis? elog. 11 num. 6.*
Triſtis eſt anima mea, &c. elogium 16 numero 9.
Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat, &c. ibidem.
27. *Vt quid perditio hæc, &c. elog. 13. numero 9.*
Et projectis argenteis, &c. elogium 33. numero 3.
28. *Deſcendit Angelus de cælo, &c. elog. 16. num. 9.*

MARCUS.

CAP. 18. *Erant autem mulieres de longè aſpicientes &c. elog. 34. num 6.*
16. *Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum? Ibid. num. 9.*
Euntes in mundum univerſum prædicate, &c. elog. 8. num. 5.
In nomine meo dæmonia ejicient, &c. elog. 2. num. 14.
17. *Domine ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, &c. elog. 31. num. 9.*
Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida, &c. elog. 11. num. 4.

LUCAS.

CAP. 1. *Vocabis nomen ejus Ioannem, elog. 10. num. 8.*
Multi in nativitate ejus gaudebunt, elog. 18. num. 3.
Erit enim magnus coram Domino, ibid.
Ipſe præibit ante illum, &c. ibidem numero 15.
Miſſus eſt Angelus Gabriel &c. elog. 6. numero 12.
Ave gratiâ plena, elogium 35. numero 6.
Ecce concipies in utero, & paries filium, &c. elog. 7. & elog. 1. num 7.
Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, &c. elog. 18. num. 8.

Et vo-

Et vocabit nomen ejus Ieſum, Feſto Circumciſionis, num. 1. elog. 7. num. 2.
Ecce ancilla Domini, fiat mihi, &c. elog. 1. numero 5.
Vt facta eſt vox ſalutationis tuæ, &c. Elog. 10. num. 14.
Magnificat anima mea Dominum, elog. 27. num. 15.
Nequaquam, ſed vocabitur Ioannes, elog. 18. num. 12.
Quis putas puer iſte erit? ibid.
2. *Eò quòd eſſet de domo & familia David, &c.*
Annuntio vobis gaudium magnum &c. elog. 11. num. 6.
Invenietis infantem pannis involutum, &c. elog. 18. num 5.
Poſtquam conſummati ſunt dies octo, &c. Elogium 1.
Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ, &c. Elog. 4.
Eliſabeth impletum eſt tempus pariendi, elog. 18. num. 6.
Erat ſubditus illis, Elog. 6. num. 5.
3. *Quis fuit Heli ibid. num. 3.*
Nonne hic eſt filius fabri? Ibid. num. 14.
6. *Factum eſt autem in illis diebus, &c. elog. 3. num. 9.*
9. *Nolite portare ſaculum, &c. Elog. 12. num. 5. elog. 17. num 9.*
10. *Sicut me miſit Pater, & ego mitto vos, elog. 32. num. 2.*
11. *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, elog. 2. num. 5*
18. *Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo, elog. 39. num. 6.*
21. *Et tunc videbunt filium hominis, &c. elog. 7. num. 15*
22. *Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, &c. elog. 2. num. 5.*
Et ecce Angelus de cælo confortans eum, elog. 16. num. 9.
Iuda, oſculo filium hominis tradis, elog. 13. num. 9.
Converſus Dominus reſpexit Petrum, &c. Elog. 28. num. 3.
23. *Tolle, tolle, crucifige eum. Elog. 38. numero 12.*
Memento mei dum veneris in regnum tuum, Elog. 33. num. 12.
24. *Vos autem ſedete in Civitate, &c. Elog. 12. num. 9.*

JOANNES.

CAP. 1. *In principio erat Verbum, &c. elog. 46. num. 6.*
Quod factum eſt, in ipſo vita erat, elog. 36. num. 12.
Et lux in tenebris lucet, ibid.
Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, &c. elog. 1. num. 2.
De plenitudine ejus nos omnes accepimus, elog. 6. num. 5.
Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum, elog. 12. num 8.
Non ſum ego Chriſtus, &c. Elog. 30. numero 6.
Et vox clamantis in deſerto, ibid.
2. *Deficiente vino dicit Mater Ieſu, &c. Elog. 22. num. 9.*
3. *Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, &c. elog. 2. num. 8.*
6. *Ducentorum denariorum panes, &c. elog. 1. num. 5.*
8. *Quis ex vobis arguet me de peccato, elog. 11. num. 11.*
Ego ſum lux mundi, Elogium 15. numero 1.
9. *Quis eſt hic, qui Sabbatum non cuſtodit, Elog. 26. num. 9.*
10. *Ego veni, ut vitam habeant, Elog. 7. numero 5.*
13. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum, &c. elog. 1. num. 2.*
Erat ergo recumbens unus ex diſcipulis, &c. elog. 90. num. 12.
14. *Si quis diligit me, ſermonem &c. elog. 5. numero 6.*
Domine, oſtende nobis Patrem, &c. Elog. 5. num 5.
Philippe, qui videt me, videt &c. ibid. numero 1. & 2.
15. *Sine me nihil poteſtis facere, Elog. 3. numero 10.*
16. *Si enim non abiero, Paraclitus &c. elog. 12. num. 3.*

Vado ad eum qui misit me, &c. elogium 12. num. 3.
19. *Et bajulans sibi crucem exivit, &c. elog. 1. num. 6.*
Vnus militum lanceâ latus ejus aperuit, Festo Circumcisionis, num. 9.
Stabat autem juxta crucem Iesu Mater ejus, &c. elog. 34. num. 6.
Et in illa hora accepit eam discipulus in sua, elog. 40. num. 9.
20. *Mulier quid ploras? Quem quæris? elog. 29. num. 9 & 2.*
Maria? Conversa illa dicit ei, Rabboni, ibidem.
Accipite Spiritum Sanctum, &c. elegium 12. num. 3.
Dominus meus, & Deus meus, &c. elog. 37. num. 3.

ACTUS APOSTOLORUM.

CAP. 1. *Tu Domine, qui corda nosti omnium, &c. elog. 5. num. 2.*
Et nubes suscepit eum in cælum, &c. elog. 11. num. 5.
Cumque intuerentur in cælum, &c. ibidem num. 6.
Et erant unanimiter, &c. Elogium 12. numero 2.
Hic Iesus qui assumptus est &c. Ibid.
Accipientes virtutem supervenientis &c. Ibidem.
Et cùm introissent in cœnaculum, ibid.
Hi omnes erant perseverantes, ibidem numero 11.
2. *Factus est repente de cælo &c. Ibidem numero 2.*
Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, &c. Ibidem.
5. *Ita ut in plateis ejicerent infirmos, &c. elog. 2. num. 14.*
Obedire oportet nos magis Deo &c. Elog. 14. num. 6.
9. *Vas electionis est mihi, &c. elogium 20. numero 12.*
Saulus adhuc spirans minarum, &c. Ibid.
12. *In ipsa nocte erat Petrus dormiens, elog. 24. num. 6.*

EPISTOLA AD ROMANOS.

CAP. 5. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, &c. elog. 36. num. 6.*
8. *Sapientia carnis inimica est Deo, elogium 9. num. 5.*
Ipse enim spiritus testimonium reddit, &c. Elog. 13. num. 14.
12. *Sic enim faciens carbones ignis &c. Elog. 39. num. 9.*
13. *Nox præcessit, dies autè appropinquavit, &c. Elog. 6. num 16.*
15. *Dico enim Christum ministrum fuisse Circumcisionis, Elog. 1. num. 2.*

PRIMA EPISTOLA AD CORINTHIOS.

CAP. 2. *Animalis homo non percipit, &c. Elog. 12. num. 11.*
3. *Tanquam parvulis in Christo lac vobis, &c. Elog. 9. num 4. Elog. 20. num. 3.*
10 *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, &c. elog. 20. num. 9.*
11. *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, &c. elog. 5. num. 14.*
Vir caput est mulieris, Elogium 6. numero 5.

SECUNDA AD CORINTHIOS.

CAP. 3. *Non poterant intendere filii Israël, &c. elog. 10. num. 2.*
6. *In omnibus exhibeamus nos &c. elogium 24. num. 9.*
Vt seductores, & veraces, &c. ibid.

AD GALATAS.

CAP 3. *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc &c. Elog. 5. num. 14.*
4. *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus &c. Elog. 1. num. 11.*
Filioli, quos iterum parturio, &c. elog. 20. num. 3.

AD EPHESIOS.

CAP. 2. *Propter nimiam charitatem ſuam qua &c. Elog. 1. num. 10.*

4. *Captivam duxit captivitatem, Elog. 11. numero 5.*

6. *Non eſt nobis colluctatio adverſus &c. Elog. 2. num 5.*

AD PHILIPPENSES.

CAP. 2. *In nomine Ieſu omne genuflectatur, Elog. 2. nu. 11.*

Chriſtus factus eſt pro nobis &c. Elog. 11. numero 2.

Exinanivit ſemetipſum &c. Elogium 11. numero 14.

AD COLOSSENSES.

CAP. 1. *Gaudeo in Paſſionibus meis &c. Elog. 5. nu. 12.*

2. *Qui eſt caput omnis principatus, Elogium 6. nu 7.*

3. *Expoliantes vos veterem hominem, Elog. 36. nu. 3.*

AD THESSALONICENSES.

CAP. 1. *Facti ſumus parvuli in medio veſtrum &c. Elog. 20. nu. 3.*

SECUNDA AD TIMOTHEUM.

CAP. 4. *Tu vero vigila in omnibus labora &c. Elog. 3. nu. 11.*

AD HEBRÆOS.

CAP. 2. *Nunquam enim Angelos apprehendit &c. Feſto Circumciſionis, nu. 3.*

Debuit per omnia fratribus ſimilari &c. Elog. 7. nu. 17.

14. *Non habemus Pontificem, qui non poſſit &c. Ibid.*

10. *Ideo ingrediens Mundum, Elogium 1. numero 10.*

12. *Omnis quidem diſciplina in præſenti &c. Elog. 24. nu. 11.*

EPISTOLA SANCTI JACOBI.

CAP. 1. *Si quis veſtrum indiget ſapientiâ &c. Elog. 9. nu 3.*

3. *Non eſt iſta ſapientia deſurſum &c.*

Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, Ibidem.

EPISTOLA PRIMA PETRI.

CAP. 5. *Fratres Sobrii eſtote & vigilate, Elog. 2. nu. 8.*

Humilibus autem dat gratiam, Elog. 30. numero 2.

SECUNDA PETRI.

CAP. 1. *Vt per hæc divinæ efficiamini conſortes naturæ, Elog. 12. nu. 8.*

PRIMA EPISTOLA SANCTI JOANNIS.

CAP. 4. *Timor non eſt in charitate, Elog. 5. numero 5.*

APOCALYPSIS.

CAP. 1. *Et in medio ſeptem Candelabrorum, &c. Elog. 38. nu. 15.*

2. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, Elog. 6. numero 6.*

10. *Accipe librum & devora illum &c. Elog. 5. nu. 15.*

Et vidi alium Angelum deſcendentem &c. Elog. 8 nu. 12.

Vidi alium Angelum fortem descendentem &c. Elog. 38 *nu. 6.*

12. *Mulier amicta Sole, Luna sub pedibus ejus,* Elog. 25 *num.* 3.

Signum magnum apparuit in Cælo, ibidem.

13. *Et vidi bestiam ascendentem de mari &c.* Elog. 2. *num* 9.

14. *Vidi alterum Angelum volantem &c.* Elog. 8. *num.* 12.

17 *Septem Capita septem Montes sunt,* Elog. 2. *num.* 9.

Hi pugnabunt cum agno &c. Ibid.

21. *Vidi Civitatem Sanctam Ierusalem,* Elog. 17. *num.* 3.

22. *Duodecimum* Amethistus, Elogium 5. *numero* 2.

FINIS

INDICIS LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ.

INDEX RERUM

NOTABILIVM ET CONCEPTVVM

In hoc Sanctorali.

A.

ABEL.

PErſecutionem paſſus à Cain, quia infans & innocens, Elog. 16. num. 6.

ABRAHAM.

Egrediens è domo fuit à Deo magnificatus, Elog. 17. num. 6.

ADAM.

Fuit à Deo creatus in terra rubra, Elog. 36. num. 3.

AFFECTVS MVNDI.

Impediunt receptionem favorum Cæleſtium, vide favores Cæleſtes.

Faciunt animam pigram, & ſegnem in ſervitio Dei, Elog. 8. per totum.

AMOR.

Amor Chriſti erga genus humanum fecit, ut ſtatim circumcideretur, Elogio 1. per totum. Amor hominis erga Deum facit legem Chriſti ſimplicem, levem & parvam ſicut econtra ei, qui non amat, ſit magna & gravis.

ANDREAS APOSTOLVS.

A Cruce reportavit generoſitatem, honorem & Paradiſum, Elog. 34. per totum. Habitavit ſub polo Auſtrali charitatis, num. 2. Crucem habuit pro ſtella navigationis ſuæ ibidem. Apparuit fortior ſupra proprias vires, num. 3. Fuit fortiſſimus in operando & patiendo, num. 5. Accepit vires ſolo aſpectu Crucis, num. 6. Habuit ſibi faventem arietem Crucis & Martem verbi æterni, ac ideo fuit fortiſſimus in patiendo, num. 8. A Cruce velut principio alphabeti Chriſti didicit ſummum bonum dependere, nu. 11 Servivit ipſi pro ſcala, per quam ſubito arcem Paradiſi occupavit, numero 12. & 14.

ANGELVS.

Deſerens mundum fit Angelus, Elog. 17. num. 11.

ANIMA.

Eſt Cælum, Elog. 1. num. 2. Quo perfectius deſerit Mundum, eo fit capacior Dei, Elog. 9. 12. 13. Per totum.

ANNA MATER MARIÆ.

Parentes Mariæ ab eâ retulerunt ſummum honorem, Elog 23. per totum. Fœlix configuratio Trinitatis, quæ concurrit in Nativitate Matiæ prædixit excellentias horum parentum, num. 2. Poſt fœcunditatem habuerunt duplicem Sanctitatem inſtar Eliæ, num. 3. Antequam haberent Mariam cibando pauperes, & miniſtros templi ac familiam nec non augmentando animas proprias orationibus, oſtenderunt virtutem nutritivam, & augmentativam, num. 5. Poſtquam genuerunt Mariam, fuerunt redditi illuſtriores Ibidem. Maria, quia fuit duplex accretio inſtar Joſeph, ideo non ſolum ſe illuſtravit, ſed & parentes, num. 6. Fuerunt intelligentiæ aſſiſtentes nobiliſſimi Cæli Mariæ, num. 8. Fuerunt Principes naturales, quia genuerunt Mariam, num. 9. Velut corpora opaca fuerunt magis à Maria illuſtrata, num. 11. Cum Enos ſperarunt ſe nobilitandos titulo Dei, num. 12. Quia parentes Mariæ & avi Chriſti, ideo habuerunt quandam dignitatem infinitam, num. 14.

ANTONIVS PADVANVS.

Vide de eo totum Elog. 17. Fuit Cælum ſimpliciter eccentricum, & ideo meruit portare in ulnis ſolem Chriſtum, num. 2. Fuit ſubtiliſſimus vapor à terra ſemotus, & ideo Cometa Lucidiſſimus. Imitatus eſt Chriſtum aſcendentem in Jeruſalem, ut hæc ad illum deſcenderet. Egrediens domo fuit magnificatus, numer. 6. Fuit magnus in Cælo & terra, quamvis natus ſit ſub conſtellatione Leonis ſterilis, rigidi & aſperi, num. 8. Fuit Angelus, quia vacuus rebus terrenis, num. 9. & 11. Quia deſeruit Mundum, ideo inſtar Jacob pugnavit cum Deo & Dei æqualis redditus, num. 12. Fuit ſummè ſciens, quia ſummè immaterialis, num. 14.

APOSTOLI.

Quia reliquerunt Mundum, ideo ſunt facti Angeli, Elog. 17. num. 9. & repleti gratiis Cæleſtibus, Elog. 12. per totum. Et transformati in Cælos, Elogium 13. numero 11.

B.

BARTHOLOMÆVS APOSTOLVS.

Vide de eo totum Elogium 26. Vocatur Filius ſuſpendentis aquas, num. 2. Male tractatus fuit, quia natus ſub libra, Ibid. Quia innocens velut David & Abel, num. 3. & 6. Fuit perſecutiones paſſus à Sagittario & Saturno impiorum, quia ſibi faventem habuit domum religionis, num. 8. Eum faſcinarunt perſecutores, quia inviderunt ei ſuam venuſtatem, nu. 5. Ejus actiones fuerunt taxatæ quia imitatus eſt Chriſtum innocentem & Joſephum, num. 9. & 12. Fuit mons altiſſimus perfectionum, & ideo expoſitus fulmini, num. 12. Habuit in aſcendente tantum, & ideo ſummè honoratus, & peſſime tractatus, num. 14.

BENIAMIN.

Idem eſt, ac filius dextræ, & ſignificat Paulum, Elog. 20. num. 6.

BESELEEL.

Idem eſt, ac umbra Dei, & ſignificat Petrum, Elog. 19. num. 8.

C.

CHRISTVS.

Cur aſcenderit Hieroſolymam, ſi ipſa deſcendit, Elog 17. num. 3. Si non diſceſſiſſet ab Apoſtolis, non miſiſſet Spiritum Sanctum, Elog. 12. num. 3. Taxatus quia innocens, Elog. 26. num. 9. Antequam aſcenderet Cælum voluit epulari in opprobriis, Elog. 24. num. 3. Ejus oculi, quam efficaces, Elog. 28. per totum. Ejus Crux quam illuſtrem eum reddiderit vid. Elog. 11. & Elog. 34.

CHRISTVS ADORATVS à MAGIS.

Eum timuit Herodes, quia habuit in aſcendente Jovem divinitatis, & Martem fortitudinis, Elog. 2. num. 2. Solâ infantia debilitavit infernum, & fugavit Dæmones, nu. 3. & 5. Fugit in Ægyptum, ut eam debellaret, eſt parvus tentitta, num. 6. Eſt gallus ſolâ præſentiâ fugans leones, & baſiliſcos infernales, num. 8. Eſt agnus, qui ſolo nomine fugat ſuos hoſtes, num. 9. Solâ umbrâ extirpavit ſerpentes infernales, ideo figuratus per virgam Aaronis. Eſt fraxinus umbrâ fugans dæmones, num. 12. & 14. Cur oraſit de nocte, Elog. 3. num. 9. Eſt primus motor Eccleſiæ, regula prælatorum, numero undecimo.

CHRISTI ASCENSIO.

Vide Elogium 11. Ejus aſcendens hodie ipſi valde favit, num. 2. Illo ingrediente debuerunt portæ dirui, & muri dejici, num. 3. & 5. Illo aſcendente. Angeli apparuerunt in veſtibus albis, & cur? num. 6. Reſurrexit beatior & glorioſior, quia novo titulo acquiſivit gloriam, num. 8. Per vulnera adeò fuit pulcher, ut mirarentur Angeli, num. 9. Inſtar ſolis comparuit pulchrior per vulnera, num 11. Aſcendens diſceſſit à quarta domo ſepulchri ad decimam unus paterni, à ſiniſtra ad dextram, & ideo illuſtrior apparuit, num. 14.

CHRISTI CIRCVMCISIO.

Vide Elogium 1. per totum: Eſt primum mobile Eccleſiæ, num 2. Cur voluerit aſſumere naturam humanam, & non angelicam? cur naſcerex Hebræis, & non gentibus? nu. 3. Adeò deſideravit pati, ut ſubitò natus voluerit circumcidi, num. 3. Ut eſſet velocior ad patiendum ſe extenuavit, & quaſi privavit ſuis divinis attributis, idque fecit amor, num. 5. Natus ſub ecliptica legis Moſaicæ, portans in humeris impetium crucis, num. 5. & 6. & 8. Bis fuit crucifixus, & flagellatus, & lancea perfoſſus, num. 9. Fuit pleuriticus num. 11. Amor ipſi extraxit ſanguinem, nec tamen clauſit, ſed ſolum ſignavit vulnera, num. 11. In mente patris æterni habuit deſiderium patiendi, ac ſi in illa fuiſſet conceptus cum cruce ſuper humeros, numero decimoquarto.

CHRISTI NATIVITAS.

Vide Elogium 38. Fuit ſol, qui primo habitavit in domo leonis juſtitiæ rigoroſæ, ſed carnem aſſumens intravit virginem, & factus eſt totus clemens, num. 2. Fuit centrum magnitudinis, quod uniendo ſe centro gravitatis carnis humanæ, quietavit totam terram, num. 5. Fuit Angelus veſtitus nube, & coronatus iride, num. 6. Comparens in mundo formavit tres irides, pacis cum Deo, cum nobis ipſis & proximo, nu. 8. Factus homo, acquiſivit robur, & virtutem, num. 9. Fuit ſol, qui veſtitus noſtrâ carne, quaſi in ſpeculo univit radios ſuæ potentiæ ad deſtruendos noſtros hoſtes, num. 11. Veſtitus luto ardente carnis, fugavit infernum num. 14. Oſtendens ſe Deum & hominem, exhibuit majus imperium & auctoritatem, num. 15. Fuit Cometa, qui comparens in medio cælo Mariæ, attulit pacem & copiam bonorum, num. 17.

CHRISTIANVS.

Debet eſſe idem in conſolationibus & tribulationibus, Elog. 36.

Debet habere fidem junctam operibus, Elog. 37.

CONCEPTIO.

Vide Maria concepta.

CONCORDIA.

Ejus utilitates, vide Elogio 31.

CORONA.

Vide Roſarium Mariæ.

CONTEMPTVS MVNDI.

Facit hominem cælum eccentricum, quod portat in pectore ſolem Dei, Elog. 17. num. 12. Quò magis homo ſequeſtratur à mundo, eò magis diſponitur ad recipiendos favores cæli, num. 3. Facit hominem magnum in cælo, & ſimilem Deo, num. 6. & 12. & 14. Facit hominem promptum in ſervitio Dei, Elog. 8. Facit hominem capacem rerum cæleſtium, Elogium duodecimum per totum.

D.

DAVID.

QUia innocens, ideo perſecutionem paſſus, Elog. 26. num. 3. Omni momento benedixit Deum tam in nocte adverſitatum, quam in luce conſolationum, Elog. 36. num. 9. & 12.

DÆMON.

Superatus eſt à Chriſto parvulo, Elog. 2. num. 2. Eſt Crocodilus ſuperatus à tentitita Chriſti. num. 5. Eſt Leo & Baſiliſcus fugatus ſolâ præſentiâ Chriſti num. 12. & 14. Timet Trinitatem, Elog. num. 15. 12.

DEVS.

In ventre Mariæ eſt factus totus benignus, & clemens, Elog. 7. per totum.

DIFFICVLTATES.

Superantur quando magnâ promptitudine & voluntate eas amplectimur, Elog. 22. per totum. Non ſunt in lege Chriſti ſed in nobis, Elogium 5. per totum.

E.

ELCANA.

QUia ſemper idem & immutabilis, ideo fuit dictus unus, ſicut Deus, Elogium 36. num. 3.

ENOS.

Speravit ſe honorandum titulo Dei, & cur? Elog. 23. num. 12.

EVA.

Præceptum divinum de pomo vetito non comedendo judicavit eſſe duo præcepta, quia illud obſervavit ex timore mortis, Elog. 5. num. 3.

EVCHARISTIA.

Vide Elogium 16. Eſt leo communicans animabus ſpiritus generoſos & robur, nu, 2. Eſt ſpeculum cryſtallinum, in quo Deus reſtringit radios ſuæ omnipotentiæ pro noſtra defenſione, num. 5. Eſt panis azymus, quo defenſi ſunt hebræi ab Angelo exterminatore, num 6. Eſt calix, quem Chriſtus petiit ad nos transferri, ut eo reſtauraremur, num. 9. Eſt calix & ara cæleſtis, quæ comparens ſupra horizontem animæ noſtræ nos facit leones, & ſagittarios contra dæmones, num. 11. Eſt frumentum & vinum relictum Jacob, num. 12. Eſt cenſus Eccleſiæ, & quinta eſſentia boni, & pulchri, numero decimoquarto.

F.

FAVORES CÆLESTES.

COnceduntur iis, qui deſerunt mundum, vide Elogium 9. 12. & 17. per totum.

FOELIX CAPVCINVS.

Vide Elogium 10. Fuit vitis præductrix auri ſanctitatis, plantata prope minetas auri JESUS, & MARIÆ, num. 2. Fuit myſterium, quod naſceretur Cantalitii, nu. 3. Fuit Angelus, Ibid. Fuit adeps, & quidem ſine ſanguine, vivens anima rationali, num. 5. Deus illi impoſuit nomen, & ideo in religione hoc ei non fuit mutatum, num. 8. Ejus capræ fuerunt mutatæ in capricornos, boves in tauros cæleſtes, & c. num. 10. Fuit cælum ſine materia concupiſcentiæ, & imperfectionis, num 10. Fuit viridis, quia fuit herba plantata prope rubum in quo apparuit Deus, num. 17. Fuit cælum ſtellatum, ornatum tot ſtellis virtutum, quia vicinus ſupremæ intelligentiæ, num. 13. Inſtar Baptiſtæ fuit donatus tot gratiis, ob præſentiam Chriſti, & MARIÆ, num. 14. Fuit plenus gratia ob eandem cauſam, num. 16.

FIDES.

Significatur per beryllum, per mare æneum fabricatum à Salomone, & alia quæ vide Elog. 37.

FIDELIS.

Vide verbo Chriſtianus.

FRANCISCVS PATER MINORVM.

Fuit centrum mundi, & locus primi mobilis Dei, num. 2. Elog. 30. Maximus, & minimus ſicut David, num. 3. Fuit figura ſphærica in capacitate major aliis, ſed quo ad locum minor, num. 5. Comparatur Baptiſtæ, num. 6. Fuit Chamæleon, præſumptione vacuus, & ideo repræſentans virtutes Chriſti, num. 8. Quamvis unicus, tamen fuit luna, aurora, ſol, & exercitus integer, num. 11. Fuit Epilogus omnium Sanctorum, & punctum indiviſibile, producens umbram infinitam ſanctitatis, num. 14. Fuit Moyſes, & Deus in terra, nu. 15. Fuit iris repræſentans divinum ſolem, num. 17.

G.

GRATIA.

Vide favores cæleſtes.

H.

HONOR.

Filiorum redundat in parentes, Elog. 23. per totum.

HVMILITAS.

Quantò profundior, eò magis exaltat, Elog. 4. Eſt centrum mundi & ſuprema ſphæra, Elog. 30.

I.

IACOBVS.

Figura vigilantis Prælati, quia oves Laban tam diligenter cuſtodivit, Elog. 3. num. 3. Eſt factus ſimilis Deo, & cur? Ibidem.

IACOBVS MAIOR.

Ejus actionibus non prædominabatur Saturnus triſtitiæ, ſed Jupiter promptæ lætitiæ, Elog. 22. num. 2. Cur Chriſtus ei non dixerit abſolutè ut biberet calicem, nu. 3. Sed an poſſet bibere, num. 3. Fuit cælum, quod ſemper movebatur, quia movebatur naturaliter, & promptè, num. 5. Sicut Chriſtus non cogit fideles ad ſui ſequelam, ſic non coëgit Jacobum ad bibendum calicem, ſed eum invitavit, num. 6. Fuit purgatus per inferiora à melancholico humore, ut ejus ſalus eſſet magis naturalis, & prompta, nu. 8. Fuit lapis aptus pro templo Dei, quia politus fuit non violenter, ſed voluntariè, nu. 9. Fuit ſacerdos gratus Deo, quia voluntariè ſuſcepit baptiſmum contradictionum, num. 11. Fuit operarius voluntarius, adeóque electus pro ædificio Eccleſiæ, num. 12. Fuit capitaneus aptus pro dilatanda fide, num 14.

IACOBVS MINOR, ET PHILIPPVS.

Fuerunt duæ animæ totaliter cæleſtes, adeóque informatæ ſapientia cæli, Elog. 9. num. 1. Ut addiſcerent ſapientiam cæli, oblivioni dederunt ſapientiam mundi, num. 7. Fuerunt duo oculi capitis Eccleſiæ diaphani, & transparentes, potentes videre omnes colores myſteriorum divinorum, quia nullum habuerunt colorem ſapientiæ humanæ, num. 8. Fecerunt ſe ſtolida jumenta, ut cognoſcerent divinitatem Chriſti, num. 9. Inſtar lunæ vicinæ Mercurio filii Dei, fuerunt benignè reſpecti, & ideò perfectiſſimè cognoverunt res cæleſtes, num. 11. Quia eorum ſimplicitas fuit cæleſtis, ideo fuit apta, quæ informaretur ſapientiâ cæleſti, num. 14.

IOACHIMVS.

Vide Anna.

IOANNES BAPTISTA.

Comparuit ſimilis Chriſto, quia habuit pro aſcendente conſtellationem virginis, Elog. 18. num. 2. Eſt excellens Sanctus, quia ei dictum: *Magnus coram Domino*, nu. 3. Quo major fuit Chriſtus, eo major fuit Joannes, quia ejus umbra, num. 5. Eum genuit, & peperit Eliſabeth, ſicut MARIA Chriſtum, num. 6. Spiritus Sanctus videtur fuiſſe principium activum ejus generationis, num. 8. Chriſtus cur noluerit eſſe præſens ejus morti, num. 9. & 11. Fuit dictus manus Domini, quia inſtar Chriſti fuit imago DEI, num. 12. Extrinſecus videbatur tantum eſſe homo, nam in anima erat mutatus in Deum, num. 14. Fuit dictus antonomaſticè præcurſor, & cur, num. 15. Niſi Chriſtus fuiſſet in mundo, potuiſſet intrare in ejus locum, num. 17. Fuit miſſus in mundum, ut per eum cognoſceremus excellentias Dei, Ibidem.

IOANNES EVANGELISTA.

Fuit aquila ſecum habens ſignum virginitatis, & capricorni Chriſti, & ideo perfectius penetravit myſteria divina, quam ullus homo, & Angelus, num. 2. Fuit horizon rationalis, & naturalis, qui æqualiter tranſiens per centrum æternitatis divinæ, melius quam omnes diviſit divinitatem ab humanitate, num. 4. Perfectius cognovit cæleſtia, quam reliqui Apoſtoli, & ipſe Paulus, quia fuit virgo, num. 6. Fuit Angelus non ſolum illuſtrans homines, ſed etiam nobiliſſimos Angelos, num. 8. Poſſedit verbum divinum, ejuſque ſapientiam, num 9. Vidit Deum tam perfectè, ut poſſet dici transformatus in illum, num. 11. Ex quiete ejus in ſinu verbi, poteſt colligi ejus æqualitas cum filio Dei, num. 12. Fuit intellectus agens uttiuſque Eccleſiæ, & ideo alter Deus, num. 14.

IOSEPH SPONSVS MARIÆ.

Eſto natus ex proſapia vili, tamen fuit ſanctiſſimus, quia ei favit tota ſanctiſſima Trinitas, num. 2. Elog. 6. Dictus eſt filius David, quia fuit maximus inter poſteros ejus, num. 3. Fuit caput MARIÆ & Chriſti, ideoque excellentiſſimus, num. 5 Fuit Cherubin, poſitus ad cuſtodiam Paradyſi, Angelûſque cuſtos Chriſti & MARIÆ, nu. 6. & 8. Omnes ejus excellentiæ continentur in hoc, quod dicatur eſſe Sponſus MARIÆ, num. 9. Eſt Rex Angelorum, quia Sponſus Reginæ Angelorum, num. 11. Ante incarnationem fuit Sponſus MARIÆ, num. 12. Succeſſit in locum Patris, & Spiritus Sancti, numer. 14. Fuit Planeta nativitatis Chriſti, num. 16.

IOSEPHVS PATRIARCHA.

Eſt filius bis accreſcens, Elog. 23. num. 6. Incarceratus, quia innocens, Elogium 26. num. 12.

IVDAS.

Fuiſſet ſalvatus, ſi adhuc viviſſet, quando MARIA ſtetit juxta crucem, Elog. 33. nu. 3. Quia fuit plenus affectibus terrenis, ideo non fuit transformatus a Spiritu Sancto, Elog. 13. num. 9.

INIMICUS.

Quantæ ſit excellentiæ condonatio inimicorum, vide Elog. 39. per totum.

INNOCENTIA.

Quò eſt major, eò majoribus eſt expoſita perſecutionibus, vide Elog. 26. per totum.

ISAAC.

Liberatus à morte virtute Trinitatis, Elog. 15. num. 3.

ISACHAR.

Cur dictus aſinus fortis, Elogium 14. numero 12.

L.

LAURENTIUS MARTYR.

FUit cor ſuæ Eccleſiæ, Elogium 3. num. 2. Velut Jacob diu noctuque vigilavit, num. 3. Fuit leo dormiens oculis apertis, num. 5. Fuit vigilans ſicut Noë, nu. 6. Fuit reductus ad ſtatum innocentiæ & factus quaſi impaſſibilis, num. 8. Vivebat ſine ſomno, Ibidem. Non ſenſit ferrum candens, Ibidem. De nocte oravit ſicut Chriſtus, nu. 9. Fuit intelligentia inferior Deo, num. 11. Fuit valde doctus, Ibidem. Rexit Eccleſiam ſuam ſicut Angelus, Ibidem. Per vigilantiam fuit princeps ſol & Jupiter, num. 14. Vigilavit tribus oculis ſuper tres ſtatus perſonarum, Ibid.

LAURENTIUS MARTYR.

Fuit cœlum inalterabile, & ideo non ſenſit ignem, num. 1. In hoc ſæculo lauro convivio exceptus, num. 3. Pranſit in Apolline, & comedit ignem, num. 5. Suaviter requievit in craticula. num. 6. Fuit palma Chriſti, & ſemper vivens in fide, num. 8. Ignis fuit ejus recreatio, num. 9. Somniabat ſe pati & ideò in tormentis gaudebat, num. 11. In Igne invenit ſuam beatitudinem, numero 10. Fuit certo modo beatus, & ideò non ſenſit ignem, num. 14.

LUCIA VIRGO ET MARTYR.

Fuit ſtella de novo producta in firmamento Eccleſiæ. num. 1. Elog. 36. Fuit terra nigra æqualiter ferens pluviam & ſiccitatem, num. 3. Fuit velut aqua, quæ converſa in cœlum cryſtallinum non mutavit naturam, num. 5. Semper eodem modo recepit Deum, eumque continuò benedixit, num. 8. & 9. Eodemque animo recepit tenebras adverſitatis & lucem conſolationis, num. 17. Fuit lucerna ſemper ardens num. 14. Fuit quaſi immutabilis & æterna, & ideo dicta una ſicut Deus, num. 17.

M.

MARCUS EVANGELISTA.

FUit cœlum perfectè rotundum in puncto tangens terram ſine angulis affectuum terrenorum, & ideo velociſſimus in ſervitio Dei, Elog. 8. num. 2. Fuit velocior Abatino, quia Apollo Chriſtus dedit ei ſagittam verbi divini. num 5. Fuit velociſſimus, quia caruit ſplene, Ibid. Fuit ſtella quæ in momento tranſivit è terra in cœlum, num. 8. Ejus motus fuit inſtantaneus, quia omninò vacuus affectibus mundi, num. 11. Fuit Angelus volans num. 12. Fuit Angelus moribus, Angelus pacis habens unum pedem in terra, & alium in mari, rugiens inſtar leonis nu. 14. Fuit reſpectus à Chriſto, cujus etiam fuit imago, num. 15. Fuit luna in plenilunio, in quo videbatur imago ſolis Chriſti, & ideò fuit velociſſimus num. 17.

MARIA.

Concipiens actu Chriſtum, quænam verba contemplata fuerit, Elogium 1. num. 8. Conſideravit tunc filium cum cruce ſupra humeros, eamque impreſſit ejus corpuſculo, Ibidem.

MARIÆ CONCEPTIO.

Fuit domus & civitas Dei, cujus fundamento fovit cœlum, & defendit à malignis influentiis Martis dœmonis, & ſcorpionis culpæ originalis, Elogium 35. num. 6. Fundamenta præfata fuerunt jacta ſupra montes aliorum Sanctorum, Ibidem. Spiritus Sanctus ferebatur ſuper eam, ſicut ſuper aquas, numero 3. Fuit cœlum ſimpliciter eccentricum, quod non debuit communicare cum centro mundi, hoc eſt, culpâ originali, numero 5. Per verbum *Ave* dictum ei fuit, quod eſſet ſine culpa, & per verba *Gratia plena* oſtenſum eſt, ei eſſe redditam juſtitiam originalem ab Eva amiſſam, num. 6. Illi fuit redditum temperamentum noſtrorum protoparentum, num. 8. Deus in MARIA velut in ſole poſuit ſuum tabernaculum, num. 9. Fuit ſol coronatus ſtellis ſine macula culpæ, numero 11. Ab inſtanti conceptionis in die pugnæ fuit protecta, num. 12. In portis conceptionis vindicavit mortem noſtrorum protoparentum, numero 13. Reſpectu Mariæ fuerunt dicta illa verba: *Inimicitias ponam &c.* num. 15. Fuit prima, quæ calcaneo virtutis contrivit caput ſerpentis, num. 15. Fuit aurum perfectiſſimum, non habens admixtum argentum vivum culpæ originalis, quia ex ea debebat confici aurum potabile noſtræ ſalutis, num. 17.

MARIÆ NATIVITAS.

MARIA videbatur ſoror Chriſti uno partu cum ipſo edita, numero 2. Elog. 17. Filius Dei inſtar Narciſſi fuit ejus amore captus, Ibidem. Fuit nubecula magna inſtar veſtigii, non pueri ſed gigantis, puta Dei & hominis, numero 3. Fuit luſcinia perfecta imitatrix muſicæ filii Dei, numero 5. Potiùs voluit mori, quàm ceſſare à cantu, Ibidem. Fuit producta ab æterno patre, tanquàm mollis maſſa vitri, numero 6. Recepit omnia delineamenta, & perfectiones verbi communicabiles creaturæ, numero 8. Recepit imaginem Dei, non pictam penicillo, ſed impreſſam ab ipſo Deo, numero 9. Fuit gemma repræſentans totam Trinitatem, numero 11. Eſt imago perfectiſſima & forma Dei, num. 14. Habens plenitudinē gratiæ Chriſti magnum fecit Deum, num. 15. Fuit ſpeculum conforme immenſitati Dei, & ideò repræſentavit Deum grandem, numero 17.

MARIÆ PRÆSENTATIO.

Eſt ſignum virginis, nos toto tempore vitæ noſtræ protegens. Elogium 33. num. 1. Judas fuiſſet ſalvatus per MARIAM, niſi nimis citò ſe ſuſpendiſſet, num. 3. Eſt tutrix eorum, qui à Deo ſunt deſerti, numero 5. Paſcit capras peccatorum, num. 6. Eſt ſpeculum in quo reprobi peccatores repræſentantur ſtare ad dextram Chriſti velut electi, num. 8. Eſt aurora roborans peccatorem in pugna cum Deo, num. 9. Eſt ſtella veſpertina nos protegens in domo & puncto mortis, num. 11. Latro per ejus interceſſionem fuit ſalvatus, num. 12. Eam in hac vita colens, habet magnam ſpem ſalutis num. 12.

MARIÆ ANNUNCIATIO.

Ros inſipidus Chriſti in cellula virginalis uteri factus eſt mel ſuaviſſimum, Elog 7. numero 2. Deus in utero Mariæ factus eſt calor dans vitam, & non mortem, num. 5. MARIA eſt rubus viſus à Moyſe, Ibidem. In ſuo ſinu captivavit, & manſuetum feceit rhinocerotem ferociſſimum filii Dei, num. 8. Fuit virga quietis & pietatis Dei, num. 9. Fuit ſtella pacans mare irati Dei, numero 11. Præbens potum Deo, ejus iram ſedavit, eumque reconciliavit homini, num. 14. In judicio Chriſtum mitigabit, num. 15. Vocatur mater miſericordiæ, quia Deo dedit viſcera pietatis ad compatiendum miſeriis noſtris, numero 17.

MARIÆ VISITATIO.

MARIA fuit luna creata in plenilunio gratiarum, ut eas communicaret orbi. Elogium 21. nu. 2. Fuit aula regia ſpei in Deum quam debent habere homines, num. 3. Ob incomparabilem liberalitatem eſt domus Orientalis & Occidentalis cœli, numero 3. Eſt ſpongia abſorbens omnes gratias paradiſi, num. 6. Eſt cœleſtis colcodea, à qua de-

pen-

pendent omnes formæ gratiarum. num. 8. Non rogata dat beneficia, num. 9. Portat in manibus ſpicam, ut nutriat ſuos devotos, num. 11. Eſt hortus plenus deliciarum pro nobis, nu. 12. Eſt luna per quam nobis omnes gratiæ communicantur, num. 44.

MARIÆ PURIFICATIO.

MARIA deſcendit velut lapis ad ſuum centrum, ſed à centro fuit ſublevata verſus cœlum, Elogium 4. num. 1. Ejus capilli fuerunt inſtar capillorum capræ, quia quò magis ſe humiliavit, eò magis fuit exaltata in oculis Dei, num. 3. Fuit fons eò magis aſcendens, quò magis deſcendit, num. 5. Fuit virga ſubtiliſſima fumi ratione humilitatis, ſed ſpirans fragrantiam atomatum omnium virtutum, num. 6. Fuit ſpeculum concavum, colligens in centro humilitatis infinitos radios gratiarum, num. 8. Odore ſuaviſſimo nardi ſuæ humilitatis, traxit ad ſuum uterum filium Dei, num. 9. Sinus anguſtiſſimus Mariæ capax fuit immenſitatis Dei, Ibid. & num 11. Calceamentis humilitatis ſummè recreavit Deum, num. 12. Omnes virtutes his calceamentis fuerunt tributariæ, Ibidem. Ob ſummam ſuam excellentiam habuit calceos lunatos, numero 14. Fuit thronus Dei, habens gradus purpuratos, quia per humilitatem facta eſt Regina, num. 15. Fuit Simillima Chriſto in humilitate, num. 17. Altitudo Mariæ non poteſt menſurari niſi umbrâ humilitatis Chriſti, numero 17.

MARIÆ ASSUMPTIO.

MARIA adeò fuit ſimilis Deo, ita ut Areopagita eam credidiſſet Deam, niſi fides obſtitiſſet, Elogium 25. num. 2. Comparuit veſtita ſole, quia tota fuit penetrata à divinitate, numero 3. Fuit cœlum portans ſolem Chriſti, & ideò ſuo modo in eſſe naturæ deificata, num. 5. Fuit meridies gratiæ, & in ea quaſi cum Deo identificata, num. 6. Gratia ſuo modo illi fuit connaturalis, num. 8. In illa fuit tota plenitudo gratiæ divinæ, num. 9. Habuit gratiam capitis non reſpectu Chriſti, ſed reſpectu noſtrûm, tanquam concurrens ad redemptionem mundi, num. 11. Fuit exaltat in gloria inſtar cedri, num. 12. Ei ſoli fuit communicata gloria patris & filii, num. 14. & 15. Filius fuit ejus corona, num. 15.

MARIÆ ROSARIUM.

MARIA eſt roſa omnibus communicans fragrantiam ſuarum gratiarum, Elogium 29. numer. 2. Nomen ejus comparatur oleo, & unguento effuſo, num. 3. Anima quæ inungitur oleo roſaceo nominis Mariæ, recitando frequenter, *Ave Maria*, fit gratia Deo, numer. 5. Maria roſarii habens vultum roſarium omnes gratias à Deo impetrat, numer. 6. Eſt roſa Jericho, num. 8. Recitans roſarium loquitur roſas, Ibidem. Maria ſuis devotis influit gratiam loquendo, Ibidem. Sæpius eam nominans, vincit mortem & infernum numer. 9. Eſt roſa ſuo odore occidens Scarabæos, & vultures dæmonum, num 11. A nobis nominata, facit cognoſcere Deum, num. 12. Eſt roſa ex beſtiis nos mutans in homines, numer. 14. Maria eſt oleum frangens jugum dæmonis, num. 15. Corona, ſi devotè recitetur, eſt valde utilis, ſi verò indevotè, valde noxia, num. 17.

MATTHÆUS APOSTOLUS.

Fuit cadaver revificatum à ſole Chriſti, gleba luti reducta in pulveres, & mons nivis liquefactus, num. 2. Elogium 28. Per aſpectum Chriſti fuit converſus, num. 3. Fuit glacies à radiis Chriſti reſoluta in aquas, numer 5. Fuit mons ſolidatus in avaritia, ſed à Chriſto reductus in pulverem, numer. 6. Fuit adamas valde durus, ſed à Chriſto tractus, num. 8. Eum Chriſtus reſpexit, ut Chriſtum videre poſſet, num. 9. Fuit primo occiſus, ut reſuſcitatus poſſet Chriſtum videre, num. 11. Reſpectus à Chriſto, recepit Chriſti imaginem, num. 12. Fuit ſpeculum terſum repræſentans imaginem Chriſti, numero decimo quarto.

MATTHIAS APOSTOLUS.

Fuit Amethiſtus corrigens falſas imaginationes Hebræorum, num. 1. Unicam tantum eſſe legem putavit, quia eam reſpexit oculo timoris filialis, & amoris ſinceri, nu. 5. & 8. Judicavit legem eſſe faſciculum myrrhæ, quia amavit, num. 9. Portavit legem in corde, tanquam in propria ſphæra, quia amavit, & ideo etiam ei fuit valde ſuavis, num. 11. 1. Non potuit corrigere Judæos, quia erant pueri, ſtulti & dormientes, num. 14. Lex ei fuit dulcis & nullatenus amara, num. 15.

MOYSES.

Percuſſit petram in forma crucis, quæ & ideo dedit aquas, quas antea dare non potuit, Elog. 34. num. 3.

N.

NINIVITÆ.

Vlcerunt peccatum, & fuerunt præſervati virtute ſanctiſſimæ Trinitatis, Elog. 15. num. 5.

NOE.

Dum dormiret, ejus filii peccarunt, Elog. 3. num. 6.

O.

OCULI CHRISTI.

Vide Chriſtus.

OPERA BONA.

Vide Fides.

P.

PARENTES.

Honorantur per filios, Elogium 23. per totum.

PAULUS APOSTOLUS.

HAbuit in aſcendente ſolem, Martem & Mercurium filii Dei, & ideo fuit tam eloquens, Elogium 20. num. 1. Fuit tam ſapiens, ut ſe omnibus accommodaret, num. 3. Erat Polypus, qui in varias ſe transfiguravit formas pro bono fidelium, num. 5. Fuit tam generoſus, ut dictus ſit Benjamin, num. 6. Tanquam Dux valoroſiſſimus ſemper fuit ad dextram, num. 8. Lingua ejus fuit inſtrumentum bellicum ad ſuperandum totum infernum, numer. 9. Fuit Hercules robuſtus, & Mercurius eloquens, ac econtra, numer. 11. Fuit Vas electionis minimum & capaciſſimum, num. 14. Fuit eloquentiſſimus & generoſiſſimus, quia habuit in gutture lapidem electorum Chriſti, num. 14.

PECCATOR.

Protegitur à Maria in vita, & in morte, Elogium 33.

PETRUS APOSTOLUS.

Fuit velut ſol inter ſtellas aliorum Apoſtolorum, Elogium 19. num. 2. Cum fuerit caput Eccleſiæ, habuit poteſtatem, quam non habuerunt alii, num. 3. Pro libitu, humeris aperuit & clauſit cælum, num. 5. Habuit in manibus vas ventorum, & pluviarum, Ibidem. Voluit capite deorſum, & pedibus ſurſum crucifigi & cur? num. 8. Dictus eſt Beſeleel, quia fuit umbra Chriſti crucifixi, Ibidem. Per illa verba: *Tu es Petrus* factus eſt ſimilis Chriſto, num. 9. Fuit Archimedes, qui inſtar Dei creavit novos cælos, numer. 11. Fuit tantæ auctoritatis, ut Deus ſuo modo dependeret ab ejus ſententia, num. 12. Fuit dictator Romanus, qui fixione clavi ſuo

ſuo modo Deum flectebat quocunque volebat, num. 14. Incarceratus ſuaviter dormiebat, quia juſtus, Elog. 22. num 9.

PRÆLATUS.

Debet eſſe vigilans? & non negligens, Elog. 3. per totum.

R.

RAHAB.

ESto mala, tamen fuit præſervata virtute Trinitatis, quia illam in corde recepit, Elog. 15. num. 6.

ROSARIUM.

Vide Mariæ Roſarium.

SAMUEL.

Conjunxit fidem operibus, Elog. 37. num. 6.

SANCTI.

Habuerunt in aſcendente Pleiades adverſitatum, & ideo fuerunt à Deo exaltati, Elog. 32. num. 2. Ex amygdalo adverſitatum ſuxerunt mel conſolationum, num. 3. Fuerunt lapides fracti per adverſitates, ſed in iis latuit Adamas & Oleum beatitudinis, num. 6. & 8. Deus præparavit animas Sanctorum, ut reciperent ſalutem æternam operatam per medicinam afflictionum num. 11. Non liberavit eos à portis mortis, ſed eos exaltavit, num. 12. Iis dominatus eſt aquarius afflictionum, in quibus invenerunt ſtellam regiam Tomahand æternarum excellentiarum, num. 14.

SAPIENTIA.

Humana contrariatur divinæ, Elog. 9. per totum.

SERVUS DEI.

Vide, Elog. 22. 32. & 36. Et verbo Chriſtianus.

SIMON, ET JUDAS APOSTOLI.

Fuerunt ſimiles Geryonibus, Elog. 31. per totum. Fuerunt nubes, quæ conjunctæ emiſerunt fulgura illuſtrantia orbem, num. 5. Ob concordiam fuerunt à Deo exaltati, num. 6. Fuerunt ſimiles Caſtori & Polluci, ſigno geminorum, num. 8. Influentia doctrinæ, & exempli dominati ſunt Perſiæ, Ibid. Fuerunt duæ & una nubes, illuſtrans & defendens fideles, num. 9. Fuerunt duo luminaria, num. 11. Fuerunt duo oſſa, quæ Deus univit, ut darent vitam Perſiæ, num. 12. Simon comparatur Soli, Judas Lunæ, num. 14. Conjuncti ſunt in Tauro, ac ideo fecerunt magnum fructum.

SPIRITUS SANCTUS.

Deſcendit ſuper Apoſtolos formâ ignis, quia verſus Cælum miſerunt exhalationes ferventium precum, Elog. 12. num. 2. Si Chriſtus non aſcendiſſet, Spiritus Sanctus non deſcendiſſet & cur, num. 3. Quia Apoſtoli fuerunt plane vacui à mundanis affectibus, & ſe ſpoliarunt calceamentis affectus terreni erga Chriſtum, ideo repleti ſunt favoribus Cœleſtibus, num. 5. Fuerunt ova repleta rore Cœleſti, & ideo facillimè ex ſe aſcenderunt verſus Cælum, num 8. Quia fuerunt obruti ſomno puræ orationis & privati materiâ mundi, ideo iis fuerunt revelata divina oracula, ac fuerunt apti ad ſpeculanda Cæleſtia, num. 14.

SPIRITUS SANCTUS.

Eſt elixir divinum, & aqua Borica Paradiſi, quæ juventutem reſtituit, Elog. num. 2. Spiritus Sanctus reddit ſimilitudinem Dei amiſſam per peccatum, numer. 3. Dat intellectuale ſpirituale, & embrionem animæ facit ſimilem Deo, num. 5. Dicitur confovere aquas & cur, num. 6. Ex truncis aridis educit aves volantes, num. 8. mutavit Apoſto-

los in Cælos, num. 11. Petrus eſt factus ejus filius, num. 12. Fideles fiunt ejus filii adoptivi, & ipſe fit noſter Pater, num. 14. Quod deeſt naturæ ſupplet per artem, ibid. Vide etiam verbo Judas.

SPIRITUS SANCTUS.

Ubique operatur portenta, Elog. 14. nu. 2. Elingues facit loqui, num. 3. Per eum columbæ, aves ſtatuæ, animarum noſtrarum, quamvis ligneæ, & metallinæ ſpiritualiter volant &c. num. 5. Fecit Apoſtolos generoſos, numer. 8. Eos è fœminis mutavit in viros, num. 8. Facit loqui jumenta piſces & aves, num. 9. Nec tantum facit eos intelligere, ſed ut & aliis ſecretiſſima myſteria manifeſtent, num. 13. Commovetto tam terram animæ, ejuſque faciem vertit verſus Cœlum, num. 12. Facit terræ motum univerſalem in anima, num. 14.

STEPHANUS PROTOMARTYR.

Fuit luna in plenilunio, & quamvis infeſtaretur à latratibus Judæorum, tamen nihil perdidit de ſua Luce, Elog. 39. num. 2. Ignoſcens inimicis & orans pro Paulo, accendit ignem amoris divini ſuper illius caput, num. 3. Fuit Chalybs optimè temperatus, qui ſe affricans ad Paulum, perſecutorem ſuum motu, pro eo orando rarefecit ejus Cor, & in illud introduxit ignem amoris divini, num. 8. Fuit pulchrior & fragrantior coram Deo, quia fuit roſa plantata ſperavit ſe devicturum inimicos, quando ſe vidit ab iis injuſtè perſecutiones pati, num. 9. Fuit Jupiter propitius, quia ſuam maximam dignitatem collocavit in Cancro charitatis verſus hoſtes, num. 51. Ferventius rogavit pro inimicis, quam pro ſe, & ideo meruit filiationem Dei, num. 12. Per eam actionem fuiſſet ſubſtitutus in locum Chriſti, ſi Pater æternus non habuiſſet filium, num. 14.

SUPERBIA.

Eſt humor Melancholicus aſcendens verſus caput, qui purgatur per inferiora medicinâ afflictionum, Elogium 21. numero 8.

T.

THOMAS APOSTOLUS.

Fuit Beryllus præcipuè, quia habuit colorem viridem Fidei, & formam ſexangularem operum, & quia conjunxit hemiſphærium Fidei, hemiſphærio operum, num. 2. & 3. Reſpexit Deum objecto Fidei ſpeculativæ, & practicæ ibidem, ſupellex ejus fuerunt vaſa delphica Fidei formatæ, ſcutum & ſcyphus, num. 1. Ejus credere fuit operari, num. 8. Fuit mons Bethel, & domus Dei, in quo paſcuabantur captæ Fidei, & cervi bonorum operum, num. 9. Quia habuit Fidem & opera, ideo ei dominatus eſt capricornus, & dictus eſt Filius Abrahæ, ac Geminus, num. 11. & 12. Pinxit in ſcuto albo ſuas Heroicas actiones, num. 14.

TRIBULATIO.

Tribulationes ſunt ſuaves, & faciliter tolerantur, quando ſponte & voluntariè eas amplectimur, Elog. 22. Ab iis dependet major noſtra gloria, Elog. 32. Sunt ſomnus & non vere afflictiones, Elog. 24. Debemus eas æquo animo acceptare ſicut conſolationes, Elog. 36.

TRINITAS.

Eſt rogus è quo aquila animæ generoſæ volat in Cælum, Elog. 15. num. 3. Iſaac virtute Trinitatis fuit liberatus à morte, numer. 3. Aſpectus Trinitatis, quia Trinus, eſt beneficus, & protegit nos à capite Meduſæ Dæmonis, numer. 5. Trinitas præſervavit Rahab, numer. 6. Trinitas eſt tres ſphæræ, facta una, quæ mirè protegit, num. 8. Ninivitæ virtute Trinitatis vicerunt peccata, num. 9. Trinitas eſt tres ſoles æquè pulchri qui comparent cum gladio, ut nos defendant, num. 11. Dæmon ſubticuit numerum ternarium, timens ſuperari virtute Trinitatis, num. 11. Trinitas tres accipitres, ſymbolum victoriæ, numer. 15. Trinitas concur-

rens in Nativitate Mariæ prædixit eminentiam ejus parentum, Elog. 23. num. 3.

V.

VICINITAS.

CUm Deo & Maria quam sit utilis, Elogium 10.

VIGILANTIA PASTORALIS.

Quam sit necessaria prælatis, & quam proficua, Elog. 2.

UNIO.

Quanta bona adferat fidelibus, Elog. 32.

VOLUNTAS.

Qui bene vult facere rem aliquam, debet eam facere voluntariè & non coactè.

ZACHÆUS.

Dictus filius Abrahæ, quia fidem junxit operibus, Elog. 37. num. 12.

FINIS
INDICIS RERUM NOTABILIUM ET CONCEPTUUM.



BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA -

SVM-

SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

LEopoldus, divinâ favente Clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex: Archidux Austriæ; Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wittenbergæ; Comes Tyrolis &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quod cum nobis nostet ac Sacri Romani Imperii fidelis dilectus, Joannes Georgius Hertz Bibliopola Viennensis humillimè exposuerit, quemadmodum tripartitum opus, utpotè Seraphici splendores vel Conciones Quadragesimales, Dominicales & Sanctuarium Patris Matii de Bignoni Venetiani Ordinis Capuccinorum Doctis omnibus, præsertim verò Viris Ecclesiasticis magnoperè desideratum ac usui futurum, majoris commoditatis ergò ex Italica in latinam linguam sumptu suo traduci curârit, ac bona cum prædicti Ordinis Capucinorum venia Typis excudenda dare constituerit; vereatur autem, ne (quod fieri assolet) Typographi etiam alii quæstus causâ, eadem opera fraudulenter ac magno suo dispendio imitentur, prælo committant, distrahant atque venundent, nosque proinde suppliciter orârit, ut indemnitati ipsius consulere ac super dictis operibus Matii Bignoni Privilegio nostro Cæsareo ipsum præmunire clementer dignaremur, nos submissæ pariter & æquæ ipsius petitioni clementer annuendum censuerimus, idcircò ex certa scientia, animo bene deliberato, pro authoritate nostra Cæsarea, omnibus & singulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis, aliisque quibuscunque librariam negotiationem exercentibus, sertiò interdicimus ac veramus, ne quis supranominata opera ita ex Italica in latinam linguam translata, intra decem Annorum spatium à prima editionis die numerandum, intra Sacri Romani Imperii, aut quorumcunque regnorum ac Dominiorum nostrorum hæreditariorum fines, simili aut quovis alio typo, formâ aut modo imitari, recudere, aut recudendum dare, aut etiam alibi excusum apportare, venundare aut distrahere, sine ipsius Joannis Georgii Hertz hæredumve ejusdem consensu, palam vel occultè ausit. Si quis autem secus faciendo, interdictum hoc nostrum neglexerit aut violaverit, is non solum ejusmodi libris aut exemplaribus, dicto Joanni Georgio Hertz ejusve hæredibus auxilio magistratus locorum ubi reperientur, vindicandis privari, sed etiam pro quavis supradictorum operum ita recusorum aut aliunde apportatorum specie, decem Marcharum auri mulctam æratio seu fisco nostro Cæsareo, atque injuriam passo seu passis, ex æquo pendendam dare damnatus esto, dummodò præfata tamen opera, bonis moribus, fidei orthodoxæ, Cæsareæ nostræ Authoritati sacrisve Imperii Constitutionibus, nihil contrarium adversumque in se contineant, & quaterna nimirum singulorum exemplaria ad Cancellariam nostram Imperialem Aulicam transmittantur. Mandamus itaque universis ac singulis, nostris Sacri Imperii Regnorum ac Dominiorum nostrorum hæreditariorum subditis & fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, cujuscunque status, gradus, dignitatis aut ordinis extiterint, præsertim verò iis, qui in magistratu constituti, vel suo vel suorum superiorum loco aut nomine jus dicunt, justitiamve administrant, ne quenquam hoc Privilegium nostrum Cæsareum impunè violare, spernere aut transgredi patiantur, sed si quos contumaces comperierint, constitutâ à nobis mulctâ eos puniri; & quibuscunque modis coërceri curent, ni & ipsimet gravissimam nostram indignationem in se lacessere velint, harum Testimonio literarum manu nostrâ subscriptarum, & Sigilli nostri Cæsarei appressione munitarum: quæ dabantur in Civitate nostra Viennæ, die decima nona mensis Februarii. Anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio, Regnorum nostrorum Romani quinto, Hungariæ octavo, Bohemiæ verò septimo.

LEOPOLDUS.

(L.S.)

Vt *Wildericus Baro de Walderdorff.*

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium,

J. WALDERODE.

Prædictus D Ioannes Georgius Hertz, Civis & Bibliopola Viennensis cessit totalitèr jus summ supradicti Privilegii Hermanno Demen Civi & Bibliopolæ Coloniensi

Duarte da Costa da Silveyra
cavaliero da ordem de Santiago

Recebida em Vorag.º [illegible]
Zebang.º Contebar

Duarte da
Santiago
que para
necesario
semeão da
da Silveira
por aver
a ver sim
maez que
ção tem
ridade e
conhecime
asim ver
cujo efeito

Pide
dar
ção
pola
prez



Duarte da Costa da Silveyra
cavaliero da ordem de Santiago

Recebida em Vorag.º [illegible]
Zeuang.º Contebar

Duarte da
Santiago
que para
necesario
semeão da
da Silveira
por aver
a ver [illegible]
maez que
ção tem
ridade e
conhecimen
assim ver
cujo efeito

Pide
dar
ção
pola
prez

3.458